Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8421

THOMAE RUDDIMANNI
INSTITUTIONES
GRAMMATICAE LATINAE

CURANTE

GODOFREDO STALLBAUM.

PARS PRIMA

ETYMOLOGIAM CONTINENS.

Pessime de pueris merentur praeceptores, qui aut regulas nullas tradunt, aut certe statim abiiciunt, et magnifice promittunt, fore ut usu loquendi discantur constructiones. Nam illi, qui non norunt regulam, etiamsi legunt exempla in auctoribus linguae, tamen loqui non satis audent, quia non habent certam rationem, ad quam dirigant compositionem verborum. Quare publice debebant in tales *praeceptores* poenae constitui, qui praecepta fastidiunt. Omnino enim danda est opera, ut tam diu in arte detineantur adolescentes, donec perfecti grammatici, donec architecti sermonis et absoluti artifices evaserint.

Melanchthon.

LIPSIAE
SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.
MDCCCXXIII.

Digitized by Google

345.0

Digitized by Google

PRAEFATIO EDITORIS.

Saeculum fere praeterlapsum est, ex quo primum in lucem emissae sunt quas nunc typis repetendas curavimus Ruddimanni Institutiones Grammaticae Latinae. Nam prima operis pars anno superioris saeculi vigesimo quinto, altera autem sex annis post prodiit *). Cuius libri praestantia mirum

*) Sub hoc utraque titulo: *Grammaticae Latinae Institutiones, facili atque ad puerorum captum accommodata methodo perscriptae. Additae sunt in provectiorum gratiam notae perpetuae, quibus non solum Latini sermonis praecepta plenius explicantur, sed et ea pleraque omnia, quae a summis grammaticis aliisque ad hanc artem illustrandam sunt observata succincte simul perspicuegue traduntur. Perfecit et suis animadversionibus auxit Thomas Ruddimannus, A. M.* Pars I. Edinburgi, in aedibus auctoris, MDCCXXV. 8. min. (Contin. paginas 330.) Pars II. Ibid. DCCXXXI. 8. min. (Cont. pag. 388.) — Quae in hoc opere illustrantur generalia artis praecepta, ea seperatim exhibentur in minore libro: *Grammaticae Latinae institutiones facili et ad puerorum captum accommodata methodo perscriptae. Thoma Ruddimanno auctore.* Editio decima quinta. Edinburgi, excudebat C. Stewart academiae typographus. Veneunt ap. Mundell et filium 1804. pagg. 296. 8. min. Leguntur tamen in eo etiam quae ad Orthographiam et Prosodiam pertinent praecepta, in maiore opere plane omissa. Addimus denique indicem libri Rudimentorum inscriptione ornati atque in Institutionibus nostris saepissime memorati: *The rudiment of the Latin tongue, or a plain and easy introduction to Latin grammar. by Thomas Ruddiman. Edinburgh.* 1812. acc. *prima morum et pietatis praecepta.*

Digitized by Google

est quod nostrorum hominum notitiam tam diu effugit, quandoquidem praeter Frid. Aug. Wolfium et Conradum Leopoldum Schneiderum nemo quisquam Germanorum eum vel laudavisse vel usu cognitum habuisse videtur. Et tamen, quoniam omnis cuiusque linguae cognitio proficisci debet a diligenti usus loquendi observatione, quod aliud huius generis opus iuventuti Latinarum litterarum studiosae, quin etiam earum magistris, maiore iure commendari potuerit, equidem novi nullum. Nam tanta diligentia in colligendis, sapientiaque in disponendis Latinae linguae opibus usus esse reperitur Ruddimannus, quanta haud scio an nemini, praeter I. Gerard. Vossium, coniuncta quidem, tribui recte possit. Quod iudicium quum nuper de eo publice tulisset etiam Schneiderus. Praefat. Gr. Lat. T. I. p. X. tanto maius illius operis apud multos motum est desiderium, quod hic tristissimo fato telam, quam ipse pertexere inchoaverat, relinquere coactus est. Sed veremur, ne pauci admodum eorum, qui librum utilissimum possidere cupiant, ita satisfacere possint votis suis, ut eum ex ipsa Britannia arcessant, ubi et rarus admodum esse perhibetur et tam insano pretio venit, ut nonnisi bene numati eius usum sibi comparare posse videantur. Quocirca non dubito, quin bibliopola honestissimus, qui eum suis sumtibus typis repeti voluit, multorum inierit gratiam. Meam autem quod attinet

Digitized by Google

operam in hac editione praestitam, prima haec fuit cura, ut exemplar Edinburgense quam accuratissime describeretur. Itaque nihil mutavi vel omisi, praeterquam quod Anglicam versionem vocabulorum in etymologica potissimum parte illustratorum vel abieci vel, sicubi opus videretur, in Germanicam mutavi. Quod quidem eo minus reprehensum iri spero, quia in locum inutilis illius versionis successit supplementum plane necessarium. Etenim quum universum grammatices ambitum in quatuor partes descripsisset Ruddimannus, nonnisi Etymologiam et Syntaxin his Institutionibus illustravit, Orthographiam et Prosodiam, nescio qua de caussa, attingere noluit. Cui malo ut aliqua saltem ratione mederer, hanc utramque partem ex Institutionibus supra memoratis breviter ab eo descriptam addere placuit. Sed ne sic quidem opus absolutum videri poterat. Nam quum huiusmodi libris multum desit ad usus commoditatem atque facilitatem, si destituuntur accuratis et plenis verborum rerumque indicibus: et capitum singulorum conspectum exhibere et verborum indicem locupletissimum conficere statui. Denique passim inserui adnotatiunculas, quibus, si quae minus recte disputata esse viderentur, ea corrigerem atque supplerem. Quae a Ruddimanni oratione uncinis quadratis apposito plerumque siglo G. St. distinctae sunt. Quodsi fortasse eas et pauciores et breviores esse mireris, neque nimia disputationum mole

Digitized by Google

onerandum esse librum iam satis amplum arbitrabar, et peculiari Appendice quosdam Etymologiae ac Syntaxeos locos accuratius pertractare mihi proposueram. Ceterum finem praefandi facturus non possum quin duorum librorum faciam mentionem, quibus qui utentur, uberiores de rationibus atque caussis formarum et constructionum a Ruddimanno collectarum disputationes non multum desiderabunt. Sunt autem hi: *Ueber die Lateinische Declination und Coniugation. Eine grammatische Untersuchung von D. C. L. Struve.* Königsberg, 1822. 8. et *C. G. Zumpt's Latein. Grammatik*, 2te Ausg. Berlin, 1820. 8. quos libros par est in omnium adolescentium manibus versari, qui ultra vulgus sapere cupiunt.

Lipsiae mense Martio
MDCCCXXIII.

M. GODOFREDUS STALLBAUM.

Digitized by Google

AMPLISSIMO AC FLORENTISSIMO
QUOD IN SCOTIA EST
IURISCONSULTORUM COLLEGIO
D. ROBERTO DUNDASSIO
FACULTATIS DECANO
CAETERISQUE EIUSDEM COLLEGII, CORAM SUMMIS
TRIBUNALIBUS, CAUSARUM PATRONIS
DOMINIS AC MAECENATIBUS SUIS BENIGNISSIMIS.

Quod sub celebratissimi vestri nominis auspiciis, Viri *illustres*, hoc quodcunque est operis Grammatici prodire voluerim, non est cur labore animo mecum exputem rationes. Quae enim aliae aliis lucubrationes suas viris inscribendi insignibus causae venditantur, eae in me omnes propemodum consentiunt; neque ad vos amice modo ducunt et alliciunt, sed etiam vel invitum rapiunt et impellunt. Et quidem, ut hinc exordiar, sive ex loci amplitudine, sive ex literarum fama Patroni deligendi sunt: unde benignius sibi praesidium, et certiorem firmioremque adversus seculi malignitatem tutelam, ac defensionem, expetere quis vel exspectare possit; quam a viris, nascendi conditione supra vulgus elatis, omni doctrinarum genere excultis et perpolitis, opibus denique, gratia et auctoritate pollentibus? Quod si beneficiorum acceptorum publico aliquo testimonio recolenda memoria sit; ea certe in me a vobis tot ac tanta existunt, ut illis vix enumerandis, nedum ex merito praedicandis sufficere valeam. At hae e medio fere petitae, mihique cum pluribus communes, vos appellandi rationes fuerint. Alio autem et propiore titulo haec mea qualiscunque ingenii foetura vobis debetur; eodem nimirum quo me quasi ipse meaque omnia vobis debeo. Quintum iam lustrum agitur, ex quo rerum vestrarum pretiosissimas, amplissimam Bibliothecam, curae meae demandatam atque creditam voluistis; quo munere ut mihi nihil gratius, iucundiusve obtingere unquam potuisset; ita si absque illius auxilio opibusque fuissem, nequicquam atque

Digitized by Google

irrito labore in Grammatica palaestra me exercuissem. Haec mihi ad aggrediendum fiduciam, ad progredien-dum materiem et facultatem, ad perficiendum vires et animum, sola fere atque unica subministravit. Quod igitur in aedibus vestris natum, divitiis vestris suf-fultum, vestrae denique benignitatis aura fotum at-que maturatum sit; id totum, quicquid est, ad vos pleno iure revertatur oportet: ut proinde qui vos eo fraudare aut intervertere voluerit, nemini non faci-nus prorsus indignum, et piaculo proximum admis-sum videatur. Et hanc quidem infamiae maculam a me amoliri facile fuit: caeterum id potius hic est verendum, ne alia et diversi prorsus generis noxa mihi deprecanda sit: quod rem scilicet personis ve-stris reverentiaeque vobis debitae minus conveniен-tem videar fecisse; qui vos a gravioribus curis, at-que a maximarum et reipublicae utilissimarum occu-pationum fastigio ad Grammaticas hasce, quales a plerisque habentur, tricas et quisquilias, devocare ausus fuerim. Grammatico quidem, nisi alia et al-tiora respiciat, in tenui, fateor, labor, ac pertenuis gloria est. Secus autem, si penitius rem intuebi-mur, hanc artem inveniemus, ut in se non ignobi-lem, ita caeterarum omnium et fundamentum et ia-nuam esse. Huic solo quisquis non inaedificarit, hanc viam quisquis non institerit, nae ille frustra ad sublimiores scientias, aut ad verae eruditionis laudem, gradum promoverit. Id probe norant viri omnis aevi maximi et doctissimi, qui neque digni-tate sua, neque ingenio inferius existimabant, ad disceptationes Grammaticas sese demittere. *An ideo* (ut summi illius dicendi Magistri Quinctiliani verbis utar) *minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius diligentissimus fuit, et in filio* (*ut in epistolis apparet*) *recte loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut vim C. Caesaris fregerunt editi de Analogia libri? Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de verbis modo*

Digitized by Google

singulis, sed etiam literis dedit? Et, ut caeterae quidem artes universae haud parum, suo quaeque modo, lucis atque nitoris ab hac nostra foenerantur: ita nobilissima haec vestra in primis, quamque tanta cum laude tractatis Iurisprudentia, sive causarum orandarum facultas, tam arcto cum ea necessitudinis vinculo connexa ac colligata est; ut hac e rebus humanis sublata, illam quoque una everti labefactarique prorsus necesse sit. *Quo minus* (ut Quinctilianum rursus in partes advocem) *ferendi ii sunt, qui hanc artem ut tenuem ac ieiunam cavillantur: quae nisi Oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxeris corruet: necessaria pueris, iucunda senibus: dulcis secretorum comes: et quae sola omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis. Ne quis igitur tanquam parva fastidiat Grammatices elementa: quia* (ut paulo post addit) *interiora velut sacri huius adeuntibus, apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere quoque altissimam eruditionem ac scientiam possit.* Haec ego cum vobis, Viri *illustres*, comperta, quam quae maxime, esse cognoscam, non est quod a conspectu vestro me deterreat operis suscepti argumentum. Id solum mihi metuendum videtur, ne vel onus, cui sustinendo non sim, humeris mei imposuerim, vel ne industriae meae nervis aliorum negotiorum mole nonnunquam laxatis, non eam huic operi accurando limandoque animi vim atque intentionem, quam res postulabat, ubique adhibuerim. Sed ut hic quoque, apud vos, Patronos meos benignissimos, eosdemque Iudices cum primis idoneos atque aequissimos, pro me pauca loquar: Quanquam non sim nescius, satis curtam mihi esse angustamque ingenii supellectilem, neque ea me forte, qua par erat, Latini sermonis facultate, aliisque doctrinae indiciique subsidiis instructum, ad provinciam hanc tam arduam obeundam accessisse: cum tamen animadverterem, post tot

Digitized by Google

doctissimorum virorum ad rem Grammaticam apud alias gentes instaurandam impensos labores, illas interea, quae in Scholis nostris vulgo praelegantur, Latinae linguae Institutiones, multis magnisque vitiis ac erroribus adhuc corruptas et inquinatas iacere; huic malo quoad possem occurendum existimans, medicas et ipse ei manus admovi. Neque mearum virium fiducia rem tantam aggressus sum: sed, quod proximum fuit, ex aliorum copia inopiam meam subievavi, et quod ingenio defuit, diligentia saltem ac sedulitate id compensare sum adnisus. Hoc vero mihi insuper addere fas sit, me in nullius nominis quantumvis magni servitutem addictum, libere, ut liberum hominem decebat, animi mei sensa ubique fere exprompsisse; multa etiam ab aliis intacta aut inobservata in Commentarios meos annotata retulisse. Ut vero neque votis meis neque eruditorum exspectationi sic satis responderim: id tamen de me praedicare liceat, me summa ope adlaborasse, nihilque adeo, quod quidem in me erat, praetermisisse, ut si non omnibus suis numeris absoluta (neque enim mihi illud sperandum assumo;) accuratiore certe, paucioribusque quam antea mendis obnoxia, Scholae posthac nostrae Grammatica utantur. Quod si vos, Viri *amplissimi*, qualescunque hos meos conatus aspectu patrocinioque vestro digneminí; aliorum censuras et cavillationes minus morabor. Id solum reliquum est, Viri *illustres*, ut vobis ac inclyto vestro Collegio, insigni non Scotiae modo, sed orbis eruditi lumini ac ornamento, fausta omnia ac honorifica exoptem; et quam publica demum possim voce contester, quanto sim studio ac veneratione

Scribebam in Bibliotheca vestra Kalendis Novembribus, Anno orbis redempti M.DCC.XXV.

Celeberrimi vestri Nominis aeternum devinctus Cultor ac Cliens,

THO. RUDDIMANNUS.

Digitized by Google

RUDDIMANNI PRAEFATIO
AD PARTEM PRIMAM.

Etsi non ignorem, *Lector benevole*, quantum famae suae periculum sit aditurus, qui eruditissimo hoc ac perspicassimo seculo, quoque omnes artes et scientiae ad summum quasi culmen perductae videntur, cramben hanc *Grammaticam* recoquere voluerit: tua tamen aequitate fretus futurum confido, ut postquam consilii mei rationes, quaeque me causae eo impellebant, tibi aperuero, labores meos, neque in se ingratos, neque iis, quorum commodis sunt destinati, inutiles velis existimare. Atque, ut ambagibus semotis ad rem ipsam protinus accedam: Cum ante annos aliquot, et ipse animadverterem, et alii itidem conquesti essent, post *Despauterii* Grammaticam Latinam e Scholis nostris tantum non profligatam, alias in eius locum et novas et varias successisse, ut priore illa non multum potiores, ita methodo tradendique ratione, ut quidem videbatur, inferiores; animum tandem meum ea cupido incessit, ut huic rei et ipse manum admoverem, et commodius aliquod accuratiusque huius artis, si possem, systema concinnarem. Et id quidem eo facilius factu arbitrabar, quod aliquid eiusmodi antea tentassem, mihique insuper praesto adesset satis larga earum rerum, quae ad illud

Digitized by Google

requiruntur, copia et facultas. Non hic ingenium meum doctrinamque intelligo, quae in me sentio perquam exigua ac mediocria esse: sed ea quae a libris subsidia petuntur, quaeque mihi plene ubertimque suppeditabat nobilis illa, quae Edinburgi est, *Iurisconsultorum Bibliotheca;* cui, omnibus fere bonis Auctoribus, iis praesertim qui *Humaniores* vulgo insigniuntur, refertissimae, proxime post Cl. virum *Io. Spottiswodium*, Causarum Patronum, per plures annos custos appositus sum. Huius opibus in primis suffultus hanc ego provinciam sum aggressus: quo autem modo eam obierim, quidque in hac re a me praestitum sit, proximum est ut expediam. Et primum omnium, ad praecipuos huius artis Magistros, tam veteres quam recentiores, me contuli; cunctosque, vel quorum laudatissima illa quam diximus *Bibliotheca* copiam praebebat, vel quos aliunde nancisci poteram, sedula ac diligente lectione pervolutavi: atque ex iis quae utilia ac observatione digna videbantur, in Adversariis primum descripta, posteaque ad usus meos translata, in hunc quem vides ordinem omnia digessi. In hoc autem censu, quanquam caeteros haud prorsus neglexerim, mihi ante alios nominandi sunt; e veteribus quidem, *M. Terentius Varro*, *A. Gellius*, *Festus Pompeius et Nonius Marcellus*: *item Fl. Sosipater Charisius*, *Diomedes*, *Priscianus*, reliquique quos duobus voluminibus disposuit ediditque *Helias Putschius*: e recentioribus autem, *Laur. Valla*, *Ant. Nebrissensis*, *Io. Despauterius*, *Tho. Linacrus*, *Iul. Scaliger*, *Augustinus Saturnius*, *Pet. Ramus*, *Nicod. Frischlinus*, *Emman. Alvarus*, *Franc. Sanctius*, *Caspar Scioppius*, *Io. Rhenius*, *Simon*

Digitized by Google

Verepaeus, *Tho. Farnabius*, *Io. Danesius*, *Novae Methodi* Auctor *Gallus*, et qui prae aliis omnibus memorari debuerat, Grammaticorum non sui tantum, sed omnium seculorum princeps, *Ger. Io. Vossius*: item nostra aetate viri doctissimi, *Iac. Perizonius*, *Geo. Henr. Ursinus*, et qui, si nimius aliorum contemptus abesset, si non primum, primis certe proximum, ob insignem ac pene improbam quam in hac re posuerit diligentiam, locum meretur, *Richardus Iohnsonus*. Neque hic popularibus meis suam laudem industriamque detractam volo: quamvis ut quod res est fatear, si unum *Iac. Carmichaelem* excepero, parum admodum lucis, nisi quod ipsi ex aliis prius hausissent, ex eorum mihi licuit laboribus foenerari. Et illi quidem a me supra laudati Scriptores licet egregiis suis monumentis rem Grammaticam mirum in modum illustrarint ampliarintque: non tamen his solis fidendum existimans, statui antiquos illos ac puriores *Latinitatis* fontes, id est, qui stante re Romana scripsere Auctores, adire; nihilque, nisi quod ii probarent sancirentque, admittere. Ex horum autem plerorumque non perfunctoria lectione, visus sum post plenissimas etiam aliorum vindemias, non contemnendam racemationem mihi relictam deprehendisse. Hinc vero et aliud ex alio consilium ortum est, quodque haud scio an mihi proprium et quasi palmarium liceat arrogare ut nimirum quae a Grammaticis e veteribus illis testimonia essent prolata, ea meis ipse oculis lustrarem, omniaque ad praestantissimarum Editionum, quantum fieri posset, stateram exigerem. Et mihi quidem hanc rem, quanquam taedii molestiaeque ple-

Digitized by Google

nam, eo accuratius faciendam existimavi; quod eam scirem a pluribus neglectam multos eosque foedissimos in Grammaticam Latinam errores invexisse. Dum enim, qui plerisque mos est, alii alios exscribunt, et a prioribus tradita posteriores secure arripiunt; fieri non potest, quin quae ab illis, pravorum codicum vitio, linguae omnium principi maculae erant adspersae, ab his hoc pacto propagatae, ei deinceps adhaerescant. Neque ab hoc malo, quamvis ei alias fortiter obviam ierint, se prorsus immunes praestiterunt *Vossius*, *Ursinus* et *Iohnsonus:* sed et ipsi, vel corruptorum exemplarium (quae praecipua *Iohnsoni* infelicitas est) fraude decepti, vel aliorum fidem incautius sequuti, e veri regione haud raro deerrarunt. Id quod Annotationibus nostris (neque enim exemplis hic est locus) abunde me reor legentibus ostendisse. Caeterum quo magis omnibus testata esset mea hac in re diligentia: simulque ut paucis illis, qui suis potius quam alienis oculis sapere volunt, quaerendi labor imminueretur: ubique fere curandum duxi, ut quaecunque a me, sive ex Auctoribus Latinis, sive ex *Grammaticis* aliisque loca proferuntur; eis vel versuum numeros, vel capitum et minorum etiam sectionum distinctiones, quae ab aliis saepius omissae erant, adiicerem.

Quod ad harum *Institutionum* Methodum attinet, cum ea se statim legentibus prodat, non est cur tua tempora longo sermone hic morer. Id mihi summatim dixisse sufficerit; duplicem me, vel duplici potius forma *Grammaticam* exhibere: alteram in tyronum, alteram in Praeceptorum gratiam ador-

Digitized by Google

natam. Illa, quam *Minorem* appellare possis, quamque propterea seorsum edendam curavi, generalia, et quae magis necessaria sunt artis praecepta, uno quasi contextu descripta complectitur. Haec vero, quam *Maiorem* dicere liceat, nulla alia re a priore illa distat, quam quod adiectas sibi habeat perpetuas *Notas* ac *Observationes*, quibus non tantum generaliores Latini sermonis regulae uberius explicantur; sed ea fere omnia, quae vel ab aliis tradita, vel a me ipso animadversa, ad hanc artem illustrandam pertinere videbantur, in quoddam quasi compendium sunt relata. Erunt nonnulli, sat scio, (id enim animo antea praeceperam) qui me in Annotationibus hisce iusto succinctiorem; alii contra, qui in textu, quem rudioribus ediscendum proposuerim, plus nimio prolixum criminabuntur. At prioribus illis facilis est responsio: non enim mihi grande volumen pertexere, sed summae tantum rerum fastigia sequi consilium fuit. Iis vero, qui pleniorem magisque explicatam quaerunt harum rerum notitiam, Scriptores eos ubique monstravi, unde eam, si velint, haurire possint. Ad posteriores autem quod attinet, non me pudet in his nomen meum profiteri, qui superesse sibi aliquid, quam deesse malint: meminerintque, ut primariam sermonis virtutem perspicuitatem, ita brevitati obscuritatem comitem quam saepissime esse coniunctam. Quin, ut paulo apertius rem loquar: nunquam mihi placuerunt eorum rationes, qui nescio quo facilitatis puerisque onus levandi praetextu, tot sibi *novas* docendi *vias*, tot *Grammatices compendia*, quorum nullus est modus, comminiscuntur. Nam, ut perpetuum illum novitatis pruritum, quaeque ex eo redundant mala,

Digitized by Google

praeteream; amplissima certe res est, latiusque suos fines extendit *Lingua Latina*, quam ut angustis hisce, quos illi constituunt, limitibus coarctari se patiatur. In hac quidem, ut in aliis rebus omnibus, modum tenendum esse lubens agnosco; atque id ego ut facerem ubique me comparavi, neque quidquam, quod eorum scire non interesset, pueris traderem. Quod si quaedam tamen, aut superflua, aut tardioribus ingeniis minus apta videantur, docto atque cordato Praeceptori omnia permitto, ut ea vel intacta prorsus transilire, vel in aliud tempus, pro arbitrio suo, differre queat. Superest, ut cum *primam* tantum *Grammaticae partem* hac tempestate edere potuerim, illos, quibus ea res curae est, hic in fine admoneam, mihi *caeteras* quoque eodem pacto totas fere descriptas ac paratas esse; meque cum bono Deo operam daturum, ut et eae, nulla mora interposita, praelo committantur, puerisque opportuno tempore in manus tradantur. Tu interea, *Lector benevole*, meos labores boni consule; mihique, si mereor, favere perge, ac vale.

Digitized by Google

RUDDIMANNI PRAEFATIO

AD PARTEM SECUNDAM.

Absoluta iam tandem, et in lucem emissa secunda *Grammaticarum* nostrarum *Institutionum*, cum adnexis *commentariis*, parte; priusquam ad eius lectionem aggrediare, paucis te in limine, L. B. compellandum duxi. Et id quidem eo magis necessarium visum, quod, quamvis in totius operis initio instituti mei rationes in genere exposuerim, in hac tamen praecipue *Grammatices* parte adornanda multa sint, quae pressiorem magisque peculiarem explicationem merentur. Ac primum, ne longiore exordio te morer, cum ex regulis Syntacticis alias observarem magis generales ac communioris usus, alias a vulgari loquendi consuetudine remotiores esse; methodo ab eâ quam in Etymologia secutus sum nonnihil mutata, in *Grammatica* quidem *minore* has ab illis diversa characterum forma distinguendas statui; at in *Grmmmatica* hac *maiore*, cum id aliter minus commode fieri posset, regulas infrequentioris usus lineola ad oram libri apposita a caeteris secernere satis habui *). Id autem eo consilio a me factum, ut hoc discrimine posito, tum docentes, tum discentes, quae aliae aliis anteferendae, quibusque maior cura et di-

*) Has lineolas in hoc signum ☞ mutare placuit. G. St.

Digitized by Google

ligentia impendenda, internoscant: simulque ut hoc pacto, si non prorsus amoliri, minuere saltem queam eorum reprehensiones, qui me in hac, ut in caeteris Grammaticae partibus, plus iusto prolixiorem fuisse, nimiaque praeceptorum farragine tenellam puerorum aetatem onerasse queruntur. Haec nimirum gravis illa est, a quibusdam, iis praesertim qui nescio quae docendi compendia sectantur, mihi illata criminatio. At ea, si qua culpa est, magna ex parte hac quam facimus regularum distinctione iam sublata est; cum cuivis hoc pacto *Praeceptori* in proclivi sit, caeteris, quae minoris momenti videantur, vel penitus omissis, vel levius delibatis, iis tantum, quae communis sunt aut necessarii usus, inculcandis animum adiungere. Non ignoro nonnullos esse, qui adhuc mihi vitio tribuunt, quod hac etiam ratione librum, ut mole auctiorem, ita pretio cariorem reddiderim. Sed huic querimoniae depellendae satis foret, si id tantum responderem, multos esse libros, ad linguam *Latinam* capessendam necessarios, hoc ut mole maiores, ita impensiore pretio comparandos. Verum non id mihi agebatur, ut *Grammaticam* parvo aere parabilem (quanquam et hic intra modum me continui), sed ut eiusmodi methodo perscriptam exhiberem, quam optimam, et ad linguae notitiam adipiscendam maxime accommodatam existimaverim. Haec mihi praecipua, si non unica laboris meta proposita; quam si, prae caeteris quae in *Scholis* nostris teruntur, contigerim, quod de solito ampliore libri pretio illi obiiciunt, non multum morabor. Sed, ut ad rem propius accedam, animique mei sensum paulo planius aperiam; quod mihi potissimum, ut in aliis artibus, ita in *Grammatica* tradenda displicet, illud ipsum est, quod nonnulli tantopere venditant, *brevitatis* studium. Nam ut taceam, quae inde necessario fere fluat, docentibus, quam quod maxime, vitandam obscuritatem; ut et, nisi modus adhibeatur, multarum utilium *regularum* omissionem: non me parum et illud mo-

Digitized by Google

vebat, quod curta istiusmodi *Grammatices compendia*, cum exsanguia fere sint et ieiuna, utpote quae regulas non satis explicatas, *exemplaque* inutilia, et ex trivio plerumque petita contineant, non eam, quam par est, in puerorum animos, ut ita loquar, vim inculcant; ac proinde quae in eorum memoriam hoc pacto, non infixa, sed tanquam in Danaidum dolium infusa sunt, protinus effluant et disperdantur. Ut igitur ab his incommodis, quantum possem, caverem; operam primum dedi, ut *regularum principalium* numerus iustus, ac pro linguae varietate communique usu satis amplus esset. Deinde, ut firmius illae tenaciusque animo inhaerescerent, duplici eas sermonis genere: id est, tum ligato, tum soluto, altero memoriae, altero intellectus gratia, enarratas exhibui. Postremo, cum recte loquendi, si quid aliud, facultas praecipue ac fere unice imitando perficiatur, frustraque praecepta tradantur, nisi usus et exercitatio accedant: idcirco, et ut res ubique dilucidior evaderet, singulis *regulis* trina plerumque *exempla*, eaque non ex ingenio, ut multis solitum, conficta, sed ex probatissimis *Latinitatis* auctoribus deprompta adieci. Et ut haec *exempla* maiorem vim haberent, altiusque in puerorum mentibus radices agerent, curandum insuper existimavi, ut ea ex sententiis gravibus et argutis, et vel ad morum vel ad sermonis cultum conducentibus, ut plurimum constarent. Est et alius, a me haud praetereundus, qui ex hoc instituto capi possit, fructus; ut nimirum, si haec exempla sedula ac saepius repetita lectione discentium memoriae indita fuerint, ea regularum ipsarum vices supplere queant. Ita *v. g.* si cui animo exciderit, quem post se casum petant *succenseo* vel *nitor*; ex hoc Silii dicto, *Succensere nefas patriae*, aut ex isto Claudiani, *Virtute decet non sanguine niti*, memoriae obversantibus, statim occurret alterum dativum, alterum ablativum post se exigere. Ut interim sileam quam plurimas Linguae *Latinae* phrases, purissimasque

Digitized by Google

loquendi formulas in mente tanquam thesaurum quendam hac ratione repositas.

Et haec de via, quam in hac secunda Grammatices parte tradenda instituimus, dicta sint. Proximum est ut de *Commentariis* ei iam adnexis, consilioque in eis nostro nonnihil addamus. Et quidem duo praecipue erant, quae in his conficiendis prae oculis habuimus. Primum autem fuit, ut ea quae in textu paulo succinctius, vel minus perspicue tradita essent, uberiore in his *Commentariis* explicatione illustrarentur. Alterum vero, et quod potissimum in his nobis propositum, erat, ut ii *Grammaticae minoris* supplementum quoddam essent, id est, ut utraque, quasi in unum corpus coniuncta, plenissimum, quoad eius fieri posset, *Syntaxeos Latinae*, quatenus, scil. ea ad artem, seu certa quaedam loquendi praecepta reduci queat, *Systema* exhiberent. Quamvis vero nihil fere quod eum in finem vel aliorum labores, vel mea ipsius sedulitas suppeditaret, quod sciam, omiserim; non tamen adeo sum mihi *Suffenus*, ut me rem penitus peregisse, nihilque sequentium industriae reliquisse prae me ferem. Ne mihi nimium in hoc negotio placerem, satis superque admonuerunt virorum etiam doctissimorum, qui in hac palaestra ante me desudarunt, inanes saepe gloriae et hallucinationes. Cuius rei, ut alia quae passim in his *Annotationibus* exstant, praeteream, documentum sit, instar omnium, insignis, ne quid gravius dicam, *Richardi Iohnsoni*, viri alias in his literis exercitatissimi, et diligentissimi, instantia, qui in *Noctibus* suis *Nottingamicis* p. 16. de *adiectivis verbalibus* aliisque genitivum regentibus, qualia sunt, *praestans animi*, *egregius fati*, *fessus viarum*, agens, eorum numerum ad centum fere et septem coërcet; cum tamen nos eo in loco eiusmodi adiectivorum numerum duplo quem is statuit auctiorem ostenderimus. Neque haec a me *Iohnsoni*, vel cuiusquam alterius vituperandi, sed mei vel

Digitized by Google

defendendi vel excusandi gratia, dicta sunt; ut si-cubi et ipse lapsus fuerim, quod quin saepius acciderit caveri potuisse vix sperem, faciliorem apud viros eordatos et conditionis humanae memores mihi veniam pararem.

Sed, ut ad alia quae in hac *Praefatione* dicenda erant, me convertam; illud insuper monendum habeo, me non uno semper et aequabili tenore in his *Commentariis* processisse, sed in his quae magis trita essent, leviori brachio usum; in illis vero, quae dubia vel controversa, aut in vulgus minus cognita viderentur, maiorem curam, ac proinde *ampliorem* copiam adhibuisse. Quod ad *Syntaxeos causas* attinet, quanquam eas haud prorsus neglexerimus, cum tamen illae *Philosophici* magis quam *Grammatici* iuris visae essent, satis habuimus strictius eas ac summatim indicasse, penitiorem disquisitionem ex *Sanctio*, *Scioppio*, *Perizonio*, *Ursino*, aliisque, qui id praecipue egerunt, petendam relinquentes. Caeterum, ut hic quod iamdudum de hac re sentio libere dicam; quamvis hanc, quae in Linguae *Latinae* rationibus indagandis opera ponitur, minime damnem; sed eam provectioribus et linguae usum callentibus oppido et iucundam et utilem putem: non possum tamen eam probare, quae iam pridem invaluit apud nonnullos, consuetudinem, qui omnia ad primigeniam suam (si Dis placet) naturam revocantes, pueris, totius adhuc linguae ignaris, reconditas illas et *Philosophicas* loquendi *rationes*, nec ipsis satis explicabiles, ubique obtrudunt. Hoc pacto nullas in *Syntaxi Latina* regulas admittunt, praeterquam paucas illas, quas *fundamentales* ac *generalissimas* vocant, quaeque non *Latinae* magis, quam cuivis fere aliis linguae sint communes. Has quidem regulas discentibus proponi haud reprehendo; sed iis perpetuo atque unice inhaerere, caeterasque, quae Linguae *Latinae* propriae sunt, eamque ab aliis linguis distinguunt, plane omittere, nihil propemodum

Digitized by Google

aliud est; quam *linguam* quandam *imaginariam*, et quae nusquam gentium est vel fuit, pro *Latina* nobis procudere. *Atqui omnes*, inquiunt, *Grammaticorum regulae, praeter generales illas*, quas ii solas recipiunt, *vitiosae omnino ac falsae sunt.* Id vero est quod prorsus nego: neque enim, si regula aliqua *elliptica* sit, eam continuo falsam esse necesse est. Ita, *v. g.* verissima regula est, adiectiva, quae mensuram vel spatium significant, accusativum adsciscere; neque, ad linguae usum quod attinet, hilum interest, utrum suapte vi, an praepositionis per *Ellipsin* suppressae isthaec adiectiva casum eum adsciscant. Ea nimirum (ut ab eruditissimo Ursino adnotatum) alia quaestio est, neque cum priore confundenda, „Talia igitur (pergit ille) pueris intempestive qui ingerunt, quid aliud quam Herculis iis cothurnos aptant, neque gradus secundum aetatem discendorum fieri patiuntur. A prima certe aetate non exspectandum, quod postrema vix consequitur. Proinde cum ne doctissimi quidem viri in causis Latinae linguae reddendis per omnia consentiant, a pueris talia quis exigat?" Haec summa cum ratione Ursinus; quibus et illud adiicio, non minus linguae *Latinae* genio vim eos inferre, qui has praepositionum aut aliarum vocum Ellipses ubique supplent (quod facere licere eas perpetuo crepando pueri existimant,) quam si primarias illas loquendi leges violarent: hoc est, ut exemplis utar, adversus *Latinam* consuetudinem iuxta peccant, qui pro *Candidior nive, Poenitet me peccati, Utor libro, Scribo calamo; Candidior prae nive, Negotium peccati me poenitet, Utor ex libro, Scribo cum calamo*, dicunt: ac si *Animalia currit*, pro *currunt; Credebant sermoni cui loquutus est*, pro *quem*, dicerent. Haec enim posteriora, quanquam structura *Latina* omnino respuat, usus tamen *Graecorum* non permittit solum dici, sed postulat, *Ζῶα τρέχει*, pro *τρέχουσι*; *Ἐπίστευσαν τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν*, pro *ὃν*. Pos-

Digitized by Google

sum et alia pravi huius et praeposteri moris incommoda, si otium esset, hic referre; sed haec prudentioribus suffectura existimo.

Caeterum huic Editioni duas *Appendices* subnexui; alteram *de Analysi*, tum *analogica*, tum *syntactica*; alteram *de Ratione orationem distinguendi, seu interpungendi*. Atque hanc quidem posteriorem, ut suus cuique illibatus, per me stet honos, acceptam pene totam referre, me fateor ingenioso admodum de hac re libello (Auctorem D. Wardum Ephr. Camerarius in sua Cyclopaedia memorat) numerae Elementorum Rhetoricorum Ger. Io. Vossii Editioni Londinensi Anno 1724 subiuncto: qui licet a vulgari consuetudine multum recedat; cum tamen huic materiae, antea satis abstrusae, novam lucem affudisse visus esset, eum in omnibus, servatis ut plurimum ipsius verbis, sequi, atque tanquam purpureum pannum, caetero forsan operi pretium conciliaturum, assuere non dubitavi.

Reliquum est, ut me quà possim tibi L. B. excusem, quod hoc quicquid est operis serius multo, quam tua expectatio meaque vota ferebant, typis sit evulgatum. Neque hic protritas illas morandi causas, catenatos scil. meos labores, eamque aliorum negotiorum, quàm muneris mei partes mihi molem imponunt, quanquam id vere, si quis alius, possem, nunc allegabo. Neque materiae tractatae amplitudinem difficultatemque, quae mihi licet maxima, opinione tamen maior iniecta est, hic causabor. Alia mihi fuit magisque peculiaris huius cunctationis ratio: nimirum, cum jam ad praelum paratus esset hic alter *Commentariorum* meorum tomus, deque eo quam utili possem forma et methodo edendo cum amicis (ut fieri solet) sermones communicarem; auctores illi mihi fuerunt, ut in hac i. e. principe *Grammatices* parte illustranda liberius paulo, quam in *Etymologia* fecerim, stylo indulgens, plenius magisque enucleate rem exequerer, neque tam frequen-

Digitized by Google

ter, quam illic factitatum, ad alios de hac re Scriptores legentes ablegarem. Id enim ipsius prae caeteris dignitatem requirere, hacque eadem opera, si aliorum per multa volumina sparsae observationes in unum quasi fasciculum colligerentur, magnopere Lectorum commodo prospectum, ipsorumque sumptibus parcitum iri. Quid multa? apud me tantum valuerunt eorum rationes, ut rem omnem in manus denuo sumere, et ad incudem quasi revocare sustinuerim. Quantum autem non temporis modo, sed taedii etiam molestiaeque mihi hoc pacto devorandum fuerit, cogitari quam exprimi facilius est. Id certe affirmare licet, librum ex hac nova recensione omnibus suis numeris magis absolutum, itaque locupletiorem redditum, ut iam ex adverso mihi metuendum sit, ne grandior in quam hac ratione excreverit ipsius moles inter praecipua eius vitia habeatur. Utcunque vero sors se tulerit, iacta est alea, omniaque iudicio tuo, Lector benevole, quo solo mihi aut standum aut cadendum est, permissa. *Vale.*

Digitized by Google

GRAMMATICAE LATINAE INSTITUTIONES.

Grammatica[1]) est ars recte loquendi scribendique. Partes Grammaticae sunt quatuor, Orthographia, Prosodia, Etymologia et Syntaxis.

Prima de Literis, *Secunda* de Syllabis, *Tertia* de singulis Vocibus, *Quarta* de Vocibus coniunctis, seu Oratione, agit.

[**Quamvis naturae ordine Orthographia primum, ac Prosodia secundum in re Grammatica locum sibi vindicent; nobis tamen, ob maiorem docendi discendique facilitatem, commodius visum est de Etymologia prius et Syntaxi, posteriusque de Orthographia et Prosodia tractare.*]

Grammaticae pars prima.

De Etymologia.

Etymologia[2]) est ea Grammaticae pars, quae singularum vocum naturas et proprietates explicat.

Voces communiter in octo Classes distribuuntur[3]), quae alio nomine *Partes orationis*[4]) appellantur.

Ex his quatuor sunt *Declinabiles*; aliae item quatuor *Indeclinabiles*.

---

1) Nomen habet a Graeca voce Gramma [γράμμα] i. e. *Litera*, sic dicta, quod a literis capiat initium. Proprie igitur nomen *Grammaticae* convenit Orthographiae, sed per Synecdochen arti universae tribuitur. *Voss.*

2) Ita enim vulgo hanc Grammaticae partem nominamus, quam melius cum Varrone *Analogiam* dixerimus.

3) Alii plures, alii pauciores vocum classes constituunt; nos receptissimam earum divisionem, eamque satis commodam, retinendam censuimus.

4) Quia ex his omnis oratio conficitur.

Digitized by Google

Declinabiles dicuntur, quae per casus vel tempora in fine possunt variari; scil. *Nomen*[5]), *Pronomen*, *Verbum*, *Participium*.

Indeclinabiles, quae non possunt in fine eo modo[6]) variari; nempe, *Adverbium*, *Praepositio*, *Interiectio*, *Coniunctio*.

LIBER PRIMVS.

De Nomine.

Nomen est pars orationis, quae rem primario[7]) sine tempore[8]) significat.

Nomen est, aut *Substantivum*, aut *Adiectivum*.

Substantivum[9]) est, quod verbo iunctum per se perfectam efficit sententiam: ut *homo*, *equus*, *arbor*. Nam perfecta sententia est, *homo ridet*, *equus currit*, *arbor floret*.

Adiectivum[10]) est, quod verbo iunctum non efficit sententiam perfectam, nisi substantivum aut expresse ponatur, aut animo tacite intelligatur: ut *bonus*, *velox*, *fertilis*. Nec enim perfecta erit sententia, *bonus ridet*; nisi *homo*, *Petrus*, aut simile, vel addas, vel intelligas.

Nomen *substantivum* est, vel *Proprium*, vel *Appellativum*.

Proprium est, quod uni rei singulatim convenit[11]): ut, *Paulus*, *Edinburgum*, *Tamesis*.

---

5) Quaedam tamen nomina non variantur in fine, ut aptota, et monoptota: quaedam etiam verba in uno tantum tempore usurpantur. Id autem non ex harum vocum natura, sed ex loquentium consuetudine provenit.

6) Alio enim modo, nempe per gradus, Adverbia etiam variantur.

7) Addimus *primario*, ut distinguatur a Pronomine. Pronomen enim, cum pro Nomine (ut vox ipsa indicat) positum sit, primario quidem nomen respicit, secundario autem rem significat. *V. Voss. Anal.* l. 3.

8) Hoc est, sine adsignificatione temporis, quo differt a Verbo et Participio. Nam nomen interdum quidem tempus significat: ut, *annus*, *dies*; *antiquus*; *novus*: sed Verbum et Participium *adsignificant* tempus, h. e. primariae suae significationi addunt significationem temporis; seu praesentis; ut, *amo*, *amans*; seu praeteriti; ut, *amavi*, *amatus*; seu futuri; ut, *amabo*, *amaturus*; ubi tempus non est propria vocis significatio; sed ad propriam significationem adiunctio temporis. *Voss.*

9) Substantivum ita dicitur, quia per se in oratione substitit.

10) Adiectivum sic vocatur, quia non substitit per se in oratione, sed substantivo adiicitur.

11) Plures quidem eodem nomine dicuntur; ut, *tres Roberti Reges Scotorum*: sed singulatim tamen prius huic, postea alii, ac deinde alii, datum fuit nomen *Roberti*: non autem universe, rationeque habita communis naturae, quemadmodum fit in Appellativis.

Digitized by Google

Appellativum est, quod multis est commune: ut, *homo*, *urbs*, *fluvius*.

Nominis Accidentia sunt novem, *Genus*, *Casus*, *Numerus*, *Persona*, *Declinatio*, *Motio*, *Comparatio*, *Species* et *Figura* [12]).

Genus est, discrimen nominis secundum sexum, vel eius in structura Grammatica imitatio. [13])

Genera nominum sunt tria: *Masculinum*; ut, *hic vir*, *hic annus*: *Femininum*; ut, *haec femina*, *haec mensa*: *Neutrum*; ut, *hoc animal*, *hoc templum*.

Quaedam nomina habent haec tria genera, et dicuntur *omnis generis*: qualia sunt omnia fere *Adiectiva*; ut, *hic bonus*, *haec bona*, *hoc bonum*; *hic* et *haec mitis*, et *hoc mite*; *hic* et *haec* et *hoc felix*.

Quaedam habeut duo genera: et dicuntur vel *generis communis*, cum idem scil. nomen, pro diversitate sexus, nunc in masculino, nunc in feminino usurpatur: ut, *hic* et *haec parens*. Vel *dubii generis* appellantur, cum varium nimirum eidem nomini genus arbitrarius auctorum usus imponit: ut, *hic* aut *haec dies*; *hic* aut *hoc vulgus* [14]); *haec* aut *hoc atriplex*; *hic*, aut *haec*, aut *hoc animans*.

Caetera habent unum genus tantum. [15])

Nominum genera duplici modo cognoscuntur, vel, 1. Ex eorum *significatione*, per *regulas generales*: vel 2. Ex

---

12) Ex his duo postrema omnibus orationis partibus communia sunt: *Numerus* autem partibus declinabilibus. *Genus*, *Casus*, *Declinatio* non Nomini tantum accidunt, sed Pronomini etiam et Participio: ut, *Persona* Nomini, Pronomini et Verbo. *Motio* denique et *Comparatio* solis fere Adiectivis competunt. Illa fit per Genera; ut, *doctus*, *docta*, *doctum*; haec per Gradus; ut, *doctus*, *doctior*, *doctissimus*. Imo et quaedam Substantiva moventur, sed Genere tantum Masculino et Feminino; ut, *Dominus*, *domina*; *Poeta*, *poetria*; *Leo*, *leaena*.

13) Discrimen generis propter convenientiam Adiectivi et Substantivi inquiritur. Genus autem aliud est *naturale*, aliud *Grammaticum*. *Naturale* est, quod nominibus pro diversitate sexus tribuitur; ut, *puer*, *puella*: naturaliter enim duo sexus, adeoque et duo tantum genera sunt. *Grammaticum* vero triplex est genus: *Masculinum*, quo Latine loquentium consuetudo maribus quasi ea omnia accenset, quae marium instar construuntur: *Femininum*, quo pro femellis ea quasi accipiuntur, quae eadem quo femellae structuram sunt nacta: *Neutrum* denique (quod duorum generum naturalium negatio est,) quo nihil aliud intelligitur, quam rerum vocabula hoc genus sortita, non ut alia, ad marium aut femellarum similitudinem, sed tertio aliquo sibique peculiari modo, construi solere.

14) Dubii autem generis sunt, non tantum nomina quaedam sexu carentia: ut, *margo*, *finis*, *linter*, etc. sed nonnulla etiam, quibus sexus eidem inest, sed nulla eius ratio habetur: ut, *serpens*, *dama*, *lynx* etc.

15) Etiam nomina *Epicoena*, de quibus mox in Reg. IV. dicetur.

Digitized by Google

ipsorum *terminatione*, per *regulas speciales*; suo utrasque ordine deinceps tradendas.

CAP. I.

De Generibus Nominum.

Regulae Generales.

1. Quae maribus solum tribuuntur, mascula sunto.

Omnia nomina, quae solis maribus, aut virili specie conceptis conveniunt, sunt masculini generis.

Sub hac regula continentur,

1. Nomina virorum propria: ut, *hic Carolus.*

2. Appellativa solis viris data: ut, *Pater.*

3. Gentilia, seu populorum nomina substantiva[16]): ut, *Persa, Tros.*

4. Multa nomina, quae licet utrumque sexum includant, adiectivum tamen masculinum duntaxat admittunt: ut, *homo, fur*[17]).

5. Nomina Spirituum, et Deorum Ethnicorum: ut, *Michael, Satanas*[18]), *Mars*[19]).

---

16) Haec atque eiusmodi gentilia, substantiva ideo appellamus, quod (quamvis naturaliter quidem adiectiva sint, vocibus *vir* aut *femina* intellectis) non tamen recipiant communem adiectivorum motionem: ut, *Tros, Cres, Thrax, Lacon, Sunamita*; quorum feminina sunt, *Traas, Cressa, Threissa, Lacaena, Sunamitis.* Item *Persa, Macedo, Acarnan*, quae nullum ex se substantivum femininum efformant; ut necesse fere in his sit ad possessiva recurrere; *mulier Persica, Macedonica*, etc.

17) Multa sunt nomina, significatione quidem communia, constructione vero masculini tantum generis; qualia sunt haud pauca in *a*: ut, *advena, accola, indigena, scriba, agricola, pincerna, vetna*; quaedam in *o*: ut, *bibo, caupo, cachinno, epulo, congerro, homo, latro, lurco, praedo, susurro*; in *l*: ut, *pugil, exul*; in *r*, ut, *fur*; in *as*, ut, *vas*; in *es*, ut, *coeles, eques, pedes, praeses*; in *ex*, ut, *artifex, opifex*, etc. quae quanquam et de feminis dici possunt, nunquam tamen cum adiectivis femininis iuncta inveniuntur. Neque huic observationi obstat, quod Sulpitius, apud Cic. Fam. IV. 5. *Quoniam homo nata fuerat*, et Plaut. Poen. V. 4. 67. *Fures estis ambae*, et Terent. Eun. II. 3. 23. *Si qua est habitior paullo, pugilem esse aiunt*; dixerunt. In his enim adiectiva, vel ad voces generales, *femina* vel *feminae*, vel ad earum propria de quibus loquuntur, sunt referenda: non aliter quam si, *Animal nata fuerat*; aut, *Mancipia estis ambae*, dixissent: nemo enim propterea *animal*, aut *mancipium*, feminina esse pronunciaverit.

18) His adde nomina monstrorum a Poetis virili specie confictorum ut, *Centaurus, Minotaurus.*

19) Nomina Deorum, cum de rebus quibus praesident, sumuntur, genus suum retinent: ut, *Mars*, pro *bello*; *Bacchus*, pro *vino*; *Vulcanus*, pro *igne.* Idem quoque de Dearum nominibus tenendum: ut, *Ceres*, pro *frumento*; *Tellus*, pro *terra*; *Laverna*, pro *fure*, Auson. Epist. IV. ult.

Digitized by Google

6. Nomina brutorum animantium virilis sexus, tam appellativa, tum propria: ut, *equus*, *Bucephalus*, *Hylax* [20]).

2. Esto femineum, quod femina sola reposcit.

Omnia nomina, quae solis feminis, aut feminina specie conceptis conveniunt, sunt feminini generis.

Haec regula complectitur,

1. Nomina propria mulierum: ut, *haec Maria.*

2. Appellativa solis mulieribus attributa: ut, *mater.*

3. Gentilia, seu populorum nomina substantiva, solis mulieribus convenientia: ut, *Troas; Sicelis.*

4. Nomina Dearum Ethnicarum: ut, *Venus* [21]).

5. Nomina brutorum animantium feminini sexus, sive appellativa, seu propria: ut, *equa; Thoe; Lycisca.*

3. Sit commune duum, sexum quod signat utrumque.

Omnia nomina, quae sub una terminatione maribus et feminis ita conveniunt, ut pro maribus masculino, pro feminis femininо genere usurpentur, sunt communis generis: ut, *hic* et *haec parens; hic* et *haec canis.*

Nomina autem communis generis hisce versiculis continentur [22]):

Coniux atque *parens*, *infans patruelis et haeres*,
Affinis, *vindex*, *iudex*, *dux*, *miles et hostis*,

---

20) Nomina quaedam, proprie actiones aut status hominum significantia, cum pro hominibus ipsis accipiuntur, eodem quo prius genere adhibentur: ut, *operae*, pro *operariis; vigiliae*, pro *vigilibus; copiae*, pro *exercitu*, feminina: *servitia*, pro *servis; matrimonia*, pro *matronis*, vel *uxoribus*, (Iustin. III. 3. 8.) neutra. Huc etiam spectare videntur, *mancipium*, *scortum*, *prostibulum*, quae quanquam a primaria sua significatione deflexa, de viris aut feminis nunc semper fere usurpentur, neutrum tamen, quod primum habebant, genus retinent.

21) Huc refer nomina Nympharum, Musarum, Gratiarum, Furiarum, etc. ut, *Calisto*, *Calliope*, *Aglaia*, *Tisiphone.* Item monstra feminea facie depicta: ut, *Siren*, *Sphinx*, etc.

22) Ex his, quae quinque prioribus versibus memorantur, Alvaro, Vossio, Danesio, etc. debemus, qui et omnia idoneis exemplis confirmant. E reliquis, quinque addidit summus Grammaticus R. Iohnsonus, App. p. 51. et Addit. p. 30. *Cliens* autem male, ab eodem, auctoritate fulcitur Arg. Mil. glor. ap. Plautum. Hic enim *clientam*, non *clientem*, emendatiores codices exhibent. Firmius hac in re testimonium Charisii, qui p. 77. *cliens* communis esse generis diserte affirmat. His adiecimus (annuente ipso Vossio) vocem *Martyr*, quam in utroque genere constans Ecclesiasticorum usus admisit. Adduntur ab Ursino *contubernalis et familiaris*, substantive posita: de quibus tamen testimonia proferri oportuit. Caeterum in hunc censum referenda *satelles* et *index*, ostendit illud veteris Poetae ap. Cicer. de Divin. 1. 47. *Iovis pinnata satelles*: et illud Val. Max. II. 5. *Antiquorum simplicitas certissima index.*

Digitized by Google

Augur et antistes[23]), *iuvenis, conviva, sacerdos, Municeps, vates, adolescens, civis, et auctor, Custos, nemo, comes, testis, sus, bosque, canisque, Interpresque, cliens, princeps, praes, martyr, et obses*[24]).

4. Multa, quibus sexus promiscuus, unaque vox est, Nomina sunt, quorum genus est a fine petendum.

Nomina brutorum animantium, quae sub uno vocabulo, unoque genere, utrumque sexum comprehendunt, terminationum regulas plerumque sequuntur: ut, *hic elephantus; haec vulpes; hic passer; haec aquila; hic salmo; haec balaena.*

Eiusmodi nomina vulgo Epicoena,[25]) seu *Promiscua*, appellantur; qualia sunt multa ferarum, plurima avium, omnia fere piscium et insectorum nomina, in quibus sexus differentia vel difficilius discernitur, vel rarius atten-

---

23) Dicimus etiam in feminino *antistita.*

24) De communibus hisce, Observ. I. Quaedam natura sua substantiva esse; ut, *bos, sus, canis*, etc. quaedam verius adiectiva: ut, *patruelis, adolescens, conviva, princeps*, etc. quae non videntur natura adsciscere femininum, sed quia per Synthesin vel Ellipsin ad vocem *femina* attenditur. Obs. 2. Distinguendas esse auctoritates Poetarum a prosae scriptoribus, rariorum a receptioribus. Quamvis enim Stat. Theb. IX. 629. *Augur cassa futuri.* Et Ovid. Heroid. XI. 48. *Et nova miles eram*, dixerint: non tamen ideo soluta oratione ea feminine adhibenda censuerim. Obs. 3. Veteribus etiam communia fuisse, *puer, socrus, nepos, deus*; ut exemplis docent Charisius, Priscianus, Nonius, et alii.

25) Haud recte (ut mihi quidem videtur) Epicoenis nominibus a quibusdam accensentur, 1. Voces generaliores: ut, *bestia, avis, proles, soboles, liberi, catulus.* Pari enim ratione, *animal, iumentum, pecus*, et similia neutra; item, *corpus, substantia, creatura*, cum de rebus animatis dicuntur, inter Epicoena numerari possunt. Neque 2. In hoc album referenda sunt, *mancipium, scortum, prostibulum*, quae de hominibus per tropum dicuntur, eodem modo quo vir aut femina *corculum* aut *suavium, deliciae* aut *amores*, nominantur; et Ter. 3. Eun. 1. 2. 5. meretricem *ignem*, Catull. XL. 14. eam *lupanar*, appellant. Nec 3. denique, cum Sanctio, Scioppio, Ursino, Epicoenis adiunxerim humanae actionis, conditionis et officii nomina, quae adiectiva feminina respuere videntur, qualia sunt *advena, indigena, incola, pugil, fur, latro*, etc. Haec enim (ut accuratissimus Perizonius observat) non proprie ipsos homines notant, sed quandam eorum qualitatem, quae in utrumque sexum potest cadere. Huc adde, quod quamvis haec nomina vix unquam adiectivo feminino iuncta reperiantur; non ideo tamen, de muliere diserte loquens, *novus incola, strenuus agricola, fur manifestarius*, cum Sanctio dicere ausim. Aliter certe Phaedrus, cui Fab. 1. 6. 6. *rana* etiam incerti sexus *quaedam stagni incola*, non *quidam*, appellatur. Atque ob hanc unice rationem, Cl. Iohnsonus vocem *homo*, et recte quidem meo iudicio, Epicoenorum numero exulare iussit; quod nusquam *mulierem, hominem probum, malum, formosum*, dictam legamus. Restat igitur, ut ea solum et proprie Epicoena statuantur, quae sub una terminatione, unoque genere

Digitized by Google

ditur. Quotiescunque autem alteruter sexus certo designatur, voces *mas* aut *femina* plerumque adduntur.

5. Menses cum Ventis generi coniunge virili.

Nomina Mensium et Ventorum masculina sunt: ut, *hic Aprilis; hic Aquilo.*[26])

Not. Tamen omnia Mensium, multa Ventorum[27]) nomina adiectiva potius, quam substantiva esse.

6. Masculeum Fluvii nomen Montisque repone:
Saepe tamen norma est finalis syllaba utrique.

Nomina Fluviorum et Montium sunt masculini generis: ut, *hic Tiberis;*[28]) *hic Othrys.*[29])

Exc. Multa tum Fluviorum, tum Montium nomina, eorum praesertim, quae in *a*, *e* et *um* finiuntur, genus suum

---

Grammatico, utrumque sexum ita comprehendant, ut iis adiectivum adiungi possit terminatione conveniens ei generi, non item sexui, de quo agitur. Ita Plinius N. H. VIII. 53. *Lepus* (ait) *solùs superfoetat.* Item IX. 51. *Mus marinus in terra scrobe effosso parit ova.* Item XXX. 7. *Sistit* (alvum) *anatum masculorum sanguis.* Varro, R. R. III. 12. *Qui lepus dicitur, cum sit praegnans, tamen concipere.* Sed eiusmodi exempla rariora sunt; nam qui planius pleniusque loquuntur, sexus discernendi gratia voces *mas* et *femina* saepius adiecerunt: idque non in Epicoenis modo, sed aliis etiam animalium nominibus: ut, *agnus mas idemque femina*, apud Liv. XXXIII. 11. *Mares homines*, Plaut. Poen. V. 5. 82. *Femina piscis*, Ovid. Art. II. 482. *Bos femina*, Plin. VIII. 46. *Canis femina*, Iustin. 1. 4. 10. *Feminae sacerdotes*, Gell. XIII. 20. Interdum et in Epicoenis hae voces animo reticentur: ut, *Elephantus gravida*, ap. Plaut. Stich. 1. 3. 14. *Mures praegnantes repertae*, ap. Plin. X. 65. *Singulae anseres non plus quater in anno pariunt*, ap. Varr. R. R. III. 10. Caeterum ad Epicoena etiam referenda sunt nomina quaedam animalium dubii generis; qualia sunt, *anguis*, *grus*, *lynx*, *talpa*, *dama*, etc. in quibus cum generis Grammatici diversitas, non ex sexus discrimine, sed auctorum arbitrio pendeat, male ea Verepaeus, Kirkwodus noster, aliique, inter communia recensuerunt.

26) Sic *Libs*, *Caesias*, *Etesiae*, *Ornithiae*, et alia Ventorum nomina, de quibus Gellius 11. 22.

27) Ut *Africus*, *Subsolanus*, *Iapyx*, i. e. *Iapygius*, in quibus *ventus* intelligitur. V. Voss. Anal. 1. 10.

28) Fluviorum nomina in *er*, *on*, *os*, *us*, item in *as* primae, tam terminatione quam significatione masculina sunt: ut, *Ister*, *Thermodon*, *Ismenos*, *Tagus*, *Eurotas*. Masculina etiam sunt omnia in *is*, *ys* et *ar*, itemque in *a* et *es* tertiae, licet terminationis sint femininae, aut neutrae: ut, *Albis*, *Tigris*, *Phasis*, *Halys*, *Arar* (vel *Araris*) *Euphrates*, *Ganges*, *Araxes*, *Melas*. *Iader* tamen Lucano IV. 405. neutrum est. *Nar* quoque, in plerisque codicibus, Ciceroni, ad Attic. IV. 15. neutri generis est, aliis omnibus masculini.

29) Sic *Othrys nudus*, Ovid. Met. XII. 512. *nemorosus*, Lucan. VI. 388. *nubilus*, Stat. Achill. 1. 238. Graecis tamen femin. ἡ Ὄθρυς. Strab. IX. p. 298.

Digitized by Google

ex terminatione accipiunt: ut, *haec Matrona*;[30]) *haec Lethe, haec Styx; hoc Plemmyrium; haec Aetna; haec Rhodope*;[31]) *hoc Soracte*;[32]) *hoc Pelion.*[33])

7. As partesque dabis maribus: sit at *uncia* dempta.

As, et eius partes et composita, cuiuscunque sint terminationis, masculina sunt. *As; bes; semis* et *semissis: triens; quincunx.* Sic *decussis; centussis.*

Exc. *Uncia*, semper femininum est.[34])

8. Iungito femineis nomen Regionis et Urbis;
Praecipue quod in *n* ternae fit, *us* ove secundae.
Est *Tuder* atque *Argos* neutrum, quibus adiice *Gadir.*
Rarius hic *Marathon* capit, et *Pharsalus, Abydos.*
Mascula in *us* ternae, *Pontus, Sasonque, Canopus,*
Atque *Tunes, Tecmon.* Hic, at hoc vult saepius *Auxur.*

Nomina Regionum[35]) et Urbium feminina sunt: ut, *haec Britannia; haec Persis; haec Roma, haec Carthago.* In quibus et innumeris aliis eadem est et significationis et terminationis regula.

Haec autem regula, quatenus generalis est, in iis praecipue regionum et urbium nominibus locum habet, quae terminatione quidem masculina, significatione vero feminina sunt; qualia sunt plurima nomina in *us* vel *os*

---

30) *Allia, Elbula, Arethusa* in femin. tantum reperiuntur. V. Iohns. App. p. 24. quibus addit Sol. Lowaeus, *Luppia, Sequana* et *Vistula.* Contra, *Addua, Bagrada, Cremera, Gela* et *Trebia* tantum masculino: itemque (Iohnsono inobservata) *Rutuba, Macra* et *Cinga*, Lucan. II. 422, et 426. et IV. 21. Utroque autem genere *Duria, Druentia, Garumna, Marsya, Mosella.*

31) Sic *Ida, Calpe, Pyrene*, etc. At *Ossa, OEta*, vel *OEte*, interdum masculina leguntur, Ovid. in Ibin. 285. Lucan. I. 389. Virg. Cir. 350. Id. Cul. 202. Ovid. Met. IX. 165. et 204. Senec. Herc. fur. 133. Claudian. XXXVII. 66. (Variant tamen in his editiones.) Horum imitatione ductus Solin. c. 5. *Vulcano Aetna sacer est*, dixit, non temere ipse imitandus. Nomina autem Montium in *on, as, os*, et *us*, et *es* primae exeuntia, non significatione magis, quam terminatione masculina sunt: ut, *Cytheron, Atlas, Athos, Caucasus, Leucates*, (Virg. VIII. 676.) Item adversante licet terminatione, *Lucretilis*, Horat. Car. I. 17. 1. et *Bryx*, et montis et urbis nomen, Virg. Aen. XII. 701. Ovid. Fast. IV. 478. Vid. et Cluver. Sicil. antiq. p. 239.

32) Plinius tamen, VII. 2. accusativo *Soractem*, et XXXI. 2. *Soracten*, a nominativo *Soractes*, ut videtur masc. gen. declinavit.

33) At *Altus Pelion* Ovidius dixit, Metam. VII. 224.

34) Item eius composita similiter exeuntia: ut, *semuncia, sescuncia. Teruncius* vero masc. *nonuncium* neutrum, terminatio ostendit.

35) Sub regionum nominibus insulae quoque comprehenduntur: in utrisque autem vox generalis *terra* respicitur. Iohns. p. 27.

Digitized by Google

secundae declinationis, vel in *n* tertiae desinentia: ut, *haec Aegyptus; haec Corinthus; haec Samos; haec Pylos; haec Troezen, haec Eleusin, haec Lacedaemon.*

Reliqua vero urbium (et, si qua sunt, regionum) nomina terminationum regulas plerumque sequuntur: ut, *hic Sulmo*[36]), *hic Agragas*[37]), *hoc Londinum; hoc Zeugma; hoc Reate, Praeneste, Caere*[38]); *hoc Albion, Ilion*[39]); *hoc Tibur; hoc Hispal; hoc Illiturgi; hoc Aepy.* Item singulari carentia; *hi Parisii, Veii; hae Athenae, Gades; haec Susa, Hierosolyma.*

Huc quoque referri possunt barbara urbium nomina non declinata, utpote neutra, per Reg. XI. generalem; qualia sunt *Cim, Suthul, Dibitach, Callet*[40]), *Nepet*, etc.

Exc. 1. *Argos, Tuder et Gadir*, urbium nomina, neutra sunt[41]).

Exc. 2. *Marathon, Pharsalus et Abydos*, plerumque feminina[42]), nonnunquam tamen masculina inveniuntur[43]).

Exc. 3. Nomina urbium in *us* tertiae declinationis fere masculina sunt: ut, *hic Pessinus, untis, Setinus; Hydrus*[44]).

Exc. 4. *Pontus*, nomen regionis[45]), *Sason*, parvae

---

36) Sic *Hippo*, Liv. XXIX. 3. Sil. III. 259. *Narbo*, Plin. III. 4. Mela, II. 5. *Croto*, Liv. XXIV. 2.

37) Sic *Taras*, Lucan. v. 376.

38) Sic *Bibracte, Teate, Tergeste, Ateste, Condate, Arelate, Tridente, Apeneste, Nepete.*

39) Et similia in *on* secundae declinationis. In quibusdam tamen Ovidii exemplaribus, Heroid. I. 47. Art. I. 363. Met. XIV. 466. *Ilion dissecta, defensa, cremata*, legitur.

40) Perperam vero Iohnsonus hanc urbem feminino adhibitam putat, ex illo Plinii III. 1. *Stipendiaria Callet; Stipendiaria* enim illic urbis proprium est, quo nomine et alia ab eodem scriptore paulo inferius memoratur.

41) Horat. Car. I. 7. 9. Sil. VI. 645. Sal. Hist. II. 4. Festus autem Avienus, Descr. orb. v. 610. *Gadir* femin. extulit.

42) Ovid. Met. VII. 434. Lucan. VI. 350. Ovid. Heroid. XVIII. 127.

43) Stat. Theb. V. 481. *Ab adserto Marathone.* Id, XII. 617. *Clarum Marathona.* Liv. XXXIII. 34. *Pharsalo excepto.* Virg. Georg. I. 207. *Ostriferi Abydi.* Auson. Epist. IX. 29. *Hellespontiaci Abydi.*

44) Sic Cic. de Arusp. resp. 13. *Pessinuntem violatum.* Liv. XXXIII. 20. *Selinunte recepto.* Lucan. V. 375. *Avius Hydrus.* Id. IX. 40. *Meritum Phycunta rapinas.* Sil. VIII. 634. *Calaber Sipus.*

45) Sive Asiaticae, in qua Mithridates regnavit, Cic. pro leg. Manil. 9. *Ex eodem Ponto*, sive Europaeae, in qua exulavit Ovidius, Ovid. de Pont. IV. 12. 34. *Invisus Pontus.*

Digitized by Google

insulae nomen[46]), *Tunes*[47]), *Tecmon*[48]), oppidorum nomina, vix alio quam masculino reperiuntur. *Canopus*, uni Melae[49]) femininum, aliis omnibus masculinum est[50]).

Exc. 5. *Anxur*, oppidi nomen, nusquam feminino, interdum masculino[51]), at neutro frequentius usurpatum invenimus[52]):

Not. Ex his multa feminino ponuntur, propter subauditam vocem generalem *urbs*[53]): ut, *pulcherrima Narbo*[54]), *Praeneste*[55]) *sub ipsa.**[56])

9. Arbor femineis dabitur: sed mas *oleaster*;
Et *rhamnus*: petit hic potius *cytisus*que *rubus*que:
Hic quandoque *larix*, *lotus* volet, atque *cupressus*:
Hoc quod in *um*, *suber*que, *siler*, dant *robur acer*que.

---

46) Lucan. II. 627. *Calaber Saron.* Sil. VII. 480. *Hadriaci Sasonis.* Plinius tamen, III. 26. mutata terminatione, *Sasonis piratica statione notâ*, in femin. dixit.

47) Liv. XXX. 9. *Occupat relictum Tuneta.*

48) Liv. XLV. 26. *Clausum Tecmonem recepit.*

49) Lib. II. c. 7. *Parva Canopos, Nili ostio, quod Canopicum vocant, obvia.*

50) Virg. Geo. IV. 287. Ovid. Met. XV. 828. Lucan. VIII. 543. Iuven. XV. 46. Stat. Silv. II. 7. 70. Sil. XI. 433. Grat. Cyneg. 43.

51) Mart. V. 1. *Candidus Anxur.* Et X. 51. *Splendidus Anxur.*

52) Horat. Sat. I. 5. 26. *Anxur impositum saxis.* Liv. IV. 59. *Ad Anxur oppugnandum.* Et V. 13. *Anxur receptum.* Et alibi semper, teste Vossio.

53) Praecipue ea quae in *o* et *us* tertiae desinunt: ut, *Hippo nova*, Plin. III. 1. *Venusta Sirmio*, Catull. XXIX. 12. *Tutraco vitifera*, Sil. III. 369. *Parnasia Castulo*, Id. III. 391. Sic *Gravidam Amathuntu metalli*, Ovid. Met. X. 531. *Subdita Sipus montibus*, Lucan. V. 377. *Hierichuntem palmetis consitam*, Plin. V. 14. *Rhamnus parva*, Mela, II. 3. Ut difficile dictu sit, utri potius haec generi iungenda sint. Etiam nomina in *e* tertiae, et *on* et *um* secundae, feminino interdum per Synthesin τοῦ *Urbs*, leguntur: ut, *Gelida Praeneste*, Iuven. III. 190. *Ilion defensa*, Ovid. supra cit. *Lugdunum tuam*, Sidon. car. V. *Campana in Benevento*, Auson. Epig. LXIX. *Elatium propior*, Plin. V. 26. Quaedam etiam urbium nomina, ob subauditam vocem *oppidum*, neutra usurpata observat Iohnsonus: ut, *Obulco remotum*, Plin. III. 1. *Carrea quod.* Id. III. 5. *Trapezus liberum.* Id. VI. 4. Addit Lowaeus *Myus*, ob illud Plin. V. 29. *Myus quod primo condidisse Ionas narrantur.* Addere poterat et *Amphipolis liberum*, ap. eund. IV. 10. Verum in locis hisce omnibus praecedit fere vox ipsa *oppidum*: neque Plinium in Accusativo *Obulco*, *Carrea*, etc. dicturum quisquam existimaverit.

54) Martial. VIII. 72.

55) Virg. Aeneid. VIII. 561.

* 56) *Lesbos* quandoque masculinum reperiri voluit Despauterius, Vossius, Iohnsonus et alii, ex illo Ovid. Met. XI. 55. *Et Methymnaei potiuntur littore Lesbi*, quemadmodum in MSS. quibusdam et editione Veneta anni 1486. Vossius se legisse testatur. Verum in antiquiore

Digitized by Google

Nomen arboris [57]) femininum est: ut, *haec pomus, haec pirus.*

Exc. 1. Masculina sunt *oleaster* [58]), *Rhamnus* [59]).

Exc. 2. *Cytisus, rubus*, saepius quidem masculina [60]), interdum tamen feminina inveniuntur.

Exc. 3. *Larix, lotus; cupressus*, in masculino nonnunquam, sed longe frequentius in feminino adhibentur [61]).

Exc. 4. Quae in *um* desinunt, neutra sunt: ut, *buxum* [62]), *ligustrum.* Neutra item sunt *suber* [63]), *siler, robur, acer* [64]), * [65]).

---

editione Veneta, anno 1474, itemque Aldina, Heinsiana, omnibusque quas viderim aliis, *Methymnaeae* habetur. * Genus quoque suum variare, *Corinthus* a Scioppio, *Coriolus* a Vossio, *Epidaurus*, *Haliartus*, *Pylos*, *Sestos*, *Zacynthus* ab Ursino, traduntur: at hi, vel nulla, vel corrupta, vel male intellecta scriptorum loca sententiae suae testes adfernut.

57) Sub nominibus arborum, *frutices* etiam, seu *arbusculae*, continentur.

58) Sic Virg. Geo. II. 182. *Oleaster plurimus.* Et Aen. XII. 766. *sacer Fauno.* Et Plin. XVI. 44. *ex quo.* Item in optimis, tam editis quam scriptis, Ciceronis codicibus, Verr. 3. 23. *In oleastro quodam*, non *quadam*, quod Vossius vult legendum. Ut mittam diminutivum *oleastellus*, ap. Columellam, XII. 49. Addunt nonnulli alia arborum nomina in *ster*, seu *aster*: ut, *pinaster, piraster*: at prius Plinius diserte femininum facit, XIV. 20. et XVI. 10. posterius nulli probo auctori nominatum reperio.

59) Plin. XXIV. 14. Graecis tamen fem. testante Ursino.

60) *Cytisus canus aspectu*, Plin. XIII. 24. *Utraque cytisus*, Colum. IX. 4. * *Rubus* Sereno, XV. 10. Gell. XIX. 12. Prudentio, Apoth. 70. (addit Vossius, Columellae et Senecae,) femininum est. At Virg. Ecl. III. 89. Plin. XVI. 37. Id. XXIV. 14. Colum. XI. 3. Pallad. 1. 34. masculinum.

61) *Larix* masc. est Vitruvio II. 9. *Lotus* Martiali, VIII. 51. et Cic. Fam. VII. 20. quemadmodum Victorius et Graevius legendum existimant. *Cupressus*, non tantum Ennio, referente Gellio, XIII. 20. sed etiam Celso, VI. 13. At haec aliis omnibus feminina.

62) In UM terminata saepius arborum fructiferarum fructum: ut, *malum, pomum, prunum*; sterilium vero lignum vel materiam: ut, *hebenum, buxum*, etc. significant: interdum tamen pro ipsis arboribus accipiuntur: ut, *pomum* ap. Tibull. 1. 1. 8. *buxus* ap. Ovid. Art. III. 691. In melioribus tamen codicibus *densae buxus*, in aliis *densus buxus*, hic legi notat Cl. Heinsius.

63) Despauterius, ex mendoso Plinii loco, XVI. 25. §. 41. *suber* interdum mascul. esse existimavit.

64) His vulgo addunt *thus*, pro arbore thurifera: verum cum hoc significatu, nullum ei adjectivum adjunctum reperiatur, satius esse ab ejus genere statuendo abstinere, Vossius, Farnabius aliique monuerunt. Certe Priscianus, p. 646. ex Solino ei femininum tribuere videtur: quod et diserte *aceri* ibidem adscribit.

65) *Platanon* Despauterius, *dumus* Methodista Gallus masculinis adiungit: uterque, me iudice, praeter rationem: nulla quippe iis peculiaris arbor, sed hoc quaevis spina, illo locus platanis consitus significatur. * *Libanus*, pro arbore thurifera, et ipsum Latinis auctoribus inusitatum voca-

Digitized by Google

10. Femineum Naves genus atque Poemata quaerunt.

Nomina Navium et Poematum plerumque feminina sunt: ut, *haec Argo, haec Centaurus, haec Ilias, Aeneis, haec Eunuchus.*

Not. 1. Nomina propria Navibus aut Poematibus indita, genus suum retinent. Sic *Python undivagus, Triton captivus*, nomina navium, apud Silium Italicum[66]): item *Aiax, Orestes, Hippolytus*, Tragoediarum nomina, masculina sunt.

Not. 2. Nomina Poematum singulari carentia terminationum genera sequuntur: ut, *hi Adelphi, haec Bucolica, Georgica, Argonautica.*

11. Adiicito neutris quodcunque inflexile nomen.

Omne nomen indeclinabile est neutrius generis: ut, *hoc git; hoc gummi*[67]); *hoc fas; nefas.*

12. Literae amant neutrum: sic pars pro nomine sumpta;
Et verbum quodvis pro nuda voce repostum.

1. Nomina literarum plerumque sunt neutrius generis[68]): ut, *a parvum; i longum.*

2. Verba, et caeterae partes orationis loco nominum positae, neutro adhaerent: ut, *Scire tuum nihil est*, i. e. *scientia tua; Cras istud*, i. e. *iste dies crastinus.*

3. Dictiones pro nudis vocibus[69]), exclusa omni si-

---

bulum, male masc. adhibuit vulgatus scripturae interpres; cum Pindarus et Euripides, ἡ λιβάνος dixerint. * Despauterius, Priscianum et Servium secutus, *Spinus* quoque masc. facit. At Varro apud Charisium, p. 117. feminine *ex spinu alba* extulit. * *Pinus, platanus, populus*, veteribus quidem masculina fuerunt, teste Prisciano. p. 658. et aliis, nunc optimo cuique scriptori feminina. * Quod *ulmus* Catullo, LX. 54. *maritus* vocatur, non ideo masculini existimandum est. * *Tibulus* tamen, i. e. *pinaster*, Plinio XVI. 10. masc. est. * *Rhus* eidem XIII. 6. femin. Celso vero VI. 11. masc. * *Ebulus* et *ruscus* masc. gen. plantarum potius, quam fruticum nomina, huc non pertinent.

66) Lib. XIV. 572. et 578.

67) Indeclinabilia hic intelligimus, quae casus omnes, aut multos, habent, at eos terminatione non distinguunt; non vero monoptota, sive unius casus, adeoque et terminationis, vocabula. Frustra igitur Iohnsonus Addit. p. 28. ab hac regula excipit *noctu*, quod Vossius ex Ennio et Quadrigario, ipse ex Plauto et Cicerone feminino usitatum monstrarunt. Eodem enim pacto, *dicis, inficias, ingratiis*, excipere poterat, quae feminina: item *natu, prompiu, iniussu*, aliaque eiusmodi, quae masculina potius quam neutra existimanda sunt.

68) Haec cum indeclinabilia fere sint, ad regulam proxime praecedentem referri possunt. Vid. Reg. VIII. lib. 8. Inveniuntur et saepe feminina, ob subauditam vocem *litera*, per Reg. seq.

69) Istiusmodi dictiones vulgo *materialiter positas* appellant.

Digitized by Google

gnificatione, acceptae, sunt generis neutri: ut, *lux est monosyllabum.*

13. Saepe genus vocum trahit ad se vox generalis:
Sic volucrem sequitur *bubo*, sic flumen *Iader*.

Nomen generale, seu multis commune, saepissime genus tribuit aliis nominibus sub eo comprehensis. Sic *bubo*, plerumque masculinum est, quia terminatur in *o*; Virgilius tamen [70]) *sola bubo* in feminino dixit, ratione habita vocis generalis *avis* vel *volucris*, quae illius animo obversabatur. *Iader* itidem Lucano [71]) neutrum est, quia *flumen*, nomen commune, ad quod ille respiciebat, est neutrius generis [72]).

14. Adiectiva trium generum sunt cuncta: sed unum
Quaedam, multa duos, capiunt tres plurima fines.

Adiectiva nomina sunt omnis generis [73]); quaedam sub una terminatione: ut, *felix; hebes; vetus*: quaedam sub duabus: ut, *mollis, molle; durior, durius*: quaedam

---

70) Aen. IV. 462.

71) IV. 405. *Tepidum Iader.*

72) Latissime omnium haec regula patet, quippe quae, ex summorum Grammaticorum sententia, omnes fere praedictas in se comprehendat: nam, ut tres priores omittam, in quibus, si Sanctio et Iohnsono credimus, omnia (exceptis epicoenis) animalium, aut animali specie conceptorum nomina, non aliam ob causam, aut masculini, aut feminini, aut communis sunt generis, quam quod vox aliqu. generalis respiciatur, veluti *mas, femina, vir, mulier, deus, spiritus, dea, nympha, furia*, etc. id certe inter omnes fere convenit, flomina Mensium, Ventorum, Fluviorum et Montium, ideo masculina esse, quia intelliguntur voces communes, *mensis, ventus, fluvius, mons*: similiter Regionum, Urbium, Arborum, Navium et Poematum nomina, propterea esse feminina, quia voces generales, *regio, urbs, arbor, navis, fabula*, respiciuntur. Huc quoque referenda sunt plurima gemmarum nomina in *as* et *es* primae, item gemmarum, herbarum seu plantarum in *us* vel *os*, *um* vel *on* secundae, desinentia, quae quanquam terminatione aut masculina, aut neutra sint, Plinius tamen aliique scriptores frequentissime in feminino adhibuerunt, ad voces generales, *gemma, herba* vel *planta*, respicientes.

73) Quamvis Adiectiva per se et natura sua omnis sint generis, multa tamen inveniuntur, quae, sive Latini sermonis consuetudine, seu ratione eorum substantivorum quibus unice applicari possunt, in duobus duntaxat, interdum et uno solum genere possunt adhiberi. Sic *caeter* in nominativo sing. vix dicitur: *victrix*, adiective sumptum, nunquam in masc. rarius in neutro, praeterquam pluraliter, reperitur: *plus* in sing. tantum neutrius est. Huc adde adiectiva, quae Rhenius *specialia* appellat, quae uni alicui, vel paucis certe substantivis apponi queunt: ut, *Gradivus Mars, Cytherea Venus, illunis nox, sudum coelum, veracum vinum, sonipes equus, sublicius pons, preciae uvae, volemo pira, aqua intercus, navis quinquiremis*, etc.

Digitized by Google

denique sub tribus terminationibus: ut, *albus, alba, album*; *acer, acris, acre*[74]).

15. Pro fixo positum, genus optat mobile fixi.

Adiectivum pro se et substantivo subaudito positum, eius est generis cuius est substantivum subauditum: ut, *hic molaris*, supple *lapis*; *haec patria*, supple *terra*; *hoc triste*, supple *negotium*. [Hoc supplemento vocis *negotium* abstinendum est. G. St.]

Regulae Speciales.

A.

16. Haec dat A quod primae est: sed neutrum *Pascha* requirit.

Hadria mas aequor, pariterque *cometa, planeta:* Mascula et interdum *talpam damam*que videbis.

Nomen in A primae declinationis femininum est: ut, *haec mensa.*

Exc. 1. *Pascha*, neutrum est[75]).

Exc. 2. *Hadria*[76]); *cometa*, vel potius *cometes*; *planeta*, masculina sunt[77]).

---

74) Adiectiva hoc pacto inflexa undecim vulgo numerantur; *acer, alacer, celer, celeber, saluber, volucer, campester, equester, pedester, palustter, silvester.* Quibus addunt Despauterius *sequester*, Phocas *mediocer*, Priscianus *ludicer.* At *sequester* fere substantive accipitur, tam in 2da quam 3tia. Nam quem Silius VI. 347. *pacis sequestrem*, alii *sequestrum* appellant. *Mediocer* nusquam iam invenimus, sed *mediocris, -is, -e. Ludicer*, vel potius *ludicrus, -a, -um*, tantum inflectitur. Ex superius etiam memoratis, quaedam, licet rarius, *is* pro masculino habent: ut, *acris vomitus*, Cels. VIII. 4. *vir alacris*, Virg. Aen. V. 380. *volucris somnus*, Sil. X. 352. *Silvestris ager*, Colum. III. 11. *campestris locus.* Id. III. 13. * Notandum porro quaedam adiectiva secundae inveniri, quae e Graecis arrepta, eorum more terminationem *os* aut *us* communis generis habeant: ut, *Lectica octophoro ferebatur*, Cic. Verr. V. 11. *Nave thalamego*, Sueton. Iul. 52. Sic Vitruv. III. 2. *aedis dipteri symmetriam.* 1. 6. *turrim octogonon.* IX. 1. *diagonios linea.* IV. 2. *triglyphos imagines*, dixit. Quibus adde *diphthongus*, in quo *syllaba, perimetros* et *diametros*, in quibus ἡ γραμμή, seu *linea*, intelliguntur.

75) Declinandum vero *Paschae* in prima declinatione, non, ut vulgo, *Paschatis* in tertia, ex usu Ecclesiasticorum docet Vossius, Anal. 1. 20. Dubitat tamen Ursinus, To. 1. p. 250. an *Paschae primi* vel *primae* sit dicendum, et an *tria* vel *tres Paschas.*

76) Pro urbe autem femininum est, Sil. Ital. VIII. 439.

77) His addit Iohnsonus *Mandragora* et *Echinometra*, quae masculina adhibuit Plin. XXV. 13. et IX. 31. Verum illi forsan recti fuerint *mandragoras, echinometres:* priore certe, ex optima Harduini Edit. utitur, eod. lib. XXV. c. ult. *stigmata in facie mandragorae illitus delet.*

Digitized by Google

Exc. 3. *Talpa; dama;* Virgilio [78]) masculina sunt, aliis [79]) feminina *[80]).

17. Sit neutri generis per A quicquid tertia flectit.

In A tertiae declinationis neutrum est: ut, *hoc dogma.*

E.

18. Haec petit E primae, neutrum deposcit E ternae.

In E primae declinationis femininum est: ut, *haec epitome* [81]).

In E tertiae neutrum: ut, *hoc mare.*

I. U. Y.

19. Dant quibus I-fines, Y vel U, sunt omnia neutra.

In I, Y, et U neutra sunt: ut, *hoc sinapi; hydromeli; misy; moly; cornu* [82]).

O.

20. Hic dat O: femineis *halo* cum *caro* dantur et *echo;*

Quaeque in IO, seu sint verbo, seu nomine nata,
Rem (numeris demptis) aliquam sine corpore signant.

In O masculinum est: ut, *hic sermo.*

Exc. 1. Feminina sunt, *halo* [83]), *caro*, *echo* [84]).

---

78) Geo. 1. 188. *Talpae oculis capti.* Et Ecl. VIII. 28. et Geo. III. 539, *Pimidi damae.* De his V. Perizon. ad Sanct. p. 52.

79) Addunt quidam *Panthera*, non tantum nullo exemplo, sed etiam contra Plinii mentem, qui VIII. 17. mares docet *pardos* appellari.

* 80) *Manna*, pro cibo Israelitico, neutrum esse et indeclinabile docent Despauterius, Vossius, et alii: pro micis autem thuris Plinius declinabili et feminino usus est, XII. 14. et XXIX. 6. * *Mammona* neutrum itidem et indeclinabile facit post Ant. Nebrissensem Despauterius. At Vossius rectius masculinis asseruit: est enim proprie divitiarum Deus, sic *Mammonas* potius, quam *Mammona*, scribendum. * Vocem *Pandectae* masculinum esse contendunt, Ant. Augustinus, Hen. Stephanus [de abusu ling. Lat. p. 12–15. G. St.] Vossius et alii, eo quod Graece sit *οἱ πανδέκται.* Pro feminino autem stant Is. Casaubonus, Giphanius, idem mutata sententia Vossius, et, cuius omnibus maior auctoritas, Imp. Iustinianus, Inst. 1. 10. §. 11. V. Voss. Anal. iii. 19. et de vit. serm. IX. 18.

81) Palladius tamen, Octob. tit. 14. *aloes epatici*, nescio quo pacto, bis extulit.

82) Haec haud prorsus indeclinabilia esse, ostendimus lib. II. reg. 25, et 66, et lib. III. reg. 8.

83) Graecis, ἡ ἅλως, vel ἅλων. V. Senec. Nat. Q. 1. 2.

84) *Echo* ideo fem. esse vult methodi auctor, quod *Echo* femina in vocem, secundum Ovidium, fuerit transmutata; quasi (ait Ursinus T. 1.

Digitized by Google

Exc. 2. Feminina etiam sunt nomina in IO, rem incorporalem significantia: sive verbalia sint: ut, *oratio; opinio*: sive a nomine derivata: ut, *communio; ditio; perduellio; rebellio; talio.*

† At quae in IO rem corporalem [85]) aut numeros significant, masculina sunt, ac proinde regulam generalem sequuntur: ut, *pugio; scipio; titio; papilio; vespertilio; unio* [86]); item *ternio, quaternio, senio* [87]).

21. Adiice femineis DO, GO: sed mascula *cudo, Harpago*; sic *ordo*, simul *udo, tendo, ligo*que. Rarius haec *margo* vati est, hic saepe *cupido*. *Arrhabo* cum *cardo* muliebria vix imitanda.

Exc. 3. A regula nominum in O excipiuntur etiam in DO et GO finientia, quae feminina sunt: ut, *haec arundo; haec imago.*

† Masculina tamen sunt: *cudo; harpago* [88]); *ordo; udo; tendo* [89]); *ligo.*

† *Margo*, frequentissime est: Iuvenali autem [90]) femininum. *Cupido*, pro *amoris Deo*, mas. est. per Reg. 1. pro *cupiditate* vero Poetis saepe est masc. Oratoribus autem semper femininum.

† *Arrhabo*, Varroni; *cardo*, Graccho [91]) feminina

---

p. 254) non contra fabula de *Echo*, ut Daphnes, Syringis, et aliae, ex nomine *echus* esset conficta.

85) *Coenatio, portio, contignatio, habitatio, mansio, potio, regio, legio, concio*, et si qua alia sunt eiusmodi, quamvis nunc pro rebus fere corporalibus accipiantur, feminina tamen sunt, eo quod primaria sui notione, non tam res ipsas, quam *coenandi, partiendi*, etc. actiones significasse videantur. At *optio* (quod pro *optatione* femin.) pro eo, qui *centurioni adiutor* dabatur a Tribuno, masculinum est.

86) *Unio* pro *monade*, ap. Tertullianum, et pro *cepa* uno capite constanti, ap. Columellam, XII. 10. masc. etiam videtur: pro *concordia* autem, seu coalitione, barbarum est.

87) *Duernio, quinquernio, octernio*, quae addunt N. methodi auctor, et Iohnsonus, itidem barbara sunt.

88) Hanc vocem cum universo Grammaticorum coetu masculinum posuimus: quamvis eam nusquam, neque in recto, neque cum adiectivo iunctam, reperiam.

89) Frequens apud medicos vocabulum, at veteribus illis prorsus incognitum.

90) Apuleio etiam sequioris aetatis scriptori fem. Met. II. p. 40. et IV. p. 103. et lib. de mund. p. 729. ut Aemil. Macrum et Rabirium a Nonio citatos omittam.

91) Item Granio apud Nonium. Hallucinantur autem cum Despanterio Iohnsonus, qui existimarunt *cardo* Boethio quoque lib. III. pros. 10. femininum esse. Eo enim in loco (*summa, cardo atque causa expetendorum omnium*) *summa* tanquam substantivum, additoque inciso, est legendum,

Digitized by Google

sunt; at cum alii omnes masculine utantur, priscos illos vix imitandos censuerim *92).

C. L, M. T.

22. Quod fit in L, vel T, C, vel M, neutralibus adde:
Mascula *sol, mugil,* ceu *sal,* quod rarius hoc vult.

In C et T. item L et M neutra sunt: ut, *hoc lac* 93), *hoc caput; hoc animal; hoc scamnum.*

Exc. 1. *Sol, mugil,* masculina sunt.

Exc. 2. *Sal,* saepius masculinum est, interdum neutrum: in plurali, *sales,* tantum masculinum est.

N.

23. Masculeum capit N. Finita in MEN dato neutris,
Quaeque secunda creat, cum *gluten* et *inguen* et *unguen:*
Addideris *pollen. Sindon* petit haec, et *aedon;*
Alcyonem iunges, data postea queis comes *icon.*

In N masculina sunt: ut, *hic paean, hic pecten, hic delphin, hic canon.*

Exc. 1. Finita in MEN neutra sunt: ut, *hoc carmen.* Sic *gluten, inguen, unguen, pollen* 94).

---

at paullo superius, *omnium expetendorum summa atque causa.* Neque rectius se habere videtur quod idem Iohnson. Addit p. 82. et suo et D. Shavisii codice legi affirmet ap. Plin. VI. 30. *meridiana cardine:* omnibus enim, quas ultra sedecim eius auctoris editiones lustravi, *meridiano* constanter legitur.

92) * *Talio* masculinum adhibuit Tertullianus, eumque secutus Laur. Valla: sed potiorem esse Gellii auctoritatem, qui femininis adiunxerit, notat Vossius. * *Carbo* feminino usurpat Ulpianus, I. 55. §. 7. ff. de legat. 3. *Ad carbones coquendas atque conficiendas:* at cum nos imitari, apud alios omnes masculini usus, et diminutivum *carbunculus,* prohibeat. * Cuius generis sit *unedo,* ambigit Vossius: sed quum arborem significet, atque in DO finiatur, cur femininis nequeat apponi, haud video. Adstipulari Plinius videtur, qui XV. 24. de *unedone* loquens, paucis interiectis, mox addit, *Juba auctor est quinquagenum cubitorum altitudine in Arabia esse eas:* nisi quis ad *arbor,* vel *arbutus,* quae praecesserant, id *eas* velit referri. * *Grando,* virile est Varroni ap. Nonium, at non imitandum.

93) Neutrum quoque est *halec,* vel (ut potius scribendum) *alec,* nunquam vero femin. quod Priscianus, Despauterius aliique existimarunt: nam *alecem,* ap. Martialem, XI. 28. venit ab *alex,* quo Plinius saepius utitur. V. Iohns. p. 56.

94) Vid. Reg. 30. * Neutrum quoque est *sanguen,* pro *sanguis,* apud antiquos, Lucret. I. 837. Cic. de Fin. V. 11. e veteri Poeta; Gell. (ex Catone) III. 7.

Digitized by Google

Exc. 2. Item nomina secundae in *on* Graeca ut, *hoc symbolon; symposion*, quae latinis in *um* efferuntur[95]).

Exc. 3. Feminina sunt; *sindon; aëdon*[96]); *alcyon*[97]); *icon*[98]); *[99])

AR.

24. Postulat AR neutrum: sed masculeum *salar* optat.

Desinentia in AR neutra sunt: ut, *hoc calcar.*

Exc. *Salar*, masculinum[100]) est. *[1])

ER.

25. ER capit hic. Neutrum plantae fructusve requirunt:
At *tuber* hic fructus; *tuber* quemcunque tumorem
Significans neutrale petit; cumque *ubere spinther,*
Verque, cadaver, iter. Dabit hic aut haec tibi *linter.*
In ER masculinum est: ut, *hic liber; hic imber.*

---

95) Multa tamen herbarum gemmarumque nomina, in *on* secundae desinentia, feminina extulit Plinius, ob intellectas voces communes, *herbâ, planta et gemma.* V. Iohns. p. 40.

96) V. Senec. Octav. v. 915. et Agam. v. 670. Quamobrem et Vossius, apud Petron. c. 131. *sylvestris aëdon*, non, uti in vulgatis, *sylvester iaedon*, vel *aëdon*, vult legendum.

97) Virg. Geo. I. 399. Val. Flacc. IV. 45. Senec. Agam. v. 680. nec audiendus Servius, qui hic et haec *alcyon* dici notavit.

98) Graecis nempe *ἡ εἰκών*. Hanc autem vocem nusquam a probo auctore Latinis literis prolatam reperio: nam, pro *iconas*, quod ex Plin. XXXIV. 4. adducunt, meliores libri *iconicas* habent. ap. eund. quidem VIII. 54. *fictas cera icones*, ex coniectura edidit Harduinus; at aliter aliis omnibus is locus exhibetur.

* 99) *Python* dubii generis a Despauterio, Lilio aliisque existimatur: at eos decepit male intellectus Tibulli locus, II, 27. ubi *Delphica Python* (vel, ut Broukhusius legit, *Pytho*) non de serpente ab Appolline interempto (quod masc. semper est generis) accipitur, sed de urbe in Phocide, quae postea *Delphi* est appellata. * *Achrochordon*, verrucae species, femininum est Celso, V. 28. 14. Item *Ischaemon* et *Potmagiton*, herbarum nomina tertiae declinationis, Plinius XXV. 2. et XXVI. 8. feminina adhibuit, respiciens, ut alibi solet, vocem *herba*: cuius generis, atque ob eandem rationem, *cotyledon* herba existimatur.

100) V. Auson. Mosell. 88. et Sidon. Apoll. Epist. II. 2. Neque qui huius vocis meminerit, his quenquam antiquiorem reperio.

* 1) *Lucar*, pro *ave*, et fem. gen. a quibusdam acceptum, merum esse somnium ostendit Vossius: pro *pecunia* autem *quae e lucis collecta ludis impendebatur*, neutrum esse ex Tertulliano et veteri inscriptione idem probat. * *Bacchar*, quod vulgo femininum faciunt, neutrum est Plinio, XXI. 6. Nempe *baccharis* eidem dicitur, XII. 12. quod femininum est, et errori ansam praebuit. * *Jubar*, non tantum apud Ennium, sed etiam Cor. Severum in Aetna, v. 382. masc. invenjuntur: at apud optimum quemque constanter neutrum.

Digitized by Google

Exc. 1. Fructuum aut plantarum nomina neutra sunt: ut, *piper*, *cicer*, *papaver*[2]).

† *Tuber*, prima brevi, femininum est, per Reg. IX. pro fructu eius arboris masculinum. *Tuber* vero prima longa, neutrum est, et varia habet significata [3]).

Exc. 2. Neutra etiam sunt, *uber*, *spinther*, *ver*, *cadaver*, *iter*.

Exc. 3. *Linter*, et masculinum [4]) et femininum [5]) invenitur. *[6])

OR.

26. Hic dat OR. Haec *arbor*: *cor*, *ador*que, hoc *marmor*, et *aequor*.

In OR masculina sunt: ut, *hic calor*.

Exc. 1. Unicum est femininum, *arbor*.

Exc. 2. Quatuor neutra sunt: *cor*, *ador*, *marmor*, *aequor* [7]).

UR.

27. Hoc dat UR. Hic *furfur* capiet, cum *vulture turtur*

In UR neutra sunt: ut, *hoc murmur*:

---

2) Antiquioribus, Plauto, Catoni et Varroni, *papaver* interdum masculinum est. * Plinius autem XXVI. 8. *Laver condita et cocta*, in fem. dixit, ob generalem, ut videtur, vocem, *herba*. * Idem quoque, in eadem periocha, neutro genere, *siser utile stomacho*, et masc. vel fem. *tres siseres*, extulit. XX. 2. * *Cucumer* (quod masc. esse volunt) nominativo exolevit, pro quo *cucumis* dicitur.

3) De arbore Plinius XVI. 25. *tuberes peregrinae*; de eius fructu Sueton. in Domit. 16. *oblatos tuberes*, dixerunt. *Tuber* autem pro fungo, terrae callo, aut quovis tumore, neutrum esse, haud necesse est exemplis confirmare.

4) Cato R. R. c. 11. *lintres duos*. Tibull. II. 5. 34. *exiguus linter*, Vell. Paterc. II. 107. *lintre appulso*.

5) Liv. XXI. 26. *lintrium paratarum*. Id. ibid. 27. *lintres aptatae*. Caes. B. G. VII. 60. *lintres has*. Ovid. Fast. VI. 778. *coronatae lintres*.

* 6) *Accipiter* fem. ap. Lucret. IV. 1008. Et * *uter* neutr. ap. Lucilium, referente Nonio, vix imitandum videtur. * Et nihilo magis *aër*, quod Ennius ap. Gellium, XIII. 20. feminino, ac quidam aetatis mediae scriptores neutro, ut et *aether*, adiunxerunt. Idemque de *cancer* existimandum, quod non tantum Ecclesiastici nonnulli, sed etiam Cl. Quadrigarius, teste Prisciano, neutrum adhibuerunt. * *Verber*, quod neutris vulgo accensent, nusquam iam nominandi casu invenimus.

* 7) Nomina in *or* olim fuisse neutra ostendit Nonius ex illo Plauti, Merc. V. 2. 19. *Nec calor nec frigus metuo*. Id quod Ausonium imitatum in Coron. Profess. 10. *Et decor egregiae commemorat patriae*, tradunt Scaliger et Vossius. At rectius Vinetus, qui *decora* ibi legit. Veteres etiam neutrum comparativorum in *or* efferebant. Sic *Senatusconsultum*

Digitized by Google

Exc. Tria sunt masculina; *furfur, vultur, turtur*[8]). *[9])

AS.

28. AS petit haec. Neutrum est *vas vasis*, queisque Pelasgi
Dant *atis* in patrio: quibus *antis*, mascula sunto:
Adiicito quotquot format tibi flexio prima.

In AS feminina sunt: ut, *haec pietas.*

Exc. 1. *Vas, vasis*, neutrum est[10]).

Exc. 2. Neutra etiam sunt nomina Graeca, quae genitivum per *atis* formant, penultima correpta: ut, *artocreas, erisipelas.*

Exc. 3. Graeca genitivum in *antis* mittentia masculina sunt: ut *adamas, elephas.*

Exc. 4. Masculina etiam sunt nomina primae in *as*: ut, *pareas, asterias, tiaras*[11]). *[12]).

---

prior, apud Val. Antiatem, et *bellum Punicum posterior*, ap. Cass. Heminam, notat Priscianus. p. 767.

8) Buchananus t[illegible]en Psal. LXXIV. 19. *turturis tuae* dixit, femellam scil. cum optimis interpretibus respiciens. Mirum vero est Servium in illo Virg. Eclog. I. 59. *Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo, turtur* femin. existimasse, cum et sensus et syllabae modulus reclament.

* 9) *Guttur* et *murmur* olim masculina fuisse ex Plauto, Naevio et Varrone ostendit Nonius. V. Plaut. Mil. III. 2. 22. Aul. II. 4. 25.

10) *Vas, vadis*, et *as, assis*, masculina; *fas* et *nefas* neutra esse, per Reg. I. 7. et 11. intelligitur. * Neutris etiam adiicit Despauterius ex Prisciano *Ceras; Ceradis*, loci cuiusdam nomen. Ego vero neque hoc vocabulum ap. Priscianum, aut quenquam alium, sic declinatum reperio, neque vocem ullam in *as*, cuius genit. in *adis* exeat, neutri generis legisse me memini. Apud Solinam c. 10. invenio quidem, *Ceras chryseon promontorium, Byzantio oppido nobile*; quod Plin. IV. 11. *Chrysoceras* et IX. 15. *Promontorium aurei cornus*, appellat. Utrumque autem *Ceratos*, vel *Chrysoceratos* declinatur, utpote Graecis promontorium, τοῦ χρυσοῦ κέρατος. V. Strabonem. lib. VII. p. 320.

11) De his vid. Lucan. IX. 721. Plin. X. 60. Virg. VII. 257. Huc adde gemmarum vel lapidum nomina: ut, *Capnias, Eurotias, Chalazias, Carcinias, Grammatias, Icterias, Ostracias, Myrmecias*, quae tamen Plinio XXXVII. 9, 10, 11. (negante licet Vossio Anal. I. 28.) plerumque feminino ponuntur, respicienti, ut solet, vocem generalem *gemma.* Ob quam etiam rationem *androdamas* et *argyrodamas*, licet tertiae, ac in *antis* genitivum formantia, femininis adiunxit, XXXVII. 10. *Dionysias* autem, quod femininum quoque adhibuit Plin. XXXVII. 10. si Vossio credimus, non est huius loci, utpote *adis* genitivo habens. Solinus tamen, cap. 40. genus, et forte declinationem mutans, *Dionysias fuscus*, dixit.

* 12) *Adamas* in fem. se reperisse putat Johnsonus, ap. Plin. XXXVII. 10. *Adamas quadrata.* Verum *quadrata* ad *androdamas*, quod praecesserat, pertinere ostendit optima Harduini editio. * *Aetas* olim masculi-

Digitized by Google

ES.

29. Haec dabit ES. Capient *ales* hic haecve, *palumbes*,
Atque *dies*; sed mas proles: mas *poples* et *ames*;
Pomes, *pes*, *paries*, *palmes* cum *limite stipes*,
Queis addes *trames*, *termes*, cum *gurgite cespes*;
Et quae fonte fluunt Graio: sed neutra capessunt
Hippomanes, *panaces*, *nepenthes*, sic *cacoethes*.

In ES feminina sunt: ut, *haec sedes*; *haec res*.

Exc. 2. Dubii generis sunt, *ales*[13]); *palumbes*[14]); *dies*. *Dies* tamen Oratoribus saepius masculinum[15]): pro longo autem tempore Poetis fere femininum[16]); in plurali semper masculinum est[17]).

Exc. 2. *Meridies*, a *medius* et *dies* compositum, tantum masculinum est.

---

sum fuisse ex Plauti Trinum. IV. 3. 83. probat Nonius. Sed lectio loci eius incerta.

13) *Ales* proprie adiectivum est, ut *volucris*. De genere eius substantive usurpati haec invenio. 1. Pro ave in genere, aut plurali numero, fere semper femininum est. 2. De homine aut Deo alato semper masculinum: ut, *aureus ales* ap. Stat. Th. I. 544. de Perseo, *Cyllenius ales* ap. Claud. XXXIII. 77. de Mercurio. 3. Pro ave particulari masc. gen. nunc masculinum, nunc femininum legitur: ut, *ales Phoebeius*, de corvo, Ovid. Met. II. 544. *albus ales*, de cygno, Horat. Car. II. 20. 10. *cristatus ales*, de gallo, Ovid. Fast. I. 455. Contra, *ales argentea*, de corvo, Ovid. Met. II. 536. *ales famelica*, de milvo, Plin. X. 10. *longaeva ales*, de Phoenice, Claud. XXXV. 83. *ales superba*, de pavone, Mart. XIV. 67. 4. Pro ave denique fem. gen. semper femininum est: ut, *Daulias ales*, pro philomela, Ovid. Heroid. XV. 154. *ales exterrita*, de columba, Virg. Ae. V. 505. Excipitur una aquila, de qua Poetae, sive ob eius avis dignitatem, sive marem respicientes, interim masc. ut Virg. Aen. XII. 247. *fulvus Iovis ales*. Stat. Th. VIII. 675. *flammiger ales*, Horat. Car. IV. 4. I. *ales minister fulminis*: interim et feminino, *regia ales*, Ovid Met. IV. 362. *lapsa coelo*, Virg. Aen. I. 394. *digna Iove*, Manil. I. 448. dixerunt.

14) *Palumbes*, an *palumbis*, recto dicendum, dubitat Vossius: ego vero *palumbes* ap. Plin. X. 58. *palumbis* nusquam reperio. Genere masc. utitur Plin. X. 35. et Plaut. in Bacch. I. 1. 17. ut Lucilium et Pomponium ap. Nonium omittam, fem. autem Virg. Ecl. I. 58. et Ecl. III. 69.

15) Iisdem quoque aliisque scriptoribus, etiam pro *certa* ac *definito tempore*, feminino frequenter usurpatur. Quod autem *hesterna* aut *hodierna dies* dicturum se neget Kirkwodus noster; non advertisse videtur ita locutum Livium, XXVII. 13. et LX. 9. et XLIV. 38. ut mittam *crastina die* (cuius eadem ratio est) ab eodem dici, XXVI. 36. et XXVII. 33.

16) Pro *longo* tamen *tempore*, masculino adhibuerunt Statius, Theb. I. 638. — *Longumque in secula digne Promeriture diem.* — Et Lucanus III. 138. — *Non usque adeo permiscuit imis Longus summa dies.* —

17) In plurali autem femininum extulisse videtur Tibullus III. 6. 32. *Venit post multas una serena dies*, quemadmodum, cum Passeratio, Grae-

Digitized by Google

Exc. 3. Masculina etiam sunt duodecim nomina Latina tertiae declinationis: *poples*, *ames*[18]), *fomes*, *pes*[19]), *paries*, *palmes*, *limes*, *stipes*, *trames*, *termes*, *gurges*, *cespes*[20]).

Exc. 4. Masculina denique sunt omnia in *ES* Graeca; sive primae sint declinationis: ut, *cometes*, *achates*[21]), *aromatites*[22]); sive tertiae, ut, *lebes*, *magnes*, *acinaces*[23]).

---

vio, et aliis, legendum arbitror: quanquam Scaligerana, Delphinensis et Broukhusiana Editt. *multos* praeferant.

18) *Ames* vulgo masc. Grammatici statuunt, ob analogiam Genitivi *amitis* (Vid. Horat. Epod. II. 33.)

19) Sic eius composita *semipes*, *sesquipes*. * *Compes* tamen, quod iam vix recto invenitur, femininum fuisse ostendit Ablativus *compede*; ut, *dura compede*, Horat. Epod. IV. 4. *Magna compede*, Iuven. XII. 80. nec imitandus Lactantius, Hoi Mort. Pers. c. 22. n. 3. *Compedes parati*, dixit. * *Quadrupes* proprie adiectivum est, atque a Substantivo subaudito genus trahit. Pro *equo* enim masc. est. Virg. Aen. III. 541. *curru succedere sueti Quadrupedes*: item pro *cervo*, Id. Aen. VII. 500. *Saucius quadrupes*. Pro *bestia quavis* femininum est. Id. Ecl. V. 25. *Nulla quadrupes*. Cic. Nat. Deor. II. 44. *Vasta quadrupes*. Sed in neutro etiam, *animal* respiciens, Plinius posuit, VIII. 25. *malum quadrupes*: et XI. 36. *pennatum* et *volucre quadrupes*. Et in plur. Col. XI. 2. *quadrupedia castrandi tempus idoneum* nominat. * *Sonipes* et *cornipes* non alio quam masc. gen. leguntur, quia *equus* semper intelligitur. * *Pes* (vel, ut in libris meis habetur, *pedis*) pro *pediculo*, femininum Plautum extulisse docet Nonius. At eo significatu masculinum adhibuit Nonius, et Varro R. R. III. 9.

20) Quidam his adiiciunt *tudes*, *trudes* et *merges*. *Tudites* quidem pluraliter nominat Festus, sed nullo adiuncto adiectivo: Severus autem in Aetna, v. 559. *tudibus* utitur, a Nom. *tudes*, *tudis*, unde diminutivum *tudicula*. *Trudes* item *trudis* declinat Tacit. Annal. III. 46. 7. nullus autem (quod sciam) *truditis*. *Merges* quidem *mergitis* declinatur (V. Virg. Geo. II. 517.) quod tamen contra analogiam Plinius femininq adhibuit, XVIII. 30. nemo autem masculino. * *Aries* et *verres*, quae his addidit Despauterius et alii masc. sunt, per Reg. I. *Aries* autem pro *machina bellica*, item pro *signo coelesti* acceptum, idem genus retinet, utpote a similitudine animalis dictum. * Ad eandem quoque Reg. I. referenda sunt, *coeles*, *eques*, *hospes*, *indiges*, *praeses*, *praestes*, *pedes*, *veles*. * Ad Reg. 3. *antistes*, *comes* etc. * *Bes* ad Reg. 7. pertinet. * *Coles* masc. regula exclusimus, puerorum verecundiae consulentes.

21) Plinius tamen eiusmodi nomina in tes, vel ites, lapides vel gemmas significantia, pro diverso tractationis modo, vel masculina, vel feminina posuit. Lib. enim XXXVI. quo lapides describit, masculino; lib. autem XXXVII. quo gemmas, feminino fere utitur. Nimirum in illis respexit vocem *lapis*, in his *gemma*, vel, ut quidam volunt, Graecum λίθος, quod utroque genere reperitur.

22) Eiusmodi vinorum nomina proprie adiectiva sunt: ut, *abrotanites*, *absynthites*, *thymites*, *cydonites*, *melititis*, etc. in quibus Graeci ὁ οἶνος respexerunt. Latini autem masculinum, quod apud illos habebant, genus retinuerunt; sive τὸν οἶνον, quae Linacri est opinio, respicientes, sive potius, quae Despauterii et Vossii sententia est, ea tanquam substantiva iam facta existimantes. Certe hoc Plinii, XIV. 16. *Vinum e punicis, quod rhoiten vocant*, itemque hoc Columellae, XII. 38. *Vinum aliud*

Digitized by Google

Exc. 5. Haec autem Graeca neutra sunt; *hippomanes, panaces*[24], *nepenthes*[25], *cacoethes*[26].

IS.

80. IS dabo femineis. Sunt masculą *piscis* et *axis*, *Glis, callis, vermis, vectis, mensis, cucumisque, Mugilis et postis*, cum *sanguine, fascis, et orbis, Fustis* item, *collis, caulis*que, *et follis*, et *ensis*, Serpentemque notans *cenchris*, cum *vomere, torris*. In NIS finitum Latium, *lapis, unguis, aqualis*.

In IS feminina sunt: ut, *haec avis, haec vallis*.

Exc. 1. Multa sunt masculina; viz. *piscis, axis*[27], *glis*[28], *callis*[29], *vermis, vectis, mensis, cucumis, mugi-*

---

myrtiten sic temperato, vix aliter quam per Appositionem, quam vocant, explicari possunt; eodem modo quo *sidus Perseus* vel *Andromeda, tempus magister multorum*, et ap. eund. Plinium XIV. 6. *Vinum indigena*, et Gell. II. 24. *vinum alienigena*, dicuntur. Caeterum vix imitandus Palladius videtur, qui sibi terminationem cum *vino* genere convenientem comminiscens, Feb. tit. 31. *vinum myrtite*, et Iul. tit. 6. *vinum scyllite*, dixerit.

23) Ita scribendum, non *acinacis*, Graecis enim est ἀκινάκης, ut ex Herodoto, Xenophonte, Diodoro, Plutarcho, Platone, Suida, Luciano et aliis, ostendit Dausquius in Orthograph. part. II. p. 6. et Voss. Anal. I. 28.

24) Sic Plin. XXVI. 15. § 90. *Ipsum panaces in vino potum — appositumque cum melle*. Et XXXV. 4. §. 11. *Panaces numerosum et diis adscriptum*. Celsus tamen V. 27. 12. *Panaces cum lacte contusa* in fem. dixit. Quod autem idem Plinius, XXV. 13. §. 105. *panacis Chironius radix*; et XXVIII. 17. §. 78. *admixta modice panace*, feminino itidem adiuncto, proferat, a recto *panax* (quod Iohnsono observatum) fluxisse videtur. Eo enim, XIX. 12. §. 62. et Accusativo semper *panacem*, XII. 26. §. 57. XIX. 8. §. 50. XXV. 5. §. 19. utitur.

25) Sic Plin. XXV. 2. *Nepenthes illud nobile*.

26) His addit Iohnsonus *sesamoides* ex Plin. XXII. 25. et XXV. 5. item, *trichomanes* Plin. XXII. 22. §. 80. Mirum vero est Plinium huic voci in eadem sententia genus confundere, XXVII. 13. §. 111. *Trichomanes adiecto similis est, exilius modo nigriusque*. Ita enim in 19 Editt. habetur, et in his binis Dalechampii, utraque Harduini, tribus Frobenianis; item Commeliniana, Elzeviriana, Hackiana, etc. * His forsan et addi poterunt, *antipathes, diphyes, eumeces*, et *eusebes* lapidum, seu gemmarum nomina: licet ea Plinius more suo feminina efferat: XXXVII. 10. §. 54. *antipathes nigra*: et Ibid. §. 57. *diphyes candida et nigra*: et §. 58. *eumeces capiti apposita*. Laelius autem, antiquus poeta ap. Apuleium in Apol. p. 455. *antipathes illud quaerito*, dixit. Nimirum haec proprie adiectiva sunt; ut et *Soloecophanes*, quod Alvarus quoque neutris adiecit.

27) Nec imitandus Palladius, qui I. 9. *axes quernae* dixit.

28) *Glis, glitis*, pro *tenaci terra*, femin. et *glis, glisis*, pro *lapse*, seu *cardue*, neutr. plane barbara esse ostendit post Despauterium Vossius.

29) *Callis* feminino a Livio positum observat Nonius, XXII. 14.

Digitized by Google

lis (et contracte *mugil*), *postis*, *sanguis*, *fascis*, *orbis*, *justis*, *collis*, *caulis*, *follis*, *ensis*, *cenchris*, genitivo *cenchris*: [at *cenchris*, *cenchridos*, femininum est [30]).] *vomis*, vel *vomer*, *torris*, *lapis*, *unguis*, *aqualis* [31]), [32]).

Masculina etiam sunt nomina Latina in NIS exeuntia:

XXII. 14. *Per devias calles*: quo modo etiam exhibent Iani Gruteri, et utriusque Gronovii editiones. In aliis tamen *devios calles* habetur, quod Lipsius et Gothofredus, suffragante etiam Iohnsono, in *devios colles* mutatum voluere.

30) De hoc Plin. X. 52. *cenchris sola*; de illo Lucan. IX. 712. *cenchris lapsurus*, dixerunt.

31) Femininum adhibuit Plautus, Mil. III. 2. 40.

32) Masculinis etiam addunt Grammatici, *sotularis*, *acinacis*, *cassis*, *sentis*, *coasis*, *vepris*, *pollis*, *delphis*. At. 1. *Sotularis*, plane nihili est vocabulum, ex prava lectione loci, ap. D. Hieronymum, ortum, uti dudum Alvarus, Vossius, Methodista Gallus, etc. monstrarunt: quo magis mirum est Grammaticos nostrates, Kirkwodum, Deixium et Wattium, id pueris iterum obtrudere voluisse. 2. De *acinaces* supra dictum. 3. *Casse*, Ablativus, tantum ap. Senec. 4. *Sentem*, Accusativus, apud Columellam occurrunt: aliis omnibus pluraliter efferuntur. 5. *Cosses* plurale et apud solum Plinium legitur. 6. De *vepris*, Vid. post, libr. I. reg. 46. et lib. 3. Reg. 22. 7. *Pollis*, sive masc. cum Phoca et Grammaticorum vulgo, sive femininum cum Charisio statuas, haud multum referre arbitror; cum haec vocis terminatio iam fere exoleverit, atque pro eo *pollen pollinis* in neutro Celsus utatur, V. 19. §. 4. quemadmodum et Caesar et Probus ap. Priscianum declinandum pronuntiant. Quocirca nec cum Sereno XL. ult. *madida pollinе* dixerim. 8. Idem de *delphis* dicendum, quod apud solum Avienum, mediae aetatis scriptorem, invenias; pro quo veteres illi *delphin* aut *delphinus* semper dixerint. * Meliore iure huc referenda sunt, 1. *ovis*, quod pro *multa quadam* veteribus masculino tantum genere dictum, notant Agellius, Festus et Nonius. 2. *Colis* vel *coles*, pro *pampino*, masc. ap. Varr. R. R. I. 31. et Colum. V. 6. item pro *caule* rapae, brassicae et similium, ut *coles rapicii*, ap. Caton. R. R. c. 35. 3. *Echeneis*, quod masculinis asseruit Iohnsonus ex Plin. IX. 25. addere poterat et XXXII. 1. passim. * Ad reg. 15. referenda sunt multa nomina in is, natura adiectiva, quae absolute posita, quoniam substantivum virile in iis latet, masculina habentur, qualia sunt *aequalis*, *mortalis*, pro *homine*, *popularis*, *rivalis*, *sodalis*, *familiaris*, *contubernalis*, *affinis*, *aedilis*, *consularis*, *patruelis*, *tribulis*, *etc.* Idem tenendum de *annalis*, in quo *liber*, *molaris*, *specularis*, in quibus *dens* vel *lapis*, concipe. Sic *maialis*, in quo *porcus*; *iugalis*, in quo *equus*; *Aprilis*, *Quintilis*, *Sextilis*, in quo *mensis*, intelliguntur. Adiiciunt denique Vossius, Ursinus, etc. *natalis*, masculinum, quamvis *dies*, quod dubii generis est, subaudiatur. Obducit Iohnsonus *natali tua* ap. Martial. X. 27. Male; illic enim optimi quique codices, et in his antiquissimus manu exaratus in Bibliotheca Iuridica Edinb. *tuo* praeferunt. *Novales* feminino posuit Virg. Georg. I. 71. respiciens *terras*. Alioquin apposito substantivo dicitur *novalis ager*, et absolute *nova le*, subaudi *solum* vel *arvum*. His addi potest et *aqualis*, cui masculino *urceus*, feminino *matella*, aut tale quid, mente reticetur.

Digitized by Google

ut, *panis*, *crinis*[33]), [34]). Graeca vero in NIS feminina sunt: ut, *tyrannis*, *coronis*.

31. Hic aut haec *finis*, *clunis*, cum *torque*, *canalis*,
Dant, *scrobis*, ac *anguis*: *corbis* muliebre praeoptat:
Masculeo potius gaudent *pulvis*, *cinis*, *amnis*.

Exc. 2. A regula etiam excipiuntur nomina sequentia dubii generis: *Finis*, *clunis*, *torquis*, *canalis*, *scrobis*, vel *scrobs*, *anguis*, *corbis*, *pulvis*, *cinis*, *amnis*.

Ex his autem sex priora, licet saepissime feminina, paulo tamen frequentius masculina inveniuntur[35]). *Finis*

---

33) Olim muliebri usus Plaut. Mostell. I. 3. 69. *capiundae crines*, et Atta in Epigr. teste Nonio. * *Funis* quoque veteribus femininum fuisse ostendit *funis aurea* ap. Lucret. II. 1154. confirmante eam lectionem, non tantum Nonio, sed etiam A. Gellio XII. 20. V. Voss. Anal. I. 29.

34) *Bipennis*, vox Latina, femininum est per Reg. 15. proprie enim adiectivum est, subauditurque *securis*. * *Unicornis* tamen inter masculina retulit Melanchthon, Gram. p. 36. Plinius quidem XI. 46. *unicorne animal*. et VIII. 21. *unicornes boves*, dixit: apud alium probatum auctorem vocem illam haud reperio.

35) De frequentiore, in *finis*, *clunis*, *torquis*, *scrobis* et *anguis*, masculini usu, Grammatici fere consentiunt: non adeo tamen raro, ac quidam opinantur, horum nonnullis femininum adhibetur. * Nam Virg. Aen. II. 254. *haec finis Priami*: et Aen. V. 884. et XII. 793. *quae finis*: et Aen. III. 145. *quam finem*: et V. 327. *ipsam finem*: Horat. Car. II. 18. 30. *fine destinata*: et Epod. XVII. 36. *quae finis*: et ipse Cicer. de Leg. II. 22. *quae finis*: ut omittam Varronem, Cassium, Caelium, Attium et Lucretium, quibus istud genus placuisse Nonius testatur. * Sic Horat. Sat. I. 2. 89. *pulchrae clunes*: Cels. VII. 29. *clunes repellendae*. Plin. VIII. 8. *in clunes extremas*: et XXIX. 6. extr. *exacuta clune*. * Ovid. Fast. I. 601. *torquis adempta*: Propert. IV. 10. 44. *torquis mea*: Gell. IX. 13. *torquem detractam*: Apul. Florid. c. 12. *aurea torqui*. * Ovid. Met. VII. 243. *scrobibus duabus*: Plin. XVI. 31. ext. *in ea scrobe*. Tac. An. XV. 67. 4. *scrobem angustam*. Lucan. VIII. 756. *exigua scrobe*. Nisi haec potius sint a Nominativo *scrobs*: eo enim casu *scrobis* apud solum Columellam reperio V. 6. et V. 10. et priore loco masculinum, unde diminitivum *scrobiculus* ap. Varronem. * Tibull. I. 9. 70. *iratae anguis*: Ovidi Met. Fac. 89. *mediae angues*: Val. Max. I. 8. *anguem petitam*. Tacit. Ann. XI. 11. 6. *unam anguem visam*. * *Canalis* femininо melius quam masc. proferri, ait Servius ad Virg. Geo. III. 530. Isidorus XV. 8. quibus assentiri Vossius videtur, eiusque vestigia prementes methodi auctor, Leodius, Annotatores Oxonienses, Ursinus, et Th. Gorallus sive Io. Clericus, ad Severi Aetn. v. 127. At rectius Ios. Scaliger, et Iohnsonus, quibus usitatius masculinum affirmatur. Pro illis stant *canalis perpetud*, *canalibus quas*, *canales angustas*, ap. Varr. R. R. III. 11. 7. et 5. *canalem rotundam* ap. Caton. R. R. 18. *diversas et rigidas canales*, ap. Sever. Aetn. 127. et 149. (Ita enim legendum, non cum Iohnsono, *diversos*, et *rigidos*.) et diminutivum *canalicula*, ap. Lucilium et A. Gell. XVII. 11. Pro his contra pugnant, Liv. XXIII. 31. *canali uno*. Stat. Silv. I. 2. 205. *demersо canali*. Cels. I. 4 *largo*

Digitized by Google

vero, pro *limitibus agrorum*, masculino tantum legitur, *Corbis* feminino [36]); *pulvis*, *cinis*, *amnis*, masculino [37]), longe usitatius usurpata reperimus [38]).

OS.

32. OS maribus detur. Sunt neutra *chaos*, *melos*, *os*, *os*:
Postulat haec *arbos*, *cos*, *dos*, et origine Graeca
Orta *eos*, *arctos*, *perimetros* cum *diametro*.
In OS masculina sunt: ut, *hic flos*, *hic ros*.

---

canali. Colum. IX. 5. *exstructo canali*. Plin. XXXIII. 4. §. 21. *hi canales*: et VIII. 10. *ipso canali*: ut omittam Senec. Epist. 108. et Nat. Q. III. 11. et 20. et 27. et IV. 2. item Vitruv. VIII. 6. Pallad. I. 18. Apul. Met. VI. p. 186. et 188. et Met. IX. p. 278. et Ulpian. L. 3. §. 2. ff. de rivis: ac denique diminutivum *canaliculus* ap. Colum. VIII. 10. et 15. Cels. VIII. 8 et 20. extr. et Vitruv. VII. 1. et X. 14.

36) *Corbis* masc. facit Priscianus, p. 652. et ita quidem Hirtius B. Hisp. c. 5. *corbes plenos*, et Colum. XI. 2. extr. *pabulatorium corbem*, et Prudentius Enchirid. v. 145. *corbes bis seni*. At femininum probat Caper, p. 2248. Ciceronis enim est pro Sext. 38. *messoria corbe*: et eiusdem Colum. VI. 3. *corbis pabulatoria*: et hinc diminutivum *corbula*, quo usus Cato R. R. 11. et Caecil. etiam et Varro, teste Nonio. Quod autem ex Petronio, c. 38. *cum corbe in qua*, adferunt Vossius et Iohnsonus, meliores codices *in quo* habent.

* 37) Ennius *pulvis vasta*, *pulvere fulva*, Propert. I. ult. 6. *pulvis Etrusca*: et Id. II. 10. 35. *horrida pulvis*: caeteri omnes masculine utuntur, confirmatque diminut. *pulviculus*. Pro *pulvere* autem *nostra*, quod ex Propert. I. 19. 22. citat Iohnsonus, in emendationibus *nostro* legitur. * *Acerba cinis*, Catul. LXVI. 90. *cinere multa*, Lucret. IV. 924. *lixiva cinis*, Scribon. Larg. c. 226, et 230 et Seren. c. 44. *cinis placidula*, Auson. Parent. 27. *iucunda cinis*, Virg. Cir. v. 285. ut alios taceam a Nonio citatos: sed longe frequentior, et plurali perpetuus, masculini usus. * *Amnis ulla* habet Plautus Merc. V. 2. 18. Addit Nonius e Naevio, *amnis inflexa*; ex Accio *alta amni*; ex Varrone, R. R. III. 4. (al. 5.) *altera amnis*: verum in libris meis *alter* legitur: et quidem adeo rarius feminini usus, ut Iohnsonus masculinum millenis vicibus superare existimet.

38) Despauterius dubiis addit *halcyonis*, quod nusquam occurrit. Silius quidem Ital. XIV. 275. *halcyones* habet, nullo adiectivo apposito: alii *alcyon*, *alcyone*, vel *alcedo*, feminino semper genere, appellant. * *Lapis* femininum ap. Ennium, * *messis* ap. Lucilium, et *volucris* ap. Cicer. Div. II. 30. masculina, in exemplum vix trahenda videntur. * *Retis*, pro *rete* olim masc. Sic *uvidum retem* dixit Plaut. Rud. IV. 3. 5. ita enim legit Priscianus, p. 759. Varro quoque R. R. III. 5. *obiecto rete*, et Plin. XI. 24. §. 28. *acutulato rete*, nisi hoc licenter a recto *rete* declinatum sit. Idem tamen Varro. loc. cit. *rete cannabina* in fem. extulit. * *Testis*, pro *testiculo*, solum masc. ut *testes vulpini* ap. Plin. XXVIII. 12. pro eo autem qui testimonium profert, commune est: ut et *civis*, *hostis*, *canis*, etc. per Reg. 3. * Composita ab *asse* masculina esse supra ostendimus Reg. 7. olim tamen quasi neutra essent et indeclinabilia a veteribus nonnumquam usurpata, observat accuratissimus Gronovius, de pecun. vet. 1. 8. adducitque in eam sententiam Varronem L. L. 8. *A tressis virilia multis-*

Digitized by Google

Exc. 1. Quatuor neutra sunt; *chaos*[39]), *melos*[40]), *os, oris; os, ossis*[41]).

Exc. 2. Tria Latina feminina sunt: *arbos* vel *arbor, cos, dos*[42]). Item, haec Graeca; *eos, arctos*[43]); *perimetros, diametros*[44]), [45]).

US *secundae et quartae declinationis.*

33. Nomen in US mas est, seu quartae sive secundae.

In US tam secundae quam quartae declinationis, masculina sunt: ut, *hic annus, hic vultus.*

34. Haec *domus* et *vannus*, pro fructu *ficus*, et *alvus*, Sic *humus* atque *manus*, poscunt: *acus* addito quartae, *Porticus* atque *tribus.* Capit hoc *virus*, *pelagus*que.

Exc. 1. In secunda declinatione feminina sunt: *van-*

---

tudinis hei tresseis, *et* heis tressibus, *cum sit singulare* hoc tressis: Az Gell. XV. 19. ex Varrone, *Illum qui norunt, volunt emere millibus centum; te qui novit, nemo centussis:* Stat. Silv. IV. 9. 9. — *Mihi constitit decussis.* Ita enim utrobique habere MSS. non *centussi, decussi*, ut in vulgatis repositum. Haec autem per Ellipsin dici, pro *emere aere* vel *pondere centussis, decussis*, ibidem docet vir summus: ac proinde non leviter eos errare, qui in illo Vatinii ad Cic. Fam. V. 10. *Simius non semissis homo;* et illo Persii V. 76. *Dama est non tressis agaso; semistis* et *tressis* adiectiva esse putant, ac propterea in Accus. dici posse *hominem semissem* aut *tressem*, cum non aliter utroque loco dicatur, quam in illo Plauti, Poen. 1. 2. 168. *Non ego homo triobuli sum.*

39) Extra neutrum usurpasse Ovidium quidam existimant Met. XIV. 404. *Norte Deos Erebonque Chaonque convocat:* sed ibi *Ereboque Chaoque* plerique vett. habent, teste Heinsio.

40) *Melos* olim masculinum fuisse ex Accio, Pacuvio et Varrone probat Nonius; nisi his *melos*, pro *melus*, scriptum, ea ratione qua *anos, aequom*, pro *anus, aequum*, antiqui dicebant.

* 41) *Epos* invariabile est, atque idcirco neutrum per Reg. 11.

* 42) *Paederos* quoque et *Paneros*, gemmarum nomina, Genitivum in *otis* formantia, Plinio feminina sunt. De hoc XXXVII. 10. §. 66. *Paneros qualis sit, carmen in eadem*, etc. De illo, eod. lib. c. 9. §. 46. *Laudatissima est in Indis — proxima apud Aegyptios, — tertia in Arabia, verum scabra, — ipsae molliores sunt, — vitia earum.* Ut mirum sit id negare Leodium, Animadv. in Iohns. p. 38. Non ignoro in his Plinium, ut solet, *gemmam*, respexisse: neque Solinum c. 46. *paederotem Arabicum*, aut Salmasium in loc. *de altero paederote*, dicentes, damnaverim.

43) Sic *crastina Eos*, ap. Ovid. Heroid. III. 57. *sicca arctos*, ap. eund. Trist. 1. 2. 29.

44) Sic Vitruv. 1. 6. pr. *magna perimetros:* Macrob. Som. Scip. 1. 20. *altera diametros alteram vincit.* Pro his autem vulgo dicunt *diametrus, perimetrus*, vel, *diameter, perimeter*; at sine veterum (ut Vossius notat) auctoritate.

45) *Bos, custos* et *sacerdos*, communia per Reg. 3. *glos*, item *Delos, Rhodos, Ilios*, etc. feminina, per Reg. 2. et 8.

Digitized by Google

nus, alvus[46]), *humus*. In quarta autem; *manus, porticus, tribus*: Item, *domus*, partim secundae, partim quartae: *ficus*, tam secundae quam quartae[47]): [Pro *morbo* autem vulgo masculinum statuitur.] *Acus* denique quartae femininum est. *Acus* autem *aci*, secundae, masculinum. At *acus, aceris*, tertiae et neutrum est[48]).

Exc. 2. In secunda declinatione duo sunt neutra: *virus, pelagus*[49]).

35. Nomen in OS Graecum, quod in US mutare Latini
Saepe solent, normam sequitur plerumque virilem:
Femineum sed multa petunt: ut, *abyssus, eremus,*
*Antidotus*que, *pharus, dialectus, carbasus:* adde
Ex *odos* et *pthongos* genitum, quaeque a generali
Voce genus plantae et gemmae capiunt muliebre.

Exc. 3. Ex nominibus Graecis in OS terminatis, quae Latino more plerumque in US exeunt, plurima quidem, Graecorum consuetudinem secuta, masculina sunt: ut, *cyathus, gyrus, dialogus, bolus*[50]).

---

46) *Alvus* olim masculinum fuisse ex Calvo, Cinna, Accio, Laberio et Catone probant Charisius p. 61. et Priscianus p. 654 et 718. at proximo seculo solius feminini usus praevaluit. In quibusdam quidem Columellae codd. X. c. 146. *materno alvo*, legitur: in aliis tamen *arvo* habetur.

47) *Ficus* priscis quoque virile fuit: id quod ostendit illud Lucilii, citante Nonio, *Sicuti cum primos ficus propola recenteis Protulit et pretio ingenti dat primitu' paucos.* Addit Vossius et diminutivum *ficulus*, ap. Plaut. in Stich. V. 4. 8. At ibi *ficulis* in Ablativo legitur, ut nescias rectone *ficulus* sit, an *ficula*. At (quod Vossium fugisse videtur) rem certissimam facit Varro, qui L. L. VIII. p. m. 117. Hi et Hae Ficei dicere iubet. Idem tamen Plautus, et optimi quique solo feminino adhibuerunt. Quo etiam in genere *ficus*, pro *corporis vitio*, a fructus similitudine dicto, ponendum existimat Iohnsonus, legendumque adeo ap. Martial. I. 66. *Dicemus ficus, Caecilianе, tuas*, non, ut vulgo, *tuos*; adductus praecipue illo Iuvenalis, de eodem morbo loquentis, II. 13. *Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae:* ubi *fici* intelligi, ac proinde femininum hoc etiam significatu esse, ingeniose nec sine summa veri similitudine vir accuratissimus contendit. Non est vero, quod id sibi primo animadversum putet, idem enim iamdudum ad L. Vallae Elegant. l. 4. Bad. Ascensius observaverat. [Etiam *paragraphus* femininum esse, docere studuit Henr. Stephan. de abusu Ling. Lat. p. 16.]

48) Quarta etiam et fem. genere, pro *palea*, usus est Columella, II. 10. *Ac durissimae quidem acus resectae separataeque erunt a cudentibus.*

49) Despauterium aliosque, *pelagus* interdum masculine usurpatum existimantes, fefellit prava editio Val. Flacci l. 169. in qua *Pelagum quantos aperimus in usus*, legebatur: melioribus enim libris *pelagus* ibi habetur.

50) Medici tamen de *terra* quadam *bolus Armena* dicunt; quamvis et aliud *terrae* genus *bolum verum* iidem appellent.

Digitized by Google

† Multa autem, Graecorum itidem imitatione, feminina sunt: ut,

1. *Abyssus*, *eremus* [51]); *antidotus* [52]); *pharus* [53]); *dialectus* [54]); *carbasus* [55]), * [56]).

2. Ex *odos* et *pthhongos* composita: ut, *periodus*, *methodus*, *diphthongus*, *monophthongus* [57]).

3. Quaedam gemmarum seu lapidum pretiosorum nomina, quae ob vocem generalem *gemma* intellectam, feminino genere posita videntur: ut, *amethystus*, *chrysolithus* [58]): sic *crystallus*, *sapphirus*, *chrysophrasius*, *leucochrysus*, *topazius* [59]).

---

51) *Abyssus* et *eremus*, non alio quam Ecclesiasticorum scriptorum, Prudentii, Alcimi Aviti, Tertulliani, D. Hieronymi, etc. usu sunt commendata.

52) Gell. XVII. 16. *Antidotus celebratissima.* Seren. LXII. 9. *Antidotus Mithridatica:* antiquiores *antidotum* in neutro fere utuntur.

53) Sic Stat. Silv. III. 5. 101. *Pharus aemula Lunae*, Propert. II. 1. 30. *Ptolemaeeae Phari*, et Iuvenal. XII. 76. *Tyrrhenam Pharon.* Sueton. autem, Claud. 20. extr. masculino dixit, *in exemplum Alexandrini Phari.* Ita enim in pluribus melioribusque libris, et in his MS. haud spernendae notae, invenio; non, quod Vossius, aliique eius fidem secuti, affirmant, *Alexandrinae.* Ei quoque lectioni favere videtur, quod Graecis (fatente Vossio) masculinum sit, et Pammelius in codice MS. ap. Tertullian. de Poenit. c. 12. *duobus salutis humanae quasi pharis*, non *duabus*, reperit. Adducunt praeterea Sabellicus et Despauterius illud Rufi Avieni in Arat. *Romuleique phari fauces illaesa reliquit.*

54) Sueton. Tib. 56. *Illa molesta dialectos.*

55) *Carbasus*, quamvis Phocas masculinum statuat, p. 1706. nusquam fere iam extra femininum invenitur. In nonnullis quidem Val. Maximi codicibus, 1. 1. 7. *quem optimum carbasum*; in aliis autem *quam optimam* legitur. Amm. Marcellini, *summos carbasos*, XIV. 27. dicentis, parvi faciendа est auctoritas.

56) His adde *plinthus*, vel *plinthos*, fem. Vitruv. III. 3. * Addit Iohnsonus *cephus*, animalis nomen, ap. Plin. VIII. 19. *Quae cephos vocant, quarum pedes*, etc. at praestantissima Harduini Editio κήπους literis Graecis exhibet.

57) Nomirum haec duo Graecis adiectiva sunt, δίφθογγος, μονόφθογγος, i. e. *bisonus*, *unisonus*, quibus συλλαβή, *syllaba*, ut antea diximus, intelligitur. Adiectiva quoque sunt quaedam ex praecedentibus, *abyssus*, *eremus*, *antidotus*, *dialectus*; Graecis, ἄβυσσος, i. e. *fundo carens*, sub quo λίμνη, *lacus*, vel tale quid; ἔρημος, i. e. *desertus*, sub quo γῆ, *terra*; ἀντίδοτος, i. e. *contra datus*, sub quo δύναμις, *potentia*, ut vult Ursinus, vel melius forte πόσις, *potio*; διαλέκτος denique, i. e. *separatus*, sub quo γλῶσσα, *lingua*, latere intelligenda sunt.

58) *Amethystus* masculino utitur Isidorus: at Plin. XXXVII. 9. § 40. *amethysti Indicae*; et Ovid. Art. III. 181. *purpureas amethystos*; non, ut Iohnsonus legit, *purpureos*, Vid. Heins. in loc. * Sic Plin. Ibid. c. 9. §. 42. *Chrysolithi Indicae — variae — deterrimae — optimae — perspicuae:* et §. 43. *chrysolithon* XII. *pondo a se visam:* quamobrem et femininum praefert Vossius. Propertius tamen II. 13. 44. *quos chrysolithos*, Prudentius, Psychom. 855. *chrysolithus interlitus auro*; et Plin. XXXVII. 7.

Digitized by Google

† Caetera autem eiusmodi fere masculina sunt: ut, *beryllus, carbunculus, opalus, pyropus, smaragdus*[60]).

4. Quaedam denique plantarum seu fructuum nomina, ob subauditam vocem *planta*: ut, *papyrus, biblus, nardus, byssus, hyssopus*[61]), *costus*[62]), *crocus*[63]), [64]), etc.[65]).

† Reliqua vero plerumque sunt masculina ut, *asparagus, elleborus, intybus, raphanus*[66]), etc.[67]).

US *tertiae declinationis.*

36. Postulat US neutrum, quoties id tertia flectit.

In US tertiae declinationis neutra sunt: ut, *hoc littus, hoc onus.*

---

§. 28. *fumido chrysolitho similes*; (uti in optima Harduini vetustioribusque Edd. legitur) dixerunt. * *Hyacinthus* gemma Plinio itidem femininum est: at *hyacinthus* flos Virgilio et Columellae masculinum. Contra Graeci; nam de *gemma* Epiphanius *ὑάκινθος ὑποπορφυρίζων* dixit; de *flore* Theocritus *ἁγαπατὰ ὑάκινθος.*

59) His adde, *Buroptenus, belus, belioculus, carchedonius, exebenus, sandereus, trichrus*: item *Apsyctos, astrios, chalcophanos, chalcosmaragdos, cyanos, leucophthalmos, lycophthalmos, phycaros, polyzonos, tanos, zeros.* V. Plin. XXXVII. 5, 8, 9, 10, 11.

60) Sic *Melichrysos, melichloros, phloginus.* V. Plin. Ibid.

61) Plin. XXXIII. 5. *Aegyptia papyrus*, Martial. III. 2. *madida papyro.* Virg. Cir. v. 88. *docta papyro.* * Lucan. III. 222. *flumineas biblos.* * Horat. Car. II. 11. 16. *Assyria nardo.* Plin. Id. Epod. XIII. 12. *Achaemenia nardo.* * Cels. IV. 4. 2. *hyssopus cocta.* * *Byssus* Graecis est femininum, at eo in genere idoneum apud Latinos exemplum non suppetit.

62) Lucan. IX. 917. *Eoa costus.* Graecis tamen *κόστος* masculinum est, teste Ursino.

63) Apul. Met. X. p. 352. *vino crocus diluta.*

64) Inveniuntur et haec fere omnia in neutro, *papyrum, nardum, hyssopum, costum, crocum.*

65) Adde *Acanos, acaros, acinos, ampelos, anagyros, anonymos, buglossos, buphthalmos, chamaecissos, cyclaminos, capnos, crethmos, cactos, cynosbatos, cynoglossos, crataegonos, cyperos, elaphoboscos, holochrysos, maatos, melilotos, periclymenos, peplos, spodos, strychnos*: quae Plinius fere feminina, servata Graeca terminatione, adhibuit. V. Iohnsoni App. p. 83 et 84. et Addit. p. 29. Iunge et ab eo omissa, *cyssunthemos pota*, Plin. XXVI. 15. et *peristereos apposita*, Ibid. et *Erycina thapsos*, Lucani IX. 919.

66) *Raphanus* tamen Graecis, Theophrasto, Hist. Plant. VII. 2. et Suidae in voc. femininum est.

67) *Amaracus* utroque in genere Plinius utitur, XIII. 1. *Cyzicena amaracus*: et XXI. 11. *amaracus, quem Phrygium vocant.* Eidem et neutrum est *amaracum*, XXI. 22. * *Tithymallus* Sereno, XLVII. 12. femininum, Plinio et aliis masculinum. * Idem Plin. XXVI. 11. *centunculus decocta*: et XXIV. 15. *centunculus tritus* dixit. * *Cytisus*, fruticis nomen Columellae bis femininum, aliis omnibus masculinum est. * *Halus, halicacabus, holcus, polygonus, sampsuchus, silybus*, Plinio feminina, *sabucus* Sereno. V. Iohns. App. p. 38.

Digitized by Google

37. Femineum volnere *palus*, *subscus*que, *salus*que,
Quaeque *senex*, *iuvenis*, cum *servio*, nomina formant,
Et *virtus*, *incus*. At mascula sunt *lepus* et *mus*,
Et *pus* compositum: petit at muliebre *lagopus*.

Exc. 1. Pauca nomina in US tertiae declinationis feminina sunt [videlicet genitivum in *utis* s. *udis* terminantia]: viz. *palus*, *subscus*, *salus*, *senectus*, *iuventus*, *servitus*; [a *senex*, *iuvenis* et *servio* derivata]: *virtus*, *incus*.

Exc. 2. Masculina sunt *lepus*, *mus*. Item, composita ex *pus*, seu πούς Graeco, i. e. *pes*: ut, *tripus*, *chytropus*. † Femininum autem est *lagopus* [68]).

Dubia in US.

38. Hic aut haec donant *balanus*, *specus*, atque *phaselus*,
Barbitus, atque *penus*, *grossus*: sed *grus*, *atomus*que
Femineum potius cupiunt; *colus* adde, virile
Quod raro invenies: muliebre at contra *camelus*
Est ubi nonnunquam videas. Vult hic dare *vulgus*,
Sed magis hoc. Ternae *specus* et *penus* addito neutris.

1. Nomina in US sequentia sunt dubii generis: *hic* aut *haec balanus* [69]), *specus* [70]), *penus* [71]), *phaselus* [72]),

---

68) *Lagopus cibis gratissima*, Plin. X. 48. * *Lagopus cistit alvum e vino pota*, Id. XXVI. 8. nempe hic *herba*, illic *avis*, intelligitur.

69) *Balanos Sardianos*, Plin. XV. 23. *Pressa tuis balanus capillis*, Horat. Car. III. 29. 4. Sic et Graecis (quibus muliebre solum existimavit Vossius et Methodi auctor) Dioscoridi quidem femininum at Diphilo apud Athenaeum masculinum est. Vid. Harduinum ad Plin. loc. cit.

70) *Densus specus*, Ovid. Met. III. 29. *Vasto specu*, Liv. VII. 6. *effossi specus*, Tac. Ann. XII. 57. 2. *Specus ultima*, Sil. VI. 276. *Specum remotam latebrosamque*, Gell. V. 14. Sed paulo frequentius masculinum.

71) *Penus* extra tertiam declinationem masculino usitatius quam femininо statuere videntur Vossius et Johnsonus. Rectius vero Methodi auctor et Ursinus, qui femininum praeferunt. Masculinum enim apud solum Plautum et Prudentium reperio; illum, Pseud. 1. 2. 45. *penus annuus*, et Truc. II. 2. 19. *penos annuos*; hunc contr. Symmach. II. 918. *penu pro virginis ulciscendo*, dicentes. Feminino autem non tantum Lucilius, Pomponius et Naevius ap. Nonium utuntur; sed Iureconsulti, Ulpianus, Marcianus, Paulus et Scaevola in lib. XXXIII. tit. 9. Pandectarum *de penu legata*; apud quos, praeter ipsam tituli inscriptionem, *penus praestita*, *certa*, *consumpta*, *esculenta*, *potulenta*, *penus quae Romae sit*, *penum meam*, etc. passim invenias. Adde *longa penus*, ap. Auson. Idyll. III. 28. et *penum regiam*, ap. Pacat. in Paneg. Theod. c. 12. Charisius denique, p. 57. illo Virgilii, Aen. I. 703. *ordine longam cura penum struere*, femininum probat; pro quo nunc *ordine longo*, apud Gellium vero IV. 1. utrumque legitur.

72) Catullo IV. 1. Cicer. Att. XIV. 16. Auson. Idyll. X. 221. masculinum: At Stat. Silv. V. 1. 245. Lucan. V. 518. Mart. X. 30. femi-

Digitized by Google

barbitus[73]), *grossus*[74]), *Specus* autem et *penus* tertiae, neutra sunt[75]).

2. *Grus*[76]), *atomus*[77]) saepius feminina, rarissime masculine leguntur. *Colus*, uni Catullo[78]), *Camelus*, soli Plinio[79]) femininum est.

3. *Vulgus*, vel masculini est, vel neutri[80]) generis[81]), at saepius neutri[82]).

---

ninum. Addit Vossius, Ovid. Pont. 1. 10. 39. *fractae phaselo*: at ibi *fragili* Heinsius legit. *Phaselus*, vel *faselus*, pro legumine, masculinum facit Despauterius, quo etiam inclinat Methodi auctor: Columella tamen lib. X. v. 377. *faselus longa* dixit. *Phaseolus* vero, *sive fasceolus* (quod idem esse vulgo existimant) masculino tantum legi Iohnsonus testatur.

73) Horat. Car. I. 1. 34. et alibi masc. Ovid. Heroid. XV. 8. feminin.

74) Celsus V. 12. extr. Pallad. Mart. tit. 10. masculino; Plinius vero, nec uno in loco, feminino, utuntur.

75) V. cap. III. reg. 12 et 26.

76) Masculino utitur Horat. Sat. II. 8, 87. et Laberius ap. Nonium: alias femin. est.

77) Ciceroni constanter femin. est; Vitruvius autem II. 2. *atomos quos*, et Lactantius de ira Dei, c. 10. *atomorum quos*, in masc. extulerunt. Memoratur et *atomi congesti coacervatique* ap. Senec. Nat. Q. VII. 18. Sed meliores libri illic *congestae coacervataeque* legunt. Graecis nempe femininum est, proprieque adiectivum; ἄτομος, i. e. *insecabilis*, cui *οὐσία*, vel *ἰδέα*, a Vossio intelligitur.

78) Carm. LXII. 311. *Colum retinebat amictum*: quidam tamen codices *amictum* habent. Addunt quoque ex Propertio, IV. 9. 48. *Lydo colo*; et IV. 1. 74. *dextro colo*: item ex Tibullo, I. 3. 86. *pleno colo*. At veram locis istis lectionem, *Lyda*, *dextra*, *plena*, asseruit Broukhusius.

79) Negat Vossius, eumque secuti Methodi auctor, Ursinus et Leodius, *camelus* usquam femininum reperiri. At Harduinus, Not. et Emend. ad Plin. VIII. Num. 50. optimis Plinii codicibus MSS. *camelus* ubique genere femineo nominatum testatur: pro quo libri impressi masculinum pravo consilio substituerunt. Graecos nimirum Plinius imitatur, quibus κάμηλος haud raro femininum profertur. Sic XI. 37. *Camelus una ex iis, quae non sunt cornigera, in superiori maxilla primores non habet*, editi etiam plerique nobis exhibent. Hoc unicum femininum exemplum existimavit Iohnsonus: at plura suppeditat loco superius cit. accuratissima Harduini editio. Immerito igitur damnat Vossius Bruyerium Campegium (addere potuit et Ang. Politianum in elegantissima Herodiani versione, lib. IV. c. 30.) femininum utentem.

80) *Vulgum* in Accus. genere virili dixere Sallustius, Iug. 76. Virg. Aen. II. 99. Sil. XIV. 129 et 287. Curtius IX. 1, 20. Horat. Sat. II. 3. 62. et ita locutos Varronem, Accium et Sisennam docet Nonius. Neutrum tamen longe usitatius est; quanquam masculinum praeferat Charisius p. 31.

81) *Sexus* vel potius *secus*, neutrum quoque reperitur, non tantum ap. Plaut. Rud. I. 2. 19. *Virile secus nunquam ullum habui*; et Sallust. Hist. II. 7. *virile et muliebre secus*: sed etiam Liv. XXVI. 47. Tacit. Annal. IV. 62. 3. Et Hist. V. 13, 5. etc. V. omnino Gronov. ad Liv. loc.

Digitized by Google

YS.

39. Nomen in YS Graecum est, genus et sibi femineum vult.

In YS desinentia Graeca sunt, et feminini generis: ut, *haec chelys*, *haec chlamys* [83]).

S *praecedente diphthongo.*

40. *Aes* neutrale petit: *laus*, *fraus*, muliebria sunto.

Aes, cum *ae* diphthongo, neutrum est. *Laus*, *fraus*, feminina sunt.

S *praecedente consonante.*

41. S dato femineis, si consona ponitur ante.
Mascula sed *pons*, *fons*, *mons*, *seps*, dum denotat anguem;
Et queis P praeit S polysyllaba, *forcipe* dempto,
*Dens*que, *chalybs*, cum *gryphe*, *rudens*, quod rarius haec vult.
Hic aut haec *serpens* dat, *scrops*, *stirps* truncus, *adeps*que.
Dans *animans* genus omne, tamen muliebre praeoptat.

In S, praecedente consonante, feminina sunt: ut, *haec trabs*, *puls*, *hyems*, *mens*, *stips*, *ars*.

Exc. 1. Masculina sunt: *pons*, *fons* [84]), *mons*, *seps*,

---

cit. item Voss. Annal. I. 31. Iohnson. App. p. 49. et nos infra lib. III. reg. 12.

82) Dubiis adiiciunt Despauterius et alii, *alvus*; *arquus*, sive *arcus*, pro *iride*; *intybus*, *lecythus*, *pampinus*, *paradisus*, et *pharus*. De *pharus* et *alvus* supra dictum. * *Arcus*, *intybus* et *pampinus* optimi quique solo masculino utuntur: quae autem ex vetustis scriptoribus contra citantur, non magis iam imitanda censuerim, quam *fimus*, quod Apuleius Met. VII. extr. *metus* quod Ennius femin. adhibuerunt et aut *humus*, *limus*, *lembus*, *lepus*, *agnus*, *socrus*, *supparus*; quorum genera priscos illos confudisse Prisciauus testatur, p. 658. * *Paradisus* et *lecythus*, licet Graecis feminina, patres tamen Ecclesiastici, Hieronymus et Augustinus, masculino usurparunt. Prius bonis auctoribus inusitatum: posterius quidem, sed literis Graecis, expressit Cic. Attic. I. 14. *Nosti illae ληκύθους*, eumque imitatus Plinius iunior, Epist. I. 2.

83) * *Cachrys* masculino utitur Plinius, XXVII. 13. *admixto cachry*: alibi tamen et saepius fem. XXIV. 11. *Cachrys*, — *haec*, — *quae*, — *resinosa*: et XXII. 22. *admixta cachry*.

84) Interdum feminino adhibitum quidem putant, propter illud Plau-

Digitized by Google

[at pro *sepimento*, femininum est.] Masculina etiam sunt nomina in PS. plures syllabas quam unam habentia: ut, *hydrops*, *merops*[85]), *epops*. At *haec forceps*, regulam servat[86]). Masculina porro sunt, *dens*[87]), *chalybs*, *gryps*[88]), *rudens*, quod Plautus et Vitruvius[89]) in femininо extulerunt[90]).

Exc. 2. Dubii generis sunt, *hic* aut *haec serpens*; *scrobs*, *adeps*, *stirps* pro *trunco arboris*[91]); at pro *progenie*, vel *origine generis*, tantum femininum est[92]).

---

ti, Stich. V. 4, 26. *Tibi propino decuma fonte.* At vide Interpretes, qui eum locum aliter legunt.

85) *Chamaerops* autem, ab eo compositum, femininum est Plinio, XXVI. 9. *chamaerops ex vino pota*, ob nullam aliam, credo, rationem, quam quod generale *herbam*, respicit.

86) Ita docent Vossius, Ursinus et Iohnsonus. At scrupulum haud levem iniicit, non solum quod Priscianus dubium faciat, p. 651. sed etiam quod ap. Celsum VII. 12. invenimus, *Recta forceps ducenda est.* Et ibid. *Forcipe ad id facto, quam χειρουργον Graeci vocant.* Et VIII. 4. *Forcipe ad id facto colligenda sunt:* quemadmodum in optimis, Lindeniana et Almeloviana Editt. legitur. Aldina quidem, Oporiniana et aliis, *forfex ducenda*, et *forfice facta* habetur. Sed, quod Philander ad illud Vitruvii observavit, X. 2. *Ad rechamum autem imum ferrei forfices religantur; forcipes* aut *forpices*, pro *forfices*, legendum existimans: idem hic quoque habere locum videtur. *Hae enim* (inquit) *incidimus aut tondemus; illis vero ad focum utimur, aut calidum fornacibus et tenemus et versamus, tenaculas a tenendo vocantes.* Eadem et Servii distinctio est, ad Virg. Aen. VIII. 453. Caeterum *forceps* femin. est Ovidio, Met. XII. 277. *forcipe curva*: et Novio apud Priscian. *callida forcipe.*

87) *Dens* Apuleio mulebre positum tradit Iohnsonus, App. p. 54. illud credo innuens eius auctoris, in Apologia, p. m. 563. *Dentes splendidas: ignosce munditiis.* At *splendidas* ibi verbum est, non adiectivum, pro *splendidas facis*: quod etiam et Ursinum T. 1. p. 237. et Methodi auctorem fefellit.

88) Sic *gryphas fabulosos reor*, inquit Plin. X. 49.

89) Plaut. Rud. IV. 3, 1. *Dum hanc quam trahis rudentem complico.* Vitruv. X. 21. *rudentibus per quarum aspiritates*, etc. Natura adiectivum est, cui *funis* intelligitur, quod proptarea veteribus femininum quoque fuisse colligit Vossius. *Rudens* autem aliis scriptoribus, Catullo, Virgilio, Ovidio, Lucano, Silio, eidemque Vitruvio X. 18. masculinum est.

90) *Bidens* quoque, pro *instrumento fossorio*, masc. est Virgilio Geo. II. 355, pro *ove* autem eidem femin. Aen. IV. 57. et XII. 170. Sed id etiam utrobique adiectivum est: sub hoc enim *ovis*, sub illo *ligo*, *rastrus*, vel *rastus*, latere intelligitur. Vid. Sanctium, p. 631. * Male his addit Iohnsonus, App. p. 54. *bisons. Villosi* quidem *bisontes* in masc. dixit Seneca in Hippol. v. 64. et *bisontes iubatos*, Plin. VIII. 15. at hoc a recto est *bison*, quo utitur Martialis de Spectac. Epig. 23.

91) *Serpens* natura adiectivum, cui masculino *anguis*, femin. (et hoc saepius) *bestia* intelligendum est. * *Scrobs*, sive *scrobis*, potius masculinum esse vult Servius, ad Virg. Geo. II. 50 et 283. laudatque Plautum et Ciceronem ita locutos. Columella et Plinius promiscue utuntur, saepius tamen masculino. V. supra ad Reg. 81. * *Adeps* virile semper est Plinio,

Digitized by Google

Exc. 5: *Animans* omni in genere reperitur, rarius autem in masculino, frequentius in feminino vel neutro [93]).

X.

42. Haec petit X. *Ax, ex* mavibus polysyllaba iunge:
Dic tamen haec *fornax, smilax, carex*, velut *halex*,
Et cum prole *panux*, et *forfex* atque *supellex*.

In X litera finita feminina sunt: ut, *pax, lex, pix, nox, lux, falx, lanx, arx*. Sic *cicatrix, celox, balux*.

Exc. 1. Nomina polysyllaba in AX et EX desinentia masculina sunt: ut, *thorax, frutex*.

† Ex polysyllabis autem in AX et EX, sequentia femi-

---

reno, et Palladio: Celso frequentius femininum, Columellae promiscu-
m. * *Stirps*, pro *trunco arboris*, Virgilio fere masculinum, Geo. II.
3. *admorso stirpe*; et Aen. XII. 208, 770, 781. *imo stirpe, stirpem sa-*
u, lento stirpe: et ita, ante eum, Ennius et Pacuvius. Reliquis vero
ioninum usitatius est. Nam Cic. Tusc. III. 6. *altas stirpes stultitiae*,
Horat. Car. III. 29, 37. *stirpes ruptas*. Cato R. R. 40. *stirpem praesi-*
m. Colum. II. 2. ext. *praefractas stirpes*, dixerunt. * Quod vero
irps. etiam pro *progenie*, Pacuvius virile posuerit, nemo iam sequen-
cum eum arbitrabitur.

92) * *Scobs*, sive *scobis*, tantum femininum esse volunt Vossius et
Priscianus: et ita quidem Celsus, VIII. 2. Colum. IV. 29. et VII. 10. et
XII. 43. et Plin. XXXIV. 11, 18. et alibi saepius, utuntur. Palladius ta-
men Feb. I. 17. in masculino dixit, *educto omni scrobe*. * *Frons*, quod
o anteriore parte capitis; dubiis Despauterius aliique accensent, cum
ionis quibusque semper femininum sit, non est quod Titinnium, Pacu-
m, Catonem, Plautum, aut Caecilium, masculino apud Nonium et
ellium utentes, imitemur. * *Lens, lentis*, quoque, licet eidem Titinnio
masculinum, solo tamen feminino, cum Virg. Geo. I. 228. et Plin. XXII.
25. §. 70. et Seren. XVII. 5. adhibuerim. * *Lendes* (quod et singulari
ferunt) masculinum faciunt Charisius et Diomedes. Serenus tamen VI.
de muliebri dixit, Unde maris lendes capite deducit iniquas. * *Conti-*
nens masculinum adhibuit Cicero, Acad. IV. 33. *Mare dissimile est pro-*
montorio et continenti: in quo, cum adiectivum sit, *ager* Iohnsonus intelligen-
dum putat. Aliter et plene Nepos, II. 3, 2. *continentem terram* appellat.
* Masculina etiam sunt, *nefrens*, quia *porcellus; torrens, confluens* et
influens, quia *fluvius* vel *liquor; oriens et occidens*, quia *Sol; tridens*
vel *trifer*, vel antiquum *sceptrus*, substantiva sub iis latentia, masculina
sunt.

93) In masculino utuntur, Cicero, de Univ. c. 6. *reliquos animan-*
tes, et Horat. Sat. II. 1, 40. *quenquam animantem*: in femin. praeter
ceteros alios, idem Cicero de Nat. D. II. 47. *Animantum aliae coriis te-*
ctae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae; et alibi saepius.
In neutro denique *animantia*, idem de Univ. c. 4. ac Plinius II. 63.
quae usurpant. In hoc *negotium*, i. e. *res*; in isto *bestia*; in illo *homo*,
animal quoddam masculini generis, intelligi videatur. [Cf. Goerenz.
de Legg. p. 39.]

Digitized by Google

nina sunt: *fornax*, *smilax*, *carex*, *halex*, *panax*, idem quod *panaces*[94]), *opopanax*, *forfex*[95]), *supellex*[96]).

43. Mascula sunto *calix*, *phoenix*, pro vermeque *bombyx*,
Et *coccyx*, *fornix*, et *onyx* vas, aut lapis unde
Vas fit; *oryx*, *tradux*, *grex* his adiunge *calyx*que.
Femineo interdum data *tradux* cum *grege* cernes.

Exc. 2. Masculina etiam sunt sequentia in X: *calix*, *phoenix*, *bombyx*: [pro *materia* autem *vestis bombycinae*, femininum est[97]):] *coccyx*[98]), *fornix*; *Onyx*, pro *lapide alabastrite*, aut *vase* inde confecto, [at pro *gemma*, tantum femininum[99]);] *oryx*, *tradux*, *grex*, *calyx*[100]).

† *Grex* tamen apud Lucretium, et *tradux* apud Columellam feminina[1]) inveniuntur[2]).

---

94) Vid. supra ad Reg. 29. n. 24.

95) Vitruvius tamen X. 2. *ferrei forfices* in masculino extulit, nisi illic, quod paulo ante meminimus, *ferrei forcipes*, cum Philandro, legendum.

96) His adiungi iubet Goclenius Probl. Gramm. II. 15. pro figur Rhetorica, vocem *Climax*, perstringitque P. Ramum, Iul. Scaligerum, e Nath. Chytraeum masculine utentes. Nempe Graecis est ἡ κλίμαξ femin. * Addit post Priscianum Despauterius *vibex*: at *vibix* nominativ potius dicendum existimant Vossius et Scioppius, eo quod genitivi pen ultimam habeat productam, quam *icis* ab *ex* corripere soleat. Eider autem Vossio error obrepsit, qui id recte inter virilia referri scribit. Nar plane femininum est Persio IV. 49. *multa vibice*: et Seren. XLIV. 8 *atras vibices*: ut praeteream *vibices quantas*, ex Plauti Fugitivis a Var rone citatum, L. L. VI. 3.

97) De *vermiculo* Martial. VIII. 33. *bombyx pendulus*, Plin. XI. 2 *bombyces vestitos*. De *materia* autem, seu *veste bombycina*, idem Pli ibid. *Assyria bombyce*. Nec repugnat illud Propertii, II. 2. 25. *Arab lucet bombyce puella*. Illic enim, per Metonymiam, animal pro eius op ficio est positum.

98) Ut Graecis, ita Plinio, X. 9. virile est, *coccyx avidus ex na tura*, etc.

99) Pro *gemma* Plin. XXXVII. 6. octies feminino usurpat. Pro *l pide* autem, seu *vase*, Catullus, LXIV. 83. *vester onyx*. Horat. Carr IV. 12, 17. *parvus onyx*, in masculino. Nec aliter Propert. II. 10, 8 Statius Syl. I. 2, 149. Lucan. X. 116. Plin. XXXVI. 7. Martial. X 51. Idem tamen Martialis femininum adhibuit, VII. 94. *Unguentum fu ras*, *quod onyx modo parva gerebat*: neque propterea constantem omn um librorum lectionem, cum Scriverio aut Vossio, sollicitandum ce suerim.

100) Graecis tamen (ut notat Vossius) est femininum, ἡ κάλυξ.

1) Lucretii est, II. 661. *Buceriaeque greges*; Columellae autem, 6. *traduces mittendae*. Idem tamen, IV. 29. *tradux qui*: et v. 7. *ne traducet*: et Plin. XVII. 23. *traduces bini*, — *quaterni*, *inter se obv* — *una conciliati*, — *obiter rigorati*, solo masculino utuntur.

2) Masculinis addi potest, * *Dorx*, —*cis*, (idem quod *dorcas*, a

Digitized by Google

Dubia in X.

44. Haec modo femineis, maribus modo iuncta videbis;
Calx pro parte pedis metave laboris, et *hystrix*,
Imbrex, *sardonychem* iungas, *rumicem*, *silicem*que:
Hic mage vult *cortex*, et *obex*, cum *pumice varix*;
Haec potius *limax*, *lynx*, et cum *sandice perdix*:
Atriplici neutrum melius dabo quam muliebre.

Exc. 5. Haec nomina in X sunt dubii generis: *hic* aut haec *calx*, tam pro *calcaneo*, quam pro *fine* vel *meta*: [pro *lapide cocto* tantum femininum est[3]):] *hic* aut

---

σφυρα) ap. Gratium in Cyneg. v. 200. *pavidosque iuvat compellere lorcas*: Item *Larynx*, i. e. *guttur*, (*Graecis* ὁ λάρυγξ, *Physicis* recentioribus usitatissimum vocabulum. * Despauterius et alii his adiiciunt, *mastix*, *spadix*, *Eryx*, *esox* et *volvox*. 1. *Mastix*, —*igis*, a Graeco μάστιξ, i. e. *flagellum*, nulli probo auctori usitatum reperio. *Hastyx*, —*ichis*, pro *resina lentisci arboris*, feminino utitur Serenus, XXIV. 21. et XXV. 16. masculino autem Palladius, Octob. 14. Malim tamen cum Plinio *mastiche mastiches* dicere. 2. *Spadix* Graecis quidem masculinum, ὁ σπάδιξ, *avulsum palmae termitem cum fructu* significans, teste Gellio II. 26. et III. 9. Latinis autem fere adiective sumitur, pro *colore rutilo* seu *punico*, ut ap. Virg. Geo. III. 81. *honesti spadices*, et Grat. Cyneg. v. 532. *spadices Ceraunii*: quibus *equi* intelligitur. 3. De *Eryx* superius dictum ad Reg. 6. (4) *Esox* et *volvox*, (hoc *vermis*, illud *piscis* nomen,) apud Plinium quidem IX. 15. et XVII. ult. sed genere non indicato, inveniuntur: pro *volvocem* porro, posteriore loco, Harduinus *volucre* ex suis MSS. edidit: idem tamen *esox*, pro quo *exos* alii legendum volebant, ex iisdem confirmat. * *Irpex* an *irpix*, *tomex* an *tomix*, *tumex* an *tumix* dicendum sit, ambigitur; nec de genere cuiusque satis constat. *Irpicem* vel *hyrpicem* in feminino nominat Servius ad Virg. Geo. I. 95. *instrumenta*, inquit, *quam rustici hyrpicem vocant: irpices* vero Festus in voce; et Varro, L. L. 4. 21. cui et masculinum videtur; protinus enim addit, *Sirpices postea a quibusdam dicti*; eodemque in genere Cato R. R. c. 10. *urpicem unum*, mutata prima litera, dixit. *Tomice iuncea aut palmea ligato*, in femin. habet Colum. XII. 32. et *tomice circumlita*, Plin. XVII. 10. A recto autem videtur *tomix*, quod propius accedit ad θώμιγξ Graecorum, illis itidem femin. *Tumex*, vel *tumix*, virile ex vett. glossis Vossius facit. * *Diorya*, i. e. *fossa ex fluvio aliquo ducta*, nescio quo iure S. Lowaeus et principes Lexicographi masculinis adiiciunt. Vocem certe uni Latinorum Melae III. 8. idque sine generis indicio, nominatam reperio. Graecis vero, unde tracta est, Theophrasto Hist. plant. lib. IV. c. 8. et Straboni, lib. V. p. 244 et 245. et lib. XVII. p. 788. et aliis, διώρυξ semper femininum est.

3) Pro *parte pedis*, in mascul. protulerunt soli (quod inveniam) Persius, Sat. III. 105. *rigidos calces*; et Apuleius, Met. VII. p. 223. *validos calces*. Nam quod adiiciunt ex Virg. Aen. XI. 714. *quadrupedem ferrato calce fatigat*; non modo plurium MStorum fides, teste Pierio, sed etiam Servii, Charisii Nonnique auctoritas, *ferrata* in fem. legendum confirmant. Huc adde quod eadem loquendi forma, *ferrata calce* ter usus est Silius, VII. 696. et XIII. 169. et XVII. 541. Et Stat

Digitized by Google

haec hystrix [4]), *imbrex* [5]), *sardonyx* [6]), *rumex* [7]), *silex* [8]), [9]).

Sylv. V. 2, 115. *nuda calce.* * Pro *extremitate rei*, vel *meta*, Varro ap. Nonium *candidum calcem* dixit. At Vitruv. X. 21. *ad imam calcem:* et Lucret. VI. 91. *supremae calcis:* et eodem fere sensu, Plin. XVII. 21. *cum qua calce avelli.* In illo autem Cicer. Tusc. I. 8. variant tam scripti quam editi codices: nam Gronovius Gebhardum secutus, *Video calcem ad quem cum sit decursum*, etc. Davisius vero *ad quam*, exhibuerunt. Cui posteriori lectioni faveret illud ex eiusdem Libris de Repub. a Seneca Epist. CVIII. depromptum, *Quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati;* nisi et hic quoque *ab ipso* in quibusdam esset scriptum. * *Calx* pro *materia lapidis cocti* semper femin. est: ut *calx viva*, Plin. XXIX. 2. *calx macerata*, Id. XXXVI. 23. et Vitruv. VII. 2. *calce sola.* Lucret. VI. 1066. Olim tamen et mascul. fuisse ostendit deminutivum *calculus:* pro quo in lusu, quem latrunculorum vocant, masculino citat Nonius, ex Plauti Poen. IV. 2, 86. *Prius disperibit fuxo, quam unum calcem civerit:* quanquam in plerisque tam editis quam scriptis *unam* legi Vossius observat. Ob haec igitur, libratis utrinque rationibus, feminini in omnibus usum praetulerim.

4) Plinio fem. VIII. 85. *Hystrices spina contectas:* et Calpurn. Ecl. VI. 13. *hirsuta spinosior hystrice barba.* Claudiano autem masc. XIV. 4. *cognitus hystrix.*

5) *Meas confregisti imbrices* in fem. habet Plaut. Mil. II. 6, 24. At masc. Plin. XVII. 14. extr. *inter duos imbrices.* Praefert tamen femininum Servius ad Virg. Geo. IV. 296.

6) Fem. semper utitur Plin. ut XXXVII. 6. *Sardonyches Indicae — Arabicae — faeculentae*, etc. et Persius I. 16. *cum natalitia sardonyche.* Masc. autem Martialis IV. 28 *Indas sardonychas:* et IX. 60. et X. 87. *sardonichas veras:* et XI. 38. *miserum sardonycha.* Utroque vero Juvenalis VII. 143. *conducta sardonyche;* et VI. 580. *densi sardonyches.*

7) Masc. auctori Moreti, v. 73. *faecundusque rumex.* Fem. Plin. XI. 8. *excepta rumice.*

8) Oratores fere masculino, Poetae vero indiscriminatim aut masculino, aut feminino utuntur. Sic Plin. XXXVI. 22. *silices nigri, — scalpti, — incorrupti, — silex pallidus. — globosus, devinctus*, etc. Suet. Cal. 37. *durissimi silicis.* Lucret. I. 572. *validi silices.* V. 314. *avulsos silices.* Catull. LXI. 5. *acuto silice.* Ovid. Met. II. 706. *durum silicem* Ibid. v. 199. *immotus silex.* Juven. III. 271. *percussum silicem.* Sil. I. 491. *silex incitus.* Stat. Sylv. III. 1, 122. *indomitus silex.* Manil. V. 281. *fracturo silici.* Contra Virg. Aen. VI. 471. *silex dura*, 602. *atra*, VIII. 233. *acuta.* Geo. II. 189. *silicem invisam.* Ecl. I. 15. *silice nuda.* Ovid. Met. IX. 613. *rigidas silices.* Manil. I. 854. *silice dura.* Claudian. XXXIII. 201. *religiosa silex.* XLVIII. 42. *anhela.* XLIX. 20. *cocta.* V. et LVII. 4. LX. 7, 1. LXXXVII. 7. Apul. Met. VI. p. 197. *praeacutas silices.*

9) Addunt vulgo *ramex*, *culex*, et *natrix.* At (1) *Ramex* nusquam iam femin. invenitur. (2) Citatur ex Plauti Casin. II. 3, 22. *cana culex:* at aliter illio viri docti legendum putant. (3) *Natrix* a Phoca masculinis tribuitur; nempe quia, *natrix violator aquae*, habet Lucanus, IX. 723. alioquin *violatrix* dicturus: atqui, ut eiusmodi argumentum haud prorsus ex firmissimis est, ita Lucilius ap. Noninm, *natricem crassam et capitatam*, dixit. Est et *natrix* herbae nomen, ap. Plin. XXVII. 12. quod et feminino (quamvis ibi genus non indicetur) eum, usu ferente, dicturum credibile est.

Digitized by Google

Item, *cortex* [10]; *obex* [11]; *pumex* [12]; *varix* [13]: quae raro feminina inveniuntur.

Item, *limax* [14]; *lynx* [15]; *sandix* [16]; *perdix* [17]: quae multo frequentius in feminino, quam masculino occurrunt.

---

10) Virg. Ecl. VI. 62. *amarae corticis.* Id. in Cul. v. 281. *cortice suaro.* Auct. Moret. v. 93. *numerosa cortice.* Seren. XXX. 15. *cortex decepta.* Id. XLVI. 4. 5. *cortex decocta, trita, circumlita.* Et LXIV. 13. *pinea cortex.* Adde, ex optima Heinsiana eamque secutis editt. Ovid. Met. IV. 375. *conducta cortice:* et VIII. 762. *discussa cortice:* et X. 512. et XIV. 630. *fissa cortice:* etsi in nonnullis ex hisce locis dissentiant, in postremo autem omnes conveniant libri. Ut praeteream Plinium Valerianum ap. Vossium; itemque illud Lucret. IV. 48. *Quae quasi membrana vel cortex nominitanda est,* a Nonio citatum; in quo adiectivum ad *membrana* posse referri notat Iohnsonus. Eiusdem tamen Virgilii est Aen. VII. 742. *raptus cortex;* et Geo. II. 74. *medio cortice;* et Ovid. Met. I. 554. *novo cortice.* Sic *cortice sicco, tumido, lento, rugoso, obducto, decepto,* ap. eund. Fast. II. 649. IV. 128, 608. Heroid. V. 28. Art. I. 286. Amor. I. 14, 12. Nec aliter Horatius, Claudianus, Celsus, Columella, et, plurimis in locis, Plinius.

11) Masculinum tuentur Sil. Ital. IV. 24. *fidos obices.* Tacit. Ann. IIII. 39, 7. *obices subversi.* Id. Hist. III. 30, 1. *ferrati obices,* Senec. Herc. fur. v. 237 et 999. *abrupto* et *distecto obice.* Claudian. V. 23. *abrupto obice.* Prudent. Cath. IX. 74. *obice repulso.* Id. Apoth. 752. *duro obice.* Id. Ham. 868. *vitreo obice:* et 902. *nullo obice.* Pro fem. autem adferunt Vossius et Ursinus Plaut. Pers. II. 2, 21. *hanc obicem.* Virg. Aen. X. 877. *magna obice.* Plin. Paneg. c. 47. *nullae obices.* Sidon. Epist. VII. 1. *nostra obice;* et Id. Car. II. 493. *cerea obex.* Quibus adde Liv. IX. 2. *sua obice.* Claudian. XX. 34. *victa obice.* Gell. XVII. 11. extr. *quadam obice:* et (suffragantibus, teste Heinsio, 12 MSS.) Ovid. Met. XIV. 780. *obice firma:* quamvis aliis *firmo* editum sit. Caeterum, licet hoc pacto aequiparatae videantur utrinque rationes, primas tamen Grammatici masculino tribuunt.

12) *Pumex* femin. solus Catullus adhibuit, I. 1. *Libellum arida modo pumice expolitum,* euphoniae gratia, ut videtur, dicens.

13) Masc. protulit Celsus, II. 8. *varix ortus:* et VII. 31. *orti varices, — eorum varicum qui, — per totum varicem* Quod vero ex Horatio adducunt Despauterius, Calepinus et R. Stephanus, *succiso varice,* nusquam legitur. Femin. autem usus Senec. Epist. 78. *dum varices exsecandas praeberet.* et etiam Celsus, VII. 17. extr. *varices quarum,* consentientibus omnibus quas viderim Editt. Aldina, anni 1528. Tornaesiana, 1549. H. Stephani, 1567. Oporiniana, 1552; itemque Ronsaeana, Lindeniana et Almeloveniana: non *varices quorum,* quod Vossius legendum volebat. Confirmatque ap. eund. deminutivum *varicula,* quod invitis, quos nominavimus libris, Vossius in *carnicula* ibat mutatum. Adde et pro eod. genere illud Quintil. XI. 3. *Qui solitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit.* Errat igitur Phocas, qui *hic varix* solum declinat: neque mihi satis causae subesse videtur, cur usitatius masculinum Vossius, Methodista Gallus, aliique pronunciarent.

14) Columellae masc. est, X. v. 324. *Implicitus conchae limax.* Femin. verò Plautus ap. Varr. L. L. VI. 3. *limaces lividas:* et Plin. XIIX. 6. §. 36. *Limacis inter duas orbitas inventae osseiculum:* et XXII. 1. §. 1. *Limaci magnae simili Echeneis,* dixerunt.

Digitized by Google

Denique *atriplex*, Macro [18]) quidem, inferioris aetatis poetae, femininum est; neutrum vero Plinio [19]), cuius maior et potior auctoritas *[20]).

---

16) Uni Horatio masc. Cer. II. 18. ult. *timidos lynces*. Aliis femin. Virg. Ecl. VIII. 3. *stupefactae carmine lynces*. Geo. III. 264. *variae lynces*. Aen. I. 323. *maculosae tegmine lyncis*. Stat. Theb. IV. 272. *geminae lyncis*, v. 657. *effrenae lynces*: et Theb. VII. 661. *aurata lynce*. Plin. XXVIII. 8. *peregrinae lynces*, — *quae clarissime omnium quadrupedum cernunt*. — *ungues earum*, etc.

16) *Sandix*, vel *sandyx*, masculinum quidem est Gratio Cyneg. v. 86. *Libyco fucantur sandice pinnae*; femin. vero Plinio, XXXV. 6. *Pingentes sandice sublita*: et Vopisco in Aureliano, *sandyx Indica*. Galeno etiam est ἡ σάνδιξ.

17) Ut Graecis utriusque est generis, ὁ, sive ἡ πέρδιξ: ita Latinis, masc. quidem Stat. Sylv. II. 4, 20. *Quique refert iungens iterata vocabula perdix*: et Varroni, *perdices Baeotios* dicenti, ap. Nonium. Frequentius tamen femin. Nam Ovidii est, Met. VIII. 237. *garrula perdix*. Martial. III. 58, 15. *picta perdix*. Seren. XXIII. 4. *ius perdicis apricae*. Apic. de Opson. VI. 3. *perdix concisa*, et *perdix elixa*. Utroque genere utitur Plin. X. 33. sed virili (ut Iohnsonus notat) de maribus; muliebri de femellis loquens. Eodem modo et Varro, R. R. III. 11. *Perdices* inquit, *quae voce maris audita concipiunt*, sexum, uti videtur, respiciens.

18) Sic enim ille, XXVIII. 7. *Atriplicem tritam cum nitro, melle et aceto, Dicunt appositam calidam sedare podagram*.

19) Lib. XX. c. 20. *Atriplex et silvestre et sativum est*; et mox, *iuxta id. — ex eo, — id nasci, — id infundi, — bibendum dedit*. Mirum autem videri potest. Plinium, qui etiam nominibus herbarum in um, haud raro femininum tribuere soleat, huic voci neutrum voluisse adiungere. Hanc vero eius rei tradit rationem Methodi auctor, quod olim, teste Festo, *atriplicum* dicebant. Mihi potius nomen aliquod generale Plinius videtur respexisse, ut *olus*, aut simile quod neutri generis vocabulum. Sic enim Columella, XI. 3. *Olus atriplicis, quod Graeci vocant ἀτράφαξιν*. Certe Palladius, Apr. t. 3. et Iul. t. 2. accusativo *atriplicem* dixit: nec Medici Botanicique scriptores alio nunc genere quam feminino utuntur.

* 20) Alia nomina in X apud vetustiores utroque genere adhibita notantur. * Sic *crux* masc. Ennio, *malo cruce*, teste Nonio. * *Lux* quoque virile est, non tantum Varroni, referente eodem Nonio: sed etiam Plauto, Aul. IV. 10, 18. *luce claro*: et Cistell. II. 1, 49. et Ter. Adel. V. 3, 55. *cum primo luce*. Et ita locutum tradit Nonius ipsum Cic. Off. II. *Et cum prior ire luce claro non queo*: et Offic. III. *Luce claro in foro saltet*. Verum prior ex his locis non invenitur: pro posteriore autem, *Luce palam in foro saltet*, eius lib. c. 24. nunc legitur. * *Cimex* dubium facit Sol. Lowaeus, ob eam praecipue rationem, puto, quod Plin. XXIX. 4. §. 17. de hoc animali loquens, *Argumento*, inquit, *quod dicant gallinae, quo die id ederint, non interfici ab aspide: carnesque earum percussis plurimum prodesse*. At illic earum, neque typographi vitio (quod Iohnsonus existimavit) pro eorum suppositum: neque ad *cimices*, sed ad *gallinas*, est referendum. Caeterum *cimex* alioquin semper masculinum esse ostendit idem Iohnsonus, non ap. Plinium modo loc. cit. undecies: et XXX. 14. *cum cimice trito*: et XXXII. 10. *suffitu necat eos*: sed etiam ap. Varr. R. R. I. 2. *nulli cimices*. Petron. c. 98. *ipsos cimices*. Seren. XXXV. 4. *attritus cimex*; et LI. 8. *cimex tritus*, — *horridus attactu*, — *gustu commodus*. Adde et Columell. VI. 18. *deusti cimicis nidor*. Quo magis mirum est, Vossio, de huius vocis genere subdu-

Digitized by Google

I, Ae, A *et* E *pluralia.*

45. I maribus plurale dabis: muliebre sed Ae vult:
Ast A, et E Graecum, cupiunt neutralibus addi.

Nomina singularia carentia, in I masculina sunt: ut, *hi liberi*: in Ae feminina: ut, *hae cunae*: in A neutra: ut, *haec arma.*

Neutra etiam sunt quaedam nomina Graeca in E pluraliter desinentia: ut, *haec mele, cete, Tempe* [21]).

Alia Nomina, vel toto singulari, vel eius Nominativo carentia.

46. In reliquis primo numero primive carentum
Recto, animo qualem vocum natura reposcat,
Concipito talem: sic a *prece prex* tibi forma.
Hic dat *casse* tamen, dat et *impete; verbere* vult hoc;
Hic *veprem, pecudis* capit haec; hae postulat *Idus.*
Caetera sunt alio melius memoranda libello.

In aliis nominibus, sive toto singulari, sive eius nominativo carentibus, talis mente fingendus est nominativus, qualem vocum analogia requirat; indeque, ex supra traditis terminationum regulis, genus inveniendum. Hoc pacto, *precis*, feminini generis est; quia si quem unquam nominativum habuerit, is *prex* videtur fuisse, adeoque et generis feminini, per Regulam de nominibus in X. Sic *iniussu* ablat. sing. masc. *fores*, nom. plur. fem. *feminis*, genit. sing. neutr. ab inusitatis nominativis sing. *iniussus, foris, femen*, etc.

Exc. Hi Ablativi *casse* masc. *impete* masc. *verbere* neutr. ab obsoletis nominativis, *cassis, impes* vel *impetis* et *verber*: item accus. *veprem*, masc. [22]) genit. *pecudis*

---

bitanti, masculini exemplum non succurrisse. Non ignoro in plerisque Editt. Plinii XXXII. 10. §. 47. fem. inveniri, *Suffitus urentium eas* (sanguisugas) *necat cimices invectas.* Verum in quibusdam vett. libris *invectos* offendit Dalechampius; itaque legendum mavult Harduinus. * *Latex* femmino positum ab Actio, *Non calida latice lautus*, notat Priscianus, p. 658. * Qui etiam vetustissimos scriptores, in *cervix, fornax, frutex*, ut et in multis aliarum terminationum nominibus, genera confudisse testatur. Ibid.

21) De his vid. lib. II. Reg. 8. et lib. III. Reg. 12.

22) Lucret. tamen IV. 60. *spoliis vepreis volitantibus auctas*, in fem. dixit. At, *hirsuti vepres* habet Virg. Geo. III. 444. et Aen. VIII. 645. *sparsi vépres*: et Horat. Epist. I. 16, 8. *benigni vepres*: et Colum. XI. 3. *lunc veprem.* An autem inde deminutivum sit *vepreculus*, an quod Lexi-

Digitized by Google

femin. ab antiquo nomin. *vepres* vel *vepris*, et *pecus* [23]): item nom. plur. *Idus*, fem. ab inusitato sing. *Idus*: contra, quam earum vocum terminationes postulabant. Sed de his aliisque eiusmodi nominibus defectivis, fusius in cap. tertio agemus.

CAP. II.

De Regulari Nominum Declinatione.

Declinatio [1]) est, vocum per suos casus et numeros variatio.

Casus est, certa vocis in declinando terminatio.

Casus sunt sex: *Nominativus*, *Genitivus*, *Dativus*, *Accusativus*, *Vocativus* et *Ablativus* [2]).

---

cographi omnes memorant *veprecula*, incertum. Ex eo enim Ciceron. pro Sext. 33. *ex vepreculis extracta nitedula*, utrumlibet efficias. Illud vero L. Pomponii ap. Nonium, *vepra est veprecula*, nimiam vetustatem redolere videtur.

23) Forte et his antiqui Nominativi fuerint, *veper*, quae Capri, et *pecudis* vel *pecudes*, quae Vossii sententia est.

1) Declinationis vox trifariam sumitur. (1) *Latissime*, pro quacunque terminationis variatione; sive per genera: ut, *iustus*, *-a*, *-um*, quae *Motio* dicitur; sive per gradus: ut, *iustus*, *iustior*, *iustissimus*, quae *Comparatio* nominatur. (2) *Late*, pro quavis inflexione vocis declinabilis, sub qua *Coniugatio* etiam comprehenditur. (3) *Proprie* et *stricte*, pro ea tantum vocis variatione, quae per casus et numeros fit: quo significatu hic accipitur. Varro autem sub Declinatione etiam *speciem*, seu Derivationem vocum, includit; ut, a *iustus*, *iustitia*: quam *Declinationem voluntariam* appellat: ut et illam quae fit per genera, gradus, numeros, casus, modos, tempora et personas, *naturalem*. Idem rursus *naturalem* nominum *declinationem* in *Directam* dividit et *Transversam*. *Directa* est, quae fit a casu recto in rectos; ut in motione et comparatione: *Transversa*, quae a recto fit in casus obliquos; de qua declinatione nunc agimus.

2) *Casus* aliis nominibus etiam appellantur. (1) Ab ordine, *primus*, *secundus*, *tertius*, etc. (2) Ab usu: sic primus, *Nominativus* dicitur, et *casus nominandi*; secundus, *Genitivus*, *possessivus*, *patrius*, *casus gignendi* et *interrogandi*; tertius, *Dativus*, *acquisitivus*, et *dandi casus*; quartus, *Accusativus*, *incusativus* et *causativus*; quintus, *Vocativus*, *salutatorius*, et *casus vocandi*; sextus, *Ablativus*, *comparativus*, et *auferendi casus*. (3) A proprietate aliqua peculiari: Sic Nominativus *Rectus* dicitur, quia ipse quasi rectus stare; reliqui vero, quia ab eo cadere vel deflecti videntur, *obliqui*. Sic Ablativus *Latinus* nuncupatur, quia Latinorum est proprius; Graeci enim Ablativum non habent. Notandum vero haec et multa alia nomina technica, a Grammaticis excogitata, non omnibus aut semper accurate congruere; sed ex maiore parte, aut frequentiore usu, desumpta esse.

Digitized by Google

Ex his Nominativus Rectus dicitur, caeteri Obliqui [3]).

Numerus est, unius et multorum distinctio.

Numeri igitur sunt duo; *Singularis* et *Pluralis*.

Singularis est, qui rem unam, *Pluralis*, qui res plures significat: ut, *homo*, *homines*.

Declinationes sunt quinque; *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta* et *Quinta*.

Earum differentiae ex Genitivo singulari vulgo petuntur: Genitivus enim Primae plerumque [4]) in *ae* diphthongon, Secundae in *i*, Tertiae in *is*, Quartae in *us*, Quintae denique in *ei*, desinit.

Declinatio alia est *Regularis*, alia *Irregularis*.

Declinatio Regularis est, quae certas et communes declinandi regulas observat.

Declinatio Irregularis est, quae a regulis hisce communibus recedit.

Declinationum *Regulae* duplices sunt; vel *Generales*, sive omnium Declinationum communes; vel *Speciales*, sive suae cuiusque Declinationis propriae.

Regulae Generales.

1. Compositum simplexque modo flectuntur eodem. Demitur *exsanguis*, nec non *Capricornus*, et *angiportus*, et orta *manus;* quae pluraque postea dicam.

Nomina composita eodem modo declinantur quo simplicia: ut, *pes*, *pedis*; *bipes*, *bipedis*.

Exc. At *exsanguis*, in Genitivo habet *exsanguis*, licet simplex *sanguis sanguinis* faciat. Sic *Capricornus*, *Capricorni* flectitur, quamvis *cornu* sit quartae. *Angiportus*, Ciceroni quidem et Horatio quartae, Plinio vero secundae, Vitruvio utriusque declinationis est: at *portus* semper quartae. Item *unimanus*, et caetera ex *manus* com-

---

3) Aliis *Vocativus* etiam *rectus* casus censetur; non tam quod Nominativo plerumque similis sit, quam quod, Nominativi instar, rem non obliquo, sed directe significet, atque in ordine Grammatico, sive naturali, contra quam in caeteris obliquis fit, semper ante verbum ponatur.

4) Dixi *plerumque;* in multis enim aliter accidit: nam in E primae, *es;* in O tertiae, feminarum propria, *us* in Genitivo frequentius habent, servata, unde orta sunt, Graecorum terminatione. Alias quoque in aliis Genitivis anomalias deprehendere est. Accurate igitur hac in re acturo, non ex Genitivi solum, sed et plurium casuum conformatione, praesertim in defectivis, faciendum est iudicium.

Digitized by Google

posita; sunt secundae declinationis, quamvis *manus* sit quartae.

¶ Reliqua melius in sua quaeque declinatione declarabuntur [5]).

2. Rectum in compositis tantum variato: priorem Immotum *alteruter* crebro tenet, ac *olusatrum.*

In compositis rectus tantum casus declinatur, sive in altera, sive in utraque parte compositi sit: ut, *iuris-peritus, iuris-periti, iuris-perito*, etc. [6]); *res-publica, rei-publicae, rei-publicae, rem-publicam*, etc. [7]).

Exc. *Alter-uter* tamen *alter-utrius, alter-utri*, etc. saepius declinatur; minus usitate *alterius-utrius, alteri-utri*, etc. Sic *olus-atrum, olus-atri*, etc. interdum *oleris-atri* [8]).

3. In neutris primus, quartus, quintus similes sunt: Queis in *a* pluralis semper, cum flectimus, exit. *Ambo, duo*, at legem spernunt, et paucula Graeca.

Nomina neutrius generis, in quacunque declinatione, habent tres casus similes, nominativum, accusativum et vocativum, in utroque numero: et hi casus, si declinentur, pluraliter in *a* exeunt [9]): ut, *lignum, corpus, tonitru*: et pluraliter, *ligna, corpora, tonitrua.*

---

5) Qualia sunt *paterfamilias*, *materfamilias*, licet simplex *familia*, *familiae* tantum declinetur. Sic *ambiens ambientis* in Genitivo facit; *iens* vero *euntis*. *Unicaulis* et *par* Adiectiva, in Ablativo tantum *i*: at *caulis*, *caule*; *impar*, *compar*, *dispar* e vel *i* habent. *Pater* tertiae est et eius composita Latina; at composita Graeca sunt secundae, V. Reg. 29.

6) Sic *tribunus-plebis*, *tribuni-plebis*, *tribuno-plebis*, etc. *senatus-consultum*, *senatus-consulti*, etc. *utervis*, *utriusvis*, *utrivis*, *utrumvis*, etc. *quidam*, *cuiusdam*, *cuidam*, etc.

7) Duo vero hic sunt notanda. (1) Quotiescunque alter nominativorum caret aliquo casu, totum compositum eodem carebit. Sic *ius-iurandum* non habet Genitivum, Dativum et Ablativum plurales, quia *ius* illos casus vix habet: *unusquisque* caret Vocativo, ut *quisque; sui-ipsius* Nominativo et Vocativo, ut *sui*. (2) Utrosque rectos integros esse oportet: ideoque *puerpera* et *leopardus*, ex posteriore tantum parte declinantur; quia posterior pars compositi, *lea* et *pueri*, paululum mutatur. Sic *Diespiter*, *Marspiter*, non declinant priorem rectum, quia posterior, *piter*, pro *pater*, corrupte dicitur. *Ros-marinus* autem *roris-marini*, *rori-marino*, recte flectitur: at *rosmarinum*, *rosmarini* facit; quia hic posterior pars neutrius generis est, quod in adiectivis quasi obliquum censetur. V. Vos. Anal. II. 20.

8) De his vid. Voss. loc. cit. et Anal. IV. 7. * *Duo* etiam in compositis *duodecim*, *duodevicesimus*, *duodeviceni*, *duoetvicesimus*, non mutatur.

9) Si prorsus indeclinabilia sunt, haud necesse est ut in plurali *a* habeant; ut, *centum*, *mille*, *tot*, *quot*, *pondo*, *nequam*.

Digitized by Google

Excipe, *ambo, duo:* item, *ceto, mele, pelage,* Graeca vocabula [10]).

4. Est primo quintus similis. Sed Graecus *s* aufert Saepe; velut *Thoma, Théseu, Panthu, Pari, Palla.*

Vocativus utriusque numeri similis est nominativo: ut, *penna, puer, panis, vultus, spes*: *o penna, puer, panis, vultus, spes*; et pluraliter, *o pennae, pueri, panes, vultus, spes* [11]).

Exc. Nomina Graeca in S literam terminata, saepe in vocativo eam abiiciunt: ut, *Thomas, o Thoma* [12]); *Theseus, o Theseu* [13]); *Panthus, o Panthu* [14]); *Paris, o Pari* [15]); *Pallas, o Palla* [16]), virorum propria.

5. Syncopa plurali nonnunquam fit Genitivo.

Syncopa aliquando fit in genitivo plurali, idque in omni declinatione, praeterquam quinta [17]): ut *coelicolum*, pro *coelicolarum* [18]); *deum*, pro *deorum* [19]); *coelestum*, pro

---

10) Sic *cacoethe*, pro morbo, ap. Plin. XXII. 25. et XXIV. 10, etc. Haec autem, quamvis pluraliter sint his tantum casibus usitata, ac proinde invariabilia; quia tamen in singulari, *cetus, pelagus, cacoethes* (ac etiam *melos* vel *melus* apud antiquos) declinantur, non inepte sub exceptionem cadunt. Tralata porro sunt omnia ex consuetudine Graecorum, qui κήτεα, μέλεα, πελάγεα dicunt, et contracte κήτη, μέλη, πελάγη.

11) In plurali hoc perpetuum, ut et in quartae et quintae singulari. De nominibus autem secundae in us, suo loco post dicetur.

12) Sic omnia in as et es primae.

13) Sic omnia in eus per *eu* diphthongon terminata.

14) Virg. Aen. II. 322 et 429. Sic *Melampus, o Melampu*, Stat. Theb. III. 546 et 578. At *Oedipu* ab *Oedipus* (quod alii addunt) non reperio.

15) Sic *Moeris, Phyllis, Amaryllis; o Moeri, Phylli, Amarylli; Capys, Tiphys, Tethys; o Capy, Tiphy, Tethy.* Interdum tamen in his servatur Nominativi terminatio; ut, *o Thais, o Mysis.* In es tertiae saepius *a* retinent: ut, *Achilles, Socrates, o Achilles* et *Achille, o Socrates* et *Socrate.*

16) A Nominativo *Pallas, Pallantis.* Evandri filius, Ovid. Fast. I. 521. At *Pallas, Palladis*, i. e. *Minerva*, in Vocativo *Pallas* facit, Stat. Theb. II. 704.

17) Olim quidem in Genit. plur. quintae dicebant *specieum, luxurieum, materieum*, extrita *r* litera, testibus Charisio, p. 18. et Diomede, p. 281. Sed in hisce nominibus, non eam tantum inflectendi rationem, sed istuncce ipsum casum posterior ac purior aetas abolevit, V. Reg. 71.

18) In prima declinatione Syncope praecipue locum habet in Patronymicis: ut, *Aeneadum, Dardanidum*; pro *Aeneadarum, Dardanidarum*: aut in compositis in *cola* et *gena* terminatis: ut, *ruricolum, terrigenum*; pro *ruricolarum, terrigenarum.*

19) In neutris secundae Syncope vix apud alios quam Scriptores antiquissimos reperitur, eiusmodi exempla quaedam notat Cicero, Orat.

Digitized by Google

coelestium[20]), *currum*, pro *curruum*[21]). Est autem Syncope ablatio literae vel syllabae de medio dictionis.

6. Plurali terno similis vult esse Latinus.

Dativus et ablativus plurales omnium declinationum semper sunt similes: ut, *pennis*, *pueris*, *panibus*, *vultibus*, *diebus*.

Regulae Speciales.

Prima Declinatio.

7. Prima dat AS, ES, E, rectis, et A, flexio fines.

Prima declinatio quatuor habet nominativi singularis terminationes, AS, ES, E et A: quarum tres priores tantum Graecae sunt: ut, *Aeneas*, *Anchises*, nomina virorum; *Circe*, feminae nomen: ultima tum Graeca, tum Latina: ut, *philosophia*; *mensa*[22]).

---

c. 46. ut, *meum factum putet*, — *exitium examen*, — *consilium*, *auguriúm atque extúm interpretes*, — *prodigium horriferum*, *portentum pavos*, — *de iudicio armum*, etc. pro *factorum*, *exitiorum*, etc. Sic Titinnius in Veliterna, *Omnium vitium expertem*: Pacuvius in Periboea, *regnum imperator*. Plaut. Rud. III, 6, 28. *verbum sat est*: et Curcul. I. 2, 5. *unguentum odor*, more iam vix imitabili, dixerunt. * Neque facile cum iisdem adiectiva quaedam sic concisa adhibuerim; qualia sunt Ennii, *amici maiorum meum*; Pacuvii, *aeternum morum sator*; Plauti Pseud. II. 3, 12 *doctum hominum consilia*: et Poen. v. 2, 102. *tuum parentum nomina*; Terentii, Heaut. Prol. 27. *iniquum* et *aequum oratio*: quanquam *magnanimum*, *superum*: item propria *Teucrum*, *Graium*, *Argivum*, *Danaum*, *Pelasgum*, *Tyrrhenum*, *Massylum*, etc. cum Virgilio aliisque, carmine scribenti haud invitus concesserim. Videsis Dausquium Orthogr. Vol. 1. p. 147. et seqq. * In masculinis secundae Syncope satis frequens est, non Poetis modo, sed etiam Oratoribus, aliisque; ut, *deum*, *socium*, *liberum*, ap. Cicer. Liv. et Plin. pro *deorum*, etc. Quin et ipse Cicero loc. superius cit. se *fabrum*, *procum*, *duumvirum*; non vero *fabrorum*, *procorum*, *duorumvirorum*, dicturum affirmat. * In re autem pecuniaria, mensuris et numeralibus, haec concisio usitatior videtur: ut, *nummum*, *sestertium*, *denarium*, *talentum*, *modium*, *medimnum*, *senum*, *septenum*, *quinquagenum*, etc. potius quam, *numorum*, etc.

20) De his in tertia declinatione dicetur.

21) Syncope in quarta rarior est.

22) Addunt quidam ex Scriptoribus Ecclesiasticis quintam terminationem AM: ut, *Adam*, *Abraham*; *Adae*, *Abrahae*: sed hi Genitivi sunt tanquam ab *Adas*, *Abrahas*. Aliter enim indeclinabilia videntur. V. lib. III. Reg. 8. [Addo, saepe ab accusativis singularis numeri tertiae declinationis formatos esse nominativos primae decl. v. c. *Salamina*: vid. Salmas. Exercitt. Plin. 32. Davis. ad Cic. Tus. I, 46. G. St.]

Digitized by Google

8. *Ae* genitivus habet: veteres quem saepe per *ai*
Solvere, nonnunquam per et *as* finire solebant;
Quo mage *familias* compostum nunc quoque gaudet.
E sed more suo transibit in *es* tibi Graecum.

Genitivus singularis desinit in *ae* diphthongon: ut, *Aeneae*, *Anchisae*, *mensae*.

† Veteres frequenter *ae* in *ai* per duas syllabas dissolvebant: ut, *aulai*, pro *aulae*; *Lunai*, pro *Lunae*; *pictai*, pro *pictae*. [Plura dabit Osann. Analect. Crit. p. 109. sq.]

† Vetustissimi Scriptores ad imitationem Graecorum genitivum etiam in *as* terminarunt: ut, *auras*, pro *aurae*[23]); *vias*, pro *viae*[24]). * A *familia* composita *as* saepius quam *ae*, genitivo habent: ut, *pater-familias*; *mater-familias*[25]).

Exc. Nomina in E Graeco more genitivum in *es* mittunt: ut, *Circe*, *Circes*[26]).

9. *Ae* quoque vult ternus: dat et *e* cui rectus in E fit.

Dativus etiam desinit in *ae* diphthongum: ut, *Aeneae*, *Anchisae*, *Circae*, *mensae*.

---

23) Et hanc esse antiquam lectionem in illo Virg. Aen. XI. 801. *Nihil ipsa neque* AURAS, *nec sonitus memor*, testatur Servius; citatque ex Sallustio, *castella* CUSTODIAS *thesaurorum*, pro *custodiae*. Apud Plinium quoque est, XXXVI. 5. *In vase autem quod caelatum est*, PANDORAS *genesin appellavit*; nisi Graecis elementis exaratum putas: quemadmodum in C. Nepotis Timol. c. ult. *αὐτοματίας* sacellum legimus, quod tamen *automatias* literis Latinis scriptum Dausquius opinatur.

24) Neque ea tantum quae Graecis in δα, θα, ρα exeunt, sed etiam alia, ut *Alcumenas*, *Dianas*, *escas*, *monetas*, *Latonas*. Vid. Priscian. p. 679. Dausq. Vol. 1. p. 92. et Voss. Anal. II. 3.

25) In plurali etiam *patres* aut *matres familias* potius dicunt quam *familiarum*. V. Charis. p. 82. ext. et Rami Schol. Gramm. p. m. 161. Livius autem, testante Gronovio ad lib. XXXIV. c. 2. semper fere *patres aut mater familiae* utitur: et ita Varro R. R. III. 3. et Colum. VI. 16. Neque tamen *familiae* ab his Dativo positum, eodem modo quo *pater mihi est*, cum Servio, loc. proxime cit. existimem: quamvis et *patribus familiis* a Cicerone dictum Priscianus, p. 679. meminerit.

26) Inveniuntur quoque Genitivi, *Circae*, *Penelopae*, *Hecatae*, [Horat. Epist. I. 2, 23 et 28. Plin. VII. 2. et Tibul. I. 2, 52.] At ii a Nominativis, *Circa*, *Penelopa*, *Hecata*, prorumpisse cemendi sunt.

Digitized by Google

† Nomina in E quandoque *e* simplex in dativo retinent: ut *Penelope*, *Cybele*[27]).

10. *Am* faciet quartus. Finita per AS vel A Graeca *An* quandoque volunt. *En* ES, E, rarius *em*, dant.

Accusativus finitur in *am*: ut, *mensam*.

Exc. 1. Nomina in AS, Historicis quidem raro, Poetis vero saepius, accusativum per *an* formant: ut, *Aeneam*, vel *Aenean*. Graeca autem propria in A, a solis Poetis, idque metri fere gratia, in *an* terminantur: ut, *Maian*, *Aeginan*, feminarum nomina; pro *Maiam*, *Aeginam*.

Exc. 2. In ES et E finita accusativo *en* habent: ut, *Anchisen*, *Circen*. * Interdum, licet rarius, in *em* desinentia inveniuntur[28]).

11. *A* sextus donat. Capit *e* quod finit in ES, E.

Ablativus in *a* desinit: ut, *Aenea*, *mensa*.

Exc. Nomina in ES et E terminata, ablativum in *e* faciunt: ut, *Anchise*, *Circe*[29]).

---

27) Hic verus est ejusmodi nominum Dativus: ut Virg. Aen. XI. 768. *Forte sacer Cybele Chloreus*: et Martial. XI. 8, 5. *Penelope licet esse tibi*: (ita enim potiores codices praeferunt!) Et vet. Inscript. ap. Reinesium, Class. XIV. Num. 85. D.M. IULIAE. EPIGONE. RARISSIMAE. FEMINAE. TI. IVLIVS. EVPORVS. CONIVGI. BENEMER. CVM. QVA. VIX. A. XXX. Alioquin, cum in *ae* diphthongum finitur (quod longe quidem frequentius fit) a Nominativo in A ductus existimandus est: quemadmodum in Rudimentis ostendimus.

28) Multa (negante licet Despauterio) *em* accusativo habentia, congessit Iohnsonus, Appar. p. 72 et 78. quorum tamen nonnulla per *en* in melioribus libris exhibentur. Ipse quoque (si recte se habeant libri mei) *Epirotem*, *Messenem*, *Prienem*, *Syenem*, *Hesionem*, *Semelem*, etc. ap. Livium, Vitruvium et Hyginum reperi.

29) Nomina in ES et E Latini haud raro per A extulerunt. Sic in Nom. *Atrida*, Propert. II. 11, 1. *Aeeta*, Cic. Tusc. III. 12. Ovid. Heroid. XII. 29. *Philocteta*, Cic. Fin. II. 29. pro *Atrides*, *Aeetes*, *Philoctetes*. Accus. *Scipiadam*, Horat. Sat. II. 1, 17. *Philoctetam*, Cic. Fin. V. 11. *Lycambam*, Terentianus de metr. v. 786. pro *Scipiadem*, *Philoctetem*; *Lycamben*. Vocat. *Aeacida*, Ennius, Ovid. Heroid. III. 87. et Met. VII. 798. et Silius, XIII. 706. *Atrida*, Horat. Sat. II. 3, 187. *Anchisa*, Virg. Aen. III. 475. *Apella*, Plaut. Poen. V. 4, 101. *Oresta*, Ovid. Trist. I. 4, 22. et Senec. Agam. v. 917. et 933. *Thyesta*, Martial. IV. 49. Cic. Tusc, III. 39, etc. ut ea omittam in quibus A quam ES usitatior est: ut, *geometra*, *Geta*, *Lapitha*, *Melicerta*, *Persa*, *propheta*, *Scytha*, etc. vel, *geometres*, *Getes*, *Lapithes*, etc. Pariqne modo in femininis, Nom. *Andromacha*, Accius ap. Non. Sen. Troad. 907. *Ariadna*, Catull. LXII. 54. *Eurydica*, Ennius ap. Cic. Div. I. 20. *Thra-*

Digitized by Google

12. Primus pluralis fit in *ae:* Genitivus in *arum.*

Nominativus pluralis exit in *ae* diphthongon, genitivus in *arum:* ut, *etesiarum; cometae, cometarum; epitomae, epitomarum; mensae, mensarum.*

13. Tertius *is* poscit. Cupiunt tamen haec magis *abus*; *Filia, mula, duae, liberta, equa, nata, dea, ambae.*

Dativus, ac proinde ablativus, pluralis desinit in *is:* ut, *etesiis, cometis, epitomis, mensis.*

Exc. Pauca substantiva *abus* hisce in casibus frequentius[30]) habent: *filia* et *nata, mula, liberta, equa, dea:* differentiae scil. causa, ne de maribus sermo videatur[31]). Item adiectiva semper *duae* et *ambae.*

14. Accusativus pluralis semper in *as* fit.

Accusativus pluralis terminatur in *as:* ut, *etesias, cometas, epitomas, mensas.*

---

es, Horat. Epist. I. 3, 3. Virg. Aen. XII. 335. Genit. *Hesionae*, Virg. Aen. VIII. 157. *Pasiphaae*, Cic. Div. I. 42. *Penelopae*, Ibid. IV. 29. extr. [Vid. et sup. Not. 26.] Accus. *Andromacham*, Cic. Divin. 1, 13. Sen. Troad. 576. *Hesionam*, Val. Flacc. IV. 164. *Penelopam* Lucilius, et Plaut. in Stich. I. 1, 1. *Circam*, Id. Epid. IV. 2, 34. Vocat. *Semela*, Accius in Thereo. Abl. *Circa*, Horat. Epod. XVII. 17. *Andromacha*, Cic. Tusc. III, 22. Propert. II. 16, 2. *Eurydica*, Ennius, etc. Adde et ea in quibus E. vel A promiscue, vel hoc etiam magis, Latini utuntur; ut, *Atalanta, Creta, Europa, Helena, Hybla, Hypermestra, Libya, Nemea, Nympha, OEta, Grammatica, Musica, Rhetorica*, etc. Vel, *Atalante, Crete*, etc. Caeterum in his omnibus Latinae obliquorum casuum terminationes a Latinis, Graecae a Graecis nominativorum terminationibus, semper promanare existimandae sunt. V. Quintil. I. 9. Priscian. p. 641. Dausq. Vol. 1. p. 56, 61, et seqq. Voss. Anal. II. 2. De nominibus autem Graecis in AS, quae a Latinis in A terminata iidem commemorant; ut, *Euthias, Euthia; Hermagoras, Hermagora; Iarbas, Iarba; Marsyas, Marsya*, etc. vix attinet hic dicere, cum nullum inde obliquis eorum casibus oriatur discrimen.

30) Non tamen semper. Nam Ennius in Androm. *Filiis propter te obiecta sum innocens Nerei:* et Plaut. Poen. v. 3, 9. *Mihi tuisque filiis:* et Stich. IV. 1, 61. *Gratulabor vostrum adventum filiis;* pro *filiabus*, dixerunt: et similiter Ovid. Met. XIII. 661. *Totidem natis*, pro *natabus:* et Varro R. R. II. 1. *Ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt:* et Plin. XI. 41. *Tenuissimum* [lac] *camelis, mox equis*, pro *equabus.* Addunt ex Varrone Vossius, Anal. II. 4. et Scripp. Gramm. Philosoph. p. m. 66. *diis* et *mulis*, pro *deabus, mulabus.*

31) His vulgo adiiciunt *animabus;* iunixi, ut videtur, illo Senecae, lib. 2. declam. 2. *Quaedam animabus suis redemerunt maritorum suorum salutem.* At, quanquam ita habere melioris notae codices affirmet ma-

Digitized by Google

Secunda Declinatio.

15. ER, IR et UR, fines, US et UM, capit ordo secundus:
Adiicito Graecos OS et ON, per US, UM, variandos.

Secunda declinatio continet terminationes septem; quinque Latinas, ER, UR, US, UM: ut, *puer*, *vir*, *satur*, *ventus*, *regnum*; et duas Graecas[32]), OS et ON, quae saepe a Latinis in US et UM vertuntur[33]): ut, *Alpheus* vel *Alpheus*; *Ilion* vel *Ilium*.

16. *I* patrius casus, recto parisyllabus, optat.
At superant IR et UR, *prosper*, *puer*, *asper*, *adulter*,
Presbyter atque *tener*, *miser*, *exter*, *gibber*, *Iberque*,
Et *gener* atque *socer*, *lacer*, orta *gero*, *fero*, *liber*,
Mulciber et *vesper*; queis rarius adiice *dexter*.
Saepe (duo si sint) vates *i* reiicit unum.
O quandoque dabit quod in OS fit more Pelasgo.

Genitivus secundae declinationis in *i* desinit, et plerumque nominativo syllabarum numero est aequalis: ut, *magister*, *magistri*; *ventus*, *venti*; *regnum*, *regni*.

---

gnus Vossius; in meis tamen *anima*, in suis *animis* Donesius invenit: et Cic. Fam. XIV. 14. *Terentiae et Tulliolae duabus animis suis*, epistolam inscribit. * Olim etiam *servabus*, *conservabus*, *sociabus*, *asinabus* dixerunt, quae licet a Iureconsultis *umbiguitatis secernendae gratia* (ut Charisius loquitur p. 39.) introducta, haud temere tamen a nobis imitanda sunt: multoque minus, *habus*, *illabus*, *dextrabus*, *raptabus*, *puellabus*, *paucabus*, *portabus*, *oleabus*, etc. quae sordide, ac plerumque nulla causa cogente, a veteribus dicta, idem Charisius, Priscianus, aliique observant.

32. Addunt plerique tertiam terminationem Graecam EUS: verum ea si duabus syllabis constet, sub Latina terminatione US continetur; sin unam syllabam sive diphthongum efficiat, ad tertiam potius quam ad secundam declinationem pertinet. Indeque est, quod hac inflexione genitivum saepe in *eos*, dativum quandoque in *ei* monosyllabum (vel contracto in *i*,) accusativum plerumque in *ea*, vocativum in *eu* formet. In secunda rursus genitivum saepius in *ei* divisis syllabis, et per synaeresin *ei* una syllaba; dativum plerumque in *eo*; accusativum quandoque in

Digitized by Google

Exc. 1. Sequentia nomina R litera terminata, genitivum una syllaba augent. 1. Quaecunque in IR desinunt: ut, *vir, viri;* et eius composita, *semivir, centumvir, levir*[34]), etc. item gentile *Trevir*. 2. Unum in UR, *satur*[35]), *saturi*. 3. In ER, septem substantiva; *puer, pueri; adulter, adulteri; presbyter, presbyteri*[36]); *gener, generi; socer, soceri; Mulciber, Mulciberi*[37]); *vesper, vesperi*[38]), [39]). Item haec adiectiva: *prosper; asper*[40]); *tener, miser; exter; gibber*[41]); *Iber*[42]); *lacer*: item composita a verbis

---

eus, rarius *eun;* ablativum semper in *ei* facit: ut, *Orpheus*, vel *Orpheu*. Gen. — *phei*, vel — *phei* et — *pheos*. Dat. — *pheo*, — *phei*, — *phei*, vel — *phi*. Accus. — *pheum*, — *pheon* et — *phea*. Voc. — *pheu*. Abl. — *pheo*. Sed et Latini terminationem EUS mutant in ES, ut *Achilles, Ulysses*, pro *Achilleus, Ulysseus:* quamvis et his genitivum interdum faciant in *ei* vel *ĕi*, vel *ī*. Nonnunquam et ea migrant in primam, ut *Perseus, Perses*. Cic. Catil. IV. 10. genit. *Persae*, Id. Rull. II. 11. accus. *Persen*, Liv. Epit. XLVII. ablat. *Perse*, Cic. Divin. I. 46. et *Persi*, Ibid. c. 33.

33) In multis ejusmodi nominibus Graecis, veteres et optimae notae codd. OS et ON saepius retinuisse, quae in vulgatis scribuntur per US et UM, testatur Vossius, Anal. II. 7.

34) De huius vocis *levir* tum origine, tum declinatione, dubitat Ursinus, p. 147.

35) Per Apocopen factum pro *saturus*.

36) Natura adiectivum est, a Gr. πρεσβύτερος, i. e. *senior:* Scriptores tamen Ecclesiastici, quorum fere proprium est, substantive semper utuntur. *Adulter* quoque proprie adiectivum est: nam *adulteri crines*, Horat. Car. I. 15, 19. *adultera mens*, Ovid. Am. III. 4, 5. *adulterum minium*, Plin. XXXIII. 7. dixerunt.

37) *Mulcibri* tamen est ex vet. Poeta ap. Tullium, Tusc. II. 9. *Mulcibero* habet Marcianus Capella VI. 1. In plerisque autem MSS. et nonnullis editis Ovidii Art. II. 562. *Mulciberi:* in aliis et melioribus *Mulciberis* legitur, quod et Vossius, An. II. 20. et Cuellius ap. Priscianum, p. 696. praetulerunt.

38) Olim etiam *vesperus* dixere et *vespera*. *Vesper* autem et 2dae est et 3tiae declinationis: nam in accus. *vesperum*, ablat. *vespere* et *vespere* seu *vesperi* apud optimos auctores frequenter invenimus. Quidam vero a *vesperus* obliquos 2dae, a *vesper* obliquos 3tiae deductos volunt.

39) His addit post Nebrissensem Despauterius, *Liger, Ligeri*, viri proprium apud Maronem. At quo illi utuntur, Aen. X. 584. *Vesani talia late Dicta volant Ligeri*, melioribus libris *vesano* legitur, ut adeo sit 3tiae *Liger, Ligeris*, quemadmodum et Priscianus declinat. p. 696.

40) At *Asper*, viri nomen, *Aspri* facit, ut in Fastis consularibus, *Urbus Aspris Cosa*. et ita in Codice iuris saepe. Hieron. tamen Apol. advers. Ruffin. Epist. 67, 4. *Asperi* in Virgilium et Sallustium Commentarios memorat. Apud poetas vero adiectivum interdum Syncopam patitur, ut Virg. Aen. II. 379. *aspris sentibus*, pro *asperis*.

41) Est et *gibber* substantivum, quod Varro R. R. II. 5. *gibberi* in 2da, Apuleius Florid. XIV. p. 788. *gibberis* in 3tia declinat. Addunt ex Plinio XXXIV. 8. *Ctesippus gibbere et alio foedus aspectu:* verum in optima Harduini Editione *gibber* (adiectivo) illic legitur. Vossius autem solum 2dae affirmat, Anal. II. 20.

Digitized by Google

gero et *fero*; ut, *laniger; opifer*[43]), etc. His adde, *liber, liberi*, priore longâ, sive adiectivum, pro *eo qui sui iuris est*; sive substantivum, pro *Baccho*. [At *liber* prima brevi, tam pro *interiore arboris cortice*, quam pro *codice, libri* facit.] *Dexter* denique, vel *dexteri* vel *dextri* declinatur, saepius *dextri*[44]).

Exc. 2. Quando genitivus terminatur in duo *ii*, solet alterum causa metri interdum abiici: ut, *Antonius, Antoni; tugurium, tuguri*, pro *Antonii, tugurii*[45]).

Exc. 3. Pauca Graeca in OS, quae a nominibus Atticae dialecti in ως veniunt, genitivum quandoque in *o* faciunt: ut, *Androgeos; Athos*[46]); *Androgeo, Atho*[47]).

---

42) In tertia etiam declinatur *Iber, Iberis*: at hoc pro eo qui sit ex Iberia inter Colchos et Armeniam; *Iber* vero *Iberi* pro Hispano accipi vult Priscianus, p. 698 et 734. Sed hoc discrimen veteres negligunt. Nam Tacitus hanc orientis gentem *Iberos* constanter appellat [Vid. Annal. VI. 33. et XII. 44, etc.] et Claudianus XXI. 155. *mistis hic Colchus Iberis*, et Val. Flaccus, VII. 235. *cui vadis Ibero coniux?* de eadem. dixerunt. Porro *Celtiberum inventus* ap. Liv. XXIV. ult. vel tertiae est, vel secundae per Syncopen, pro *Celtiberorum*.

43) Adde et *semifer, semiferi*, ap. Ovid. Met. II. 633. et Stat. IX. 220. pro *semiferus*, a *fera* compositum.

44) Not. quae ex hisce nominibus adiectiva sunt, in fem. et neut. e iidem retinere: ut, *prosper, — pera, — perum*, etc. alia autem eam perdere: ut, *pulcher, — chra, — chrum; aeger, — gra, — grum*, etc. *Dexter*, autem — *tera, — terum*, vel — *tra, — trum*; ad exemplum genitivi facit.

45) Hanc Apocopen, quam vocant, vix in aliis nominibus in IUS, praeterquam propriis, sibi Poetae permittunt: unde *lani*, pro *lanii; gladi*, pro *gladii* haud facile reperies. [Falsa haec. Emendabis ex adnot. Bentleii ad Ter. Andr. 2, 1, 20. Heusinger. et Gernhard. ad Cic. Offic. 2, 16. coll. Schneideri Gr. Lat. II, 1, p. 59. G. St.] Veteres autem pro duplice *ii* unum solito maius scribebant, id quod in antiquis libris et lapidibus observare est, ut *DI* pro *Dii*, *PropertI* pro *Propertii*.

46) Sic Virg. Aen. VI. 20. *In foribus letum Androgeo*. Idem tamen Aen. II. 392, et Ovid. Met. VII. 458, *Androgei*, utuntur. Propertius vero II. 1, 64. Accus. *Androgeona* ab *Androgeo, — onis* in tertia declinat. Invenimus etiam Nom. *Atho*, Liv. XLIV. 11. Dat. *Atho*, Pomp. Mela II. 7. Accus. *Athon*, Plin. VII. 2. Val. Max. I. 6. et *Atho*, Virg. Geo. I. 332. Catull. LXIV. 46. Liv. XLV. 30. [et V. Flacc. I. 664. uti Vossius aliique legendum contendunt; invitis tamen membranis, quibus *Athon* scriptum est, teste Heinsio] et *Athonem*, Cic. ap. Priscian. p. 710. Abl. denique *Atho*, Livius habet, citante Vossio; *Athone*, Cic. Fin. II. 34.

47) Olim et genitivum nominum Graecorum, ad eorum exemplum, in *u* terminabant; unde in frontispicio fabularum Terentii, *Graeca Menandru, Graeca Apollodoru*, pro *Menandri, Apollodori*, legimus: et ap. Pannium in Periegesi, *Pro merito Graii Criu dixere metopon*: et ap. Liv. XLIV. 8. *turrim Eudieru locum appellant*, pro *Crii, Eudieri*.

Digitized by Google

17. *Unus, uter, neuter,* cum *solus* et *ullus* et *alter,*
Atque *alius, totus, nullus,* licet omnibus olim
Quae reliquis par norma fuit, nunc in genitivo
Dant *ius, i* terno, nullo discrimine flexus.

Haec sequentia adiectiva genitivum in *ius,* dativum in *i* terminant, tam in prima, quam in secunda declinatione: *unus, una, unum; unius, unius, unius; uni, uni, uni.* Sic, *uter*[48]*; neuter; solus; ullus; alter; alius; totus*[49]*; nullus.*

† Veteres haec nomina, ut alia adiectiva primae et secundae declinationis flectebant, *uni, unae, uni; uno, unae, uno*[50], etc.

18. Tertius et sextus formantur in *o* tibi casus.

Dativus et ablativus in *o* desinunt: ut, *magistro, vento, regno.*

19. Postulat *um* quartus: quandoque per *on* loco Graeca.

Accusativus exit in *um*: ut, *magistrum, ventum*[51]).
Exc. Nomina Graeca, quae in OS vel US desinunt, accusativum nonnunquam faciunt in *on*[52]: ut, *Delus* vel *Delos, Delum* vel *Delon*[53]).

---

48) Sic ejus composita, *uterque, utervis, uterlibet, utercunque, alteruter*: quibus adiungi et *neuter* potest, est enim quasi *ne uter.* [Ne mireris, libri auctorem saepius *neutri* pro *neutrius* scripsisse, scito illam formam apud Varronem reperiri. G. St.]

49) At *totus* prima brevi, a *tot, toti, — tae, — ti*; et *tote, — tae, — to* facit, ut *quotus.*

50) Ut Plaut. Truc. I. 2, 38. *coloris ulli,* Terent. Eun. V. 6, 3. *Mihi solae ridiculo fuit.* Id. Heaut. II. 3, 30. *Alterae dum narrat.* Severus in Aetn. 207. *corporis ulli.* Et ipse Cic. Div. II. 13. *aliae pecudis iecur nitidum atque plenum, aliae horridum et exile.* Similia ex Gellio, Apuleio et aliis videsis ap. Dausquium Orthogr. I. p. 94. Voss. Anal. IV. 6. Danes. I. 15.

51) Antiquissimi scriptores haec in *om* terminabant, a prisco nimirum nominativo in *os*: ut, *morbos, marbom,* pro *morbus, morbum*: et ita, praeeunte *v, cervom, servom,* pro *cervum, servum,* praeceptores nos scripsisse tradit Quintil. I. 7.

52) Cave igitur putes accus. *Meleagron,* ap. Ovid. Met. VIII, 270. a recto *Meleager* esse; is enim ductus est a *Meleagros,* quo idem eod. lib. v. 515. utitur, indeque similiter vocativus *Meleagre,* ap. eund. Heroid. IX. 151. V. mox Notam 54.

53) Accusativos in *ea,* a nominibus in *eus,* ad tertiam declinationem, ad quam proprie spectant, reiecimus. Vid. supra Reg. 15. Not. 32. et post, Reg. 48.

Digitized by Google

20. US si rectus habet casus, per *e* vertito quintum.

At *populus* dat et *us*. DEUS immutabile perstat.
Filius i *Geniusque* petunt, in IUSque Latina
Propria. Sed quantum, doctas imitatus Athenas,
Servat in US recto similem quandoque Poeta.

Nomina in US faciunt vocativum in *e*: ut, *ventus*, *vente*[54]).

Exc. 1. *Populus*, *populе* vel *populus* habet[55]).

Exc. 2. DEUS, *o* DEUS absque mutatione facit[56]).

Exc. 3. *Filius*; *Genius*[57]): item nomina propria Latina in IUS[58]) ut, *Iulius*, *Propertius*, abiiciunt *us*, *o fili*.[59]), *o Geni*, *o Iuli*, *o Properti*[60]).

---

54) In vocativis *Evandre*, *Tymbre*, *Leandre*, (apud Virg. Aen. II. 55. et Aen. X. 894. et Ovid. Heroid. XIX. 1.) et similibus, noli Metathesin, seu transpositionem literarum, cum quibusdam existimare, pro *Evander*, *Tymber*, *Leander*. Sunt enim a nominativis *Evandrus*, *Tymbrus*, *Leandrus*; quibus, a Graecis in *os*, Εὔανδρος, Τύμβρος, Λέανδρος, traductis, Latini interdum utuntur. Sic *Evandrus*, Virg. Aen. VIII. 100, 313. *Evander*, Id. Aen. X. 515. *Leandrus*, Martial. Spect. XXV. 3. *Leander*, Id. Epig. XIV. 181. *Teucrus*, Virg. III. 108. aliis *Teucer*. *Meandrus*, Ovid. Met. II. 246. *Meander*, Lucan. VI. 475. *Meleagros*, Ovid. loc. supra cit. *Meleager*, Hygin. Fab. 174, etc. Sic et *puere* in vocat. pro *puer*, ab antiquo *puerus*, Afranius, Caecilius, et Plautus Merc. V. 2, 71 et 89. Pseud. I. 2, 37. et alibi saepius, dixerunt. V. Dausq. Vol. 1. p. 72. Voss. Anal. II. 5. Charis. p. 11 et 64. Prisc. p. 692.

55) Cic. Epist. ad Octav. med. *Quantum te*, *populе Romane*, *de me fefellit opinio*. Quintilian. Declam. 302. *Tum te*, *populе*, *iudicii tui poeniteret*. Contra Lucan. II. 116. *Degener o populus*: et Liv. I. 24. *Audi Iupiter*, *audi pater patrate populi Albani*, *audi tu populus Albanus*. Verum in illo Lucani, o potest cum nominativo iungi, ut ap. Terent. Phor. II. 1, 10. *O vir fortis atque amicus*: ap. Livium vero *populus Albanus* forte more Atticorum, pro *populе Albane*, est dictum. V. Voss. Anal. II. 5. et Not. seq. 61. Interea Phocas, p. 1710. *populus* in vocat. praeferre videtur. * *Populus* autem *arbor*, prima longa, *populе* tantum facit, Ovid. Her. V. 27. *Populе*, *vive precor*.

56) Neque enim imitandi videntur Tertullianus adv. Marc. 1. extr. et Prudent. Hamart. v. 931. *o Dee* in voc. declinantes.

57) Sic Tibull. IV. 5. 9. *Magne Geni cape thura libens*, *votisque faveto*.

58) Alia in IUS, quae non sunt propria, *ie* habent; ut, *tabellarius*, *o tabellarie*; *pius*, *o pie*. Quibus etiam accedunt epitheta: ut *Delius*, *o Delie*, Colum. R. R. X. 224. *Tirynthius*, *o Tirynthie*; Stat. Silv. III. 1. *Evius*, *o Evie*, Colum. loc. cit. et Stat. Theb. II. 72. item possessionem vel familiam notantia; ut, *Saturnius*, *o Saturnie*; *Laertius*, *o Laertie*. Sic *Cytherеie vesper*, ap. Auson. Idyll. VIII. 25. Haec enim per se propria non sunt. Unde perperam Priscianus, p. 789. pro exemplo, quod vetustissimi propria in IUS in *ie* quoque terminarint,

Digitized by Google

Exc. 4. Poetae, Atticorum imitatione, quibus vocativus semper similis est nominativo, *us* interdum in vocativo retinent: ut, *fluvius*, *Latinus*, apud Virgilium; *Memmius*, apud Lucretium; *o patricius sanguis*, apud Persium; pro *fluvie*, *Latine*, *Memmi*, *patricie*, etc. [61]).

---

producit vocativum *Laertie*, ex gemino loco veteri. Neque enim nunc aliter loqui licere ostendunt Vossius Anal. II. 5. et Ursinus Tom. 1. p. 161. Confer et Scioppium, Praef. Gram. Philos. qui acriter eos incusat, qui *Castri*, *Austri*, pro *Castrie*, *Austrie*, scribendum volunt. Labemur vero, *manuari*, pro *manuarie*, ap. Gell. XVI. 7. aut Grammaticum illum, ap. eund. XV. 5. *vir egregi*, pro *egregie*, dicentes, nemo an imitandos censuerit. * His denique addit Ursinus propria Graeca in IUS, quae *ie* in vocativo retinere videntur: ut, *Sperchius*, *o Sperchie*. Stat. Achill. I. 628. *Olmius* vel *Hormius*, *o Olmie*, seu *Hormie*, Id Theb. VII. 284. non *Sperchi*, *Olmi*. Verum cum haec duo, penultima producta, efferantur, an alia item Graeca in IUS penultima correpta exeuntia, qualia sunt *Eusebius*, *Gregorius*, *Athanasius*, etc. ad eorum exemplum conformanda sint, dicendumque adeo *Eusebie*, an *Eusebi*; *Gregorie*, an *Gregori*, mihi adhuc in incerto relinqui videtur. *Eusebi* quidem usus Erasmus, et in sacris Pontificiis *Sancte Prostasi* invenimus. At veterum neutram in partem exempla occurrunt.

59) Primitus tamen haec in *ie* terminabant: ut, *Saturni filie*, ap. Liv. Andronicum: sic etiam *Antonie*, *Aemilie*, etc. quibus postea, brevitatis causa *e* per Apocopen fuit ablata. V. omnino Voss. Anal. II. 5.

60) Sic *Caius*, *Pompeius*, vel, ut potius scribendum arbitror, *Caius*, *Pompëius*, *o Cai*, ut Mart. II. 80. *Quod peto da Cai; non peto crastinum*: et *o Pompeï*, tribus syllabis, ut Ovid. Pont. IV. 1, 1. *Accipe, Pompeï, deductum carmen ab illo*, etc. vel etiam binis, diphthongo posteriore: Horat. Car. II. 7, 5. *Pompei, meorum prime sodalium*, Confer Voss. l. cit. * Nec virorum tantum, sed alia etiam propria ita habent: ut, *Mincius*, *o Minci*, fluvii; *Larius*, *o Lari* [Virg. Geo. II. 159.] lacus; *Maius*, *o Mai* [Auson. in Eclogar.] mensis nomen. Nic. tamen Reusnerus *Maie* a nom. *Maius* dixit.

61) Vid. Virg. Aen. VIII. 77. [ibique Servium coll. Prisciano p. 739. ed. Putsch. G. St.] et XII. 192. Lucret. I. 45. [al. *Memmiada*,] Pers. I. 61. Sic, *o Pompilius sanguis*, Horat. Art. 292. *oculus meus*, Plaut. Pers. V. 1, 18. *meus ocellus*, Id. Asin. III. 3, 74. et Poen. I. 2, 153. *meus mollicullus caseus*, Id. Poen. I. 2, 154. *Audi tu populus Albanus*, Liv. I. 24. *Sacrificus comas dilecta tege populo*, Senec. Herc. fur. 884. *Nereidum chorus alme*, Sidon. Car. XXII. 18. *plus notus Nile per ortum*, Id. Car. VIII. 44. *Nate plenus datorum*, Auson. Ephem. Orat. 27. *Christe*, — *Dominus*, *filius*, — *ex vero verus*, Ibid. 80. *Mane*, *facunde*, — *mentem bonus*, — *lingua catus*, *ore canorus*, *Cape manus triste parentum*, Id. Parent. XVII. 11. *Anne novus*, *novus anne veni*, *renovate veni Sol*, Id. Idyll. VIII. 1. pro *Pompilie*, *ocule*, *ocelle*, *mollicule caree*, *Albane*, *sacrifice*, *chore*, *nate*, *plene*, etc. Similiter in sacris, *Sancta Trinitas*, *unus Deus*, —: et *Agnus Dei*, *qui tollis peccata mundi*, *miserere nobis*, pro *une*, *agne*. Huc adferunt illud Virg. Aen. 1. *Adsis laetitiae Bacchus dator*: verum antiquis exemplaribus *adsit* persona tertia se Pierius reperisse testatur. In eo autem eiusd. lib. v. 668. *Nate*, *mea magna potentia solus*, τὸ *solus* cum seq. clausula, *qui tela Typhoea temnis*, construendum, nec (ut alii tradunt)

Digitized by Google

21. Primus pluralis capit *i*. Vult patrius *orum*; Graecus et *on* raro. *Is* ternus, quartus et *os* dat.

Nominativus pluralis desinit in *i*[62]): ut, *ventus, venti; Deus, Dei*, vel potius *Dii*[63]). Genitivus in *orum*: ut, *ventorum, Deorum*[64]).

Exc. Nomina Graeca quandoque suo more *on* habent: ut, *Georgica, Georgicon.*

Dativus terminatur in *is*: ut, *ventis*[65]), *deis*, saepius *diis*. Accusativus in *os*: ut, *ventos, deos.*

22. *Ambo, duo*, neutri generis sunt masculeique: Mas *o* vel *os* quartus donat: vult, tertius *obus.*

† *Ambo* et *duo* singulari carent; pluraliter autem sic declinantur. Nom. *ambo, duo; ambae, duae; ambo, duo.* Gen. *amborum, duorum*, vel *duum; ambarum, duarum; amborum, duorum*, vel *duum.* Dat. *ambobus, duobus; ambabus, duabus; ambobus, duobus.* Accus. *ambos, duos*

---

pro *eale* positum videtur. Caeterum superioribus exemplis adducti Nebrissensis, Despauterius, etc. ex his *fluvius, chorus, agnus* et *Latinus* geminum vocandi casnm habere volunt: addunt Phocas, Sulpitius et Lilius, nescio quibus auctoribus, *lucus* et *vulgus*. Alii autem in his Antiptosin, sive casuum nominativi pro vocativo Enallagen statuunt: quemadmodum contra vocativus pro nominativo interdum usurpatur; ut in illo Virg. Aen. II. 282. *Quibus Hector ab oris Expectate venis*: clariusque in illo Pers. III. 28. *Stemmate quid Thusco ramum millesime ducis, Censoremve tuum vel quod trabeate salutas*; pro *expectatus, millesimus, trabeatus.*

62) Olim nominativum pluralem, ad differentiam genitivi singularis, in *ei* terminabant: ut, *amicei, magnei, captivei, puerei*: quod et discrimen servandum praecipiunt P. Nigidius ap. Gell. XIII. 25. et Lucilius ap. Quintil. I. 7. improbat tamen ipse Quintilianus. Vetustioribus etiam in *ae*, propius terminationi Graecae *οι*, qua vetustissimi usi, is casus exiit: ut, *Pilumnae, populae.* Sic *lirae*, ap. Plaut. Poen. I. 1, 9. *belae* gemmae nomen, ap. Plin. XXXVII. 10. §. 55. et in quibusdam exemplaribus fabula Terentiana *Adelphae* inscribitur.

63) Et contracte *Di* et in dat. et abl. *Dis* pro *Diis*. *Dei* autem retinuit Varro, R. R. 1. 1. *Dei facientes adiuvant*; et, uno et altero loco, Gronoviana Livii editio, XXV. 29. et XXVIII. 12. aliter vero *Dei* et *Deis* solis fere Poetis (quibus *Dii* et *Diis* nunquam disyllaba sunt) in usu remansere. Vid. Propert. IV. 1, 5. Ovid. Trist. I. 2, 59. Lucan. I. 629. et IX. 1101. Proprie autem *Dii* et *Diis* a *Dius* vel *Divus* veniunt, non a *Deus*.

64) Quando Syncope in hoc casu locum habeat, supra docuimus, Reg. 5.

65) De nominibus festorum aliisque in *ia* desinentibus, quae *orum* quandoque in genitivo plurali, *ibus* vero in dativo et ablativo semper habent, postea in Reg. 61. dicetur.

Digitized by Google

(et rarius *ambo*, *duo*[66]); *ambas*, *duas*; *ambo*, *duo*. Vocativi nominativis, ablativi dativis similes sunt.

Tertia Declinatio.

23. Tertia multimodis inflexio finibus exit.
Is Latius genitivus habet; sed *os*, *us*ve Pelasgus.

Tertia Declinatio plurimas habet terminationes[67], literas vero finales tredecim; viz. quinque vocales, A. E. I. O. Y. octo consonantes, C. D. L. N. R. S. T. X.[68]. Quorum exempla sequentibus regulis habentur.

---

66) * *Ambo* pro *ambos*, notat Charisius (p. 96.) ex Afranio, ex Terent. And. II. 2, 8. ex Virg. Ecl. VI, 18. et Geo. IV. 88. et Aen. XII. 343. Adde Plaut. Amph. I. 2, 8. Liv. VII. 19. XXVI. 7 et 26. XXVII. 27. XXX. 14. XXXV. 22. XXXVIII. 53. XL. 46. XLI. 18. et XLV. 19. Martial. VII. 40. Sil. Ital. IV. 175. et XVII, 427. Censorin. de die nat. c. 18. * *Duo* itidem pro *duos* habent Cic. Fam. III. 4. et VII. 25. ad Attic. IV. ult. Tusc. I. 46. Terent. Adel. V. 3, 23. Virg. Aen. XI. 235. Liv. VI. 42. extr. XXIII. 40. XXVIII. 11. XXX. 17. XXXV. 21. et XXXIX. 2. Terentian. de Metr. v. 1. Prudent. Apoth. v. 706. Confer Charis. p. 49. Priscian. p. 745. Stewichium ad Veget. II. 6. et III. 15. Pierium ad Virg. loc. cit. Gronov. ad Liv. XXXV. 21. Graev. ad Sueton. Claud. XIV. [Quod rarius *ambo* et *duo* dici contendit, contrarium affirmant de bonis scriptoribus Gronovius et Graevius l. c. G. St.] Drakenb. ad Sil. loc. cit. in primis vero Voss. Anal. II. 6. etc. * Porro *duo* muliebri genero accipi annotavit Scipio Gentilis, in his Pauli IC. verbis, L. 10. §. 17. ff. de grad. et adfin. *Tritavia similiter numerata faciet personas triginta duo.* Et paullo superius, *Personas complectitur triginta duo.* Imo pro genitivo quoque poni, in illis Scaevolae, l. ult. §. 1. ff. de legat. 2. *Quas* [res] *aestimationis constiterit esse universas duo millium aureorum*, pro *duorum*, monuit post Ant. Contium Vossius. * Olim quoque *dua*, pro *duo*, in neutro dixerunt. Sic Accius apud Cicer. Orat. 46. *Video sepulcra dua duorum corporum.* Quod quamvis, ut suo aevo vitiosum, damnet Quintilianus, I. 5. *duapondo* tamen iunctim recte dici ibidem ostendit. * Fallitur autem Iohnsonus, qui p. 83. Plautum *ambo* fem. usum putat, pro *ambae*, Rud. IV. 4, 7. sermo enim illic non ad feminas, sed ad viros dirigitur.

67) Despanterius et alii terminationes, sive syllabas finales, tertiae recensent septuaginta et unam: Prisciano autem, qui quantitatis etiam prosodiacae rationem habet, adeoque ex A S longa et A S brevi (itidemque in aliis) duas terminationes facit, numerus ultra octoginta excrevit. Caeterum vix operae pretium est, aut has aut illas sigillatim enumerare: hic tantum adnotare sufficiat: 1. Tertiam omnes aliarum declinationum terminationes, praeter U M et U, in se continere, multasque praeterea habere sibi peculiares, ut, C. L. N. etc. 2. Ex his multas esse factas literarum vel syllabarum reiectione: olim enim pro *lac*, *animal*, *ligo*, *vultur*, *trabs*, *ars*, etc. *lacte*, *animale*, *ligon*, *vulturis*, *trabes*, *artis*, etc. dicebant.

68) Ex his quinque rariores sunt, I. Y. C. D. T. ac I quidem et Y nominum duntaxat Graecorum: ut, *hydromeli*, *moly*: D Barbarorum:

Digitized by Google

Genitivus Latine semper in *is* exit[69]: more autem Graeco, quo Latini in vocibus Graecis haud raro utuntur, genitivus interdum in *os*[70] terminatur: ut, *Phyllis, Phyllidos;* interdum in *us*: ut, *Calisto, Calistus*[71]).

A et E.

24. Semper A mittit *atis*. Vertes E per *is* genitivo.

1. In A seu MA Graeca sunt, et addita *tis* syllaba genitivum faciunt: ut, *stemma, stemmatis*[72]).

---

ut, *David, Bogud.* In C autem duo tantum sunt vocabula Latina, *lac* et *halec;* in T tria, *caput, sinciput* et *occiput.*

69) Genitivus interdum numero syllabarum nominativo par est: ut, *mare, — ris; rupes, — pis; navis, — vis:* plerumque una syllaba longior; ut, *sermo, — onis:* rarius duabus; ut, *iter, itineris; biceps, bicipitis; supellex, supellectilis.*

70) Graeca genitivum in *os* mittentia, sunt, 1. Quorum iste casus *d* assumpto crescit: ut, *Arcas, — adis,* vel *— ados; Daphnis, — idis,* vel *— idos; Aeneis, — eidis,* vel *— eidos.* 2. Quae Graece per *os* pure, i. e. praeeunte vocali, declinantur: ut, *poesis, poesos,* sive *poeseos, Tethys, Tethyos.* 3. Rarissime in aliis: ut, *Strymonos, Sphingos;* a *Strymon, Sphinx.* Addit Ursinus, *onychos* ab *onyx; Babylonos* a *Babylon. Panos* autem a *Pan,* fere semper dicitur, ut distinguatur a Latina voce, *panis, — nis.* Hyginus tamen, Fab. 224. etiam de rusticorum Deo, *Panis* extulit. NOT. vero 1. Terminationem *os,* praecedente consona, fere solis Poetis in usu esse. NOT. 2. Terminationem *is* etiam Poetis in hisce nominibus magis frequentari, praeterquam in poematum nominibus, et in Patronymicis, quibus prosa scribentes raro admodum utuntur. NOT. 3. Genitivum per *os* pure declinatum, tam Poetis quam aliis, usitatiorem ac Latinum parisyllabum in *is* videri; i. e. *poesos,* vel *— ios,* potius quam *poesis,* dici. *Tiphyos, Tethyos, chelyos,* Poetis semper, aliis etiam frequentius quam *Tiphyis, Tethyis, chelyis* usurpata putem. Tacitus tamen *Cotyis,* Annal. II. 67, 3 et 4. et III. 33, 4. utitur.

71) Vulgo addunt et genitivum Graecum, a nominibus propriis in ES, interdum in *i* terminari: ut, *Achilli,* Virg. Geo. III. 91. et Aen. I. 30. *Oronti,* Id. Aen. I. 220. *Ulyssi,* Id. Aen. II. 90. Stat. Silv. II. 1, 118. *Pericli,* Pers. IV. 3. *Neocli,* Nepos, II. 1. *Aristoteli, Ariobarzani, Iphicrati, Themistocli, Theophani,* Cic. Attic. XIII. 28. et Ibid. XIII. 2. Orat. c. 56. Fam. V. 12. et Ibid. IX. 1, *Empedocli, Euripidi, Hierocli,* Gell. IV. 11. VII. 16. et IX. 5. Item *Achillei,* Horat. Car. I. 15, 34. et Epod. XVII. 14. *Ulyssei,* Id. Car. I. 6, 7. et Epod. XVII. 16. vel *Ulyssei,* Id. Epist. 1. 6, 63. et Ep. I. 7, 40, etc. pro *Achillis, Ulyssis, Periclis,* etc. Verum is genitivus in *i* Graecus non est, sed mere Latinus, atque ab antiquis nominativis in US vel EUS, quibus Latini olim utebantur, profectus. Vid. Charis. p. 107. Priscian. p. 705. Voss. Anal. II. 9. Dausq. Orthog. Vol. I. p. 95. et Vol. II. p. 22. Ursin. Tom. I. p. 206 et 221.

72) *Oxygala* cum Plinius neutro utatur, XXVIII. 9. §. 35. *oxygalactis* quoque in genitivo declinaturus fuisse videtur, ad imitationem scil. Graecorum, quibus ὀξυγάλα neutrum est, et ὀξυγάλακτος facit.

Digitized by Google

2. In E finita mutant *e* in *is*: ut, *monile, monilis.*

I et Y.

25. Dant *itis* orta *meli*. Sed *yos* per Y clausa requirunt.

1. In I finientia plerumque indeclinabilia sunt: ut, *gummi*[73]; *zingiberi*[74]). Quaedam tamen Graeca, a *meli* (seu μέλι, i. e. *mel*) composita, faciunt genitivum in *itis*: ut, *hydromeli, hydromelitis; oxymeli, oxymelitis*[75]).

2. Graeca in Y faciunt *yos*: ut, *misy, misyos*[76]); *moly, molyos*[77]).

O. . . .

26. Addito *nis* post O. Dat *inis* muliebre DO, GOque

Ordo velut *margo*, cum *cardine Apollo, Cupido, Turbo*que non proprium: cupit his *homo, nemo*que iungi.

Columellae tamen, R. R. II. 8. *oxygala, oxygalae*, in prima inflectitur.

73) *Sinapi* quoque vulgo indeclinabile statuunt; genitivum autem *sinapis*, a recto ejusdem terminationis deductum volunt. Verum Charisius, p. 88. *Sinapi*, inquit, *per omnes casus similiter effertur, genitivo tantum S litera adjicitur, huius sinapis*: et ita Celsus, elegantissimus Latinitatis auctor, in genitivo *sinapis*, in nominativo autem *sinapi*, constanter utitur: lib. vero v. c. 18. §. 12. habet *sinapis contriti*, quod a recto *sinapis* deflecti vix potest: (male enim, me iudice, Iohnsonus Addit. Append. p. 62. *sinapis* hic masculino adhibitum colligit, quod Columellae, R. R. X. v. 122. Plauto, Pseud. III. 2, 28. aliisque qui eo hac utuntur, semper femininum est.) Idemque de *lacrymosi sinapis*, ap. Seren. XXXIII. 4. est existimandum. Huc adde quod Graecis σίνηπι σινήπιτος declinetur; quam inflexionem ut Latini prorsus refugerent, nulla quod sciam analogia cogit.

74) Ita enim, aut *zingiberis*, illud rectius vocari, quam cum vulgo, *zingiber*, aut *zinziber*, ostendit Vossius, Vit. Serm. I. 12.

75) Vid. Plin. XXVI. 8. §. 34. XXIV. 19. extr. XXV. 18. §. 106. et alibi saepius. Palladius minus probatus auctor, *oxymelle* in ablativo a recto *oxymel* (ut videtur) declinat, Nov. tit. 7. Idem tamen Aug. t. 18. *omphacomeli*, et Octob. 17. *aenomeli* indeclinabilia facit.

76) *Misy* inter indeclinabilia recenset Iohnsonus, App. p. 18. At diserte ei genitivum *misyos* dat Plin. XXXIV. 11. §. 27. item Celsus, V. 19. §. 7, 8, 15, 27. et v. 20. init. et VI. 6. §. 27. et eod. 18. §. 2. Neque dubitem, quin usu ferente, alia in Y eodem pacto declinassent, *moly*, herbae nomen; *napy*, i. e. sinapi Aegyptium: item *Aepy, Dory*, urbium nomina; quae vulgo Grammaticorum ἄκλιτα statuuntur.

77. *Sory* autem *soreos* Celsus declinat, VI. 9. Graecos nimirum imitatus, quibus est σῶρυ, σώρεως. Vid. Galen. de simpl. medio facult. IX. 21 et 34.

Digitized by Google

Unedo femineum tamen *onis* dat; *caro, carnis.*
Enis habent *Anio, Nerio.* Muliebria Graeca
Us capiunt patrio, reliquis *o* casibus optant.
More tamen Latio videas haec flexa per *onis.*

Finita in O genitivum faciunt adiecta *nis* syllaba: ut, *draco, draconis; Macedo, Macedonis.*

Exc. 1. In DO et GO feminina mutant O in *inis*: ut, *formido, formidinis, caligo, caliginis* [78]).

Item haec masculini vel dubii generis, *ordo, margo, cardo* et *cupido; ordinis, marginis,* etc. Quibus adde *Apollo, Apollinis; turbo, turbinis* [79]) (at gladiatoris nomen *Turbo, Turbonis* facit [80]). *homo, hominis; nemo, neminis* [81]).

† *Unedo* tamen, quamvis femininum videatur, *unedonis* facit.

Exc. 2. *Caro,* facit *carnis* [82]).

Exc. 3. *Anio* habet *Anienis* [83]); *Nerio, Nerienis.*

Exc. 4. Graeca in O feminarum propria genitivum in *us,* reliquos casus nominativo similes habent: ut, *Dido,*

---

78) Alia in DO vel GO, masc. generis, regulam secuta *onis* habent: *cudo, cudonis; udo, udonis; harpago, harpagonis; ligo, ligonis.*

79) Sanctius, p. 748. *turbinis* a *turben* deducit: et quidem illud Tibulli, I. 5, 3. *Namque agor ut per plana citus sola verbere turben,* ediderunt Ach. Statius, Scaliger et Passeratius, secuti auctoritatem Charisii, p. 117. At vide Broukhusium, qui *turbo,* eiusdem Charisii, p. 48. et Servii ad Virg. Aen. VII. 378. itemque omnium MStorum auctoritate restituit. Confer et Vossium, Anal. I. 35. et de vit. Serm. I. 26.

80) Vid. Horat. Sat. II. 3, 310. et Charis. loc. cit.

81) *Tendo, tendonis* et *tendinis* facit: at prius magis analogum Vossius ait. Primus autem (eodem teste) hanc vocem effinxit Theod. Gaza, ad instar Graeci τένων; quo uti maluit Cor. Celsus: Cael. Aurelianus nervos eos maiores *tenontas* appellat. de morb. acut. III. 3 et 6. et de morb. chron. I. 4. * Despauterius et alii frustra *inis* habentibus addunt *virgo,* tanquam vocem communis generis. Ea enim quamvis Ecclesiasticis Scriptoribus de viro interdum dicatur, nusquam tamen, vel sic quidem, adiectivo virili appositum legitur.

82) Ab antiquo nominativo *carnis,* quo et Livius utitur, XXXVII. 3.

83) Sic *Anienis,* Ovid. Met. XIV. 329. *Anienem,* Virg. VII. 683. aliter enim dicebant *Anien,* quo usus Stat. Sylv. I. 3, 20. et I. 5, 25. et ante eum Cato, ap. Priscian. p. 684. Ab *Anio* autem, quo Horat. utitur, Car. I. 7, 13. *Anionis* deolinavit Ennius, teste Servio ad Virg. loc. cit. Item (in meo codice, Amst. 1671.) Frontinus de Aquaeduct. p. 222 et 223. * *Nerienem* porro habet Plaut. Truc. II. 6, 34. a recto *Nerieno,* ap. Varron. in Sat. Menipp. De hac autem voce fuse dissertantem vide Gell. XIII. 22.

84) Eandem formam sequuntur, *Alecto, Clotho, Calisto, Calypso, Clio, Erato; Io, Ino, Manto, Sappho, Theano,* et id genus pauca alia. *Iuno* autem, quia mere Latinum est, *Iunonis* tantum facit.

Digitized by Google

gen. *Didus*, dat. *Dido*, etc. [84]). Interdum tamen Latino more declinantur, *Dido, Didonis, Didoni*, etc. [85]).

C. D. L.

27. *Is* subdunt C. D. L. sed *lac tis*, *lis* sibi *mel, fel.*

In C. D. et L. terminata, addito *is* genitivum formant: ut, *hălec, halecis, David, Davidis, Bogud, Bogudis*, virorum nomina; *vectigal, vectigalis; exul, exulis.*

Exc. At *lac*, *t* interposito, *lactis*; *mel*, *fel*, *l* geminato, *mellis* et *fellis* faciunt.

N.

28. Additur *is* post N. Tamen *on* quandoque dat *ontis:* Donat *inis* neutrum, *pecten, flamen, cano* natum.

Nomina in N genitivum faciunt addendo *is:* ut, *Titan, Titanis; splen, splenis; delphin, delphinis; canon, canonis; Phorcyn, Phorcynis.*

Exc. 1. Quaedam Graeca in ON habent *ontis:* ut, *chamaeleon, chamaeleontis; Laomedon, Laomedontis* [86]).

Exc. 2. Neutra in EN genitivum formant in *inis:* ut, *flumen, fluminis*: item *flamen*, sive neutrum, pro *flatu*, sive masculinum, pro *sacerdote, flaminis* facit. Sic etiam, *pecten, pectinis;* et composita a verbo *cano*: ut, *tibicen, tibicinis; tubicen, tubicinis*, masculina.

---

85) Hac ratione declinandi usum Caesarem notat Quintilianus, I. 10. qui tamen Graecam consuetudinem praefert. Olim etiam Graeco more per *eis* et *oi* inflectebant, *Didois, Didoi*, et in accus. nonnunquam *Didun*. V. Voss. Anal. H. 9, 10. et Ursin. p. 209. qui in dativo, *Didoni*, abl. *Didone*, solum dicendum praecipere videntur. Hyginus tamen, *ex Io*, Fab. 149 et 155. dixit.

86) Sic *Automedon, Acheron, Bellerophon, bison, Charon, Demophoon, horizon, Lapcoon, Phaethon, Phlegethon, Polyaperchon, Scazon, Thermodon, Timoleon, Ucalegon, Xenophon*, etc. Multo vero plura *onis* habent; vel penultima brevi: ut, *Actaeon, aëdon, Aeson, Agdmemnon, alcyon, Amazon, Amphion, Amythaon, antichthon, Anthedon, Arion, Auson, autochthon, Chaon, Cicon, daemon, Erisichthon, gnomon, Hyperion, Iason, icon, Ixion, Lycaon, Lacedaemon, Lycophron, Machaon, Memnon, Palaemon, Paeon, Sarpedon, sindon, Strymon*, etc. vel longa: ut, *Ammon, Amydon, Ancon, Babylon, Bion, Caulon, Chiron, Cimon, Cithaeron, Colophon, Conon, Cromyon, Cydon, Damon, daphnon, Dion, Dolon, Emathion, Helicon, Lacon, Ladon, Marathon, Nasamon, Peteon, platanon, Porphyrion, Sicyon, Sidon, Sinon, Solon, Timon, Triton, trigon*, etc. vel varia, ut *Aegeon, Orion*, etc. Legitur et genitivus *Ctesiphontis* et *Ctesiphonis*, ille a *Ctesiphon*, hic a *Ctesipho*: Sic *Demiphonis, Critonis, Simonis*, apud Terentium, a *Demipho, Crito, Simo*: et *Agamemnonis*, ap. Statium Achill. I. 559. aliis *Agamemnon*. Olim et *dracon, dracontis; leon, leontis*, more Graeco inflexa.

Digitized by Google

R.

29. R capit *is*. *Far ris*, *Lar tis* proprium maris; *hepar*
Hepatos efficiet. *Cris* mobile *cer* dat. At *imber*
Bris petit et menses, simul *Insuber*; adde *saluber*,
Et *celeber*. Per *tris ter* formes omne Latinum,
Et *pater* et *mater* Danaum. Dat *eris later*, et *oor*
Cordis, *iter tineris*: *Iovis* optat *Iuppiter* usque.
Robur oris, *iecur* atque *femur* tibi praebet *eburque*.

Nomina in R genitivum formant adiecto *is*: ut, *par, paris; anser, anseris; dolor, doloris; Gadir, Gadiris; guttur, gutturis; martyr, martyris.*

Exc. 1. *Far* gemino *r* facit *farris*, *Lar*, viri nomen, *Lartis* [87]). [At pro *deo domus praeside*, *laris* habet.] *hepar*, *hepatis* vel *hepatos*, vox Graeca.

Exc. 2. Tria adiectiva in CER, *e* amisso, *cris* formant: *acer, acris; alacer, alacris; volucer, volucris* [88]).

Exc. 3. Similiter quaedam in BER, *bris* faciunt, viz. *imber, imbris; September, October, November, December*, mensium nomina [89]); *Insuber, Insubris*: item adiectiva *saluber, celeber* [90]).

Exc. 4. Eodem pacto nomina Latina in TER, *e* in genitivo perdunt: ut, *uter, utris; accipiter, accipitris.* Item duo Graeca, *pater, patris* [91]); *mater, matris* [92]). Caetera in TER Graeca, *e* retento, *eris* habent: ut, *aër, aë-*

87) Servio ad Virg. Aen. VI. 842. itemque Ausonio in Technopeg. *Lars* appellatur; *Lar* tamen agnoscunt Charisius, p. 110. et Priscianus, p. 645. *Lar* pro deo familiari, genitivo *Laris*, pro praenomine Tolumnii, aut Porsennae, *Lartis* facere diserte tradentes. *Lar* etiam apud Livium, IV. 58. in veteribus libris scriptum testatur Sigonius; et ita apud Cicer. Philipp. IX. 2. ex optimis tam cusis quam exaratis codicibus magnus Graevius restituit, quamvis a Grutero aliisque hic *Lartes*, illic, et a plerisque quidem, *Lars* editum sit.

88) Addunt nonnulli *mediocer*: quod nusquam iam invenitur, sed, ut supra monuimus, *mediocris*.

89) Despauterius Priscianum secutus, haec ab *imber* vult esse composita. Rectius vero Cl. Vossius, cui *ber* parelcon tantum, sive productio vocis videtur, ut in *saluber* a *salus*, *tuber* a *tumeo*, *Mulciber* a *mulceo*.

90) Alia in *ber, beris*, faciunt; *uber, uberis; suber, suberis; Mulciber, Mulciberis*, et *Mulciberi; Iber, Iberis* et *Iberi*, etc. V. supra Reg. 16. n. 37 et 42.

91) Sic composita eius Latina, *Marspiter, Diespiter, semipater*. At plane Graeca sunt secundae declinationis: ut, *Antipater, Sospater*.

92) *Linter, lintris*, Graecae etiam originis facit post Priscianum Despauterius: sed potior Vossii sententia, cui vox mere Latina statuitur.

Digitized by Google

ris; aether, aetheris; crater, crateris. *Later* etiam, quamvis vox Latina, *lateris* facit.

Exc. 5. Tria nomina paulo longius a regula deflectunt: *cor* quod *cordis; iter* quod *itineris* [93]); *Iupiter* quod *Iovis* [94]) facit.

Exc. 6. Quatuor denique in UR terminata, *u* in *o* mutato, *oris* habent: *robur, roboris; iecur, iecoris* [95]); *femur, femoris: ebur, eboris.*

AS.

30. Postulat AS *atis.* Sed *mas maris, as* dabit *assis.* Hoc *vas vasis* habet, *vas* hic *vadis.* *Antis* habento Mascula Graeca: volunt per *adis* muliebria poni; *Arcas* item: sed *atis* capiunt neutralia Graeca.

Nomen in AS genitivum mittit in *atis* penultima longa: ut, *aetas, aetatis; Maecenas, Maecenatis,* viri nomen [96]).

Exc. 1. *Mas* facit *maris; as, assis; vas,* neutrum, *vasis, vas,* masculinum, *vadis.*

Exc. 2. Nomina Graeca, pro vario ipsorum genere, varium genitivum accipiunt. Nam

1. Masculina habent *antis*: ut, *gigas, gigantis; Pallas, Pallantis,* viri proprium.

2. Feminina *adis*: ut, *lampas, lampadis; Pallas, Palladis.* Item *Arcas, Arcadis* [97]).

3. Neutra faciunt *atis* penultima brevi: ut, *artocreas, artocreatis; buceras, buceratis* [98]).

---

93) Quia olim dicebant *itiner*, quo usus Plautus, Merc. V. 2, 72. Contra *iteris* ab *iter* habet Naevius, ap. Nonium.

94) Ab antiquo nominativo *Iovis*, quo non solum Ennius, et Caecilius et Actius, ap. Priscianum, p. 695. sed etiam Hyginus, Fabb. 53 et 54. sunt usi. Apuleii quoque est, Met. IV. p. 137. *Quem tremit ipse Iovis quo numina terrificantur. Iupitris* autem pro *Iovis*, et *Iupitre*, pro *Iove*, in antiquioribus eiusdem Hygini Editt. Astron. II. 4 et 13. et alibi, se reperisse testatur Tho. Munckerus.

95) Legitur etiam *iecinoris* vel *iocinoris*, ab exoleto nominativo *iecinus* vel *iocinus.*

96) Una vox Latina *atis* facit penultima brevi, *anas, anatis.*

97) His addit Despauterius, *Ceras, Ceradis*, loci cuiusdam neutr. gen. nom. At vid. supra, cap. I. Reg. 28. n. 10.

98) * *Melas* tam morbi genus, ap. Celsum, V. 28. §. 19. quam fluvii nomen, ap. Livium, XXXVI. 12. et XXXVIII. 40. *Melanis* vel *Melanos* facit, a Graeca voce μέλας, μέλανος, i. e. *niger.* Item eius composita *epimelas*, et *mesomelas*, gemmarum nomina, ap. Plin. XXXVII. 10. §. 58. extr. et ibid. §. 68. extr.

Digitized by Google

ES.

31. ES mutabis in *is*. *Mansues*, *locuples*que, *quies*que, *Etis* amant: iunges *Cres* et dissyllaba Graeca:
Is proprium sed saepe tenet. Per *etis teges* exit,
Et *seges*, *interpres*, *praepes*, *paries*que, *abies*que;
Indiges, atque *aries*, *perpes*, *teres* ac *hebes*, addo.

In ES finita mutant *es is*: ut, *nubes*, *nubis*; *rupes*, *rupis*.

Exc. 1. Tria nomina Latina habent *etis*, penultima longa: *mansues*, *mansuetis* [99]); *locuples*, *locupletis*; *quies*, *quietis*: item eius compositum, *inquies*. *Requies* autem genitivo *requietis* in tertia, vel *requiei* in quinta facit [100]).

Etis etiam penultima longa habent multa nomina Graeca: unum monosyllabum, *Cres*, *Cretis*; reliqua fere dissyllaba: ut, *magnes*, *magnetis*; *tapes*, *tapetis*. Sic *Crates*, *Mendes*, *Laches*, virorum nomina. Ex his autem quaedam *etis*, vel *is* faciunt: ut, *Chremes*, *Chremetis*, vel *Chremis*; *Dares*, *Daretis*, vel *Daris*; *Thales*, *Thaletis*, vel *Thalis* [1]); sed *etis* usitatius est [2]).

Exc. 2. *Etis* penultima brevi habent nomina sequentia: *teges*, *seges*, *interpres*, *praepes*, *paries*, *abies*, *Indiges*, *aries*, *perpes*, *teres*, *hebes*.

---

99) *Mansues* rarum est, pro quo *mansuetus* usitate dicitur. Varro autem, ap. Nonium, et (qui obsoletis delectatur) Apuleius, Met. XI. p. 869. *mansues*, *mansuis*, declinant.

100) Sic, *requietis intervalla*, Cic. Fin. I. 15. *requie mora*, Sallust. Hist. Fragm. I. 20. pro *requiei*: sic, *requietem corporibus affere*, Cic. Fin. V. 19. *peto requiem spatiumque furori*, Virg. Aen. IV. 433. *anxiferas curas requiete reluxas*, Cic. Div. I. 13. *Quod caret alterna requie durabile non est*, Ovid. Heroid. IV. 89. Olim etiam et simplex *quies* in quinta declinabant, teste Prisciano, p. 703. qui et ex Afranio, *potitur quie*, et ex Naevio, *somno operiuntur et suavi quie*, exempli loco nobis adfert.

1) Sic Terent. And. I. 5, 13. *Chremetis affinitatem effugere*, Ibid. II. 2, 31. *Puerum conveni Chremis*. Ac similiter accus. *Chremetem*, Ibid. III. 3, 1. et *Chremem*, Eun. IV. 4, 56. Sic accus. *Dareta*, ap. Virg. Aen. V. 460, 463 et 476. et *Daren*, Ibid. v. 456. quod tertiae Servius, primae autem Vossius, Anal. II. 3. declinationis facit. Sic *Philolaches*, *Philolachetis* et *Philolachis*; *Philolachetl* et *Philolachi*; *Philolachetem* et *Philolachem*; *Philolachete* et *Philolache*, Plautus in Mostell. promiscue utitur: sitemque in prima, Ibid. II. 1, 27. *Philolachae*. Sic Iuvenal. XIII. 184. *Thaletis*, Cic. Div. I. 4. *Thalem*, et Div. II. 27. et de Orat. III. 34. *Thalem*, et Nat. Deor. I. 3. *Thale*. Sic *Eutyches*, *Eutychetis* et *Eutychis*, ap. Ecclesiasticos Scriptores.

2) Alia in ES Graeca, trium aut plurium Syllabarum, regulam fere sequuntur: ut, *Aristoteles*, *Alcibiades*, *Demosthenes*, *Pericles*, *Palamedes*, *Socrates*, *Themistocles*, etc.

Digitized by Google

32. Caetera masculei generis, communis, et omnis,
ES per *itis*, non dicta, *tudes* cum *mergite*, mutant:
At *verres verris*, *vates vatis* capit. Ortum
A *sedeo* dat *idis*. *Merces* volet *edis* et *haeres*.
*Pes*que *pedis*, *Cereris*que *Ceres*, *bes bessis* habebit.

Exc. 3. Reliqua nomina, sive masculini, sive communis, seu denique omnis generis, prius non memorata, mutant ES in *itis* in genitivo penultima brevi: masculina; ut, *eques*, *palmes*: communia; ut, *miles*, *antistes*: omnis generis, sive adiectiva; ut, *ales*, *dives*, *sospes*: *equitis*, *palmitis*, etc.

Item, *tudes*, *tuditis*, vel *tudis* [3]), de cuius genere nondum satis constat: *merges*, *mergitis*, quod femininum potius est quam masculinum.

† At *verres*, masculinum, habet *verris*; *vates*, commune, *vatis* facit, iuxta regulam principalem.

Exc. 4. A regula denique abeunt, sed diverso modo, 1. Composita a verbo *sedeo*, quae *idis* faciunt penultima brevi: ut, *praeses*, *praesidis*; *obses*, *obsidis*. 2. Duo quae *edis* habent penultima longa: *merces*, *mercedis*; *haeres*, *haeredis*. 3. *Pes*, quod facit *pedis* penultima brevi; et eius composita, *quadrupes*, *quadrupedis*; *sonipes*, *sonipedis*, etc. 4. *Ceres*, quod *Cereris*; *bes*, quod *bessis* habet.

IS.

33. IS similem gignit patrium. *Cassis*que, *lapis*que,
Atque *capis*, *promulsis*, *idis*, cum *cuspide* donant.
Sanguis inis; *pulvis* dat *eris*, *vomis*, *cinis*, et quae
Saepe tenent primam *cucumis* cum *pubere* legem.
Dis, *lis* atque *Quiris*, *Samnis* formantur in *itis*.
Glis gliris. *Semis* manet, aut *semissis* adoptat.

Nomen in *is* habet genitivum similem nominativo: ut, *auris*, *auris*; *ovis*, *ovis*.

Exc. 1. Haec nomina Latina *idis* faciunt penultima correpta: *cassis*, *cassidis* [4]); *lapis*, *lapidis*. Sic *capis*, *promulsis*, *cuspis* [5]).

---

3) *Tuditen* nominat Festus malleos a tundendo dictos, unde et cuidam cognomen Tuditano fuit: hinc etiam *tuditantia corpora* dixit Lucretius, II. 1142. At vid. supra, cap. 1. reg. 29. n. 20.

4) *Cassis*, *cassis*, masc. gen. pro *reti* in nominativo vix reperitur.

5) Addunt Deixius noster et alii, *promuscis*, *promuscidis*. Sed in

Digitized by Google

Exc. 2. *Sanguis sanguinis* facit [6]).

Exc. 3. Tria habent *eris* e brevi [7]): *pulvis, cinis, vomis.* At *pubis*, sive *pubes* [8]), *pubis* habet in genitivo, sed saepius *puberis*: sic eius compositum, *impubis*, vel *impubes, impubis*, et usitatius *impuberis* facit [9]). Item, *cucumis, cucumis*, et saepius *cucumeris* [10]).

Exc. 4. Quatuor *itis* accipiunt penultima longa: *Dis, ditis*; *lis, litis*; *Quiris, Quiritis*; *Samnis, Samnitis.*

---

melioribus exemplaribus Plinii, apud quem solum ea vox habetur, VIII. 7. *proboscidem*, non *promiscidem*, legimus. Est autem *proboscis* vox Graeca, ad reg. seq. pertinens.

6) Ab antiquo nominativo *sanguen*, de quo cap. 1. reg. 23. n. 94. Huc refertur et *pollis*, quod in nominativo vix usitatum ostendimus, c. 1. reg. 30. n. 32. *Pollinem* quidem in accus. habet Cato R. R. 56. et Plin. XVIII. 9. XIX. 5. et XXII. 25. At hoc a recto *pollinis* forte deductum, aut, quod magis placet, *pollen* illis masculinum fuerit, ut, *pecten, lien*: neque enim propterea cum Vossio, Anal. I. 29. *pollis* potius quam *pollen* dicendum, ob ea quae supra dicta sunt, existimarim.

7) Nempe, quia olim dicebant *pulver, cinér. Vomer* autem et *vomis* optimis auctoribus promiscue adhibetur: illo enim non tantum Lucretius, I. 315. sed Virgil. etiam, Geo. I. 46. Tibull. I. 11, 49. Ovid. Fast. IV. 927. Pont. II. 7, 48. Remed. 172. Lucan. III. 192. Colum. II. 4. et VI. 15. Plin. XVIII. 19. extr. hoc vero non solum Cato, R. R. c. 135. sed et Virg. Geo. I. 162. Colum. II. 2. et II. 14. utuntur.

8) *Pubis* Caesar, quam *pubes*; adiective dicere maluit, teste Prisciano, p. 707. et in recto etiam *impubis* utitur Plinius, XXIII. 7. §. 64. extr. *Pubes* tamen praetulit Probus: et ita *pubes* C. Nepos, X. 4. et Cic. pro Rabir. 11. et *impubes*, Ovid. Fast. II. 289. recepere: nec aliter fere Iurisconsulti loquuntur. *Puber* vero, et *impuber*, antiquorum, iamdudum exolevisse, nec nisi apud Grammaticos tantum reperiri notant Vossius, Anal. I. 86. et Ursinus, Tom. I. p. 173.

9) Ut *pubis* et *impubis* (sive *pubes* et *impubes* mavis) de personis dicta longe frequentius *puberis* et *impuberis* declinantur: ita rebus aliis μεταφορικῶς adiuncta saepius *pubis* et *impubis* inflexa videntur. Sic Ovid. Met. III. 422. *impubes genas*; et Met. IX. 416. *impubibus annis*, et Virg. Aen. VII. 382. *impubes manus*, et Aen. IX. 751. *impubes malas*, et Val. Flacc. VI. 695. *impubem iuventam*; et Horat. Epod. V. 13. *impube corpus*; et Sil. Ital. II. 111. *impubem malas*. Idem tamen, Horat. Car. II. 9, 15. *impubem Troïlon*. et Virg. Aen. V. 546. *impubis Iuli*: At Aen. XII. 413. *puberibus foliis*, habent.

10) Non possum assentiri Servio ad Virg. Geo. IV. 122. eiusque sententiam probanti Vossio, Anal. I. 26. qui aiunt, cucumeris *neotericis tantum in usu esse; at secundum idoneos auctores* cucumis, cucumi, *etc.* declinari. Nam, ut demus neotericorum nomine signari Plinium, (quod Vossius innuit,) vel etiam Columellam; quorum prior promiscue *cucumis* aut *cucumeris*, posterior fere semper *cucumeris* utitur: certe in hunc numerum referri neqnit Varro, qui R. R. I. 2. *cucumerem anguinum* nominat; aut Celsus, qui passim *cucumeris*, nusquam (quod sciam) *cucumis* in genitivo adhibnit. In plurali autem *cucumeres*, nunquam *cucumes*, usitatum reperio: etsi nominativus sing. *cucumer* nemini Scriptorum in usu sit.

Digitized by Google

Exc. 5. *Glis, gliris* facit [11]). *Semis*, vel neutrum est, et indeclinabile; vel masculinum, et *semissis* in genitivo habet [12]).

---

11) *Glis glissis* et *glis glitis* barbara esse supra notavimus ad cap. 1. reg. 30. n. 28.

12) *Semis*, ut docet Festus, est a Graeco ἥμισυ, non per metathesin literarum, ut Iohnsonus voluit, App. p. 55. sed per Apocopen ultimae, atque *s* in aspirationis locum substituta, ut *septem* pro ἑπτά, *sylva* pro ὕλη. Natura igitur adiectivum, sed ad morem multorum aliorum usu intercedente in substantivum neutri generis transiit, simili modo quo *aequum, bonum, verum*, pro *aequitate, bonitate, veritate*, aut, quod propius ad rem accedit, *medium* et *dimidium*, pro *medietate*, in neutro posita accipiuntur. Diversum ab hoc, licet idem voce, *semis* masculini generis videtur: id enim primum *semissis*, ex *semis*, generatim et indistincte *dimidium* significante, et *as* sive *assis* conflatum, post ad compendium pronuntiandi *semis*, pro *semissis*, i. e. *dimidium assis*; ut, *bes*, pro *duessis, dues*, i. e. *duae assis tertiae partes*, dictum. [Confer Voss. Anal. I. 29. et II. 8. praecipue vero Gronov. de pec. vet. I. 3. p. 15. et IV. 17. p. 382.] Postquam vero non ad rem pecuniariam modo, sed ad alias res quascunque per partes divisibiles significandas, *as* sive *assis* adhibitum est, tum quoque *semis*, sive *semissis*, ab eo compositum, generaliore hoc sensu accipi, atque cum priore illo *semis* non voce tantum, sed et significatione etiam congruere coepit. His demum rationibus, licet ipsis Latinae linguae auctoribus haud observatis, effectum arbitror, ut *semis*, pro *dimidio assis*, semper masculinum, et casibus variatum; absolute autem, pro *rei cuiuscunque medietate*, interdum neutrum, et invariabile; interdum masculinum, et *semissis, semissi*, etc. declinatum, inveniamus. Rem vero, quoniam eam et ex utraque parte controversam video, exemplis nonnullis firmare visum est. Et primum, ut *semissem* et *semissee*, apud auctores passim occurrentia omittam, quae masculina quidem esse, sed a nominativo *semissis* inflexa volunt; Labeo (contra quam docet Iohnsonus loc. cit.) eo in genere, et recto, *semis* diserte extulit, L. 9. ff. de vulg. et pupill. substit. *Ut unus semis apud te maneat, alterius semissis pro his partibus inter heredes paternos divisio fiat.* Et Africanus ibid. L. 35. *Si per bonorum possessionem semis ei ablatus sit.* Et ita aliis in locis Iureconsulti. Item Volusius Maecianus de *asse*, p. m. 396. *In semisse sunt unciae sex, sextantes tres, quadrantes duo, triens et sextans, quincunx et uncia: deest assi alter semis.* Ad alterum quod attinet: *semis* neutro et indeclinabili utuntur, Cato R. R. 18. *Foramina longa pedes tres semis, et exscalpta digitos sex. Ab solo foramen primum pede uno semis.* Celsus, V. 18. § 11. *Quod habet ceras* P. III. *panacis* P. *semis* — *plumbi combusti* P. 1. *et semis.* Vitruv. V. 6. extr. *Longitudo foraminum trium et semis.* Palladius, Ian. t. 10. *Latitudine pedum duorum et semis.* Et ita alibi saepius hi auctores. Sic etiam Columella, V. 1. *Pars dimidia* [efficit] *pedes quatuordecim millia et quadringentos, hoc est, semis.* Et Valentinianus et Martianus Impp. L. 10. Cod. de metat. et epidem. *Duas semis domos suas immunes habeant.* Et mox: *Unam semis domum suam habeant nullis hospitiis praegravatam.* Et Iul. Frontinus de Aquaeduct. Romae, lib. 1. p. m. 223. *Ductus eius habet longitudinem a capite ad urbem passuum* LX. *millium* DCGX. *et semis, rivo subterraneo passuum* LIV. *millium* CCLXVII. *semis.* Ut frustra sint Vossius, eumque secuti Methodi au-

Digitized by Google

34. Ex Graecis pars sumit *eos* vel *ios* genitivo:
Pars adsciscit *idis* vel *idos:* nonnulla sed *idis:*
Pars *inis*, pars *entis* habet: *Charis* at *Charitis* vult.

Nomina Graeca, in *is* variis modis formant genitivum.

1. Multa genitivum faciunt in *eos*, vel interdum *ios*: ut, *haeresis*, *haereseos*, vel *haeresios*; *metropolis*, *metropoleos*, vel *metropolios* [13]). Saepe etiam genitivum Latino more nominativo similem habent, *haeresis*, *metropolis*.

2. Plurima habent *idis* vel *idos* penultima brevi: ut, *Iaspis*, *Iaspidis*, vel *Iaspidos* [14]); *Paris*, *Paridis*, viri proprium; *Themis*, *Themidis*.

3. Tria capiunt *idis* pennltima longa, *Psophis*, *Psophidis*, nomen urbis; *Crenis*, *Crenidis*; *Nesis*, *Nesidis*, insularum nomina.

---

ctor et Annotatores Oxonienses, qui veteres non nisi in recto *semis* usurpasse, nec quenquam vulgato Bibliorum interprete antiquiorem sic locutum existimant. Vid. et Iohns. App. p. 55 et 118. et Addit. p. 30. Hanc rem, utpote in se perobscuram, et Grammaticorum litibus multum vexatam, fusiore hic explicatione dignam putavimus.

13) Talia fere sunt, 1. A Graeca voce *polis*, i. e. *urbs* composita; ut, *Constantinopolis*, *Hadrianopolis*, *Hierapolis*, *Heliopolis*, etc. urbium; *Tripolis*, *Pentapolis*, *Decapolis*, etc. regionum a numero urbium appellatarum nomina. 2. Appellativa in *sis* exeuntia; ut, *basis*, *eclipsis*, *ellipsis*, *genesis*, *hypocrisis*, *metamorphosis*, *paralysis*, *paraenesis*, *phrenesis*, *phthisis*, *synopsis*, *synaxis*, *syntaxis*, etc. Sic *Aphaeresis*, *Antithesis*, *Antiphrasis*, *Catachresis*, *Dialysis*, *Ectasis*, *Ecthlipsis*, *Metalepsis*, *Prolepsis*, *Syllepsis*, *Synaeresis*, etc. Figurarum nomina Grammaticis et Rhetoricis celebrata. At *paropsis*, *proboscis*, *absis*, —*idis* habent.

14) *Idis* in genitivo plerumque habent alia a praecedentibus nomina, 1. Multa appellativa; ut, *aegis*, *pixis*, *aspis*, *tyrannis*, *cenchris* (pro ave), *coronis*, *pyramis*, etc. 2. Pleraque propria; ut, *Eupolis*, *Daphnis*, *Paris*, *Chrysis*, *Lais*, *Thais*, *Phyllis*, *Amaryllis*, etc. 3. Omnia patronymica, poematum nomina, et gentilia feminina: ut, *Aeolis*, *Inachis*, *Nereis*, *Atlantis*, *Aeneis*, *Achilleis*, *Thebais*, *Theseis*, *Aemonis*, *Sicelis*, *Libystis*, *Atthis*, etc. Sed primi et secundi generis nomina saepius per *idis*, tertii vero per *idos*, ut alibi diximus, longe frequentius efferuntur. * Not. Ex his quaedam genitivum interdum nominativo similem facere: ut, *Adonis*, *Adonidis*, vel *Adonis*. Sic *Ibis*, *Iris*, *Isis*, *Maeotis*, *Osiris*, *Phalaris*, *Serapis*, *Themis*, *Nemesis* solum *Nemesis*, *Syrtis* saepius *Syrtis* habere videtur: *Tiberis*, *Tiberis*; at contractum *Tibris*, *Tibridis* facit. *Tigris*, pro fluvio, saepius *Tigris*; pro animali, semper *tigridis*; pluraliter vero *tigres* frequentius declinatur.

Digitized by Google

4. Pauca *inis* penultima itidem longa: ut, *Eleusis, Eleusinis; Salamis, Salaminis*, urbium nomina [15]).

5. Pauca habent *entis*: ut, *Simois, Simoëntis*, fluvii nomen; *Pyrois, Pyroëntis; Opoeis, Opoëntis*, contracte, *Opus, Opuntis* [16]), urbis nomen.

6. Postremo, unum nomen accipit *itis* penultima brevi; *Charis, Charitis.*

OS.

35. OS *ti* interponit. *Glos, mos, flos, ros* facit *oris.* Quod dat et *or*, servat quod ab *or* venit: *ossis os* optat;

Os oris; custos custodis, bos bovis. Ois Thos, Minos et *Tros* capiunt, quibus additur *heros.*

Nomen in OS facit genitivum interponendo syllabam *ti* inter *o* et *s*: ut, *sacerdos, sacerdotis; nepos, nepotis.*

Exc. 1. Quinque genitivum in *oris* faciunt penultima longa: *glos, gloris* [17]); *mos, moris; flos, floris; ros, roris; os, oris. Oris* etiam habent quae aliter et saepius in *or* desinunt: ut, *honos*, vel *honor, honoris; labos*, vel *labor, laboris.* At *arbos*, vel *arbor, arboris* facit penultima brevi.

Exc. 2. Tria peculiarem habent genitivum: *os, ossis; custos, custodis; bos, bovis.*

Exc. 3. Quatuor Graeca nomina faciunt *ois: thos, thois; Minos, Minois* [18]); *Tros, Troïs; heros, herois* [19]).

---

15) Quia nimirum aliter in IN exeunt, *Eleusin, Salamin. Atys*, adolescens Phrygius a Cybele adamatus, *Atyos*; et *Attis, Attidis*, vel *-idos*; et *Attin*, vel *Atthin, Attinis* seu *-thinis*, declinatum invenitur.

16) Vid. reg. mox seq. 37.

17) Ita Charisius, p. 27. et Priscianus, p. 710. inflectunt; quidam vero *glos, glotis*: at tutius eius obliquis omnino abstinere monet Vossius.

18) Sallustius tamen *Minonis* dixit, teste Prisciano, p. 710. a nominativo *Mino.*

19) Reliqua Graeca, excepta *bos*, regulam sequuntur; *rhinoceros, monoceros; rhinocerotis*, etc. Sic *Eros, Anteros, Phileros, Chryseros*, virorum propria, *aegoceros* quoque *aegoceratis* facit (Vid. Lucret. VI. 614.) quamvis id neget Vossius, Anal. II. 8. qui *aegoceri* in secunda tantum inflecti, ut ap. Germanicum in Arat. v. 394. et Lucan. X. 218. existimat.

Digitized by Google

US.

36. Vult *oris* US patrio: medius gradus exit in *oris*.
Dant *eris hulcus*, *olus*, *vellus*, *Venus* et *genus*, atque
Viscus, *opus*, *foedus*, *scelus* et cum *pondere vulnus*,
Munus, *onus*, *sidus*: *latus* his *funus*que *vetus*que,
Rudus, *acus* simul atque *glomus* neutralia iunge.
US facit *oris* penultima brevi: ut, *pectus*, *pectoris*[20]).

Exc. 1. Comparativa faciunt *oris*, penultima longa: ut, *melius*, *melioris*[21]).

Exc. 2. Viginti nomina mutant *us* in *eris*, e brevi: *hulcus*, *hulceris*; *vellus*; *Venus*; *genus*; *viscus*; *opus*; *foedus*; *scelus*; *pondus*; *vulnus*; *munus*; *onus*; *sidus*; *latus*; *funus*; *vetus*; *rudus*: item, *acus*, *aceris*; (quod in quarta etiam et feminino genere declinatur[22]); *glomus*, (quod quandoque masculinum in secunda *glomi* facit[23]).

37. *Uris* habet *tellus*, veluti monosyllaba. *Grus*, *sus*,
Dant *uis*. *Intercus* dat *utis*: *Liguris Ligus* optat.
Pus ortum dat *odis*. Loca Graeca feruntur in *untis*.
Subscus atque *incus udis* voluere *palus*que:
Caetera femineo generi sociata sed *utis*.

---

20) Quae *oris* faciunt sedecim tantum recensentur, ab Ursino hoc tetrasticho comprehensa:

Dedecus atque *decus*, *facinus*, cum *corpore*, *foenus*,
Hinc *lepus*, et *frigus*, *pectus* *littus*que, *nemus*que,
Et *penus* et *pignus*, *tempus*, cum *stercore*, *tergus*,
Ac *pecus* ex sese *pecudis* *pecoris*que relinquens.

Quae cum numero quidem pauciora sint, quam quae *eris* in genitivo habent; quidam ex his regulam, ex illis exceptionem constitui volunt. Mihi autem parvo discrimine referre videtur, utroscunque hac in re sequaris.

21) Sequuntur enim, ut omnia adiectiva neutra, thema ipsorum masculinum aut commune.

22) Vid. supra cap. 1. reg. 34. n. 48.

23) *Glomus*, *glomi*, damnat Vossius, Vit. Serm. I. 20. in illo enim Horatii Epist. I. 13, 14. quaedam editt. *globos*, aliae *glomus*, nonnullae

Digitized by Google

Exc. 3. *Uris* penultima longa accipiunt *tellus;* et haec monosyllaba, *crus; ius; mus; pus; rus; thus*[24]) * *Uris* quoque (sed *u* brevi) habet *Ligus;* aliter *Ligur*[25]).

Exc. 4. *Uis* habent duo monosyllaba: *grus; sus.*

Exc. 5. In *odis* exeunt a *pus,* seu πούς Graeco, composita: ut, *tripus, tripodis; OEdipus, OEdipodis,* viri nomen[26]).

Exc. 6. In *untis* declinantur nomina Graeca urbium: ut, *Trapezuntis; Opus, Opuntis*[27])

Exc. 7. *Udis* penultima longa habent haec tria feminini generis: *subscus; incus; palus*[28]).

Exc. 8. *Utis* denique penultima longa accipiunt reliqua feminini generis nomina quinque: *virtus; salus; servitus; iuventus; senectus:* * unum quoque nomen adiectivum (sed penultima brevi) *intercus,* scil. *aqua.*

YS.

38. YS dat *yos:* pars sumit *ydis;* nonnulla sed *ynis.*

In YS terminata Graeca sunt, et genitivum formant in *yis,* vel *yos:* ut, *Capys, Capyis,* vel *Capyos; Tiphys, Tiphyos,* virorum nomina: *Tethys, Tethyos; chelys, chelyos.*

Exc. 1. Quaedam habent *ydis,* vel *ydos, y* correpta:

---

glomus praeferunt: quod postremum et Bentleius amplectendum, et singulari positum censet; Cruquius vero plurali, adeoque et quarto putat. *Glomus* autem per secundam extulit Philomelae auctor. * Olim similiter *faeneris* ac *pigneris* dixere: unde remanserunt *faenero* vel *faeneror, pignero, oppignero,* etc.

24) *Glus* (cuius et meminit Ausonius in Technopeg.) *glutinis* facere sit Charisius, p. 27. At id a recto est *gluten,* quo, sive *glutinum,* nunc solum utimur.

25) *Et nunc tonse Ligur,* Lucan. I. 442. Cicero autem pro Sext. c. 31. *Ligus iste.* Pers. quoque (et feminino) VI. 7. *Mihi nunc Ligus ora intepet:* et Sall. Hist. II. *Corsa, Ligus mulier,* teste Prisciano, p. 715.

26) *OEdipus* etiam *OEdipi* habet in secunda, vid Iohns. App. p. 111. Sic et *Melampus, Melampodis* et *Melampi,* quamvis (ut ait Vossius) posterioris exemplum vix inveniatur. *Polypus, polypi* tantum; *tripus* vero solum *tripodis; Antipus, Antipodis; lagopus, lagopodis,* facit.

27) Sunt autem haec contracta ex ύος in οῦς, Τραπεζόεις, Τραπεζοῦς; Τραπεζόεντος, Τραπεζοῦντος: Ὀπόεις, Ὀποῦς; Ὀπόεντος, Ὀπούντος. Sic *Emmaus, Hydrus, Phicus, Philus, Amathus, Sipus, Selinus, Hierichus,* pro quo etiam in nominativo *Hiericho* dicitur.

28) Addunt vulgo *pecus, pecudis.* At vid. cap. I. reg. 46. et cap. III. reg. 14.

Digitized by Google

ut, *chlamys, chlamydis*, vel *chlamydos*; *pelamys, pelamydis*, vel *pelamydos*.

Exc. 2. Pauca faciunt *ynis*, vel *ynos*, *y* longa: ut, *Trachys, Trachynis*, vel *-ynos*, urbis nomen; *Phorcys, Phorcynis*, vel *-ynos*, Medusae pater[29]).

AES, AUS et EUS.

39. *Aes aeris, praes praedis* habet: *laus fraus*que dat *audis:*

EUS *eos;* at per *eiis* flectit per *ei*que secunda.

Ex nominibus in S praecedente diphthongo desinentibus

1. *Aes* facit *aeris; praes, praedis.*

2. *Laus, laudis; fraus, fraudis.*

3. In EUS finita capiunt *eos:* ut, *Tereus, Tereos; Orpheus, Orpheos*, virorum propria[30]). At haec frequentius in secunda declinantur, *Terei, Orphei*, tribus syllabis, aut *Terei, Orphei* duabus; a nominativo in *eiis* dissyllabo[31]).

BS, PS, LS, MS.

40. Si *B, P*, praeit S, medians dabit *i* genitivum.

E per *i* sed *coelebs*, et in *eps* polysyllaba vertunt.

A caput orta petunt *cipitis:* dabit *aucupis auceps.*

Cinyphis aspirat *Cinyps:* sic *gryps* quoque *gryphis.*

Optat *hyems hyemis* patrio, *puls* denique *pultis.*

1. Nomina in BS et PS, interposito *i* faciunt genitivum: ut, *trabs, trabis; plebs, plebis*[32]); *chalybs, chalybis; seps, sepis*; *Aethiops, Aethiopis.*

---

29) Dicimus etiam *Trachyn, Phorcyn.* Priscianus autem *Phorcye, Phorcyos; Phorcyn, Phorcynis* declinat, p. 690.

30) Sic Martial. IV. 49. *Prandia saevi Tereos:* et XIX. 75. *Flet Philomela nefas incesti Tereos.* Val. Flacc. I. 131. *Peleos in thalamos uehitur Thetis.* Stat. Theb. VIII. 478. *Vos praeda cruenti Tydeos:* et idem alibi multis in locis. Dativo autem in *ei* usus Virgilius, Ecl. IV. 56. *huic mater quamvis, atque huic pater adsit: Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo:* et Geo. IV. 545 et 553. *Inferias Orphei.* Sic *Persi*, ap. Liv. XL. 25. et alibi saepius, restituit Gronovius, pro quo vulgo *Perseo:* sed hoc a *Perses* tertiae ductum videtur.

31) Sic Virg. Ecl. VI. 78. *Terei artus.* Ibid. 42. *furtum Promethei.* Ovid. Fast. VI. 737. *iniuria Theseï.* Propert. II. 21. 24. *Persei uxor;* ei in diphthongon contracto. At vid. supra reg. 15. n. 32.

32) Dicitur etiam in recto *plebes.* Vid. Cic. Leg. III. 3. Sall. Ca-

Digitized by Google

Exc. 1. *Coelebs*, e in *i* mutato, *coelibis* facit. Sic etiam polysyllaba in EPS: ut, *adeps*, *adipis*; *Princeps*, *principis*. * *Auceps* vero, *aucupis* facit.

Exc. 2. Composita a *caput* formant *cipitis*: ut, *biceps bicipitis*; *praeceps*, *praecipitis*; *anceps*, *ancipitis*[33]).

Exc. 3. *Cinyps* denique, assumpta *h*, sive aspiratione, *Cinyphis* facit, fluvii et pueri nomen: item, *gryps*, *gryphis*[34]).

2. Unum nomen in LS, *puls*, *pultis* facit: item unum in MS, *hyems*, *hyemis*.

NS, RS.

41. NS et RS, *s* dempto, *tis* dabit apte.
Dis vult *glans*, *nefrens*, capitis *lens*, et folium *frons*,
*Libri*que *pens*, *concors*, et caetera *corde* creata.
Untis iens capit atque *quiens*: sed ab *ambio* legem
Participans spernit. *Tiryns Tirynthis* habeto.

Nomina in NS et RS, *s* abiecto, et addito *tis*, genitivum efficiunt: ut, *gens*, *gentis*; *dodrans*, *dodrantis*; *pars*, *partis*; *mors*, *mortis*.

Exc. 1. Pauca sumunt *dis*: viz. *glans*, *glandis*, et eius compositum, *iuglans*, *iuglandis*; *nefrens*, *nefrendis*; *lens*, *lendis*: [at *lens die Linse*, *lentis* facit:] *frons*, *frondis*: [at *frons die Stirn*, *frontis*:] *libripens*, *libripendis*. Item composita a *cor*: ut, *concors*, *concordis*; *misericors*, *misericordis*.

Exc. 2. *Iens* et *quiens*, participia verborum *eo* et *queo*, cum suis compositis, habent *untis*: sic *iens*, *euntis*; *quiens*, *queuntis*; *rediens*, *redeuntis*; *nequiens*, *nequeun-*

---

til. 34. Lucan. III. 58. VII. 760. IX. 254. Sil. VIII. 271. et IX, 636. Liv. I. 20. II. 21. Et genitivo *plebei*, vel *plebi* in quinta, Liv. II. 33, 66 et 58. et alibi passim. Similiter et *sepe* et *sepes* invenimus: unde illud Ausonii in Technop. *Bucolico sepes dixit Maro*, *cur Cicero sepe*?

33) Olim in nominativo *ancipes*, *praecipes* dixerunt; indeque analogice fluxisse usitatos genitivos, *ancipitis*, *praecipitis*, ut a *sospes*, *sospitis*, existimat post Priscianum Vossius, quem vid. Anal. II. 7. et Etymol. in voc. *anceps*. Prisci etiam in genitivo *ancipis*, *praecipis* dixerunt, a nominativo *anceps*, *praeceps*, ut iidem volunt. Caeterum an a *caput*, an a *capiendo* haec ducta fuerint, Vossius et Ursinus ambigere videntur.

34) Addit Ursinus *cinips*, *ciniphis*, insecti genus, nullo auctore laudato; et Geor. Valla *catelips*, *cateliphis*; *sciraps*, *sciraphis*: quorum prius apud Graecos solum, posterius nusquam reperio.

Digitized by Google

tis. † At *ambiens*, aliorum participiorum more, *ambientis* facit[35]).

Exc. 3. *Tiryns, h* assumpto, facit *Tirynthis.*

T.

42. A *caput* est capitis: sic *sinciput*, *occiput* exit.

Unum nomen in T, *caput*, *capitis* facit: eodemque modo duo eius composita, *sinciput*, *sinciptis*; *occiput*, *occipitis.*

X.

43. X in *cis* muto. Dant *gis lex*, *frux*, *aquilex*, *rex*, *Grex*, *remex*: comitare volunt quae plurima Graeca. Effer *onyx onychis.* Quaedam formantur in *actis.*

Nomina in X terminata mutant *x* in *cis*: ut, *fax*, *facis*; *faex*, *faecis*; *nutrix*, *nutricis*; *nux*, *nucis*; *merx*, *mercis.*

Exc. 1. Haec sex in genitivo *gis* accipiunt: *Lex*, *legis*; *frux*, *frugis*[36]); *aquilex*, *aquilegis*; *rex*, *regis*; *grex*, *gregis*; *remex*, *remigis*[37]).

¶ Ex nominibus Graecis plurima regulam sequuntur: ut, *Aiax*, *Aiacis*; *Pollux*, *Pollucis*, virorum nomina; *lynx*, *lyncis*; *bombyx*, *bombycis*[38]).

Multa vero genitivum in *gis* formant: ut, *strix*, *strigis*; *Phryx*, *Phrygis*; *larynx*, *laryngis*[39]).

Exc. 2. *Onyx*, *h* adscito, *onychis* facit: sic eius compositum *sardonyx*, *sardonychis*[40]).

---

35) Nempe quia non *ambeo*, sed *ambio* dicitur.

36) *Frux* in nominativo fere exolevit.

37) Addunt vulgo *impetix*, *impetigis*; quam vocem apud unum Festum Pompeium reperio. Certe pro eo *impetigo*, *impetigo*, *impetiginis*, Celsus et Plinius constanter utuntur.

38) Sic *Abax*, *Atax*, *Atrax*, *Arctophylax*, *colax*, *corax*; *cordax*, *panax*, *opopanax*, *smilax*, *styrax*, sive *storax*: et *choenix*, *Cilix*, *hystrix*, *perdix*, *sandix*: item *Cappadox*, *Bebryx*, *calyx*, *Eryx*, *Naryx*, penultima brevi. Sic et *Aiax*, *Phaeax*, *Syphax*, *thorax*, *Thrax*; item *Myrmex*, *phoenix*, *spadix*, penult. longa.

39) Similiter *gis* habent *harpax*, *Iapyx*, *Iazyx*, *oryx*, *ortyx*, *pompholix*, *Styx*, *Lelex*, et (de quo nota seq.) *dioryx*, correpta penultima. Quibus adde nomina peregrina, seu barbara, *Allobrox*, *Biturix*; et *Ambiorix*, *Dumnorix*, *Orgetorix*, *Vercingetorix*, et similia apud Caesarem et alios virorum propria: Et producta penultima, *coccyx*, *Iynx*, *meninx*, *phalanx*, *Sphinx* et *Syrinx*. * Addunt vulgo *mastix*, *mastigis*, et eius composita *Homeromastix*, *Virgiliomastix*, penultima itidem longa. At vid. supra, cap. 1. reg. 43. n. 2.

Digitized by Google

Exc. 3. Quaedam nomina Graeca habent *actis*: ut, *Hylax, Hylactis; Bibrax, Bibractis*[41]).

44. *E* per *i* mutabunt polysyllaba: quam retinebunt
Myrmex, et *vervex, aquilex, halex*que, *Lelex*que,
Et *seco* quae genuit. *Nivis* at, *noctis*que, *senis*que,
Nix capiunt, *nox* atque *senex:* formare *supellex*
Vultque *ctilis. Coniunx*, vel *coniux, coniugis* edit.

Exc. 4. Nomina in EX plurium syllabarum mutant *e* in *i* brevem: ut, *pollex, pollicis; remex, remigis*, quod supra dictum.

† Et his autem *e* retinent: *Myrmex, Myrmecis*, Graece *formica*; *vervex, vervecis*; *aquilex, aquilegis; halex, halecis* [hoc superius, illud modo memoratum:] *Lelex, Lelegis*, viri et populi nomen: item composita a verbo *seco*; *foenisex, foenisecis; resex, resecis*[42]), [43]).

Exc. 5. Quatuor peculiari modo formant genitivum: *nix, nivis; nox, noctis; senex, senis; supellex, supellectilis*[44]).

Exc. 6. *Coniunx*, seu *coniux, coniugis* facit[45]).

---

40) Adde *mastix, mastichis* Sereno et Isidoro, (*masticis* Palladio, Octob. tit. 14.) At vid. supra, cap. 1. reg. 43. n. 2. * *Dioryx, diorychis* quoque flectendum contendit Pintianus in Melam, III. 8. incassitque Herm. Barbarum *dioryge* eo in loco legentem: *διώρυξ* quidem *διώρυχος* Graecis, Herodoto, Thucydidi, Theophrasto et aliis, inflectitur; Straboni autem frequentius *διώρυγος*. Quin et multa Graeciae vocabula illud pati, ut cum Latina fiunt, *χ* in *g* mutent, in loc. notat Is. Vossius.

41) Adde composita ab *ἄναξ*: ut, *Astyanax, Callionax, Demonax, Hipponax*, virorum nomina. * Unum nomen in *x, xis* facere *Bryax, Bryaxis*, docet Despauterius: at si rectum esse *Bryaxis*, genitivum vero *Bryaxis*, vel *Bryaxidis*, ex Plinii XXXIV. 7 et 8. et XXXVI. 5. ostendit Vossius, Anal. II. 9. Vitruvio autem, Praef. lib. VII. *Bryaxes* appellatur.

42) Adde *narthex, narthecis*, stirpis nomen, ap. Plin XIII. 22. §. 42. Latine *ferula*. * Ninivita aliique adiiciunt *Celex, Celecis* fluvii nomen, testem adhibentes Hermolaum Barbarum in Plin. VI. 1. Sed auctorem magis idoneum desidero.

43) Alia composita a monosyllabis in EX, non mutant *e* in *i*: ut, *exlex, illex*, i. e. qui sine lege vivit, *exlegis, illegis*. Sic *prorex, interrex, segrex*, i. e. *segregatus; proregis*, etc. et (quod vix in usu est) *seminex, seminecis*.

44) Olim *supellectilis* in nominativo dicebant, et *supellectile*, unde plurale *supellectilia*. Sic etiam veteribus, *ninguis*, seu *nivis*, et *senis*, nominativi erant. Sed et a *senex* olim *senecis* flexerunt, unde *senecio* et *senectus*, et proprium *Seneca*, teste Vossio.

45) *Coniunx* scribendum volunt Priscianus, D. Augustinus, Velius Longus et Cassiodorus, qui vocem a *coniungo* deducunt: Phocas vero,

Digitized by Google

Dativus singularis.

45. Exit in *i* ternus casus: per *e* flexus et olim.

Dativus singularis tertiae declinationis in *i* desinit: ut, *panis*, *pani*[46]).

℣ Olim etiam per *e* extulerunt: ut, *Esuriente leoni ex ore exsculpere praedam*, Lucil. *Haeret pede pes*, Virg. pro *esurienti*, *pedi*[47]).

Accusativus singularis.

46. Finit in *em* quartus. Petit *im* sibi *ravis*, *amussis*,
Vis, *cucumis*que simul, *tussis*, *sitis* atque *sinapis*,
Cannabis et *gummis*, *buris*, coniunge *mephitim*.
Adde urbes, aliosque locos, amnesque, deosque,
IS quibus est recto: sed et haec dant *in* quoque quarto.

Accusativus in *em* desinit: ut, *panis*, *panem*[48]).

Scaurus, Charisius, Nisus et Beda, quibus a *coniugo* derivatur, *coniux* praeferunt. Ab his e recentioribus stant Manutius et Cellarius; ab illis Despauterius, Dausquius et alii.

46) Ita etiam ut inflectantur feminarum propria in O, ut, *Didoni* non *Dido*, Vossius et Ursinus praecipere videntur. * *Ity* in dativo pro *Ityi* habet Hyginus, Fab. 45. *Tereo ostendebatur in prodigiis Ity filio suo mortem a propinqua manu adesse.*

47) Plura eiusmodi videas, ap. Auson. Popmam, de usu antiq. locut. I. 9. Sciopp. Gramm. Phil. p. 74. n. 1. Voss. Anal. II. 10. Danes. Paralip. p. 52. Ursin. Tom. 1. p. 124. Perizon. in Sanct. p. 88.

48) Propria in ES Graeca, interdum *en* in accusativo habent: ut, *Astyagen*, *Daren*, *Euphraten*, *Gangen*, *Hydaspen*, *Niphaten*, *Oresten*, *Pyladen*, *Phraaten*, *Tigranen*, *Tiridaten*. Vid. Iohns. App. p. 73. Adde *Socraten*, Cic. Tusc. III. 4. *Callisthenen*, Ibid. c. 10. *Hippocraten*, *Epicyden*, *Lacumacen*, ap. Liv. XXIV. 31. XXV. 23, 26. et XXIX. 30 et 31. Iohnsonus licentiam Poeticam putat, Ego potius, Prisciano, VI. ool. 705. et Vossio Anal. II. 3 et 20. assentior, qui hanc eius rei tradit esse rationem, quod olim haec etiam in prima declinabant, *Astyages*, *Astyagae*, etc. Nam, ut taceam non Poetas modo, sed etiam Historicos (ni libri fallant) ita usos; certe inveniuntur *Bootae*, ap. Ovid. Art. II. 55. Lucan. II. 722. Martial. IV. 8. Iuven. V. 23. apud Hygin. vero Astron. III. 24. *Bootis*: et ap. Cic. Nat. Deor. II. 42. in dativo *Booti*. Sic Plin. VI. 26. et VIII. 59. extr. Tacit. Annal. XV. 7, 8. Iustin. XLII. 3. extr. *Euphratis*: at Stat. Theb. VIII. 290. *Euphratae*. Sic *Persi* in dat. habet Liv. XLII. 25, 49, 52. XLIII. 7, 8. et XLV. 19. a recto, ut videtur, *Perses*: Cic. tamen in Rull. II. 19. *Persae* in genitivo extulit: et in ablat. Ibid. c. 33. *Persi*. Sic Liv. XXV. 23. *Epicydae*: at XXVI. 30. *Epicydis*. Sic. Gell. XIV. 1. *Socratae* et *An-*

Digitized by Google

Exc. 1. Haec nomina Latina in IS habent *im: ravis; amussis; vis; cucumis*[49]*; tussis, sitis; sinapis; cannabis; gummis*[50]*; buris*[51]*; mephitis*[52]).

¶ *Im* quoque accipiunt nomina propria, non Graeca modo (de quibus postea) sed Latina etiam et peregrina in IS exeuntia. 1. Urbium et aliorum locorum: ut, *Bilbilis*[53]); *Maraeotis; Syrtis.* 2. Fluviorum: ut, *Tiberis; Baetis*[54]). 5. Deorum: ut, *Anubis, Apis, Osiris, Serapis.* Sed haec etiam, Graecorum more, haud raro per *in* declinantur: *Bilbilin, Baetin, Serapin*, etc.

47. Saepius *im turris, puppis* cum *reste securis:*
Em, sed et *im* quandoque volunt sibi *febris aqualis*,
Et *navis, pelvis, clavis;* sic *lens, strigilis*que,
*Sementis*que, *cutis.* Cumulant his plura vetusti.

Exc. 2. Sequentia in IS nomina, et unum in NS accusativum in *em* et *im* faciunt, sed diverso modo: nam *im* longe frequentius habent, *turris; puppis; restis; securis*[55]). Saepius vero *em*: *febris; aqualis; navis; pelvis*[56]); *clavis; lens; strigilis*[57]); *sementis; cutis*[58]).

---

nithenae in plurali dixit; alii (quod sciam) omnes in tertia declinant. Porro haec nomina primae etiam fuisse, indicat eorum vocativus in e plerumque productus, ut recte colligit Vossius, Anal. II. 3.

49) Cum autem genitivus crescit *cucumeris*, recte accus. *cucumerem* facit.

50) Utimur (et saepius) in nominativo *sinapi, gummi.* Vid. hui. cap. reg. 25.

51) Despauterius *burem* quoque in accus. dici, sed nullo teste adhibito, docet.

52) *Im* tantum habentibus addit Ursinus, sed nullo auctore laudato, *decussis* et *centussis:* certe *decussem* habet Vitruv. III. 1. et *centusse* Persius, v. ult. alioquin analogice *centussi* dicturus.

53) Sic *Illiberis, Illiturgis, Murgis*, Hispaniae oppida; quae aliter in i exeunt, nec casibus variantur.

54) Sic *Acis, Araris, Albis, Athesis, Fabaris, Ligeris, Liris, Sicoris, Tanais, Phasis, Tibris*, (qui et *Tiberis*) *Tigris*, etc. Sed ex his *Phasis, Tibris* et *Tigris* genitivo fere crescunt, *Phasidis, Tibridis*, etc. ac proinde, *Phasidem* forte, *Tibridem*, etc. habere possunt, per reg. seq. Sic etiam *Maeotis*, et *Maraeotis*, lacuum nomina, *Maeotis*, et *Maeotidis; Maeotim, Maeotin, Maeotidem*, et *Maeotida.* V. Iohns. App. p. 105. et *Maraeotim*, Curt. IV. 7, 9. et Plin. V. 10. *Maeotida* Stat. Sylv. III. 2, 103. Si quis autem ex his pleraque inter Graeca aut quasi Graecisantia nomina velit recenseri, non multum repugnabo.

55) Negat Vossius *securem* se legere meminisse: at est ap. Virg. Aeneid. XI. 656. teste, qui locum hunc adducit, Prisciano, in VII. col. 766. quanquam in plerisque tam scriptis quam excusis codicibus *securim*

Digitized by Google

¶ Vetustissimi Scriptores plura alia in *im* terminabant: ut, *avim*, *aurim*, *cratim*, *messim*, *ovim*, *pellim*, *pestim*, *vallim*, *vitim*, etc. quae notare potius quam imitari convenerit[59]).

48. Impure in patrio casu crescentia Graeca Saepe et *Tros*, *Minos*, *heros*, quartum per *a* formant.

EUS *ea* vult. Vix *em* dato *Pan*, cumque *aethere delphin*.

Accusativus nominum Graecorum ad sequentes fere canones reduci potest.

I. Nomina Graeca, quorum genitivus crescit in *is* vel *os* impurum, *i. e.* praecedente consonante, accusativum saepe in *a* faciunt: ut, *Agamemnon*, *Agamemnonis*; *Agamemnonem*, vel *Agamemnona*, nomen viri: *lampas*, *lampadis*, vel *lampados*; *lampadem*, vel *lampada*[60]).

---

ibi nunc legitur. *Securem* quoque ex Cicer. in Verr. V. 47. citat Iohnsonus, quemadmodum in sua et Gronoviana Editt. repererat; (addere etiam potuit, Graeviana et Gruteriana:) etsi et illic libri nonnulli *securim* praeferant.

56) Vossius Nonium secutus, *pelvim* solum reperiri existimat: at *pelvem* non modo ap. Apul. Met. IX. p. 270. sed etiam ap. Celsum, nec uno in loco, habetur. V. eum IV. 24, et VI. 9. extr. Confirmat quoque ablativus *pelve*, ap. eund. IV. 17. et Petron. c. 70. ut contra, *pelvi* habet Plin. XXVIII. 8. et XXXI. 8.

57) *Strigilem* habet Celsus, VI. 7. §. 1. *strigilim* tanquam frequentius nominat Nonius.

58) *Cutim*, Quintiliani est, X. 2. et Apuleii in Apol. p. 485. Celsus, III. 21. utroque utitur; alii fere *cutem*. * *Aqualim* habet Plaut. Curcul. II. 3, 33. *clavim* idem Mostell. II. 1, 57. et Tibull. it. 4, 31. teste, qui locum adfert Charisio, col. 101. *febrim*, Cic. Fam. VII. 26. init. Sueton. Tit. 10. et Horat. Sat. II. 3, 294. *lentim*, Cato, R. R. c. 35. et Varro, ap. Charis. loco proxime laudato: *sementim* Cato, R. R. 27 et 30. et Colum. R. R. XI. 2. *navim* denique in plerisque veteribus codd. ap. Virg. Aen. V. 283. testatur Pierius, quanquam Varro, ap. Charis. loc. cit. *navem* per *e* proferre iubeat. * *Torquis* quoque et *bipennis im* nonnunquam habere volunt Ninivita et Lilius, at neutrius exemplum iam extare monet Iohnsonus.

59) Non tamen damnem *cratim* et *praesepim*, quibus usus est Plautus, Poen. V. 2, 65. et Curcul. II. 1, 13. pro posteriore autem nunc fere *praesepe* dicimus. * Huc referri potest et *partim*, a *pars*, quod vulgo adverbiis annumeratur.

60) *A* praecipue locum habet in accusativis nominum Graecorum, in AN, ON, OR, AS, IS, OS, US, YS et YX: ut, *Titana*, *Babylona*, *Hectora*, *Pallada*, *Amaryllida*, *rhinocerota*, *Amathunta*, *Trachyna*, *Styga*: rarius in aliis, in *X* vel ES, vel S, praevia consonante: ut, *thoraca*, *Syringa*, *Dareta*, *Aethiopa*, etc. V. Ursin. Tom. 1. p. 206. Illud praeterea observandum, hanc terminationem solis fere Poetis pecu-

Digitized by Google

His adde tria, in *is* purum, seu praecedente vocali, genitivum finientia: *Tros*, *Trois*, *Troem* et *Troa*; *Minos*, *Minois*, *Minoem* et *Minoa*; *heros*, *herois*, *heroem* et *heroa*.

Tria porro sunt quae per *a* fere solum flectuntur: *Pan*[61]); *aether*, *delphin*; *Pana*, *aethera*, *delphina*, vix *Panem*, *aetherem*, *delphinem*[62]).

II. Nomina in EUS diphthongum terminata, accusativum faciunt in *ea*: ut, *Theseus*, *Thesea*; *Tydeus*, *Tydea*[63]).

49. At maribus Graiis fuerit si finis IS, YSve,
Quartus in *im* vel in *ym* non crescens saepius exit;
Aut *in* et *yn*: raro per *idem* cernes, *ida* nunquam.
Vult *ida* femineum, vel *idem*; sed rarius *im* dat.
Se sed in *os* purum patrius cum terminat, *m*, *n*, *S* vice si recti pones, formes tibi quartum.

---

farem esse: sed non ita tamen, quin et illi *em* nonnunquam adhibeant! et e contrario soluta oratione scribentes u (licet raro) utantur, ut Iohnsonus, App. p. 99 et 108. adversus Vossium et Methodistam Gallum ostendit.

61) Ut distinguatur a Latina voce, *panem*. Vid. supra ad reg. 23. n. 70.

62) Addit Deixius noster *Paean*, *Paeana*: et ita quidem longe frequentius; *Paeanem* tamen dixit Cicero, de Orat. I. 59. *Aera* quoque in accus. semper dicendum, non *aërem*, quidam volunt. At *aërem patentem* habet Vitruvius, IX. 9. et *prementes aërem*, idem X. 12. Item Celsus, III. 7. §. 2. *multum et purum aërem*: et IV. 7. extr. *purum aërem recipere*: et Plin. XVIII. 1. *ipsum aërem*. Sic *proximum aërem*, *ipsum aërem*, *aërem marem iudicant*, et *tenuissimum aërem* habet Seneca, N. Quaest. I. 3. II. 29. III. 14. et VII. 24. Huc accedit quod Charisius, lib. 1. col. 97. veteres *aërem* ait, non item *aetherem* sed *aethera*, dixisse. *Aëra* tamen non Poetis modo, sed aliis etiam usitatius videtur. Vid. Plin. II. 38 et 43. X. 23. et XXXI. 3. Petron. c. 127. Senec. N. Q. VII. init. Apul. de doctr. Plat. p. 575. et de Deo Socrat. p. 679. apud Ciceronem quoque ipsum, de Nat. Deor. I. 10 et 15. *aëra*, (non ut in quibusdam, *aërem*,) emendatiores codd. exhibent.

63) Hic verus est, et (apud Poetas saltem) longe usitatissimus eorum nominum accusativus: aliter vero, cum per *eum* declinatur, a recto in *eus* divisis syllabis, atque secundae declinationis, illum accusativum traxisse censenda sunt. V. supra ad reg. 15. n. 32. In hoc nimirum Latinam, in illo Graecam consuetudinem sequuntur. Interdum, licet rarissime, et contra utriusque linguae, ut Vossius ostendit, analogiam, eos habent; ut, in illo Ovidii in Ibin, v. 600. *Strymoniae matres Orphea esse ratae*: neque propterea, adversus MStorum et vett. codd. fidem, cum quibusdam, *Orphea te esse*, idem vir summus legendum pu-

Digitized by Google

III. Nomina Graeca in IS vel YS[64]), masculini generis[65]), terminata, si genitivum in *is* vel *os* impurum declinant, accusativo *im* vel *in*, et *ym* vel *yn* habent non crescentem; rarius vero *idem*, nunquam *ida* admittunt: ut, *Paris*, *Paridis* vel *Paridos*; *Parim* vel *Parin*; interdum *Paridem*[66]), nunquam *Parida*; *Daphnis*, *-idis* vel *-idos*; *Daphnim* vel *Daphnin*, raro *Daphnidem*, nunquam *Daphnida*[67]).

IV. In IS vel YS feminina, impure declinata, saepius *idem* vel *ida*, et *ydem* vel *yda*; raro autem *im* vel *in*, aut *ym* vel *yn* habent: ut, *Elis*, *-idis* vel *-idos*, *Elidem*, *Elida* et *Elin*; *Aulis*, *-idis* vel *-idos*, *Aulidem*, *Aulida* et *Aulim*; *chlamys*, *chlamydem* vel *chlamyda*[68]),

---

tat; Heinsii quoque, *Orpheon* in *Orpheos* mutantis, emendationem, eandem ob causam, vix probaturus. * Inveniuntur etiam accusativi *Achillea*, ap. Lucan. X. 528. *Eteoclea*, ap. Stat. Theb. VII. 589. et *Agathoclea*, ap. Auson. Epig. VIII. ab antiquis nominativis (uti videtur) *Achilleus*, *Eteocleus*, *Agathocleus*. V. quae de eiusmodi nominibus superius diximus, reg. XXIII. * Porro Virgilius, Aen. XI. 243. crasin Graecorum imitatus, *Diomede* in accusativo extulit, pro *Diomedea*, vel *Diomedem*, testibus Servio et Pierio: illi enim Διομήδεα in Διομήδη contrahunt. Idem denique Virg. ad imitationem Ionicae dialecti, qua horum nominum accusativus in ῆα terminatur, *e* ante *a* nonnunquam producit, *Ilionea*, *Idomenea*, Aen. I. 611. et III. 122. V. Voss. Anal. II. 7.

64) Hoc pacto visum est, cum accuratissimo Iohnsono, App. p. 101. et seqq. accusativos nominum Graecorum in IS vel YS, ex vario eorum genere potius constituere, quam eos cum Vossio, Ursino, aliisque, a Graeco nominativi accentu arcessere; cuius notitia, uti tironibus penitus incomperta, ita doctorum saepe memoriam fugere soleat.

65) Nullum mihi in YS masculini generis nomen succurrit, cuius genitivus exeat in *os* impurum, praeter *Phorcys*: et forte huius quoque genitivus *Phorcynos*, et accus. *Phorcynem*, vel *Phorcyna*, a recto sunt *Phorcyn*, ut supra reg. 88. ex Prisciano notavimus. Itemque de *Trachys*, *Gortys*, et si quae similia sunt, femininis, *ynos* et *yna* habentibus, existimandum est. Caetera, quod sciam, masculina, et pleraque etiam feminina in YS, per *os* purum declinantur, ac proinde ad canonem Vtum pertinent.

66) Negat H. Stephanus *Paridem* usquam reperiri: sed contrarium monstrat Vossius ex Virgil. Aen. V. 370. et Iuven. VI. 87. et Cicer. Epist. ad Octav. et Suet. Ner. c. 54. Addit Iohnsonus et ex Tacit. Hist. XIII. 19, 5. Hane autem terminationem Latinos haud prorsus refugisse, ostendunt *Eupolidem*, ap. Pers. I. 124. *Adonidem*, ap. Claudian. XI. 16. *Nabidem*, ap. Livium, XXXII. 21. et Iustin. XXXI. 3. ut ab iisdem observatum.

67) Ad hunc canonem sola referenda sunt, hominum, deorum et fluviorum propria. Et hominum quidem, ut modo vidimus, quaedam *idem* recipiunt: Deorum vero aut fluviorum, (si Iohnsoni solertiae fidendum sit,) nulla, praeter unum *Phasidem*, ap. Solinum, c. 31. non magnae auctoritatis scriptorem.

68) Ita Vossius et Ursinus declinant: at Iohnsonus a nullo auctore

Digitized by Google

non *chlamyn*; *Phyllis*, *Phyllidem* vel *Phyllida*, non *Phyllim* vel *Phyllin*[69]), feminae nomen.

V. At Graeca nomina in IS aut YS, tam masculina quam feminina, genitivum in *os* purum mittentia accusativum formant mutando *s* nominativi in *m* vel *n*: ut, *metamorphosis*, *eos* vel *-ios*, *metamorphosim* vel *-in*; *Erinnys*, *-yos* vel *yis*, *Erinnym* vel *-yn*; *Halys*, *-yos* vel *-yis*, *Halym* vel *-yn*, fluvii et viri nomen[70]).

---

chlamyda prolatum affirmat. Pro illis tamen facere satis videtur, quod in eo casu plurali *chlamydas* inveniamus ap. Persium, VI. 46. indeque deductum nominativum singularem *chlamyda*, *-dae* ap. Apuleium, Met. XI. p. 383. eodem modo quo *lampada* Plautus Cas. IV. 4, 16. *cassida*, Virgil. Aen. XI. 775. et *cratera*, idem Apul. Florid. XX. p. 821. in prima extulerunt, ab accusativis sing. tertiae, *lampada*, *cassida*, *cratera*.

69) Ex nominibus ad hunc canonem spectantibus, 1. *Idem* et quandoque *ida*, nunquam vero *im* vel *in* habent Appellativa in *idis* vel *idos* crescentia; ut, *absis*, *aclis*, *aegis*, *aspis*, *cenchris* (pro ave) *coronis*, *diplois*, *endromis*, *iaspis*, *paropsis*, *pixis*, *proboscis*, *periscelis*, *pyramis*, *tyrannis*, etc. 2. Saepius *ida*, raro *idem*, nunquam *im* aut *in*, habent Patronymica et librorum nomina: ut, *Atlantis*, *Aeolis*, *Aeetis*, *Athamantis*, *Chryseis*, *Cisseis*, *Cadmeis*, *Ibis*, *Inachis*, *Latois*, *Minois*, *Nicteis*, *OEbalis*, *Phorcynis*, *Peneis*, *Phoronis*, *Tantalis*, *Thaumantis*, *Tyndaris*, etc. item *Aeneis*, *Achilleis*, *Thebais*: quibus adde (apud Poetas praesertim) gentilia et quasi patronymica feminina: ut, *Atthis*, *Asonis*, *Aganippis*, *Amazonis*, *Erymanthis*, *Libystis*, *Pharsalis*, *Memphitis*, *Sarmatis*, *Sicelis*, etc. 3. Caetera feminarum nomina genitivo crescentia, Poetis fere *ida*, aliis scriptoribus, in quibus et Comicos numero, *idem* saepius habent: ut, *Amaryllis*, *Bacchis*, *Byblis*, *Chrysis*, *Chloris*, *Doris*, *Eris*, *Mysis*, *Phyllis*, *Salmacis*, *Thais*, *Lais*, *Briseis*, etc. item regionum et aliorum locorum nomina: ut, *Chalcis*, *Colchis*, *Locris*, *Phocis*, *Persis*, *Propontis*, etc. † Ex femininis tamen crescentibus, *im* vel *in* solum habentia notat Iohnsonus, *Ibis*, *Iris*, *Semiramis*, *Syrtis*, *Tibris*, *Themis*, *Thetis*, *Tigris*, tam pro animali, quam pro fluvio. *Elis* vero (ut idem observat) *Elin* habet et *Elidem*, *Aulis*, *Aulim*, *Aulidem* et *Aulida*; *Maeotis*, *Maeotim*, *Maeotin*, *Maeotidem* et *Maeotida*. *Iris*, pro Dea vel Nympha, aut arcu coelesti, *Irim* tantum habet; pro planta *irim* vel *iridem*. Denique gemmarum nomina in *itis* (de quibus non meminit Iohnsonus) qualia sunt, *cadmitis*, *capnitis*, *ceritis*, *galactitis*, *hammitis*, *nebritis*, *ostracitis*, *phoenicitis*, *selenitis*, et plurima alia ap. Plin. XXXVI. 10, 11. quamvis ei scriptori per *idis* vel *idos* inflectantur, accusativo tamen *in* tantum habent: ut, *anthracitide*, *dendritide*, *chelonitides*, *ostracitidi*: at *ostracitin*, *sauritin*, etc. Confer supra, reg. 34. n. 14.

70) Ad canonem quintum pertinent, 1. Nomina feminina in *polis* et *sis* exeuntia, qualia superius ad reg. 34. n. 13. memoravimus. 2. Propria quaedam in *is*, tam masculina quam feminina: ut, *Leucaspis*, et (si fides Despauterio) *Anacharsis*, virorum nomina. Sic *Alcestis*, *Lachesis*, *Opis*, *Procris*, etc. feminarum: item *Charybdis*, *panegyris*, *cappāris*, *magydaris*, *pristis*, etc. quorum genitivus nominativo similis: quamvis *Alcaeidis* Buchananus noster, *Anacharsidis* Faber in Lexico declinent. 3. Omnia fere in YS finita utriusque generis: ut, *Atys*, *Ca-*

Digitized by Google

Ablativus singularis Substantivorum.

50. Sextus *e* vult: quibus at rectus per E clauditur
i dant,
(Propria ni fuerint:) AL et AR neutralia iunge.
Deme *iubar*, *sal*, *far*, *par* fixum, *nectar* et *hepar*.
Sed solet has leges migrare licentia vatum.

Ablativus tertiae nominum substantivorum exit in *e*: ut, *panis*, *pane*.

Exc. 1. Nomina in E, et neutra in AL et AR terminata, ablativo *i* habent: ut, *ovile*, *ovili*; *cervical*, *cervicali*; *laquear*, *laqueari*[71]).

† At propria in *E* retinent *e* in ablativo: ut, *Praeneste*, *Reate*, *Caere*; *Soracte*[72]).

† Item haec in AL et AR finita; *iubar*, *iubare*; *sal*, *sale*; *far*, *farre*; *par*, substantivum, *pare*[73]); *nectar*, *nectare*; *hepar*, *hepate*[74]).

† Poetae denique *e* pro *i* utuntur; ut, *laqueare* apud Virgilium: *mare* apud Ovidium [75]); pro *laqueari*, *mari*.

51. *I* quoque dant *in* et *im* tantum facientia quarto.
Cannabis at, *Boetis*, *Tigris* voluistis utrumque.
Ym quibus in quarto est, *ye* dant, aut *m* modo demunt.

---

pys, *Corys*, *Dictys*, *Tiphys*, virorum, *Gerys*, *Halys*, *Metys* fluviorum, *Othrys*, montis, *Tethys* Deae, *chamadrys*, *chamapitys*, *stuchys*, herbarum nomina.

71) Una atque eadem horum ablativorum ratio videtur esse: ut scil. a nominativis et accusativis (similiter alioquin exituris) distinguerentur: nam in AL et AR olim in *ale* et *are* terminabant, et plerique, ut Ursinus notat, primitus adiectiva erant.

72) De propriis istiusmodi vide cap. III. reg. 9. n. 38.

73) Sic Ovid. Fast. III. 193. *Cum pare quaeque suo coeunt volucresque feraeque*; et Fast. IV. 98. *Ille docuit iungi cum pare quemque suo*: et similiter *compar* substantive acceptum; notante Johnsono, in illo Martialis, VI. 77. *Atlas cum compare mulo*; vel, ut in melioribus legitur, *compare gibbo*.

74) Addunt quidam *gausape*, quo ablativo utitur post Lucilium Horat. Sat. II. II. 8, 11. Utrum vero illud sit a nominativo *gausapes*, vel *gausapis*, an a *gausape*; quod rursum alii declinabile statuunt, alii indeclinabile, dubium. V. Vos. Anal. I. 35. Ursin. p. 137. * *Mane* autem ablativo *mane* retinere notat Johnsonus: ut, *sub obscuro mane*, Colum. VII. 12. *a mane diei*, Hirt. B. Afric. c. 42. at vide cap. III. reg. 20.

75. *Sub laquearé domûs* — Virg. Cul. 63. *Exiguum pleno de mare*

Exc. 2. Nomina in IS, quorum accusativus in *im* vel *in* tantum de habent *i* solum in ablativo: ut, *vis*, *vim*, *vi*; *sitis*, *sitim*, *siti*[75]); *haeresis*, *haeresim* vel *haeresin*, *haeresi*.

† E tamen nonnunquam habent, *canabis*, *cannabi*, vel *cannabe*; *Baetis*, *Baeti*, vel *Baete*; *Tigris*, *Tigri*, *Tigre*, vel *Tigride*, fluviorum nomina[77]).

Exc. 3. Nomina in YS, quorum accusativus in *ym* aut *yn* exit, ablativum in *ye*, quandoque etiam in *y* faciunt: ut, *Atys*, *Atye*, vel *Aty*, nomen viri; *Tethys*, *Tethye*, vel *Tethy*, Deae nomen[78]).

52. Dant *e* vel *i* sexto queis quartus in: *em* vel in *im* fit.

Excipe sed *restis*, quod *e* semper, cum *cute*, donat.

I mage *sementis*, *frigilis* petit atque *securis*.

Quod simul *im* vel *idem* formant, capit *i* sibi raro.

Exc. 4. Nomina in IS, accusativo *em* vel *im* habentia, ablativum similiter in *e* vel *i* faciunt: ut, *turris*, *turre*, vel *turri*; *clavis*, *clave*, vel *clavi*[79]). † At *restis*,

---

demit aquae, Ovid. Trist. v. 2, 20. Vid. eund. in Ibin. v. 198. Plaut. Mil. IV. 7, 26. et Lucret. I. 162. et ita olim alios praeter Poetas locutos docet Charisius lib. I. col. 44 et 111. *Rete* etiam in ablat. utitur, non dentum Plautus, Rud. IV. 18, 81. Ovid. vid. Fast. V. 371. et Halieut. v. 23. sed etiam Plin. XI. 24, §. 28, et XXXII. 2, §. 5. et Sueton. Ner. 30. nisi hoc potius a nominativo *retis*, quo idem Plautus et Varro utuntur, videatur deflexum. V. cap. I. reg. 31. n. 38.

76) *Site* tamen ap. Boetium, lib. III. metr. 12. pro *siti*, notat Dausquius: *base* quoque, pro *basi*, habet Plin. XXXVI. 5. at neutrum facile imitandum existimem. *Sinape* etiam in ablativo habet Varro, R. R. I. 59. sive hoc sit a recto *sinapis*, sive a *sinap*, quo utitur Columella, XII. 54.

77) Sic Pers. V. 146. *torta cannabe*. Liv. XXVIII. 21. *superato Baete amni*. Tac. Annal. VI. 37, 5. *Euphrate et Tigre inclytis amnibus circumflui*, sc. *campi*. Claudian. VIII. 43. *quantum distant a Tigride Gades*. Addit Deixius noster; Ursinus et alii, *Arare* ab *Araris*: at is ablativus (a Caesare quidem B. G. I. 13 et 17. adhibetur,) a recto est *Arar*, quo idem, ibid. 12. Tibull. I. 8, 11. Lucan. V. 476. Sil. XV. 502. et Claudian. XVII. 53. utuntur. Confer et Voss. Anal. II. 11.

78) Ut Liv. 4. 37. *Capuam ab duce eorum Capye appellatam*. Id. XLII. ult. *Cum Cotye Thessalonicam est profectus*. Tacit. Annal. II. 65, 1. *A Cotye dimissa sunt auxilia*. Sil. Ital. V. 595. *Ceu pater Oceanus cum saeva Tethye Calpen Herculeam ferit*. Rursus, carmen Catulli LXI. de *Aty* inscribitur: et Liv. I. 3. *Latinō Albā ortus*, *Alba Atys*, *Aty Capys*, *Capy Capetus*, [V. Voss. Anal. II. 11. init.] quanquam illic *Atye* et *Capye* Gronovius legendum contendat.

Digitized by Google

cutis, *reste*, *cute*, tantum habent, *Semente* vero, *strigile* et *secure* raro inveniuntur[80]).

Graeca in IS, quorum accusativum in IM, vel *idem*, desinere supra diximus, *i* in ablativo rarissime admittunt; ut, *Paris*, *Parim*, et *Paridem*, *Paride*, vix *Pari*; *Aulis*, *Aulim*, et *Aulidem*, *Aulide*, vix *Auli*[81]).

53. Haec quoque dant *e* vel *i*: *finis*, cum *rure*, *supellex*,
Occiput et *vectis*: per UBI cum quaeritur, urbes,
Et *pugil*, et *mugil* iungas. Per *e* saepius effer,
I raro, *civis*, *classis*, *sors*, *anguis* et *imber*,
Unguis, *avis*, *postis*, *fustis*, simul *amnis* et *ignis*.
Usus plura tulit priscus, quae respuit aetas
Cultior. *I* tantum sexto retineto *canalis*.

Exc. 5. Sequentia nomina, licet in accusativo *em* solum habeant, ablativum tamen faciunt in *e* vel *i*: e quibus quinque priora, *finis*; *rus*; *supellex*; *occiput*; *vectis*, *e* vel *i* ex aequo fere admittunt. Item nomina urbium, cum per UBI adverbium quaestio fieri possit: ut, *habitat Carthagine*, *Tibure*, *Sicyone*; vel *Carthagini*, *Tiburi*, *Sicyoni*, etc.[82]). Quibus forte addi etiam possunt *pugil*; *mugil* vel *mugilis*[83]).

---

79) Sic *cucumis*, quia in accus. *cucumim* et *cucumerem*, in ablativo pariter *cucumi* et *cucumere* habet. Hoc Celsi est, VI. 7. §. 8. et Plinii, XIX. 8. §. 41. extr. illud eiusdem Plinii, XX. 9. §. 40.

80) Priscianus, lib. VII. col. 767. eumque secuti Sulpitius, Despauterius, Ursinus et alii, *strigili* in ablativo tantum dici volunt: Iohnsonus etiam, quanquam fatetur Plinium in lib. dub. serm. *strigile* quoque admittere, negat tamen in libris qui nunc supersunt, *strigile* usquam reperiri. Verum illud diserte ap. Columellam habetur, VI 31. *Papulae usque eo strigile raduntur, quoad eliciatur sanguis.* * *Secure* ex Ovid. Epist. Cydipp. v. 117. adfert idem Iohnsonus: in multis tamen et praestantioribus codicibus *securi* illic legitur. * *Sementi* habet Colum. II. 9 et 12. et XI. 2. *semente* Ovid. Fast. I. 667. et Pallad. Nov. 1.

81) *Theti*, pro *Thetide*, tanquam exemplum unicum ex Plauti Epid. I. 1, 33. citat Vossius: cui addit Iohnsonus ex Plinio, XXII. 22. (quod Vossius dicendum negat) *iri*, pro *iride*. Alia huiusmodi in *i* aegre reperies. Quocirca, cum Despauterio, *Pari*, aut *Daphni*, pro *Paride* aut *Daphnide*, vix usurpanda putem.

82) Haec, et similia in *i*, Servius, Despauterius et alii dativos esse existimarunt: at veros esse ablativos parte secunda post demonstrabimus.

83) *Pugile* vel *i* habere affirmant Nebrissensis, Despauterius, aliique: at *pugili* hoc casu nondum inventum. * *Mugili* in ablativo declinant Rhenius, Schmidius, Lithocomus, nixi auctoritate Plinii, cui cap. 17. lib. IX. titulus est, *de mugili piece*. Sed titulos hosce Plinii non

Digitized by Google

In reliquis vero e longe usitatior est: *civis*; *classis*; *sors*; *anguis*; *imber*; *unguis*; *apis*; *postis*; *fustis*; *amnis*; *ignis* [84]), [85]).

---

esse recte a magno Vossio observatum. Certe Plinius ipse lib. VI. serm. dubii (referente Charisio lib. I. col. 110.) *mugile* praeferre videtur, analogia ductus genitivi pluralis *mugilum*; quo et ipse utitur IX. 8. et 17.

84) In hac phrasi, *Aqua et igni interdicere*, *igni* peculiare esse, nec *igne* dicendum, monet Johnsonus App. p. 92. Idem tamen in Additt. p. 34. se *aqua et igne interdicere* reperisse fatetur ap. Tacit. Annal. XII. 42.

85) *Civi* habet Plautus Pers. IV. 3, 6. et Cic. ad Att. VII. 3. et ibid. XIV. 11. *classi* Virg. Aen. VIII. 11. Vell. Paterc. II. 79, 2. *sorti* Plaut. Casin. II. 7, 5. Virg. Geor. IV. 165. Sil. Ital. VII. 368. et Liv. XXIX. 20, ita emendante ex MSS. Gronovio. *angui* Horat. Epist. I. 17, 30. et Cic. Div. II. 31. *imbri* Cic. Verr. III. 14. Virg. Geor. I. 393. et alii. *ungui* Horat. Car. I. 8, 4. et III. 6, 24. et Epist. I. 19, 46. et Lic. Calvus ap. Charis. col. 120. *avi* Horat. Car. I. 15, 5. Varro, L. L. VII. et Cic. de August. ap. Charis. col. 98. et Divin. I. 16. et Div. II. 70. *posti* Ovid. Met. V. 120. *fusti* (de quo dubitat Alvarus) habet Plaut. Asin. II. 4, 21. et Capt. IV. 2, 116. Tacit. Annal. XIX. 8, 6. Val. Max. VIII. 1. Sallust. Hist. Frag. VI. 15. Hirt. B. Hisp. c. 27. et Apul. Met. IV. p. 105. *amni* (quod immerito reiicit Frischlinus) Horat. Sat. I. 10, 63. Colum. R. R. X. 136. et Virg. Geo. I. 203. et Geo. III. 447. confirmante eam lectionem, hinc Charis. col. 98. illinc Prisciano. col. 766. *igni* Virg. Geo. I. 196. et Aen. IV. 2. Horat. Car. I. 4, 8. et I. 34, 6. Sil. Ital. I. 115. Claudian. III. 9. Ovid. Her. IV. 33. Vell. Pater. II. 88, 3. et 110, 6. Quintil. Declam. X. 5. ℐ His addi postum: *bili* Cic. Tusc. III. 5. Plaut. II. 2, 95. Lucret. IV. 668. *colli* Lucr. II. 317 et 322. *labi* Id. V. 928. *lapidi* Id. I. 888. *luci* Id. IV. 286. et VI. 875. Plaut. Cistell. II. 1, 49. Ter. Adel. V. 3, 55. vel (ut alii legunt) *lucu*; *orbi* Lucr. II. 543. et V. 75. et ita locutos Ciceronem, Rutilium et Santram notat Plinius ap. Charis. col. 112. *oneri* Plaut. Pseud. I. 2, 64. *parti* Plaut. Monaech. III. 2, 14. Cic. in Arat. Lucr. I. 1104. III. 610. IV. 518. V. 512. et VI. 694 et 721. *sordi* Lucret. VI. 1269. *segeti* Cato, R. R. c. 37. * Huc adde *tempori* et *vesperi*, quae quasi adverbialiter posita in usu remanserunt. * Charisius, Priscianus et Varro alios eiusmodi ablativos memorant: ut, *cani*, *fonti*, *monti*, *nepti*, *ovi*, etc. Adiiciunt denique recentiores, *affinitati*, *assi*, *capiti*, *convalli*, *furfuri*, *laudi*, *melli*, *menti*, *stercori*, *urbi*, etc. ex nullis, aut incertis, ac iam fere immutatis auctorum loeis deprompta: qualia etiam sunt, *doti*, *conditioni*, *ferruminationi*, *institutioni*, *muneri*, *petitioni*, *promissioni*, etc. a Sanctio ex libris Pandectarum allata. * In his autem Virgilii Ecl. VI. 16. *Serta procul tantum capiti delapsa iacebant*; et Aen. VII. 666. *Tegumen immane leonis Indutus capiti*; et Aen. IX. 810. *Discussaeque iubae capiti*: itemque in illo Phaedri, I. 3, 5. *Pennas pavoni quae deciderant sustulit*; *capiti*, quod Sanctius, et *pavoni*, quod Willymottus ablativo existimant, mihi potius dativo posita videntur. Caeterum qui de hisce plura desiderant, adeant Aus. Pompmam de usu antiq. locut. 1. 9. Sanct. Minerv. II. 7. Voss. Anal. II. 12. Ursin. T. I. p. 195. Gifanii Indic. Lucret. in voc. *colli* et *parti*. Heins. ad Vell. Paterc. II. 31. Drakenb. ad Sil. Ital. VII. 368. Johns. App. p. 92. et Additt. p. 34.

Digitized by Google

¶ Vetustissimi scriptores *i* plurimis aliis nominibus ablativo interdum tribuerunt: ut, *aestati*, *cani*, *lapidi*, *nepti*, *avi*, etc.[86]).

Exc. 6. *Canalis*; quamvis in accusativo *canalem*, ablativo tamen *canali* tantum habet[87]).

Ablativus sing. Adiectivorum.

54. Adiectiva petunt *e* vel *i* sibi nomina sexto.
Quod si se neutrum per *e* terminat, *i* modo poscunt:
Queis *e* tamen vatum quandoque licentia donat.
I quoque *par* simplex tantum tenet, et *memor*, *Hospes*,
Pauper item, *sospes*, *pubes*, nil praeter *e* formant.
Vix dabit *i* *coelebs*, *dives*, *potis* orta, *superstes*:
Adiice quae *corpus*, quae *pes* genuere *color*que.

Nomina adiectiva *e* vel *i* in ablativo admittunt: ut, *audax*, *audace*, vel *audaci*; *vetus*, *vetere*, vel *veteri*; *hebes*, *hebete*, vel *hebeti*[88]).

Exc. 1. Adiectiva quorum neutra *e* litera terminantur, in ablativo *i* solum habent: ut, *suavis*, *suave*; *suavi*; *volucer*, *volucre*; *volucri*.

¶ Poetae tamen metri causa quandoque *e* pro *i* utuntur: ut, *Specie coeleste resumpta*; *Hument fonte perenne genae*, apud Ovidium[89]): pro, *coelesti*, *perenni*[90]).

---

86) Imo et Sanctius et Scioppius omnes ablativos tertiae antiquitus in *e* vel *i* desiisse affirmant; cuius rei rationem tradit celeberrimus Perizonius ad eiusd. Sanctii lib. II. c. 6. n. 4.

87) Ita docet Charisius col. 98. ac deinde Alvar. p. 210. Voss. Anal. II. 11. extr. Iohns. dict. loc. etc. Apuleius tamen Met. VI. p. 188. *canale* habet.

88) Huc adde *plus*, quod non tantum *pluri*, ut docuerunt Despauterius et Alvarus, sed *plure* etiam habere Vossius ostendit, Anal. II. 11. Charisius autem col. 44. *pluri* in ablativo dicendum negat.

89) Met. XV. 743. et Heroid. VIII. 64.

90) Sic Ovid. Heroid. XVI. 277. *Ut a coeleste sagitta figar*: et Fast. VI. 158. *Extaque de porca crûda bimestre tenet*: pro, *coelesti*, *bimestri*. In illo autem eiusden poetae, Fast. III. 654. *Amne perenne latens Anna Perenna vocor*, quod huc adferunt Ninivita et Iohnsonus, *perenne* adverbialiter positum, (eodem modo quo ap. Colum. XII. 18. et *aeternum* crebro sumi solet,) ostendit Vossius Anal. II. 11. Caeterum in hia et similibus, adiectivum iuxta substantivum suum, aut quam fieri potest proximum, ambiguitatis vitandae causa, collocandum, ut in exemplis allatis, Iohnsonus, p. 91. praecipit. ¶ Neque Poetas modo, sed Historicos etiam ac Oratores ablativos interdum sic extulisse tradit

Digitized by Google

Exc. 2. *Memor* tantum *memori* facit; et *par* simplex, *pari*[91]). At eius composita *e* vel *i* habent: ut, *impar*; *dispar*, *-re* vel *-ri*.

Exc. 3. *Hospes*; *pauper*; *sospes*; *pubes*, seu *pubis*, et eius compositum *impubes*, *e* solum contenta sunt; *hóspite*, *paupere*, *sospite*, *pubere*[92]), *impubere*[93]).

¶ His etiam forte addi possunt, *coelebs*; *dives*[94]); *compos*; *impos*, (composita a *potis*, i. e. *potens*;) *superstes*: item composita a *corpus*, *pes* et *color*: ut, *tricorpor*; *tripes*[95]), *concolor*[96]).

Charisius, col. 168. et seqq. citatque ex Cicerone, *Quo stante et incolume*: et, *Aliquo excellente et nobile viro*: ex C. Nepote, *A virgine Vestale*: et ex Sallustio, *Agreste*. * Quin et idem Charisius, loc. cit. quoties de homine sermo est, iubet omnia eiusmodi per *e* efferri. Atque ait idcirco Pomponium dicere; *Ex humile Rege*; de re dicturum fuisse, *Ex humili re*. Et eandem fuisse tradit sententiam Plinii in libris dub. serm. Atqui, hóc discrimen non semper servatum ipse monet: Ciceronis enim in Orat. esse, *Ab hoc forti viro*; et Horat. Car. III. 5, 12. *Incolumi Iove et urbe Roma*; et Sat. I. 5, 92. *Qui locus a forti Diomede est conditus olim*. Utut vero haec res se Plinii Charisiique temporibus habuerit, certe in codicibus omnibus, quales ad manus nostras iam pervenerunt, nusquam fere ejusmodi ablativos aliter apud prosae scriptores, quam per *i* exaratos, sive de hominibus sive de rebus sermo sit, deprehendimus.

91) Quia olim in nominat. *paris pare*, *memoris memore*, dicebant; ut ex Capro et Prisciano Vossius observat, Anal. II. 12. qui etiam ex Servio ad Virg. Ecl. VIII. 75. *dispari*, *impari*, usitatius docet quam *dispare*, *impare*, dici. *Ancipiti* quoque *et praecipiti*, ab *anceps*, *praeceps*, vix *ancipite*, *praecipite*, flectendum vult Ursinus, p. 192. *Concori* etiam *concordi* habere videtur, vix *concorde*.

92) Cum autem parisyllabice declinantur, *pubes*, *pubis*; *impubes impubis*, *i* in ablativo habere possunt.

93) Lilius etiam *uber* et *degener* tanquam *e* solum habentia excipit. At *uberi solo* in ablat. Curtius, V. 1, 12. Senec. Herc. fur. v. 838. et Colum. R. R. V. 6. *degeneri sub hoste*, Lucan. IV. 344. *degeneri alimento*, Gellius, XII. 1. dixere. * Meliore iure *tricuspis* et *cognominis* excepisset, quae *e* solum in ablativo habere inveniuntur: ut, Ovid Met. I. 330. *Posito tricuspide telo*: et Virg. VI. 383. *Gaudet cognomine terra*. Cuius rei rationem hanc tradit Vossius, Anal. II. 11. quod eorum neutrum in *e* non desinat; sive, ut ego interpretor, non exstet. Posterius tamen Servius metri necessitati tribuit: quae et Ursini opinio est, qui se non dubitare ait, quin *cognominis* adiectivum, ut alia in *is*, neutrum in *e* miserit. * *Ales* quoque adiectivum *e* tantum habere videtur: ut ap. Stat. Theb. IV. 312. *Perabior alite vento*. Sil. III. 365. *alite plumbo*: et IV. 340. *alite planta*.

94) At *diviti cultu* habet Plin. III. 1. §. 3. init.

95) *Alipedi* tamen *curru* dixit Val. Flacc. V. 611.

96) His addit Nic. Frischlinus Disput. Gram. part. 2. proposit. 16. gentilia in AS; quae ablativo *e* solum ille habere existimat. Atqui per *i* quoque horum nominum ablativos efferri ostendit Vossius ex illo Cic. Attic. XI. 4. *de Irucinati* [supple *fundo*] *si modo futuri sumus, erit*

Digitized by Google

55. Pleraque mobilium quibus exit rectus in NS, Participans, mediique gradus, *i* rarius edunt.

℣ Pleraque nomina adiectiva quae in NS terminantur; item participia et comparativa, longe frequentius *e* quam *i* in ablativo habent: ut, *prudens*, *prudente* [97]); *amans*, *amante* [98]); *doctior*, *doctiore* [99]), rarius *prudenti*, *amanti*, *doctiori*.

---

res mihi opportuna. Hoc unicum adfert Vossius, quasi nullum aliud esset exemplum, damnatque (immerito mea sententia) Lambinum, qui in illo Cicer. pro Cluent. c. 16. *Ex municipio Aletrinati*, non *Aletrinate* (ut vulgo habetur) legendum putet: eius enim mutationis causam, non suam Lambinus, sed Prisciani auctoritatem adducit, qui lib. VII. col. 768. *Aletrinati* diserte scribit, non *Aletrinate*. Sed neque desunt alia huius rei exempla. Cic. Div. I. 28. extr. *Nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.* Et contra Rull. III. 4. *In agro Cassinati.* Et Attic. XV. 26. *Ex Arpinati.* Et leg. I. 1. *In Arpinati homine.* Et pro Planc. 8. *E praefectura Atinati.* Sic Livius, VIII. 1. *Duce Antiati populo.* Ibid. 12. *In agro Antiati:* et X. 30. *In Sentinati agro.* Ibid. 31. *In agro Interamnati:* et XXII. 13. *In agro Larinati:* et XXXIII. 26. *In agro Statiellati*, XLII. 7. et XLIII. 4. *In Apolloniati agro:* et alibi multis in locis. Quin et illud magis ex analogia esse, exinde colligere est, quod apud antiquiores eiusmodi gentilia in *atis* et *ate* desinebant. Vid. Priscian. col. 629 et 761. atque etiamnum ap. Cic. contra Rull. II. 31. *Ager Stellatis*, in melioribus libris invenimus. Quo minus mirum est alios contra Grammaticos hisce nominibus *e* in ablativo negasse. Sed eos quoque pluribus testimoniis Sanctius, Minerv. II. 7. p. 199. et Saturnius Mercur. mai. V. 17. extr. erroris sui convincunt.

97) Verrius Flaccus, nobilissimus Grammaticus, qui ab Augusto, ut eius nepotes doceret, centena in annum sestertia accepit, nomina in NS finita (ut tradit Charisius, col. 101.) ablativo *e* solum terminari volebat. Nec quin crebro sic desinant, dubitandum est. Interdum tamen et in *i* inveniri, multis exemplis ostendit Alvarus, p. 218. ut Cic. de Orat. III. 19. *Ex ingenti quodam immensoque campo.* Id. de Orat. II. 43. *Vehementi incitatione.* Sic *recenti memoria*, *recenti negotio*, *recenti invidia*, ap. eund. de leg. I. 1. in Verr. I. 39. ad Fam. V. 17. *Homo ingenio eleganti*, Gell. VII. 8. Ut Poetas sic frequentissime loquentes omittam. Quin et participia, per *i*, maxime cum fiunt nomina, inveniri, docet idem Alvarus: ut Cic. pro Arch. 7. *Homines excellenti animo ac virtute.* Id. ad Attic. II. 4. *Animo gaudenti, ac libenti.*

98) Participia in *ablativis* quos *absolute positos* vulgo appellamus, *e* solum terminari docent, post Laur. Vallam, in Anton. Raud. p. m. 5. Goclenius, Probl. Gramm. I. 24. Vossius. Anal. II, 12. Methodi auctor, p. 126. Iohnsonus, App. p. 92, etc. ut, Ovid. Fast. I. 320. *Quo ferente cadit*, Virg. Geo. IV. 191. *Pluvia impendente recedunt.* Sic *regnante Romulo*, *pugnante Caesare*; non *regnanti* aut *pugnanti.* At pauca in contrarium obducit exempla idem Iohns. Addit. p. 33. ut, Lucret. V. 683. *Dispersos igneis orienti lumine cerni.* Ibid. v. 885. *Membraque deficiunt fugienti languida vita.* Sall. Hist. III. 5. *Immensum aucto mari, et vento gliscenti.* Plaut. Pseud. I. 1, 123. *Dico omnibus, pube praesenti.* Ab Ursino quoque, p. 198. notatum est ap. eund. Menaechm. III. 2, 27. *Fecisti funus me absenti prandio.* Addo Cic. Div. I. 29. *Eaque parte*

Digitized by Google

56. Mobilium retinent legem fixa inde creata:
Hincque per *i* solum menses finirier optant.
At *rudis* et *iuvenis*, per *e* tantum flexa leguntur;
Cum propriis, et in IL, vel in X quod desinit,
aut CEPS,
Aut NS: sed deme *tridens*. Patiuntur utrumque
Natalis, *volucris*, *rivalis*, quaeque dederunt
IS recto similes voces: sed saepius *i* dant.

Substantiva ex adiectivis facta, eorum legem plerumque sequuntur: ut, *bipennis*, *bipenni*[100]), *molaris*, *molari*; *quadriremis*, *quadriremi*. Sic mensium nomina: ut, *Aprilis*, *Aprili*; *Quintilis*, *Quintili*; *November*, *Novembri*; *December*, *Decembri*[1]). Quia nimirum haec omnia adiective accepta *e* in neutro, ac proinde *i* in ablativo, habent.

Exc. 1. At *e* tantum habent, *rudis*, *iuvenis*. Item nomina propria: ut, *Clemens*, *Felix*, *Iuvenalis*, *Nobilis*[2]), *Melior*, etc. Etiam quae in IL, X, CEPS, aut NS fini-

---

enimi, *quae voluptate alitur*, *nec inopia enecta*, *nec satietate adfluenti*, Sil. Ital. I. 563. *Saxaque mananti subvectat vulnere miles.* [Cf. Bentleius ad Horat. Od. I. 2, 31. G. St.]

99) Comparativorum ablativos, cum feminino iunguntur, saepius postulare *e*, cum aliis generibus saepius *i*, docent Laur. Valla loc. cit. et Linacer, p. m. 191. ut *meliore fortuna*, *commodiore valetudine*, etc. *Constat maiori bellua sumptu*, Iuven. VII. 77. *Maiori pondere pressum Signifer mersere caput*, Lucan. VII. 162, etc. [Terminatio comparativorum in *e* longe usitatissima. Cicero quidem nonnisi semel altera usus est Tusc. I. 49, 117. ubi tamen nunc *superiore e loco* scribitur. Nec secus res habet apud Nepotem, qui semel tantum X. 2, 4. *maiori periculo*, dixit. Et Horatius quoque ablativum in *i* vitavit. G. St.] Quin porro Iohnsonus, loc. cit. non comparativorum modo, sed aliorum etiam adiectivorum tertiae ablativos in *i* desinere debere, quoties neutri generis substantivis apponuntur, affirmat: ut, *victrici ferro*, non *victrice*. At perpetuas non esse has distinctiones, Alvarus loc. supra laudato, et Iohnsonus, ipse se corrigens, Addit. p. 84. ostendunt. Verior igitur sententia videtur, Poetas in his omnibus metri rationem, prosa autem scribentes sonum atque aurium iudicium attendisse: aliter vero *e* quam *i* multo frequentiorem esse.

100) *Bipenne* tamen dixit Tibullus, I. 7, 53. Atque hinc quibusdam ansa est arrepta, *bipennis* interdum *bipennim* in accusativo flectendi. Atque *i* in ablativo tanquam adiectivum habet, *e* tanquam substantivum: cui distinctioni in accusativo nullus est locus.

1) Ausonius, qui in Eclog. *Et cum Septembre November* dixerit, vix imitandus videtur.

2) Sic Cicero ap. Prisc. col. 761. *A Iulio Natale.* Id pro Planc. 26. *Confiteor summa in Laterense ornamenta esse.* Liv. IV. 21. *M. Corn. Ma-*

Digitized by Google

untur: at, *vigil*, *senex*, *index*, *artifex*, *nutrix* [3]), *Princeps*, *particeps*, *adolescens*, *infans*, *serpens*, *torrens* [4]). † At *tridens*, *tridente* vel *tridenti* facit [5]).

Exc. 2. Adiectiva quaedam in IS (praecipue ea quae de homine dicuntur) substantive usurpata, quandoque substantivorum more *e*, saepius vero *i*, in ablativo habent: ut, *familiaris*, *rivalis*, *sodalis*, *natalis*, *volucris* [6]).

Nominativus pluralis.

57. Rectus pluralis capit *es*. *Ia* dat tibi neutrum
Quod dedit *i* sexto: medius gradus inde *vetás*que
Excipitur: *plus plura* petit, sed rarius edit
Pluria. Si solum dat sextus E, non *ia* pones.

1. Nominativus (ac proinde vocativus) pluralis desinit in *es*: ut, *panis*, *pànes* [7]).

---

luginense, *L. Papirio Crasso Cos.* Martial. VII. 24. *Cum Iuvenale meo quae me committere tentas*, etc. Caelius tamen per *i*, *A Fulvio Nobiliori*, dixit, ap. Charis. col. 112.

3) Sic et alia verbalia in *trix*: at *victrix* et *ultrix* adiective sumpta *i* quandoque habent; adeoque et pluraliter *victricia*, *ultricia*; *victricium*, *ultricium*.

4) *Continens* tamen per *e* vel *i* promiscue effertur: ut, Curt. X. 1, 11. *Ex continenti traiicere*. Nepos I. 7, 3. *In continenti lucus*, Caes. B. G. IV. 31. *E continenti comportari*. Id. V. 2. *A continenti*; et V. 6. *Ut in continenti remanerent*; et V. 8. *Labieno in continente relicto*; et V. 23. *Quae ex continente remitterentur*. Nempe quod haud raro substantivum una exprimatur: ut, Nepos II. 3, 2. *Inter Euboeam continentemque terram*, Varro ap. Charis. col. 100. *In terra continenti*.

5) Ut Ovid. Met. I. 288. *Ipse tridente suo terram percussit*, Virg. Aen. I. 149. *Levat ipse tridenti*: et Geo. I. 13. *Magno tellus percussa tridenti*: et, adiuncto substantivo, Val. Flaccus I. 688. *Spumas vomit aere tridenti*. * *Rudens* quoque *e* vel *i* habere videtur. Vitruv. enim X. 3. *Trochlea in summo capite machinae rudenti contineatur*: nisi hoc dativo positum existimes.

6) Sic *affinis*, *aedilis*, *contubernalis*, *popularis*, *patruelis*, *annalis*, etc. quibus, quia quodammodo naturam substantivorum induere, auctores quandoque *e* tribuunt. Sic *familiare* Varro et Rutilius, ap. Charis. col. 105. *aedile* iidem, ap. eund. col. 96, et Cic. pro Sext. c. 44. init. *patruele* C. Nepos, Ibid. col. 113. *sodale* Plinius Iunior Epist. II. 13. et Martialis Epig. I. 107. *rivale* Ovid. Amor, I. 95. *trireme* Caesar, Bell. Civ. II. 23. *natale* Lucan. VII. 291. *volucre* Plinius, IX. 8. protulerunt. V. Vossius Anal. II. 11.

7) Hi (ut alii obliqui casus) sumuntur a genitivo singulari: ut, *tigris*, *tigris* vel *tigridis*; plural. *tigres* et *tigrides*: *impubes*, *impubis* et *impuberis*; plural. *impubes* et *impuberes*. ¶ Nominativus quandoque in *eis* vel *is* invenitur: ac primum in iis quae Graece in εις contrahuntur: ut, *Syrtis*, *Trallis*, *Sardis*, *Alpis*; vel *Syrtis*, *Trallis*, *Sardis*, *Alpis*. Auctor

Digitized by Google

2. In nominibus neutri generis, si ablativus singularis, vel in *i* solum, vel in *e* aut *i* simul, desierit, tum nominativus, adeoque et accusativus et vocativus plurales, habent *ia*: ut, *mare*, *mari*, *maria*; *felix*, *felice* vel *felici*, *felicia*.

Exc. At comparativa in *a* solum exeunt: ut, *duriora*, *fortiora*. *Plus plura*, raro *pluria* habet: unde *complura* et *compluria*. *Vetus veterа*, non *veteria* facit [8]).

3. Neutra, quae ablativum singularem in *e* solum terminant, in nominativo plurali *a*, non *ia*, habent: ut, *dogma*, *dogmate*, *dogmata*; *nemus*, *nemore*, *nemora*.

Genitivus pluralis.

58. Praebet *ium* patrius, si sextus in *i* fuit ante.
Tolle *vigil*, *vetus*, *uber*, *inops*, *supplex*que, *memor*que,
Mugilis et *consors*, quibus et *pugil* et *celer* adde;
Atque gradus medios; (sed *ium plus* poscit.)
Adhaerent
His composta *genus*, *capio*, *facio*que, *caput*que.

1. Genitivus pluralis in *ium* desinit, si ablativus singularis habuerit *i* tantum, sive *e* aut *i* simul: ut, *alveare*, *alveari*, *alvearium*; *ferox*, *feroce* vel *feroci*, *ferocium*.

Exc. 1. Sequentia autem nomina *um* habent, non *ium*: *vigil* [9]), *vetus*, *uber*, *inops*, *supplex*, *memor* [10]), *mu-*

Priscianus, col. 775. confirmatque illo Horatii Epist. I. 11, 2. *Quid Crocesi regia Sardis*. Item in vocibus penitus Latinis, a singularibus in *is* venientibus, ut docet Varro, L. L. VII. 37. ut, *hae puppeis*, *resteis*; vel *puppes*, *restes*. V. Voss. Anal. II. 13. Duo autem eiusmodi exempla adfert Iohnsonus Addit. p. 84. unum ex Plauto, Mil. III. 1, 84. *Liberae sunt aedis*: alterum ex Tacito, Anal. III. 25, 2. *Cum omnis domus delatorum interpretationibus subverterentur*. Verum in hoc posteriore codices quidam *subverteretur* habent.

8) *Aplustra* et etiam *aplustria* dicimus; at hoc ab *aplustre*, illud ab *aplustrum*, quo Lucretius usus est IV. 439. Vossius recte deducit. Similiter *gausape*, quia in ablativo est *gausape*, in plurali non *gausapia*, sed *gausapa*, facere idem putat. At Charisius eorum potius sententiae favere videtur, qui *gausapa* a nominativo *gausapum*, quo usus est Cassius Severus ad Maecenatem, declinant. Certe veteres in nominat. *gausape* et *gausapa* et *gausapis* et *gausapum* dixere; ut parum de hac voce certi statuere liceat. Vid. Ursin. p. 187. Huc etiam referri possunt *tricorpora* et *tripectora*, quae (praeterquam quod ablativo *e* solum habere videantur) a *tricorporus* et *tripectorus*, quibus veteres utebantur, deduci queant. V. Voss. Anal. II. 13.

9) *Vigil*, sive substantive capiatur, sive adiective, non ausim aliter

Digitized by Google

gilis vel *mugil*, *consors* [11]), *pugil*, *celer*: *vigilum*, *vetorum*, etc. [12]).

Exc. 2. Comparativa etiam habent *um*: ut, *durior*, *duriorum*; *mollior*, *molliorum*. At *plus plurium* facit [13]).

Exc. 3. *Um* denique accipiunt composita a *genus*, *capio*, *facio* et *caput*: ut, *degener*, *particeps*, *artifex*, *praeceps*, *occiput* [14]): *degenerum*, *participum*, etc. [15]).

---

genit. plur. quam in *um* proferre. De substantivo res certa; ita enim Virg. Aen. IX. 159. Stat. Theb. XII. 449. Tacit. Hist. III. 64, 2. et Lucan. V. 511. Quod vero ex lib. 1. tit. 48. Cod. Iustiniani, *praefecti vigilium*, meminit Vossius, in melioribus codicibus *vigilum* legitur. Adiectivo autem, propterea quod *i* in ablativo habeat, *vigilium* assignant idem Vossius et Methodi auctor. At *vigilum* ei dat Priscianus, col. 772, firmatque *vigilum canum tristes excubiae*, ap. Horat. Car. III. 16, 2. neque enim id per Syncopen, cum Methodi auctore, reor prolatum.

10) Ut *vigil* et *memor*, sic eorum composita *pervigil* et *immemor*.

11) An *exsors* vero *exsortum* faciat, an *exsortium*, merito dubitat Ursinus, p. 199.

12) *Vigil*, *uber*, *supplex*, *consors*, *celer*, *particeps*, *artifex*, et similia, adiective hic tantum sumpta, adeoque *e* vel *i* in ablativo recipientia, intelligo. Substantive enim usurpata *e* solum in ablativo facere videntur, ac proinde *um* in genitivo plurali, per reg. seq.

13) Sic *complures complurium*, testante ex Cicerone Prisciano, col. 773. Etsi *plurum* et *complurum* praeferat Iul. Modestus ap. Charis. col. 56 et 100.

14) Ex praedictis pleraque *um* propterea habere putantur, ut distinguantur a substantivis secundae in *ium*, *supplicium*, *consortium*, *participium*, *principium*, *mancipium*, *artificium*, *opificium*, *praecipitium*, *occipitium*. An vero *sincipitium*, *ancipitium*, *tricipitium*, in quibus non habet locum haec distinctio, dicendum sit, an *sincipitum*, *ancipitum*, *tricipitum*, deficientibus exemplis, haud satis constat. Prius Priscianus, col. 771. posterius Ursinus, loc. cit. praeferendum iudicant. Caeterum *Principium*, quod Bongarsius ap. Iustinum lib. 1. et Cuiacus ap. Licinium tit. de stupratoribus, pro *Principum*, dictum observant, neminem iam existimo imitaturum.

15) His addit, et recte, Sol. Lowaeus adiectivum *cicur*, quod cum ablativo sing. *e* vel *i* habere videatur, genitivo tamen plur. *um* impurum recipit: ut, Cic. Nat. Deor. II. 39. *Quae vero et quam varia genera bestiarum, vel cicurum vel ferarum?* * Minus tamen recte idem adiungit, 1. *Complex complicum*, posterioris aetatis vocabulum, quodque adiective acceptum hisce in casibus vix invenitur. 2. Composita in *spex*; ut, *auspex*, *haruspex*, *extispex*. Haec enim cum substantive fere semper adhiberi, atque per *e* solum ablativo priore inflecti soleant; idcirco et *um* habent iuxta regulam principalem. ¶ Potiore autem iure huc referenda videntur, *reses* et *deses*, quae *residum* et *desidum* (quanquam auctoritas deficiat) declinari putem. * An *hebes*, *teres*, *praepes* et *perpes*, *um* habeant an *ium*, nondum liquet: prius tamen auribus gratius videtur. Neque obstat, quod *hebetia* ap. Cels. VI. 15. extr. et *teretia* ap. Gell. VII. 14. invenimus: nam *quadrupedum* tantum usus recepit, non *quadrupedium*, etsi *quadrupedia* Columella et Palladius dixerint. * *Locuples*, ut ablativo sing. *locuplete* habet, Horat. Sat. II. 6, 102. Pers. III. 74. Cic. Div. I. 19. et *locupleti*, idem Cic. de Orat. III. 48. et in Frument. ap. Priscian. col.

Digitized by Google

59. Sextus *e* si tantum dederit, capit *um* genitivus.
AS sed *ium* Latiale petit: polysyllaba deme,
Queis magis *um* placuit. Sed *ium* quaerentibus adde
Nomen in IS vel in ES non crescens: iungito et NS:
Tolle *parens, vates, panis, iuvenis*que, *canis*que.

II. Quae in ablativo singulari *e* tantum habent, *um* recipiunt in genitivo plurali: ut, *leo, leone, leonum*[16]).

Exc. 1. Nomen Latinum in AS facit *ium:* ut, *mas, marium; as, assium; vas, vadium*[17]). † At polysyllaba potius per *um* efferuntur: ut, *civitas, civitatum*, interdum *civitatium*[18]).

Exc. 2. Nomina in IS et ES non crescentia in genitivo singulari habent *ium:* ut, *hostis, hostium; aedes, aedium.* Item in NS desinentia: ut, *cliens, clientium.* † At hinc excipitur, *parens, parentum* potius quam *parentium*[19]); illinc *vates, vatum; panis, panum*[20]); *iuvenis, iuvenum; canis, canum*[21]).

---

765. ita genitivo plur. *locupletum* habet et *locupletium*. Hoc Ciceronis est ad Attic. VII. 7. extr. et pro Sext. c. 17. Hirtii, B. Alex. 89. et Taciti, Anal. VI. 16, 3. illud Columellae, VIII. 16. et Caes. B. Civ. III. 91. an vero per Syncopen dictum, incertum.

16) Huc refer *hospitum, puberum, impuberum, pauperum, sospitum, divitum, superstitum, compotum, impotum, bipedum, bicorporum, versicolorum*, et similia; quae ablativo *e* solum habere diximus. Severus tamen in Aetna, v. 128. *hospitium fluviorum* dixit, ut a Vossio notatum; nisi mavis *hospitium* illic, cum Io. Clerico, substantivum et accusativi singularis statuere.

17) Dixi nomen Latinum: nam Graeca *um* habent, ut *gigantum, Arcadum*. Vid. reg. seq. 61.

18) Ex his quaedam interdum per *ium* efferri notat Despauterius, p. 86. praecipue vero Vossius, Anal. II. 14. et Dausquius Orthogr. Vol. I. p. 105. ut, *aetatium* Vel. Paterc. II. 89, 1. *affinitatium* Iustin. XVII. 3, 5. *calamitatium* Id. XVI. 4, 5. *civitatium* Liv. XXVI. 40. XL. 25, 30, 39. et XLV. 34. Quintil. I. 2. init. et II. 4. Iustin. IX. 1. 1. Censorin. de die nat. c. 20. et alii. Sic *utilitatium* ex Liv. XLV. 2. *voluptatium* ex eod. XXIII. 8. proferunt; item ex Pandectarum libris *facultatium, haereditatium, quantitatium*: at in his codices variant. Confer P. Manut. ad Cic. Offic. I. 44. et Burmannum ad Velleii loc. cit. qui *simultatium, calamitatium*, et similia plura, se ait in Declamationibus Quintiliani notasse. * Gentilia autem in *as*, sive adiective, sive substantive, (ac proinde per *e* solum, ut vult Iohusonus, in ablativo finxa) accipiantur, *ium* duntaxat, non *um* habent: ut, *Arpinatium, Fidenatium*. V. Iohns. App. p. 93.

19) *Parentium* tamen Horat. Car. III. 24, 21. et Cic. Verr. V. 52. extr. stuntur. Adfert quoque ex eiusd. orat. de suppliciis, *parentium*

Digitized by Google

60. Donat *ium Samnis, linter, caro, dos,* et *os ossis, Glis, nix, nox*que *cohors, mus, faux, uter:* adde *Quiritem,*

Atque *larem, litem, cotem, cor;* compositumque, *Ilraic* quod simul *as* genuit: monosyllaba iunge
Consona quae duplex claudit. *Bos* rite *boum* dat.

Exc. 3. *Ium* praeterea nacta sunt nomina sequentia, licet e tantum habeant in ablativo singulari: *Samnis, linter, caro, dos, os, ossis* [22]); *glis, nix, nox, cohors, mus* [23]); *faux* [24]), *uter* [25]); *Quiris, Lar* [26]); *lis, cos, vor: Samnitium, lintrium, carnium,* etc.

---

suorum, Priscianus, col. 772. approbantque Varro, L. L. VII. 37. et Charis. col. 111.

20) *Panium* dicendum vult Caesar; Verrius Flaccus *panum*, cui assentit et Priscianus, col. 771. Charisius totum pluralem, adeoque et genitivum, sed praeter rationem, (ut a Vossio monstratum) reiicit, col. 114.

21) His addunt *proles, soboles* et *indoles:* at haec raro in plurali, nedum in genitivo reperiuntur; ideoque cum Martiano Capella *prolum* dicere nolim. * *Volucris* (quod his adiicit Ninivita) non *volucrum* tantum facit; apud Cic. Nat. Deor. II. 39. Virg. Aen. III. 216. et alibi saepius, Martial. V. 56. et Plin. II. 10. X. 11 et 73. XI. 37. §. 62. et XXXV. 11. sed *volucrium* etiam ap. Cicer. de Finibus (quemadmodum et a Grutero Gronovioque, II. 83. est editum) et Fabianum Natur. causar. lib. 2 et 3. citante Charisio, col. 119. Vossius quoque apud Varron. R. R. I. 38. *volucrium* legit: at in meis exemplaribus *volucrum* invenio, quod et consuetudine receptum Plinius ait, teste Charisio, loco modo laudato. * Similiter *apum* invenimus, et *apium.* Prius est ap. Liv. XXIV. 10. extr. et XXVII. 23. Plin. VIII. 42. XX. 4. et Colum. IX. 13 et 14. et in lemmatis capitum (si modo eius sunt) ap. eund. Columell. IX. 3, 4, 5, 10, 14. Pallad. Apr. 8. Iun. 7. et Aug. 7. Posterius ap. Varr. R. R. III. 16. Colum. IX. 3, 6, 14. Plin. VII. 15. XI. 8. et pluribus aliis locis, Iustin. XIII. 7, 10. Ovid. Met. XV. 388. Iuvenal. XIII. 68. Apud. Cicer. vero Offic. I. 44. de Senect. 15. extr. Acad. IV. 17. de Divin. I. 33. extr. et de Harusp. resp. 12. *apum* et *apium* libris vacillantibus, legitur: *apium* tamen praeferunt meliores interpretes. * *Strigilis um* tantum habere docet Meth. auctor, et ita Plinius quidem XXXV. 16. extr. At idem. XXVIII. 4. *Linteorum strigiliumque vehementia*, dixit: quod et *ἀνάλογόν* videtur.

22) Per *ium* quoque *os oris* declinandum vult Despauterius, et ita se, si necessitas iusserit, flecturum ait Vossius. At vid. cap. III. regg. 13 et 15.

23) *Murum* tamen dixit Cicero, Nat. Deor. II. 63. (teste, qui id improbat Plinio, lib. 6. serm. dubii; ap. Charis. col. 110.) quanquam in pleriisque codd. nunc *murium* legatur. Eo certe Plinius ipse X. 65. XI. 37. §. 74 et 76. XXII. 23. et alibi saepius utitur.

24) *Faucium* crebrum est Plinio; at singulari solus fere ablativus *fauce* usitatus invenitur.

Digitized by Google

Exc. 4. *Ium* quoque faciunt composita ab *uncia* et *as*: ut, *septunx*, *septuncium*; *sextans*, *sextantium*; *bes*, *bessium*.

Exc. 5. *Ium* denique habent nomina unius syllabae in duas consonantes[27]) exeuntia: ut, *urbs*, *urbium*; *stirps*, *stirpium*; *sors*, *sortium*; *arx*, *arcium*[28]).

Exc. 6. *Bos boum* facit.

---

25) Huic comitem recte Vossius adiungit *venter*, *ventrium*, quod firmat auctoritas Plinii, IX. 50. * *Par* quoque substantivum (quod ablativo sing. *e* solum habere diximus) *parium* facit: nec audiendus Plinius, ap. Charis. col. 110. qui *par* eiusque composita *impar*, *dispar*, etiam adiective accepta, per *um* declinari voluit, *parum*, *imparum*, *disparum*. V. Voss. Anal. II. 14.

26) Sic *aedem Larium*, *Larium compita* et *Larium focus* dixit Plin. II. 7. III. 5. et XXVIII. 20. in fin. et Liv. XL. 52. *aedem Larium Permarinum*. *Larum* tamen habet, non tantum Varro, L. L. VIII. 58. ubi *Maniam* ait *matrem Larum appellari*: sed etiam emendatiora Ciceronis exemplaria, de Nat. Deor. III. 25. et de Leg. II. 11. quamvis et istis in locis *Larium* Vossius legerit.

27) Characteribus distinctas intellige. Secus enim *x* duas in se consonantes *c* et *s* complectitur. At pleraque monosyllaba sic finita *ium* habent imparum: ut, *grex*, *lex*, *rex*, *vox*, *dux*, *nux*, item inusitata *prex* et *frux*. * Haec autem *fax*, *pax*, *faex*, *nex*, *pix*, *lux* in genitivo plurali, ut alibi dicemus, vix inveniuntur. * *Trucium* a *trux* ad reg. 56. pertinet. * *Crucum* a *crux* declinat Charisius, col. 114. et ita Tertullianus in Apolog. ex optima Rigaltii editione: Pamelius quoque, qui *crucium* legit, fatetur omnibus MSS. *crucum* haberi; quod si Vossio fuisset animadversum, haudquaquam Charisio Tertullianum opposuisset. V. Meth. auctor. p. 137. § Ab hoc canone etiam excipienda sunt nomina Graeca, ut, *gryps*, *gryphum*; *lynx*, *lyncum*; *sphinx*, *sphingum*; de quibus reg. 62.

28) Inveniuntur et alii genitivi in *ium*, iam fere inusitati, et suis auctoribus relinquendi: ut, *vigilium* et *principium*, de quibus supra, *exitipicium* ap. Accium in Medea, teste Nonio; *meretricium*, ap. Plaut. Casin. III. 3, 22. *radicium*, *cervicium*, ap. Charis. col. 100. *iudicium*, ap. Vegetium, II. 19. in membranis Stewichii et Cod. Iustin. I. 24, 2. et Ibid. I. 40, 14. *hominium*, ap. Sallust. Iug. 77. probante Scaligero; *servitutium* et *compedium*, ap. Plaut. Pers. III. 3, 13 et 15. *virtutium*, ap. Paulin. Epist. I. ad Auson. *Paludium* porro, ap. Colum. memorat Alvarus et Vossius; sed (fallentibus numeris) locum non reperio. Adfert quoque Despauterius ex Mela (sed loco non indicato) *coneretarum paludium*: itemque ex Plin. II. 68. *tantarum paludium*: at meis fere omnibus *paludum* legitur. * *Iurum* denique dixit Cato in Orig. ap. Charis. col. 109. *Iurium* Plaut. in Epid. III. 4, 86. Utrumque insolens; sed si altero necesse sit, illo potius quam hoc utendum Vossius iudicat. Sunt et alii, rariores quidem, non tamen prorsus reiiciendi: ut, 1. *Fraudium*, non ap. Apuleium modo, Met. V. p. 158. Met. VIII. p. 236. et Met. X. p. 321 et 341. sed ipsum etiam Cicer. Offic. III. 18. extr. quemadmodum MSS. suis omnibus Lambinus et Fabricius scriptum testantur; nec aliter a Grutero, Graevio Gronoviogue editum. 2. *Laudium*, ap. Sid. Apollin. carm. XXII. 31. et Cic. Phil. II. 12. prout in MSto aetero reperit noi (licet haud probante Vossio) edidit Muretus. 3. *Fornacium*, ap. Plin. XXXIV. 18. At longe in his frequentius

Digitized by Google

61. *Um* sibi Graiugenum prope cuncta vocabula poscunt:
Parcius *on*, quaeque ante dabant vel *sis* vel *a* rectis.

Nomina Graeca genitivum pluralem plerumque in *um* terminant: ut, *Macedo, Arabs, Aethiops, pyxis, monoceros, lynx, gryps, Thrax: Macedonum, Arabum, Aethiopum, pyxidum, monocerotum, lyncum* [29]), *gryphum, Thracum* [30]).

† Rarius autem *on* habent, et ea fere solum, quorum nominativus singularis in *a* vel *sis* desinit: ut, *epigramma, metamorphosis: epigrammaton, metamorphoseon;* vel *epigrammatum, metamorphosium* [31]).

62. Insuper et numero quae sunt spoliata priore,
Dant patrium qualem numeris perfecta dedissent.
Orum at saepe solent flexu dare Festa secundo.

Nomina tantum pluralis numeri genitivum faciunt ex analogia numeri singularis, qualem nimirum, si inte-

---

impurum esse, pauca haec, ex innumeris, auctorum loca convincunt: *Fraudum* acil. habet Stat. Sylv. III. 1, 82. Claudian. XXII. 214. Gell. XIV. 2. *Laudum* Virg. Geo. III. 112. Aen. VI. 823. Val. Max. III. 2. 22. Plin. Paneg. c. 4. Curt. VIII. 18. *Fornacum* Plin. XXXIV. 10, 13 et 14.

29) Male autem Ant. Nebrissensis *lyncium:* Ovidii enim est Met. IV. 25. *Colla premis lyncum.*

30) At quae genitivum faciunt in *os* purum, *ium* habent, ut mox dicetur.

31) Graeca aliarum terminationum vix unquam *on* recipere videntur neque enim *delphinon, Cyclopon, aspidon, Arcadon, lebeton, tripodon, Phaeacon*, etc. quisquam invenerit. Quae etiam a quibusdam exempli loco memorantur, *hebdomadon, lampadon, crateron, Erinnyon, lyncon, gryphon*, mihi nondum comperta; nisi quod de Varronis *Libris Hebdomadon* meminerint Nonius et Charisius; et hoc forte elementis Graecis ab eo exarato. Quod vero ex Catulli Car. LXIV. 48. *Chalybon omne genus* quidam proferunt, *Chalybum* libris omnibus, aut *Chalibum*, scribi testatur Dausquius, p. 104. in recentioribus *Celtum* est editum. Quin et in his ipsis, *on* rarissimum est: neque *diadematon, dogmaton, aromaton, poëmaton, stemmaton*, facile dixerim; sed *diadematum, dogmatum*, etc. *Ium* quoque a nominibus in *sis*, potius quam *eon* optimi quique utuntur: ut, *haeresium, basium, eclipsium*, potius quam *haereseon, baseon, eclipseon*. Sic Cic. ad Attic. V. 21. *nostrarum dioecesium:* et Fam. III. 8. *omnium illarum dioecesium*, dixit, non *dioeceseon*, vel *dioecesion*. Quidam in his, uti et in nominibus secundae, *o* nativum Graecorum retinent: ut, *Cimmeriōn, haereseōn;* quod (nec immerito) improbat Ursinus, p. 208.

Digitized by Google

gra essent, verisimiliter haberent: ut, *pugillares, pugillarium; manes, manium; lactes, lactium; fores, forium; moenia, moenium; ilia, ilium*: quia singularis horum esset, *pugillaris, manis, lactis, foris, moene, ile* [32]). Contra *Lemures, coelites, maiores, Lemurum, coelitum, maiorum*, faciunt; quia singularia forent, *Lemur, coeles, maior*.

Exc. Nomina Festorum, mutata declinatione, *orum* saepe habent in genitivo plurali: ut, *Saturnalia, Saturnalium* et *Saturnaliorum; Bacchanalia, Bacchanalium* et *Bacchanaliorum* [33]).

---

32) Sic *antes antium, lendes lendium;* quia singularis horum fuerit *antis, lendis* (et inde porro contractum *lens*); sic *optimates, optimatum* vel *optimatium; penates, penatum* vel *penatium*: quorum singularis fuerit *optimas, penas*, qualia *um* vel *ium* admittunt. * *Opes* tamen *opum* facit, licet ab inusitato nominativo *ops* vel *opis*. Et *primores primorum*, ab exoleto nominativo *primoris* vel *primor*, licet in ablativo sing. *primore* vel *primori* habeat: ut Gell. X. 19. *in primore pueritia:* et Sil. XI. 148. *Excisam primori Marte Saguntum:* et Tacit. III. 21, 4. *primori in acie versabantur*. Est enim quasi comparativum.

33) Sic *Compitalia, Terminalia, Liberalia, Vulcanàlia, Lupercalia, Agonalia, Parentalia, Vinalia, Quinquatria*, etc. Vid. Charis. col. 274 Priscian. col. 744. Non. Marcell. VIII. 49. Macrob. Saturn. I. 4. Voss. Anal. II. 14. Dausq. Orthogr. Vol. I. p. 104. * Videndum tamen quid usus probet. Nam (ut ait post Bangium Cl. Ursinus, p. 202.) *Floralium, Feralium, Liberalium* facilius recipimus, quam *Floraliorum, Feraliorum, Liberaliorum*, etc. * Porro et ea tantum Festorum nomina hic intelligenda sunt, quae in *lia* aut *ria* exeunt. Alia enim (ut recte annotavit Carmichael noster, Etym. p. 13.) non in genitivo modo, sed dativo etiam, per solam secundam inflectuntur: ut, *Agonia, Dionysia, Theamophoria, Orgia, Trieterica, Charistia*, etc. ¶ Horum declinationem imitantur, *anciliorum*, ap. Horat. Car. III. 5, 10. *sponsaliorum*, ap. Suet. Aug. 53. *vectigaliorum*, ap. eund. Aug. 102. et Calig. 16. et ap. Cicer. teste Charis. col. 46. et ap. Asinium, testibus eod. Charis. ibid. et col. 119. et Macrob. Saturn. I. 4. *viridiorum*, ap. Macrob. ibid. et Ciceron. Attic. II. 3. probante Dausquio et Pithoeo [al. *viridariorum*.]. Sic *conclaviorum* Vitruv. VI. 5. *lacunariorum* Id. IV. 8. init. et VI. 4. init. *navaliorum* Id. V. 12. extr. *torculariorum* Colum. R. R. XII. 50. prope princ. *exemplariorum* Hieronym. advers. Helvid. c. 8. Ut omittam *diadematorum, poematorum*, etc. de quibus in reg. 64. * Caeterum horum omnium ratio petenda est ex diversa nominativi sing. terminatione. Olim enim *Saturnale* dicebant et *Saturnalium, -lii*, in 2da; *Bacchanale, Bacchanal* et *Bacchanalium; ancile* et *ancilium, lacunare* sive *lacunar* et *lacunarium; torculare* seu *torcular* et *torcularium; conclave* et *conclavium*, quo utitur Plautus Aul. III. 2, 24. *exemplare* seu *exemplar* et *exemplarium*, quo Arnob. VI. p. 198. et Proculus in L. 47. ff. de legat. 2. et Ulpianus in L. 10. ff. testamenta quemadm. aperiantur, inspic. et describ. Vid. Voss. loc. cit. sub fin. et Dausq. p. 67 et 68. * Singularia sunt *holerorum*, ap. Lucil. teste Nonio, pro *holerum;* et *tetrantorum*, ap. Vitruv. III. 3. med. pro *tetrantum*, i. e. *quadrantum*.

Digitized by Google

63. Hoc demum in casu vatum regnare figuras
Adspicies, memori velim quas pectore condi.

¶ In multis eorum quae genitivum pluralem formant in *ium*, Syncope, praesertim apud Poetas, locum habet: ut, *nocentum*, *caedum*, *mensum*; pro *nocentium*, *caedium*, *mensium* [34]).

---

34) In primis id fit in participiis et nominibus polysyllabis in NS: ut, *amantum*, *mirantum*, *moderantum*, *morientum*, *paventum*, *precantum*, *recentum*, *salutantum*, *venantum*, ap. Ovidium; *bellantum*, *cadentum*, *curentum*, *defendentum*, *faventum*, *furentum*, *infantum*, *loquentum*, *moerentum*, *natantum*, *potentum*, *recusantum*, *silentum*, *veñientum*, ap. Virgilium; *frementum*, *iacentum*, *labentum*, *ovantum*, *ruentum*, *sequentum*, ap. Val. Flaccum: *fugientum*, *hortantum*, *medentum*, *spirantum*, *volantum*, item a *sons* monosyllabo *sontum* [Theb. IV. 475.] ap. Statium, etc. » Vulgo dicunt, etiam extra metrum, *adolescentum*, *clientum*, *infantum*, *prudentum*, *sapientum*, *serpentum*: sed rectius proferemus cum Cic. Tusc. V. 27. Sallust. Catil. 14. Vell. Paterc. II. 103. Plin. XXXIII. 12. *adolescentium*; cum Plaut. Menaech. IV. 2, 6. Sueton. Aug. 60. Curt. VII. 4, 21. Horat. Carm. III. 1, 13. *clientium*; cum Cicer. pro Q. Rosc. 53. Sueton. Calig. 25. extr. Plin. Paneg. 26. princ. et 28. extr. Curt. IX. 1, 25. Plin. XX. 20. et multis aliis locis *infantium*; cum Cic. de Orat. I. 9. et Pomponio, tum in epigraphe, tum in L. 2. §. 5 et 12. ff. de orig. iuris, *prudentium*; cum Cicer. pro Arch. 6. de Fin. V. 19. Sallust. Catil. 11. Val. Max. IV. 1. extern. 7. Plin. XXI. 3. Iustin. II. 2, 14. Gell. I. 8. princ. Senec. de vit. beat. 12. *sapientium*; et cum Sallust. Iug. 94. Plin. XXV. 8. et alibi passim, Gell. XVI. 11. princ. et Horat. Epod. I. 20. *serpentium*. In libris tamen meis invenio, ap. Pallad. I. 28. extr. et Iustin. II. 4, 11. *infantum*; *prudentum* apud Iustinian. §. 8. Instit. de iur. nat. et gent. *sapientum* Cic. de Fin. I. 18. Gell. XVII. 21. et V. Max. IV. 1. extern. 7. et ap. eund. I. 6. extern. 8. *serpentum*. ¶ 2. Syncope locum, sed raro admodum, habet in quibusdam nominibus in *ie*: ut, *coelestum* Ovid. Met. I. 150. et Virg. Aen. VII. 432. *agrestium* Val. Flacc. I. 684. et Virg. Geo. I. 10. pro *coelestium*, *agrestium*. Sic, *cladum* pro *cladium*, Sil. I. 41. *caedum* pro *caedium*, Id. II. 665. et IV. 353 et 424. *mensum* pro *mensium* Ovid. Fast. V. 187 et 424. et Met. VIII. 500. et Senec. Phoen. v. 535. Sic *forum* pro *forium* (ab inusitato *foris*) habet Plaut. Curc. I. 3, 1. et *Samnitum* pro *Samnitium* Silius I. 664. * Sed ex his nonnulla etiam in prosa interdum inveniuntur: ut, *Samnitum* ap. Cic. Parad. 6. et V. Max. I. 6, 4. et ap. Cic. pro Sext. 6. 20. init. *vestrarum aedum*, *templorumque causa*, pro *aedium*, confirmante eam lectionem Prisciano, col. 771. et ex vett. libb. Lambino: nec aliter loquendum docet Consentius, col. 1039. In optimo MS. Censorini de die nat. *mensum* pluribus in locis reperit Carrion, teste, qui El. Vinetum in *mensium* mutantem reprehendit, Vossio. *Mensum* quoque in libris iuris plurimum legi, praesertimque in L. 101. ff. de divers. reg. iuris, observat post B. Brissonium idem Vossius; quanquam in vulgationibus *mensium* ubique fere iam editum sit. V. Vossius Anal. II. 14. Dausq. Vol. 1. p. 106. Iohns. p. 96. * Huc etiam quidam referri volunt *apum*, *volucrum*, *strigilum*, *parentum*, *locupletum*, *civitatum*, *aetatum*, et similia in *as*, de quibus superius in reg. 53 et 59. dictum. * *Macedum* vero (quod exempli loco adfert Despauterius) pro

Digitized by Google

¶ Huic contraria est Epenthesis, sive literae in medio vocum additio: ut, *alituum*, *coelituum*; pro *alitum*, *coelitum* [35]).

Dativus pluralis.

64. Tertius est in *ibus* pluralis. *Bos* cape *bobus*,
Vel *bubus*. Sed *tis* mage quam *tibus* optat A
Graecum.
Sin quoque nonnullis Graium tribuere Poetae.

Dativus pluralis, cui ablativus semper est similis, desinit in *ibus*: ut, *panibus* [36]).

Exc. 1. *Bos bobus*, vel *bubus*, pro *bovibus*, facit [37]).

Exc. 2. Graeca in A saepius *tis* quam *tibus* habent: ut, *epigrammatis*, *poëmatis*, potius quam *epigrammatibus*, *poëmatibus* [38]): ab antiquis nominativis in UM, *epigrammatum*, *poëmatum* [39]).

Macedonum, Librariorum culpa invexit: scribendum enim (ut Vossius ostendit) *Macetum*, (a nominativo *Macetes*, primae declinationis), pro *Macetarum*. Confer et Heinsium ad Sil. Ital. XIII. 878. XIV. 5. XVII. 633. et I. F. Gronovium ad Senec. Herc. fur. v. 980. ¶ In aliis terminationibus rarissima ac plane insolens est Syncope, praecipue in neutris in E, et (quae olim in E desinebant) nominibus in AL et AR; item in adiectivis unius terminationis. Neque enim *marum* pro *marium* cum Naevio [ap. Prisc. col. 770.] dixeris; aut *animalum*, *torcularum*, pro *animalium*, *torcularium*; aut *felicum*, *atrocum*, pro *felicium*, *atrocium*. Pleraque etiam adiectiva in IS Syncopen hanc omnino respuunt: nusquam enim *incolumum*, *immortalum*, *tristum*, *mitum*, etc. pro *incolumium*, etc. reperies.

35) Alii volunt μετασταιχείωσιν esse literae *i* in *u*, *alituum*, *coelituum*, pro *alitium*, *coelitium*; alii vero ab antiquis ablativis quartae, *alitu*, *coelitu*, manasse.

36) Antiquioribus Latinis dativus et ablativus plur. in *ebus* desinebat; ut, *navebus*, *bovebus*.

37) *Subus* etiam pro *suibus* declinat Lucret. VI. 974 et 977.

38) Sic *aromatis* Colum. XII. 25. Apul. Met. III. p. 87. et XI. p. 379. et Florid. §. 19. p. 819. *analemmatis* Vitruv. IX. 8 et 9. *aenigmatis* Varro ap. Charis. p. 98. *carcinomatis* Plin. XXVIII. 4. §. 10. *cataplasmatis* Celsus IV. 4. §. 2 et 3. IV. 5, 22 et 23. et VII. 26. §. 5. *condylomatis* Plin. XXIII. 6. XXVII. 4. et XXVIII. 15, etc. *emblematis* Cicer. Verr. IV. 17 et 22. *epigrammatis* Id. ad Attic. I. 16. sub fin. *glaucomatis* Plin. XXIX. 6. §. 38. *hypomnematis* Cic. Fam. XVI. 21. extr. *malagmatis* Cels. V. 21. init. et Plin. XXIV. 11. §. 58. XXXI. 6. §. 33. et XXXV. 6. §. 12. et 15, §. 50. *poëmatis* Varro et Florus ap. Charis. col. 113 et 114. Cicero in Orator. ap. eund. ibid. et ad Heren. IV. 4. Gell. XVII. 21. Plaut. Asin. I. 3, 22. *peripetasmatis* Cicero ap. Priscian. col. 774. et Cledonium col. 1904. *peristromatis* Cic. Philipp. II. 27. *aputismatis* Vitruv. VII. 4. extr. *torcumatis* Cicer. ap. Pri-

Digitized by Google

Exc. 5. Quaedam Graeca *sin*, apud Poetas, pro *dibus* vel *tibus*, accipiunt: ut, *Trousin*, *Charisin*; pro *Troadibus*, *Charitibus* [40]).

Accusativus pluralis.

65. *Es*, quartus pluralis habet. Sed *ium* genitivus
Cum dedit, *eis* aut *is* patitur: sed et *as* quoque donant
Quae primi quartum numeri per *a* Graeca dederunt.

---

acian. L. cit. ℣ Similiter eiusmodi nomina *brum* genitivo plur. licet rarius, haberé inveniuntur: ut, *analemmatorum* Vitruv. IX. 4. init. et IX. 7. *ceromatorum*, *diadematorum*, *diplomatorum*, ap. Charis. col. 28. *poëmatorum* Cicero, Varro, Laelius et Accius, ap. eund. col. 114. *glossematorum* Festus in voc. *naucum*; *parapegmatorum* Vitruv. IX. 7. extr. *toreumatorum* ap. Charis. col. 38 et 114. V. Voss. Anal. II. 15. et Dausq. p. 105 et 108. ℣ Antiquiores et his in prima sunt usi: ut, *diademam*, *dogmam*, *syrmam*, *schemam*, *glaucomam*; *cum servili schema* Plaut. Amph. Prol. 117, etc. Et ita etiam loquutus Sueton. Tib. 43. *imperatae schemae*. Vid. Priscian. col. 679. Voss. Anal. II. 15. Carmich. Etym. p. 16.

39) Invenimus etiam *lacunariis* Vitruv. V. 2. princ. et VI. 3. extr., et *exemplariis* Ulpian. L. 10. ff. testam. quemadm. aper. pro *lacunaribus*, *exemplaribus*, ab itinsitatis nominativis *lacunarium*, *exemplarium*. * An autem *Quinquatriis* recte dicatur pro *Quinquatribus* merito dubitat Iohnsonus App. p. 89. In quibusdam quidem codd. Cic. Fam. II. 12. init. et ad Attic. IX. 13. init. et Suet. Aug. 71. *Quinquatriis* legitur: sed meliores libri et Interpretes *Quinquatrus* praeferunt. Quatuor huiusce vocis nominativos memorant Grammatici; *Quinquatres* masc. Charis. col. 20. *Quinquatrus* fem. id col. 61. Varro L. L. V. 3. Festus in voc. et in *Minusculae*; quo etiam (praeter Cic. et Suet. loc. cit.) Ovid. Fast. VI. 651 et 694. Gell. II. 21. Plin. XVIII. 24. XIX. 5. et XXXV. 11. Liv. XXVI. 27. Tacit. XIV. 12, 1. utuntur: *Quinquatriae* itidem masc. Diomedes, col. 315. [nisi et illic *Quinquatres* legendum] et *Quinquatria* neut. Priscian. col. 744. Ex his primum et tertium reiiciunt Vossius Anal. I. 42. et II. 15. et Iohnsonus d. loc. et quartum etiam Charisius col. 61. et Victorius ad Cic. Fam. II. 12. et Dausquius, Vol. II. p. 261. Sed male: *Quinquatria* enim habet Suet. Domit. 4. et Ovid. Am. I. 8, 65. [licet de hoc non conveniat inter Interpretes] et veteres glossae, notante Vossio. Caeterum a *Quinquatrus* est genitivus *Quinquatruum* ap. eund. Suet. Ner. 34. et Tacit. Anal. XIV. 4, 1. et ab eodem (potius quam *Quinquatria*), dat. et ablat. *Quinquatribus* ap. Cic. Fam. XII. 25. et ad Attic. IX. 11. Plaut. Mil. III. 1, 93. Liv. XLIV. 20. Horat. Epist. II. 2, 197. Inven. X. 115. et Colum. XI. 3.

40) Sic Ovid. Heroid. XIII. 137. *Troasin invideo*. Id. Trist. V. 5, 43. *Edidit haec mores illis heroisin aequos*. Propert. I. 20, 12, 32 et 34. *Non minor Ausoniis est amor ah Dryasin. Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin. Grata domus Nymphis humida Thyniasin*. Id. IV. 4, 75. *Aversis Charisin cantas*. Et quia hic dativus Graecis exit in *σι*, additurque *ν* sequente vocali; ideo et Latini *n* contra, sequente conso-

Digitized by Google

Accusativus pluralis terminatur in *es*: ut, *panes*.

Exc. 1. Quorum genitivus pluralis exit in *ium*, ea etiam in accusativo *eis* vel *is* admittunt: ut, *pars*, *partium*, accus. *partes*, *parteis* vel *partis*; *omnis*, *omnium*, accus. *omnes*, *omneis* vel *omnis* [41]).

Exc. 2. Quando accusativus singularis in *a* desinit, accusativus pluralis in *as* etiam desinere potest: ut, *lampas*, *lampadem* vel *lampada*; *lampades* vel *lampadas* [42]). Sic *Tros*, *Troas*; *heros*, *heroas*; *Aethiops*, *Aethiopas*, etc. [43]).

Quarta Declinatio.

66. Quarta dat US; dat et U numero vix flexile primo.

Quarta declinatio duas habet nominativi singularis terminationes, US et U; ut, *exercitus*, *genu*. Sed U in singulari vix declinatur [44]).

---

sante, quandoque omittunt: ut, Ovid. Art. III. 672. *Lemniasi gladios in mea fata dabo*. Qui autem prosa scripsere, hae terminatione non utuntur, nisi cum Latina terminatio deficit. Sic Varro in Parmenone ap. Nonium, IV. 377. *In argumentis Caecilius poscit palmam; in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus*. Eundem tamen pro *schematis*, *schemasin* dixisse, notat Plinius ap. Charis. col. 38. Confer Voss. Anal. II. 15. sub fin.

41) Quae nomina in accusativo *is* vel *eis* admittant, quatuor canonibus complexus est Priscianus, lib. VII. col. 774. cui commentarii vice adiungas licet Vossium Anal. II. 16. Qui tamen existimat, *nec in illis solis quae Priscianus suis regulis comprehendit; nec iis semper*, eis *vel is sonare: sed veteres attendisse soni iucunditatem, proque ea*, es, eis *vel is dixisse*: quae et mens est Valerii Probi ap. Gell. XIII. 20. * *Trallеis*, *Sardeis*, *Alpeis*, *Gadeis* et *Syrteis*; vel *Trallis*, etc. tam nominativo quam accusativo quidam scribendum volunt. Secus tamen id factum, et in optimae notae editionibus, mihi haud raro deprehensum: veluti *Tralles*, Liv. XXXVIII. 39. (quomodo etiam in vett. codd. XXXVII. 39. invenit Sigonius) et Cic. contr. Rull. II. 15. *Alpes* Liv. XXI. 25, 29, 30 et 31. *Gades* Id. XXVI. 48. et XXVIII. 2. fin. * Alii denique, iique in literis maximi nominis viri, non ea solum, sed quaecunque genitivo plur. *um* sunt nacta, Augustaeo, i. e. optimo Latinae linguae seculo, per *is* contendunt, non *es* scribi consuevisse: ad quam scilicet consuetudinem Heinsius Virgilium, Bentleius Horatium, alii alios a se editos Auctores conformandos censuerunt. [Vide Schneideri Gr. Lat. Tom. II. P. I. p. 269. sq.]

42) Nec apud Poetas solum, sed prosae etiam Scriptores invenitur haec terminatio: id quod pluribus exemplis ostendunt Vossius Anal. II. 16. et Iohnsonus App. p. 112. In epistolis tamen et orationibus praefertur (ut Vossius notat) terminatio Latina.

43) Reperitur etiam et accusativus *Erinnys*, contractus ex *Erinnyas* vel *Erinnyes*, ap. Senec. in OEdipo, v. 644. *Et mecum Erinnys pronubas thalami traham*: nisi potius, cum antiquissimo MSto Florentino

Digitized by Google

67. *Us* genitivus habet. Per *uis* flexere vetusti.

Genitivus desinit in *us*: ut, *exercitus*.

Exc. Apud priscos Scriptores genitivus exibat in *uis* [45]: ut, *anus*, *anuis* [46]).

Erinnys pronubam, et v. seq. *sonantem* (ut Gronovius monet) sit legendum.

44) Invenitur quidem *cornus* in genitivo: ut, ap. Lucan. VII. 217, *Cornus tibi cura sinistri, Lentule.* Sic ap. Celsum, VI. 6. §. 16. *cornus cervini combusti et eloti*, et ap. Curtium IV. 13, 28. *Haec dextri cornus facies erat*, legunt et defendunt, hinc Stewechius ad Veget. III. 20. illinc Vossius Anal. II. 17. Quanquam in plerisque, ac melioribus, *cornu* utrobique editum sit. Apud Plinium vero res magis aperta: is enim VIII. 20. *rhinoceros unius in nare coruus*: XIII. 25. *bubuli cornus*: XXVIII. 9, 11, 16. *cornus cervini*: XXVIII. 11. *caprini cornus*: et XIII. 25. extr. *durari cornus modo*; nec *cornu* hocce in casu usquam utitur. *Cornui* etiam in dativo aliquos dixisse notat post Mart. Capellam Vossius: ad quorum imitationem in quibusdam editionibus Buchanani nostri, Hist. Scot. lib. XIII. *Dextro cornui praeerat*, invenimus. An autem hoc a nominativo *cornu*, an ab antiquo *cornus* sit deductum, haud prorsus inter Grammaticos convenit. Posterius tuetur Vossius, l. c. et ante eum Priscianus, col. 685. quorum sententiae haud leve firmamentum est, quod vocem masculino proferat Cicero Nat. Deor. II. 59. extr. *Nares* [similes esse] *cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus*; et (uti legendum contendit Stewech.) Veget. de re milit. III. 20. *Si adversarius infirmiorem dextrum cornum habuerit, et tu longe fortiorem sinistrum*; similique modo *algus* et *algu*, *tonitrus* et *tonitru*, *genus* et *genu*, etc. antiqui dixerint. Verum cum Plinius nominativo *cornu*, genitivo autem (quod modo notavimus) *cornus* perpetuo utatur; non absurdum est credituu, eum saltem auctorem hoc ab illo declinare voluisse: cui rei hoc praecipuum indicium accedit, quod in eadem periocha iunctim inveniamus, XXXVII. 10. *Hammonis cornu inter sacratissimas Aethiopiae gemmas, aureo colore; arietini cornus effigiem reddens.* Perperam vero Danesius, p. 60. Plinium quoque nominativo plurali *cornus* usurpasse existimat, ex illo XXVIII. 11. init. *Ad hanc et cornus cervini e vino.* Nam, quod ille omisit, omnibus fere libris vox [*cinis*] hic genitivi singularis esse ostendit.

45) Quartam declinationem ex tertia ortam, ac eius anomaliam esse, Vossius, Ursinus aliique ostenderunt. Olim enim *fructus* eodem quo *grus*, *gruis*, modo inflectebant, hoc pacto: *Fructus*, *fructuis*, *fructui*, *fructuem*, *fructus*, *fructue*: *Fructues*, *fructuum*, *fructuibus*, *fructues*, *fructues*, *fructuibus*. In quibus, praeter vocativum sing. dativus sing. et genitivus plur. integri manserunt: genitivus et ablativus (interdum et dativus) sing. nominativus, accus. et vocat. plur. per Crasin, accusativus sing. dativus et ablat. plur. per Syncopen sunt immutati. Vossii autem opinionem, ablativum et quandoque dativum, per Apocopen literae *e* vel *i* decurtatam existimantis, ex eo refellit Ursinus, quod in his literae *u* modulus ex correpto in productum mutetur; quam mutationem non Apocope sed crasis efficere soleat.

46) Sic Terent. Heaut. II. 3, 46. *Eius anuis causa*: eodemque ritu *domuis*, *fluctuis*, *fructuis*, *graduis*, *partuis*, *quaestuis*, *rituis*, *senatuis*, *victuis*, veteres dixisse notant Dausquius, Vol. I. p. 97. et Voss. Anal. II. 17. et ante eos Gellius, IV. 16. Nonius, c. VIII. et Priscianus, col.

Digitized by Google

68. Tertius optat *ui:* quandoque per *u* quoque lectus.

Dativus fit in *ui:* ut, *exercitui.*

Exc. Interdum etiam in *u* invenitur: ut, *metus, metu,* pro *metui,* apud Virgilium; *vestitus, vestitu,* pro *vestitui,* apud Terentium [47].

69. *Um* retinet quartus. Fit sextus in *u* tibi casus. *Um* quarto, reliquis *u* casibus optat Iesus.

Accusativus exit in *um,* ablativus in *u:* ut, *exercitum, exercitu.*

Ꝑ Iesus, venerandum Salvatoris nostri nomen, accusativo casu Iesum, reliquis omnibus Iesu habet.

70. Primus pluralis cum quarto semper in *us* fit.

Dat genitivus *uum.* Per *ibus* tibi tertius exit.

Partus ubus, specus, artus, acus, dant, et *lacus, arcus,*

Atque *tribus:* sed utrumque *genu, portus*que, *veru*que.

---

778. * *Domos* vero genitivo sing. pro *domus,* Augustum Caesarem constanter usum tradit Suetonius, Aug. c. 87. * *Domuus* quoque pro *domus* ex antiqua inscriptione profert Dausq. loc. cit. ℣ Inveniuntur et quartae nomina apud priscos in secunda declinata; ut, *adspecti, adventi, aesti, arci, exerciti, fluctui, fructi, gemiti, icti, lucti, ornati, partui, piscati, porti, questi, saltui, senati,* [Cicer. in Caecil. 5, 19. ad Div. V. 2.] *sonitui, sumpti, tumulti, versi, victi.* V. Priscian. col. 712. Nonium, cap. VIII. Dausq. et Voss. loc. cit. et interdum nomina secundae in quartam: ut, *lectus* pro *lecti,* ap. Plaut. Amph. I. 3, 15. *cibus* pro *cibi,* Id. Capt. IV. 2, 45. [ita docet Priscian. loc. modo laudato, quanquam aliter Gronovio visum]; *humu* pro *humo,* Varro ap. Non. VIII. 36. *vulgus* et *vulgu,* pro *vulgi, vulgo,* ap. Charis. col. 119. *sonu* pro *sono,* Sisenna ap. Non. VIII. 67. *somnu* pro *somno,* Varr. R. R. I. 2. [confirmante ex optimis MStis P. Victorio] *succus* pro *succi,* Apul. Met. IX. p. 300, et *succuum* pro *succorum,* Met. X. p. 329. *susurru* pro *susurro,* Id. Florid. XVII. p. 308. *pannibus* pro *pannis,* Ennius ap. Charis. col. 40. et Pomponius ap. Non. VIII. 42. [Conser Voss. Anal. II. 26. Dausq. p. 96 et 97. et Priscian. col. 711 et 712.] Ut mittam ambiguae declinationis vocabula, *cornus, colus, domus, fastus, ficus, laurus, pinus:* de quibus in reg. ult. cap. 3.

47) Virg. Aen. I. 261. Terent. Adel. I. 1, 33. Sic *adspectu* Virg. Aen. VI. 465. *arcu* Sil. IV. 18. *concubitu* Virg. Geo. IV. 198. *manu* Propert. I. 11, 12. et II. 1, 68. *victu* Ibid. 158. *usu* Lucret. III. 984. *visu* Id. V. 102, pro *adspectui, arcui,* etc. Neque id solum Poetae (quod Priscianus, col. 778. existimavit) sibi permittunt, sed etiam alii. Sic *impetu* Plancus ap. Cicer. Fam. X. 24. *usu* ipse Cic. Fam. XIII. 71, extr. *Luxu* Sallust. Ing. 6. Tac. Anal. III. 34, 8. et Hist. II. 71, 2. *cruciatu* Id. Anal. XV. 59, 8. *exercitu* Varro L. L. IV. 14. Sic *domi-*

Digitized by Google

Nominativus pluralis, cui vocativus est similis, itemque accusativus, desinunt in *us*, genitivus in *uum*, dativus et ablativus in *ibus*: ut, *exercitus, exercituum, exercitibus, exercitus, exercitus, exercitibus.*

Exc. Quaedam *ubus* in dativo et ablativo habent: *partus, specus, artus, acus*[48]), *lacus, arcus, tribus*[49]), *partubus, specubus*, etc.

℣ *Portus, portibus* et *portubus; genu, genibus* et *genubus; veru, veribus* et *verubus*, habere inveniuntur[50]).

---

natu et *ornatu* ex Caesaris libris profert Gellius, IV. 16, nec aliter eum in Commentariis Belli Gallici et Civilis loqui Vossius testatur, quem fuse de talibus disserentem vide Anal. II. 18. Confer et Nonium VIII. 15. Stewech. ad Veget. I. 9. Erythraeum in Ind. Virgil. vocat. *concubitu, victu* et *venatu*: et Ios. Wasse in Ind. Sallust. voc. *luxus*.

48) Negant Alvarus, Methodi auctor et Ursinus, *acubus* uspiam reperiri: sed falluntur, ter enim unoque in loco illud occurrit ap. Celsum, VII. 16. * Addit Despauterius et alii *ficubus, quercubus*, a *ficus, quercus*: sed desideratur auctoritas: neque tamen *quercibus* dixerim aut *ficibus*: quin potius prioris dativo prorsus abstinebo; posterioris loco *ficis* utar, sive de arbore, sive de fructu sit sermo. Buchananus tamen Eleg. III. 98. *Nam neque Partheniis nunc quercubus editur Arcas.* * A *quaestus, quaestibus*; a *quaestus, questubus* tantum dicendum Valla praecipit, Eleg. III. 12. Sed posterius in veteribus libris non observatur, in quibus (teste Vossio) *questibus* legitur. * In *arcubus, artubus, partubus*, volunt Gramma ici veteres nonnulli, (Diomedes, col. 285, Priscianus, col. 779, Rhem. Palaemon, col. 1371, et Sergius, col. 1846.) *u* differentiae causa servatum, ad discrimen dativorum et ablativorum pluralium ab *arx, ars, pars*. In reliquis pinguiorem et meliorem sonum quaesitum vult Servius ad Virg. Geo. III. 376. Vetustiores tamen hoc discrimen neglexisse loco Velii Longi et Terent. Scauri probat Vossius Anal. II. 13. Eademque sententia est Ob. Gifanii, qui *artibus* ubique ap. Lucretium, non *artubus*, edendum curavit. V. eum in Ind. voc. *artibus*. *Partubus* tamen ap. Horat, Epod. V. 5. consentientibus libris, habetur.

49) *Pecubus* quoque a *pecu* (i. e. *pecus*) utitur Lucret. VI. 1130: aliis autem casibus, *pecu* Plaut. Bacch. V. 2, 5 et 20. et Rud. IV. 3, 5. *pecua* Id. Merc. III. 1, 11. Liv. V. 48. XXVI. 34. XXXV. 21. et Solin. c. XXV. *pecuum* Cato ap. Festum in voc. et Hostilius ap. Priscian. col. 719. Confer et Nonium, II. 691. qui *pecuda* etiam antiquos notat dixisse.

50) *Portubus* per *u* declinat Charisius, col. 40: et ita habet Ovid. Heroid. XVI. 125. Met. XIII. 710. et Trist. III. 2, 11: nec aliter MSS. codicibus Caesaris III. de B. Civ. exaratum Vossius testatur; *quanquam nunc*, inquit, portubus, *nunc* portibus *editum videas*. In optimis autem Io. Davisii et Sam. Clarkii editionibus *portubus* ubique toto belli tum Gallici tum civilis opere retinetur: nec aliter ap. Hirtium Bell. Afric. c. 98, extr. omnes a me lustrati codices exhibent. *Portibus* tamen Petron. c. 101. et Florus III. 7. utuntur. *Portibus* etiam ap. Cicer. pro Flacco 12, ex melioribus MSS. ipso testante, edidit Gruterus: quamvis *portubus* ap. eund. Verr. IV. 53, et pro leg. Manil. 6. tam Gruteri quam aliorum exemplaria ostentant. * *Genibus* per *i* apud Maronem

Digitized by Google

Quinta Declinatio.

71. Rectus in ES quintae. Geminus mox casus in *ei*
Prodit: at *i* fini vates quandoque recidit:
Quartus in *em*, sextus fit in *e:* numeroque secundo
Es primus, quartusque petunt: dat patrius *erum*,
Auctores quibus annuerint, et tertius *ebus*.

Quinta Declinatio unicam habet nominativi singularis terminationem, nempe ES: ut, *res*[51]).

Genitivus et dativus singularis desinunt in *ei*, accusativus in *em*, ablativus in *e*: pluraliter, nominativus, accusativus et vocativus in *es*, genitivus in *erum*, dativus et ablativus in *ebus*: ut, *res, rei, rei, rem, res, re: res, rerum, rebus, res, res, rebus.*

† Poetae interdum *i* a genitivo, rarius a dativo abiiciunt: ut, *fide*, pro *fidei*[52]).

---

et Horatium (addere poterat Ciceronem, Livium, Tacitum, Val. Flaccum, Statium et alios) constanter scriptum Vossius docet, et id malusse Plinium, Charisium, et Mart. Capellam. *Genubus* tamen per *u* et Senecae Hippol. v. 667. idem adfert: quibus adiungit Iohnsonus ex cod. auctore Thyest. v. 434 et 521. et Phoeniss. v. 306. Quod autem et Ovid. Heroid. IV. 153. similiter scriptum Vossius adducit, in melioribus *genibus* reperio. * *Veribus*, an *verubus*, scribi debeat, nec Grammatici, nec MSti veteres (ut Vossio observatum) consentiunt. *Veribus* probat Plinius ap. Charis. col. 112. ac invenitur haud raro in libris vett. item inscriptione antiqua a Pierio adducta in illud Virg. Aen. I. 212. *Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt*: ita enim ei illic, ut et Aen. V. 108, legitur. Sed *verubus* per *u* maluit Rhemn. Palaemon, col. 1371: quod et Ovid. Met. VI. 646. Fast. II. 363 et 373. Propert. III. 10. 29. Iuven. XV. 82. Claudian. XX. 448. habent: nec aliter plerique omnes Virgilii codices Geo. II. 396. Apud Val. Flaccum variant libri: nam I. 254, *veribus* in antiquis exemplaribus reperit edidítque Laur. Balbus, eumque secuti Heinsius et Burmannus; qui tamen VII. 254, *verubus* expressere. Contra Alardus hic *veribus*, illic *verubus* reposuit.

51) Quinta etiam declinatio e tertia videtur fluxisse, a qua etiamnum non multum recessit. Ad hunc autem modum veteres istiusmodi nomina inflexisse haud ineptum est existimare: *Dies, dieis, diei, dieem, dies, diee: Diees, dieum, dieibus, diees, dieibus.*

52) Sic Ovid. Met. III. 241, *Prima fide vocisque ratae tentamina sumpsit*: Et Met. VI. 506, *Fide pignus*: Et Virg. Geo. I. 208, *Libra die nonique pares ubi fecerit horas*: Pro *fidei, diei*, in genitivo. Sic Lucil. ap. Gell. IX. 14, *Primum facie quod honestas accedit*: Horat. Sat. I. 3, 95, *Prodideris commissa fide*: Plaut. Amph. I. 1, 120, *Neque res quoquam convedit die*: Pro *faciei, fidei, diei*, in dativo. Neque Poetae solum, sed Historici et alii sic locuti: ut Sallust. Iug. 56, *Et*

Digitized by Google

¶ Haec declinatio paucis vocabulis, iisque mere Latinis, constat: quorum pleraque toto plurali, omnia fere (praeter *res* et *dies*) genitivo, dativo et ablativo carent[53]).

CAP. III.

De Irregulari Nominum Declinatione.

Triplex est nominum irregularium differentia: alia enim *variant*, alia *deficiunt*, alia *abundant*.

I. Variantia sunt, quae ab uno genere, unave declinatione in aliam transeunt.

II. Defectiva sunt, quae casu, numero, aliove accidente deficiunt.

III. Abundantia sunt, quae in eadem significatione multifariam efferuntur.

I. *Variantia.*

Variat nomen tribus modis, 1. Variat genus: ut, *hoc coelum*, *hi coeli*. quod Heterogeneum nominatur. 2. Variat declinationem: ut, *hoc vas*, *vasis*; *haec vasa*, *vasorum*: quod Heteroclitum[1]) dicitur. 3. Variat ge-

---

iam die vesper erat: Id. ibid. 102. *Vix decima parte die reliqua*. Sic *acie para*, et *requie mora*, ex eodem adfert Priscianus, col. 781. C. quoque Caesarem in lib. de Anal. II. *huius die*, et *huius specie* dicendum putasse tradit Gell. loc. cit. [Cfr. Oudendorp. ad Bell. Gall. II, 23. in. collat. Schneideri Gr. Lat. Tom. II. P. 1. p. 356. sqq.] ¶ Quin duas alias genitivi quintae terminationes veteribus in usu fuisse, auctor est dict. loc. idem Gellius. 1. *ei*: ut *pernicei* ap. Ciceronem pro S. Roscio 45. *dii* ap. Virg. Aen. I. 636. *progenii*, *luxurii*, *acii*, *specii*, ap. Pacuvium, C. Gracchum et Cn. Matium [Cfr. Gellii N. A. IX. 14, ibiq. intt.] 2. *Es*: ut ap. Cic. pro Sextio 12, *Equites Romanos daturos illius dies poenas*: ap. Q. Claud. *magnitudinem facies*: ap. Enn. Annal. 16, *Postremae dies aetas*. Sic *pernicies causa* ex Cicer. Charisius, col. 52; et *rabies unde illae germina surgunt*, ex Lucret. IV. 1077. Gifanius in Indic. observant. Similiter et ap. Plaut. Pers. II. 2, 62, *Neque tippulae levius pondus est; quam fides lenoniae*, Lambinus et Dousa volunt legendum. Confer de his Voss. Anal. II. 19. Priscian. col. 780. Nonium, VIII. 24 et 51. ¶ Genitivos quorundam plurales a veteribus per *eum*, non per *erum*, prolatos referunt Charisius, col. 18, et Diomedes, col. 281: ut, *specieum*, *materieum*, *luxurieum*, pro *specierum* etc. Neque hi per Syncopen facti, sed veri horum nominum genitivi, cum adhuc tertiae essent, fuisse videntur.

53) Vid. de his cap. III. reg. 15 et 17.

1) Alii latiore sensu omnia nomina irregularia Heteroclita appellant.

Digitized by Google

nus et declinationem: ut, *hoc epulum, hae epulae:* quod Mixtum vocari potest[2]).

§. 1. *De* Heterogeneis.

Nomina Heterogenea (sub quibus et *Mixta* comprehenduntur) sunt sextuplicia.

1. *In singulari masculina, in plurali neutra.*

1. Masculeum primo numero, neutrale secundo, *Dindymus* accipiet genus, et *Pangaeus, Avernus; Taenarus* adiungi, foecundaque *Massica* vino, *Maenala, Taygetus,* et *Tartarus, Ismarus* optant.

In singulari masculina, in plurali neutra sunt haec nomina: *hic Dindymus, haec Dindyma*[3]). Sic *Pangaeus, Avernus, Taenarus*[4]), *Massicus, Maenalus, Taygetus, Tartarus, Ismarus*[5]).

---

2) Addit Despauterius duos alios *variandi* modos. 1. Cum nomen variat, sive irregulariter format obliquos: ut, *Iupiter, Iovis.* 2. Cum contra aliorum morem obliquos casus finit: ut, *ambo, duo.* De utrisque in superiore cap. dictum. Caeterum prioris generis nomina inter defi. cientia potius censenda sunt: *Iupiter* enim obliquos suos amisit; *Iovis* autem, *Iovi*, etc. fluxere ab antiquo nominativo *Iovis.* Vid. supra cap. II. reg. 29. n. 94. Sic, *itineris, supellectilis, Anienis,* etc. olim in nominativo habebant *itiner, supellectilis, Anien.* Sic *vires* plurale ab obsoleto singulari *viris, viris*, ductum videtur. Contra ab usitato *vis,* Lucretius II. 586, et Sallustius 3. Histor. ap. Priscian. col. 707, *veis* sive *ves* in plurali declinarunt. Quin porro, si vera loqui velimus, omnia haec *Variantia* ad *Defectiva* possunt aut *Abundantia* referri. *Dindyma* enim, *Massica*, et similia, ab antiquis rectis singularibus sunt, *Dindymum, Massicum; loca, ioca*, a *locum, iocum; epulae, vasa,* ab *epula, vasum*, etc.

3) Haec nomina proprie adiectiva esse Vossius opinatur, atque in *Dindymus, Pangaeus*, etc. intelligi *mons;* in *Dindyma, Pangaea, ὄρη* (alii volunt, *iuga* aut *cacumina;*) in *Dindymum* vel *Δίνδυμον, ἄρος.* Sic *μέγα Δίνδυμον* est apud Apollonium; *Ταίναρον ἀκρονήριον τῆς Λακωνικῆς,* apud Suidam. In *Averna* autem et *Tartara, loca* subaudiri videtur.

4) Negat Alvarus *Taenara* ap. Classicos inveniri: Vossius etiam de vit. serm. I. 16, *Massica* pluraliter vix adhibendum putat. At hoc Virgilii est, Aen. VII. 726; illud Statii Theb. II. 82, et Senec. Troad. 404.

5) Addunt alii, *infernus, supparus, sensus, actus, eventus, effectus, Gargarus, Garganus*, plurali *inferna, suppara, sensa*, etc. At 1. *Infernus* plane adiectivum est, omnium generum utroque in numero capax: pluraliter autem *loca* quandoque intelligitur. 2. *Supparus* et *supparum* in singulari dici testis est Priscianus, col. 658. 3. *Sensum* quidem in nominativo sing. vix nunc reperias: sed quoniam alia significatione *sensa* quam *sensus*, proprie saltem loquentibus, dicuntur; meliore forte iure ad neutra tantum pluralia *sensa* retuleris. 4. Idem fere de *actus* censendum. 5. *Effecta* autem et *eventa* nominativi plurales clare

Digitized by Google

2. In singulari masculina in plurali masculina et neutra.

2. Anteriore mares numero, iunxere viriles
At fines *iocus* atque *locus* pluralia neutris.

Haec duo in singulari sunt masculina, in plurali masculina et neutra: *iocus, ioci* et *ioca; locus, loci* et *loca*[6]),[7]).

3. In singulari feminina, in plurali neutra.

3. Singula femineum capiunt, pluralia neutrum,
Carbasus, Argolico deletaque *Pergamus* igni.

In singulari feminina, in plurali neutra sunt: *carbasus, carbasa*[8]); *Pergamus; Pergama*[9]), [10]).

---

sunt a neutris singularibus in UM, *effectum, eventum;* ut Vossius docet, Anal. I. 37. 6. *Gargara* pluraliter, *Garganus* singulariter tantum dicuntur; ideoque deficientibus adnumeranda.

6) *Loca* in significatione vulgari frequentius quidem dicitur; nonnunquam tamen (et saepius quam quidam existimavere) *loci;* uti non ex Virgilio tantum, sed et Plauto, Sallustio, Silio, Paterculo, ostendit accuratissimus Iohnsonus, Appar. p. 117. De sedibus argumentorum Dialecticis et Rhetoricis *loci* tantum dicuntur.

7) Despauterius et alii his adiungunt *cetus* et *sibilus;* plur. *ceti* et *cete; sibili* et *sibila.* At *cete* non a *cetus* venit, sed a Graeco κήτος, κήτεος, plur. κήτεα, contracte κήτη. Nec in singulari *sibilus* modo, sed etiam *sibilum* dici, vocemque natura adiectivum esse, ac cum *sibilus* simpliciter dicitur, *sonus* vel simile quid intelligi docet Vossius loc. cit. Idem tamen *sibili*, pro *soni sibili*, pluraliter se ait nondum reperisse. At *sibili gladiatorii* ex Cic. de glor. profert Charis. col. 61. *sibilos* etiam habet Seneca Epist. 56, substantivo omisso: ut Amm. Marcellinum XXVIII. 4. et Hieronymum in lib. Iudicum praeteream.

8) *Carbasos* dixit idem Marcellinus, XXIV. 27. sequioris aetatis minimeque imitandus scriptor.

9) *Perguma* pro arce Troiana, vel locis editioribus, *Pergamus* vero, vel *Pergamum*, de oppido Asiae (a Troia diverso) Attalicorum Regum sede patriaque Galeni, tantum dici existimat Vossius, Gram. min. p. 54. Verum Methodista Gallus ex Hesychio et Cor. Severo in Aetn. v. 18, *Pergamus* etiam numero singulari de arce Troiana dictum ostendit. Quibus addas licet illud veteris Poetae ap. Cic. Divin. I. 21. *Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.* Invenitur etiam pro eadem arce *Pergamum* ap. Senec. Agam. v. 421, *Ut Pergamum omne Dorica cecidit face:* et ap. eund. Troad. v. 14, *Excisa ferro est Pergamum:* quo in loco adiectivo femininо iunctum animadvertere est. Contra Ursinus, p. 293. urbem Attali, non *Pergamum* solum, quod Bangius Vossiusque docuerant, sed *Pergamus* etiam nominatam ex Statio Sylv. I. 4, 100. et Martiale Epig. XIV. 51, monstravit, atque de eadem urbe Serenum Iquentem, I. 8, *Pergama* appellasse, contra quam methodi auctor existimabat, p. 153.

10) Addunt vulgo *supellex, supellectilia:* at hanc vocem plurali privat Diomedes, col. 314; nec de ea auctoritatem suppetere notat post Nebrissensem et Despauterium Ursinus.

Digitized by Google

4. In singulari neutra, in plurali masculina.

4. Mascula plurali numero sunt, neutra priore, *Elysium, coelum,* quibus apte iungitur *Argos.*

In singulari neutra, in plurali masculina sunt: *hoc Elysium, hi Elysii*[11]); *hoc coelum, hi coeli*[12]); *hoc Argos, hi Argi*[13]), [14]).

---

11) *Elysium* dixit Virg. Aen. V. 735, et Aen. VI. 744. *Elysios* Lucan. VI. 699, et Martial. IX. 52. Est autem proprie adiectivum: nam dicitur alioqui *Elysii campi*, Virg. Geo. I. 38. Silius XIII. 552. *Colle sub Elysio*, Ovid. Amor. II. 6, 49. *In Elysia valle*, Id. Amor. III. 9, 60. *Elysias sedes*, Lucan. VI. 600 et 782. *Ab Elysio agro*, Martial. X. 101. *Elysias oras*, Sil. XIII. 631. In singulari igitur *locum* (antiquis neut. gen.) cum Methodista Gallo poteris subaudire; vel (quod potius reor) *nemus*, quod expressit Martialis, VII. 39, et XI. 6. Senec. Herc. fur. v. 744. et Troad. v. 158. et Buchananus noster Epig. II. 18.

12) Ab antiquo *coelus*, quo usus Ennius, ap. Charis. col. 55. Idem vero Charisius, col. 21: et Caesar in libb. de Anal. (referente Gellio, XIX. 8.) Charisius, col. 21: et Caesar in libb. de Anal. (referente Gellio, XIX. 8.) *coelum* plurali carere volunt. Nec eo fere numero *coeli* iam reperitur, praeterquam apud Ecclesiasticos scriptores, et, inter veteres, Lucretium, II. 1096. *Quis pariter coelos omnis convertere?* supple *potis est.* Quod Vossius poeticam licentiam, nec in prosa imitandum putat, Anal. I. 41. Quidam (et in his Ursinus) ex corrupto Servii loco [ad Virg. Aen. I. 335] Ciceronem *coelos* dixisse existimant: at *coelos* ibi, non Ciceronis, sed Servii ipsius esse, ostendit idem Vossius de Vit. serm. I. 16, qui locum restituit, quemadmodum a Masvicio nuper editus est. Neque magis ad rem facit, quod e Ciceronis Orat. pro Mil. c. 30, extr. adduxit Despauterius; *Nec Sol ille, neque coeli:* continuo enim subiungitur, *signorumque motus;* ut *coeli* hic non recto plurali, sed genitivo sing. sit positum. Cicero certe tantum abest, ut in plurativo *coeli* dixerit ut *coela* potius dicturus videatur. Ait enim Epist. Fam. IX. ult. *Ille haec te putabat quaesiturum, unum coelum esset, an innumerabilia:* non autem *innumerabiles. Coeli* denique, in illo Varronis L. L. IV. 8, *Loca natura, secundum antiquam divisionem, prima duo, coelum et terra, deinde particulatim utriusque multa. Coeli dicuntur loca supera, et ea Deorum; terrae loca infera, et ea hominum*, non plurali (quod Ant. Nebrissensis volebat) sed singulari dictum videtur.

13) Plures erant eius nominis urbes: *Argi* autem pluraliter de ea tantum dici quae in Peloponneso erat, existimat Methodi auctor. In singulari vero tribus tantum casibus, nom. accus. et ablat. usurpatum reperitur.

14) * His addit Ursinus *siser* et *siseres*, quo singulari neutro, plurali masculino Plinius est usus. Vid. supra cap. I. reg. XXV. n. 2. * Ab aliis quaedam adiiciuntur. (1.) A Behourtio *hoc Colchos*, et *hi Colchi.* At quanquam nequeam accedere Methodi auctori, qui p. 40, *Colchos* de populo semper dici adversus Vossium contendit (contrarium enim Iohnsonus, p. 28, ex Ovidii Heroid. VI. 186. et XIX. 175. [adde et XVIII. 157.] mihi monstrasse videtur;) quia tamen ea vox, sive pro urbe, sive pro regione accepta, aut plurale tantum est, et masc. generis, ut *Veii, Gabii;* vel singulare tantum et neutri (non quod volebat

Digitized by Google

5. *In singulari neutra, in plurali masculina vel neutra.*

5. *Rastrum* cum *freno* pluraliter *i* vel *a* poscunt.

In singulari neutra sunt, in plurali masculina vel neutra; *rastrum, rastri* et *rastra*[15]); *frenum, freni* et *frena*[16]).

6. *In singulari neutra, in plurali feminina.*

6. *Delicium* dat *delicias, epula, epulum* vult. *Balnea* dic vel *eas*, numero sed *eum* modo primo.

In singulari neutrius generis, in plurali feminini sunt: *delicium, deliciae,*[17]); *epulum, epulae; balneum*, vero in plurali *balneae* et *balnea* habet[18]).

Vossius Anal. I. 12, feminini,) tres similes casus solos retinens; ideo inter deficientia, non variantia, numerari debebat. (2.) Addit post Charis. col. 80. Phocam, col. 1706, et Donatum, col. 1747. Nebrissensis, *hoc porrum, hi porri:* at *porri* plurale non est a *porrum*, sed *porrus*, quo utuntur Celsus IV. 6. et Plinius XIX. 6. (3.) Aliis denique memorantur, *cicer* et *ciceres; clathrum* et *clathri*: sed *clathrum* in singulari, aut *ciceres* in plurali necdum inventa.

15) Despauterius et alii his addidere, *Filum, claustrum, capistrum; fili* vel *fila; claustri* vel *claustra; capistri* vel *capistra.* At *fili, claustri, capistri*, masculina, nulla auctoritate nituntur. In illo autem Lucani, VI. 460, *Traxerunt torti magica vertigine fili*, quod a Ninivita, et ante eum a Phoca, col. 1707, hic adducitur, *fili* genitivus singularis esse videtur.

16) *Rastra*, quamvis minus usitatum sit, quam *rastri*, non tamen omnino damnandum cum Stewechio ad Vegetii, II. 25: eo enim utitur non tantum Celsus, ap. Nonium, III. 190, et Isidorus Orig. XX. 14, sed etiam Iuvenalis, XV. 166. *Rastri* autem est ab antiquo *raster*, quod exstat in glossis Philoxeni. In glossario vetere ab H. Stephano edito, itemque in Glossis Cyrilli, utrumque *raster* et *rastrum* coniungitur, ut iam observavit Methodi auctor.

17) *Deliciae* est ab antiquo nominativo *delicia*, quo usus Plautus Truc. V. 1, 29, et Solinus, c. 58. *Epula* similiter pro *epulum* veteres dixisse auctor est Festus.

18) *Balneum*, sive *balineum* (quod immerito damnat Caper col. 2247.) utuntur Cicero Attic. II. 3, et XV. 13. Plinius, XXII. 22, §. 43. et XXXII. 10, §. 38; etc. et Tacitus, Annal. XIV. 64, 3, et XV. 64, 5, etc. In plurali autem *balneae* seu *balineae* frequentius est: nec aliter sua aetate loquutos docet Varro, L. L. VII. 25, et VIII. 41. *Balnea* tamen auctores habet inter alios, Liv. XXIII. 18. Cels. I. 6. Horat. Epist. I. 1, 92. Ibid. 11, 13, et 14, 15. et Att. 298. Inven. I. 143. et VI. 374. et Plin. iun. Epist. II. 8. *Balneas* autem vel *balnea*, de publicis dici; *balneum* de privato, ex Varrone ostendit Vossius, Anal. I. 37.

Digitized by Google

§. 2. *De* Heteroclitis.

7. *Vas vasis* terni flexus, plurale secundi est. *Iugerum* at inverso ritu variato, reservans *Iugeris* ex numero praeeunte et *iugere* solum. Partim sit quartae, partim *domus* esto secundae.

Declinatione variant nomina haec sequentia:

1. *Vas, vasis*, in singulari est tertiae declinationis, in plurali *vasa, vasorum*, secundae[19]).

2. *Iugerum* contra, *iugeri*, in singulari secundae declinationis, plurali vero tertiae, *iugera, iugerum, iugeribus*[20]). interdum etiam *iugeris* in genitivo, et *iugere* in ablativo singulari legitur[21]).

3. *Domus*, partim secundae, partim quartae declinationis est: quos autem ex hac vel illa casus habeat, alias in Rudimentis ostendimus[22]).

---

19) *Vasa* est a singulari *vasum*, quo Cato ap. Gell. XIII. 23. Plaut. Truc. I. 1, 33. et Fab. Pictor ap. Non. XV. 11, sunt usi: *vasi* etiam in genitivo Lucret. VI. 232, — *Rarequefacit lateramina vasi*: ita enim ex vet. lib. Gifanius legit, et ante eum Mart. Capella lib. 3, quo in loco ambigi a quibusdam ait, an *vas* an *vasum* dici debeat. *Vasuum* contra in genitivo plurali declinat Charisius, col. 119. *Vasibus* quoque pro *vasis* ap. Severum in Aetn. v. 488. [*Quod si forte cavis cunctatus vasibus haesit*] legebant Ios. Scaliger et Vossius: pro quo tamen *vallibus*, et rectius, Io. Clericus substituit.

20) *Iugeris* genit. sing. dictum, vulgo Grammatici confirmant illo Melae de flumine Araxe loquentis, III. 5. *Plus iugeris spatio sublimis*: et ita quidem exhibent pleraeque omnes editiones, praeterquam quod in Is. Vossii, A. 1658, et recentissima Ab. Gronovii, A. 1722, *iugeri*, sive consilio, sive errore, excusum sit. *Iugere* in ablativo habent meliores codices Tibulli II. 6, 24. et Cic. in Verr. III. 47. Ad quae loca videsis hinc Graevium, illinc Broekhusium. Est autem, iuxta Charisium, col. 108, ab antiquo nominativo *iuger*, vel, ut vult Priscianus, col. 742, *iugus*. Caeterum *iugerum* in sing. dixere Varro, L. L. IV. 4, et R. R. I. 10. Cic. Verr. III. 48. Plin. XVI. 31, et XVIII. 3. Colum. I. 9, etc. *iugeri* Varr. l. cit. Colum. V. 1 et 2. Plin. II. 106, et XVII. 20. *iugero* Cic. Verr. III. 47. Plin. XIII. 24, et XVIII. 26. *Iugeribus* autem Inven. II. 130, et IX. 60. Ovid. Met. IV. 457, et in Ibin. 131. Plin. XIV. 4, et XVII. 20. Martial. VI. 43: item Varro R. R. I. 18, et aliis locis, quamvis idem eopte numero I. 10. *iugeris* bis utatur: quod et ab Atteio et Catone, referente Charisio, col. 108, factum. *Iugerum* denique genit. plur. quo Varro, Cicero, alique quod sciam omnes, utuntur, non tertiae, sed secundae esse, atque pro *iugerorum* per Syncopen positum, ut *modium, medimnum*, pro *modiorum*, etc. docet Priscianus, col. 742, in cuius sententiam concessere P. Ramus Schol. Gram. p. 170, et Carmichael noster Etym. p. 30.

21) Huc etiam, sive inter Variantia, numerari solent, quae alias unde casus suos mutuantur: ut, *Iupiter, iecur, iter, vis*, etc. item nomina *Festorum* et in MA, etc. de quibus superius diximus.

Digitized by Google

II. *Defectiva.*

Defectiva sunt quadruplicia: alia enim *Declinatione*, alia *casu*, alia *genere*, alia denique *numero* deficiunt.

§. 1. *Deficientia* Declinatione.

Deficientia Declinatione (quae aliter Indeclinabilia vocantur) ea sunt, quae unam omnibus in casibus vocem retinent[23]). Ea autem duabus regulis sequentibus comprehenduntur.

8. Nomen in U raro numero variabo priore:
Pleraque in I nusquam: positum pro nomine verbum,
Aut alias partes, elementaque, materiales
Adde etiam voces; peregrinaque nomina, formam
Ni Latiam inducrint: numerum queis denique iunge
Cardineum: *duo*, *tres*, *unus*, compostaque *centum*
Hoc tamen ex coetu cupiunt, et *millia*, tolli.

Indeclinabilia, sive casibus invariata, sunt haec:
1. Omnia fere nomina in U, in singulari ut, *genu*[24]).
2. Pleraque nomina in I, utroque numero[25]): ut, *gummi*[26]), [27]).

---

22) Vid. et infra huius cap. reg. 26.

23) Alii haec Aptota vocant, h. e. *casu carentia:* non quasi deficiant casibus ratione significationis; nam *genu*, *nequam*, et similia, omnes hoc pacto casus habent: sed quia non habent casus ratione vocis, i. e. eos terminatione non distinguunt. Unde rectius cum magno Vossio Invariabilia dici possunt.

24) Vid, quae de *cornu* diximus ad reg. 66. cap. II.

25) *Hydromeli*, *oxymeli*, aliaque eiusmodi a *meli* composita, declinari supra docuimus, cap. II. reg. 25. Haec autem et caetera in *I* nomina in plurali vix unquam reperiri existimem. Vid. not. seq.

26) *Gummium* genit. plur. ap. Plin. XII. 8. XV. 19. et XXIV. 11, an a singulari sit *gummi*, quod usitatius est, an a *gummis*, quo Columella utitur, XII. 50. et id. Plin. XIII. 12. haud immerito dubitat Iohnsonus, App. p. 118.

27) Perperam autem huc referuntur, *frugi*, *mancipi*, *nauci*, *nihili*, tanquam adiectiva indeclinabilia: item *eiusmodi*, *huiusmodi*, et similia. Nam (1.) *Frugi* dativus est ab exoleto nominativo *frux*, vel *fruges*, cuius omnes obliqui in usu sunt. *Homo* igitur *frugi* cum dicimus, intelligitur *aptus*, *idoneus*, *paratus*, aut simile. Sunt qui putant *frugi* antiquum esse genitivum, pro *frugis*; ut *fami*, pro *famis*; *Themistocli*, pro *Themistoclis*: ut *homo frugi* sit idem qui *homo bonae frugis*. Videsis Vossium Anal. I. 46. Guntherium Latin. restit. part. 2. p. 416. Perizon. ad Sanct. IV. 4, 12. Iohns. App. p. 117. (2.) *Mancipi* dativum esse a *manceps*, putat Priscianus, col. 682. Vossius autem geniti-

Digitized by Google

3. Verbum, aut alia quaevis orationis pars pro nomine posita: ut, *Illorum vivere est mori*, i. e. *illorum vita est mors*. Cic. *Cras istud*, i. e. *iste dies crastinus*, Mart.[28]). *Sed recti finem extremumque esse recuso Euge tuum et belle*. Pers. i. e. *tuum plausum* et *laudationem*.

4. Nomina literarum: ut, *Alpha*, *Beta*[29]), A, B, C[30]).

5. Voces materialiter positae: ut si dicas, Ex *ne* et *homo* componitur *nemo*.

6. Nomina peregrina, seu Barbara (i. e. neque Graeca, neque Latina:) ut, *Adam*, *Iob*, *Elisabet*, *Ierusalem*. Nisi ex prima sua origine fines habeant ad declinationem idoneos: ut, *David*, *Salomon*, *Hannibal*: vel Latina eis terminatio accedat: ut, *Adamus*, *Iobus*, *Elisabetha*, *Hierosolyma*[31]).

7. Numeralia, quae Cardinalia vocantur, a *quatuor* ad *centum*, hoc incluso. Caetera enim, *unus* utroque numero[32]), *duo*, *tres*, plurali declinantur. *Mille* adiectivum non declinetur: at *mille* substantivum singulari quidem invariabile est; pluraliter vero declinatur, *millia*, *millium*, *millibus*, etc.[33]).

---

vum per Apocopen positum, pro *manelpii*, loc. cit (3.) *Nuuci* in solo genitivo usurpatur, ut reg. 10, mox dicemus. (4.) *Nihili* genitivus est a *nihilum*, quod integrum est in singulari. (5.) *Eiusmodi*, *huiusmodi*, *istiusmodi*, *eiuscemodi*, etc. ex duobus genitivis conflata, coniunctim quidem *μονόπτωτα* sunt; aliter vero caeteros quoque casus terminationibus distinctos habent.

28) Vid. cap. I. reg. 12.

29) Ausonius tamen Idyll. XII. *Betae*, *Gammae*, *Deltae*, in genitivo, *Iotae* in dativo declinat. Et Plato Comicus *ὄλγματος*, et *ἐκ τῶν σγμάτων*: et Xenophon Hell. IV. *σγματα* dixerunt. *Ἔψιλόν*, *Ὂμικρόν*, *Ὦμέγα*, adiectivorum more inflectuntur. V. Turneb. Adversar. I. 21. et Carmich. Etym. p. 38. Servius quoque literarum Graecarum nomina declinat. Et in omnigenis et pro correctissimis habitis Tullii exemplaribus, de Oratore III. 12, Brissaeum *Iotam literam* legisse, memorat Dausquius, Vol. II. p. 163, pro quo *Iota literam* Gruterus et Gronovius edidere. Latinorum elementorum nomina proprie voces non sunt, Hebraicorum, Arabicorum, etc. barbara, atque ob eam rationem invariabilia.

30) Syllabas quoque indeclinabiles esse notat Varro, L. L. VIII. 36. Addit Carmichael, ubi supra, integras orationes loco nominativi aut alterius casus positas, quale est illud Persii I. 28. *At pulchrum est digito monstrari, et dicitur: hic est.*

31) Inveniuntur et genitivi *Adae*, *Abrahae*, tanquam ab *Adas*, *Abrahas*. V. cap. II. reg. 7. n. 22.

32) Quando pluraliter *unus* adhibendum sit, in Rudimentis docuimus, p. 18. et fusius infra reg. 18. n. 31.

33) *Milli* tamen in ablativo invenitur ap. Lucilium, referente Gellio I. 16. Caeterum *mille* adiectivum eo differt a *mille* substantivo in

Digitized by Google

9 Haec etiam immotos retinent vocabula fines:
Semis habens primum numerum, *frit*, *git*, (quibus addi
Causape, *cepe* volunt:) numerum quoque nacta secundum
Tot, *quot*, cum natis; sed *nequam*, *pondo*que utrumque.

Indeclinabilibus insuper adiungenda sunt:

8. Singularem tantum numerum habentia: *semis*[34]); *frit*; *git*, seu *gith*[35]). Quibus forte addi possunt, *cepe*[36]); *causape*[37]), [38]).

---

plurali, quod illud semper comitetur adverbium numerale; ut, *bis mille homines*: hoc vero adiectivum requirat; ut, *duo millia hominum*. Prius idem fere sonat quod Graece χίλιοι, posterius quod χίλιας. Scioppius quidem Paradox. literar. Epist. 14, eumque secutus Gronovius pater, pec. vet. I, 10, aliter sentiunt. At vid. quae nos in Rudim. p. 18. praecipue vero Perizonius in Sanct. IV. 4. n. 78.

34) Vid. supra ad reg. 33. cap. II. n. 12, et adde ex Vegetio de re milit. II. 15. *Item bina missilia, unum maius, ferro triangulo unciarum novem, hastili pedum quinque et semis.* Et paullo post. *Aliud minus — hastili pedum trium et semis.*

35) *Git* nomin. accus. et vocat. sing. tantum habere putabat Iohnsonus, App. p. 119, at postea, mutata paulum sententia, Addit. p. 36, adiicit et genitivum ex Celso V. 18 et 28. *Gith cyathos tres.* Idem de *frit* statuendum existimat, quamvis exemplum non suppeditet. * Addunt Ferrettus, Annotatores Oxonienses et alii *subtal* (Prisciano *subtel*, col. 644.) i. e. *cavum pedis*: quod tamen Sipontinus (teste Carmichaele) et tota Lexicographorum cohors *subtalis* declinant. At vox ipsa nusquam iam reperitur. V. Iohns. dict. loc.

36) *Cepe* tantum singulare facit Charisius, col. 23. et Priscianus, col. 678, et 681. et (qui ei nom. acc. et abl. tantum tribuit) Sergius, col. 1842. Iohnsonus contra tantum plurale p. 118 et 119, quamvis et si postea genitivum sing. ex Columella concedat; qui iungere poterat illud Apuleii ap. Priscian. d. loc. *Cepe succum melle mixtum*, Ego certe saepius quidem singulariter, ut ap. Horat. Epist. I. 12, 21. Iuven. XV. 9. Pers. IV. 31. nusquam vero ap. probatum auctorem pluraliter legi. Nam quae ex Plinio XIX. 6, obduci possunt exempla, aliter in melioribus libris habentur. Profert quidem Priscianus loc. cit. tria ex antiquioribus exempla, Naevii, *Cui cepe edendo oculus alter profluit*; Novii, *Olea, cepe, ficus*; Varronis, *Multifarium in patellis coquere cepe*; in quibus *cepe* plurale videtur: at rem non prorsus certam esse, ostendit similis loquendi ratio ap. Plin. l. cit. *Cepae genera apud Graecos, Sardia, Samothracia*, etc. in quo plane singulare est. Caeterum Ursinus, p. 296, humani quid passum Vossium ait, qui *cepe, cepis* declinat, neque indeclinabilis ullam faciat mentionem. Sibi enim *cepe, cepis*, nusquam lectum. Addit porro Gallum Methodi auctorem credulitati suorum illudere, qui idem firmare nititur veteri proverbio, *Quis usus cepis putridi?* quasi hoc ex antiquo auctore esset depromptum,

Digitized by Google

9. **Tantum pluralia, *tot, quot,* cum compositis, *totidem, quotquot* et *quotcunque; aliquot.***

---

quod solius Erasmi est, atque e Graeco tralatum. Melius certe et hic et ille sententiam suam cumprobassent auctoritate Charisii, qui col. 48, (quod et Vossii animo obversatum videtur) *tepe, cepis, cepi*, disserte inflectit: quanquam et ipse alibi, col. 28, *cepe*; inter monoptota collocet. Interim et *cepae, ceparum*, etc.

37) *Gausape* vix aliis casibus quam nom. accus. et ablat. sing. nunc reperias. Vid. Martial. XIV. 152. Pers. IV. 37. Horat. Sat. II. 8, 11. Indeclinabile qui statuunt in singulari, maxime nituntur illo Plinii VIII. 48. *Nam tunica lati clavi, in modum gausape texi nunc primum incipit:* ubi *gausape* patrio casu dictum; et ita pleraeque editionpe. Vossius, qui verba haec ita distinguit, *Nam tunica, lati clavi in modum, gausape texi nunc incipit; gausape* auferendi casu accipit. At novissimae Harduini editiones, retenta veteri distinctione, *gausapae* exhibent. Adeo nihil in his certi. Quemadmodum nec satis constat, quo numero *gausape* extulerit M. Messalla ap. Charis. col. 80. *Armenii regis spolia gausape.* Plurali sane ex apposito prolatum videri possit, uti iam ab Ursino animadversum, qui tamen rem in medio relinquit. An vero ab abl. sing. *gausape* deductum sit plurale *gausapa*, (quo Ovidius Art. II. 300. Persius, VI. 46. Martialis, XIV. 29. et 138, utuntur,) quod post Priscianum, col. 759 et 769 existimat Vossius: an ab antiquo *gausapum*, (quo usus est Cassius Severus ap. Charis. l. cit.) quae Ursini sententia videtur, doctis diiudicandum relinquo. Sed et vete. es nominativo *hic gausapes*, dixere, a Graeco ὁ γαυσάπης, idque tam in prima quam tertia: unde illud in testamento Augusti ap. eund. Charisium legimus, *Gausapes, lodices purpureas et coloriae meas:* quod cur Vossius in *gausapas* mutatum velit, non satis causae visum est Ursino. Postea vero, Graeca terminatione masculini ης in *a* femininam conversa, *gausapa, gausapae* extulisse (ut factum in ὁ χάρτης, *haec charta*, ὁ κοχλίας, *haec cochlea*, aliisque,) auctor est Varro, ap. Charis. et Prisc. locc. citt. qua etiam vocis inflectendi ratione usi sunt Plinius, loc. supra laudato, et Petron. c. 28. Anne vero et *gausape, gausapis*, inclinate liceat, quod permittit Vossius, factumque ab Harduino est in Notis et Emend. ad Plin. lib. VIII. num. cv. mihi haud dum compertum. Voss. Anal. I. 35. et II. 11, in primis vero Ursin. part. I. p. 187.

38) Alvarus Gram. min. p. m. 128. et Cluverius Ital. antiq. p. 491, indeclinabilia statuunt propria quaedam in E: ut, *Praeneste, Caere, Reate*, etc. oppidorum nomina, *Soracte* nomen montis. At *Praenestis* est ap. Propertium II. 23, 41. et Paterculum II. 27, 6. *Tergestis* Ibid. ex. 4. *Soractis* ap. Virg. Aen. VII. 696. et XI. 785. Cluverius etiam Ital. antiq. p. 196. *Caere, Caeritis*, a Virgilio declinatum putat, Aen. VIII. 597. *Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem.* Non ignoro quosdam magni nominis Grammaticos genitivos hosce a nominativis deflectere in IS vel ES, *Praenestis* vel *Praenestes, Soractis* vel *Soractes; Caeres* genitivo *Caeritis*, vel *Caeretis* (ut ap. eund. Virg. Aen. X. 183.) habens. At cum nusquam isti nominativi occurrant, verius videtur, praesertim cum id patiatur Analogia, genitivos hosce ab usitatis rectis deducere. Plautus quidem *Praenesten* dicturus videtur: apud eum enim, ubi Ergasilus Graece per urbes Latii iurans inducitur, legere est, Captiv. IV. 2, 102. *Νὴ τὰν Πραινέστην.* At Vossius (quem videsis Anal. I. 12.) *Πραινέστον* ibi legendum putat, a recto *Πραινέστος*, quo

Digitized by Google

10. Utroque numero gaudentia: *nequam*[39]); *pondo*[40]), [41]).

---

utitur Appianus, et Stephanus Byzantinus, addere poterat, Strabo et Plutarchus. Cluverius quoque d. l. in hoc Iustini, XX. I. 12, *Quid Caeren, urbem dicam?* mendum irrepsisse, ac *Caere* legendum existimat, quod et in quibusdam ex antiquioribus editionibus se invenisse testatur Vorstius. At quid si dicatur Latinos interdum eiusmodi nomina ex neutris tertiae in feminina primae (quale genus nomina urbium plerumque amant) transtulisse, ac *Praeneste, Praenestes, Praenesten; Caere, Caeres, Caeren*, declinasse? *Soractem* autem ap. Plin. VII. 2, et *Soracten* ap. eund. XXXI. 2, vel sunt a nom. *Soractes* vel *Soracte* in prima, aut *Soractis* in tertia. Pro posteriore facit, quod *Sauractis* a Catone nominetur, teste Dausquio, Vol. II. p. 294. Caeterum in vocibus hisce *Praeneste, Caere, Soracte, Reate*, omnes qui carmine scripsere ultimam corripiunt, adeoque et tertiae declinationis faciunt. Vid. Virg. Aen. VII. 682. et VIII. 561. Horat. Car. III. 4, 23. et Epist. I. 2, 2. Sil. VIII. 366. et IX. 404. Stat. Sylv. IV. 4, 15. Iuven. III. 190. Martial. IV. 64, 33. Sil. VIII. 474. Horat. Car. I. 9, 2. Sil. VIII. 417. Haec autem et similia ablativum in *e* terminare superius ostendimus cap. II. reg. 50. Nec audiendus Torrentinus, eumque secutus Despauterius, qui a *Praeneste Praenesti* declinant. Sed et dativum quoque in *e* exire fidem fere facit illud Livii I. 2, *Caere opulento tum oppido imperitans*; nisi (quod minus veri simile) *Caere* hic ablativo positum dicatur.

39) Sic Plaut. Bacch. III. 6, 28. *homo nequam*, Colum, III. 10, extr. *nequam vitis*, Lucil. ap. Fest. *nequam aurum*, Cic. pro Coel. 4. *homini nequam*, Gell. VII. 11. *o hominem nequam*, Cic. pro Rosc. 44. *quemadmodum solent liberti nequam et improbi facere*. V. et Varr. L. L. IX. 5, qui vocabulum docet ex *ne* et *quicquam* media extrita syllaba, coactum.

40) *Pondo* duplici sensu accipitur. Aut enim (1.) Simpliciter pro *pondere* sumitur: ut Liv. I. 55. *Coronam auream dictatori libram pondo decrevit*, i. e. *ad libram*, vel *pendentem libram*, *in pondere*. Sic Plaut. Rud. IV. 2, 8. *Neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi*. Et Colum. XII. 30. *Scillae aridae pondo libram et quadrantem adiici oportere*. Aut (2.) pro *libra* ipsa usurpatur: ut Plaut. Asin. II. 2, 33, *Quot pondo te esse censes nudem*, i. e. *Quot librarum*. Priore vocis significatu neutrum esse ac ablativi tantum singularis omnes consentiunt. Posteriore autem, omnes quidem neutrum et invariabile: nonnulli diversorum numerorum et casuum; plerique vero diversorum quidem casuum, sed numeri duntaxat pluralis, esse volunt. At Gronovius pater, de pecun. vet. I. 6, et seq. vocem utroque sensu unam eandemque esse, et ablativi tantum casus, numerique semper singularis, contendit: veteres enim *pondus, pondi*, ut *vulgus, vulgi* declinasse, caeterisque casibus, usu τοῦ *pondus ponderis* in tertia, abrogatis, ablativum solum remansisse. In eiusmodi autem locutionibus Liv. XLII. 7. *Torques duo ex quinque pondo auri facti*. Id. XLIII. 6. *Octoginta pondo coronam afferentes*. Colum. XII. 18. *Picis durae pondo vicena quina*, Liv. XXVII. 10. *Inde quingena pondo data Consulibus*, Id. XXXIII. 27. *Auri mille et quingenta quindecim pondo*, etc. sententiae suam constare ait integritatem, supplendo in prima *libris*, in secunda *librarum*, in reliquis *pondera*, vel χρήματα, vel *negotia librarum* in *pondo*, i. e. *pondere pendendo*: ut *bina* [librarum] *pondo* eodem pacto dicatur, quo *ardua montium, occulta viarum, acuta belli*. Ego vero, quod pace maximi viri

Digitized by Google

§. 2. *Deficientia* Casu.

Casu *Deficientia*, pro numero casuum superstitum distinguuntur: alia enim unicum tantum, alia duos, alia tres, alia quatuor, alia denique quinque casus habent;

---

dictum sit, quanquam hunc primarium vocis *pondo* usum et originem haud invitus agnoscam, quia tamen τὰ χρήματα, sive *negotia*, longius hic petita ac nimis generalia; *pondera* vero *in pondo*, i. e. *pondere*, incepta eiusdem vocabuli repetitio videatur; haud absurdum creditu existimaverim, veteres illos Romanos, causarum suae linguae plerumque ignaros postquam priscus τοῦ *pondo* nominativus, aliique casus sub hac inflexione, *pondus pondi*, in usu esse desivissent, solusque iam ablativus relinqueretur, tandem eo prolapsos, ut invariabile crederent vocabulum, utroque numero, omnibusque casibus, uti res postularet, promiscue adhibendum: ut idem hic plane usu venisse arbitrer, quod in voce *mille* ostendit Cl. Perizonius loc. supra laudato, quem propterea miror ea de re Gronovii sententiae adversantem, cum eo de voce *pondo* tam amice sentire. Caeterum quod post Charisium, col. 22 et 48, plerique omnes Grammatici *unum pondo* dici negent, damnetque Kirkwodum nostrum ita loquentem Iohnsonus App. p. 128, refelluntur illo Livii XL. 43, *Auri pondo triginta unum*. Nec dissimile illud Colum. XII. 12, *Sextarium aquae cum dodrante pondo mellis diluunt*: et Ibid. c. 30, *Ponlo quadrantem singulis amphoris infricato*. Idem P. Ramus Schol. Gram. p. 142, nec inepte, confirmat ex illis sermonis formulis, *duo pondo*, *quinque pondo*, etc. quando singulari carentibus, *bina*, *quina* addi solent. In eo autem lapsus est Ramus, quod *bina* aut *dena pondo* dicere non permittat: quod optimis auctoribus haud insolitum Gronovius d. loc. monstravit; licet frequentioris sint usus numeri cardinales.

41) Inter Indeclinabilia porro recenset Despauterius *Pedum*, *nugas*, *hir*, *fas*, *nefas*, *nil* sive *nihil*, *instar*, *ador*, *necesse* et *praesto*. Hic vero in primis observandum est, Despauterium et vulgus Grammaticorum (qui *invariabilia* cum nominibus in aliquibus tantum casibus mutatis confundunt) tironibus fucum facere, qui cum eadem regula *cepe*, *nequam*, *tot*, *frit*, et *pedum*, *fas*, *nefus*, *instar*, nullo discrimine facto, inveniant; parem utrorumque rationem arbitrentur: proindeque, ut *succus cepe*, pro *succus cepae*; *servo nequam*, pro *servo improbo*: sic quoque *amor fas*, pro *amor iusti*; *pedum incurvo*, pro *baculo incurvo*, dicere licere: quasi haec vocabula utrique numero, omnibusque casibus, terminatione haud mutata, pariter inservirent. Cum autem longe secus res se habeat, haec ab illis accurate secerni oportuit: id quod nos, quoad eius fieri potuit, sumus conati. Ex his igitur, *hir*, *instar* et *necesse* inter diptota, *fas* et *nefas* inter triptota (de quibus mox dicendum) relatis; superest ut de reliquis nonnihil dicamus. Et (1.) *Pedum* quidem indeclinabile faciunt Charisius, col. 73. et Phocas, col. 1690. at genitivo *pedo*, et pluraliter *peda*, *pedorum*, et sic deinceps, declinari, quamvis nulla in infrequenti vocabulo iam occurrat auctoritas, rei ipsius natura deposcit, ut Cl. Vossius Anal. I. 41. et Iohnson. p. 182. et ante eos Frischlinus in Strigili, c. 1. Carmichael. p. 89. et Pincierus Parerg. tii Marpurg. IV. 32, monuerunt. Hanc Buchananus noster et Beza rationem secuti, hic Psal. XCV. 7. *pedi*, ille Psal. XXIII. 4. *pedo*, efferre non dubitarunt. (2.) De *nugas* dicemus reg. seq. (3.) *Nihil* et contracte *nil*, per Apocopen dictum, pro *nihilum*, adeoque in genitivo *nihili* facit. (4.) *Ador* indeclinabile ideo mansisse ait Priscianus, col. 700,

Digitized by Google

quae Grammatici vulgo *Monoptota*[42], *Diptota*, *Triptota*, *Tetraptota* et *Pentaptota* appellant.

1. Monoptota.

10. Unicus his tantum casus manet. *Inquies*, *spes*,
Atque *potis* solos rectos tenuere. Paternum
Dant *dicis*, *nauci*. Sextum *noctu*que, *diu*que,
Ergo prō *causa*, *promptu*, *natu*que, *relatu*,
Admonitu, *iniussu*, sic talia plurima. Quartum
Pluralem *inficias*, velut *incita*, servat. Ibidem
Vult sextum *ingratis*. *Ambage* et *compede* se
tum
Anteriore dabunt numero, prope plena secundo.

---

quod ambigua esset mensura penultimae genitivi, *duabus sibi adver regulis repugnantibus*. Idem tamen ex Gannio veteri Poeta tria profe genitivi exempla; in quorum primo ac secundo *adoris*, ea syllaba co repta, in tertio, producta, *adoris*, exprimitur. *Adoris* quoque habet A sonius in Technop. penultima correpta, quomodo et efferendum, ut s milia in *or* neutra, *marmor* et *aequor*, docet Charis. col. 21, 66 et 9 Ut mirum sit Ios. Scaligerum, in Not. ad Festum, eumque fere secutu Dacierium, *ador* neutri esse negare; *adoris* vero, secunda brevi; nc ab *ador*, sed ab *adus*, deflectere. Utrumque enim testimonio Charis et analogia; prius etiam illo Horatii Sat. II. 6, 89, *Esset ador loliun que*, redarguitur. Confer et Vossium Anal. I. 27. et de vit. serm. IX. (5.) *Praesto*, quod aliqui dativum esse volunt, ab obsoleto *praestus*, m hi potius cum Vossio Anal. I. 22, et Iohnsono App. p. 118, adverbiu videtur: nisi mavis cum Rud. Agricola, (referente, nec improbante, eo Vossio, Anal. III. 40,) nihil aliud esse, quam verbum *praesto*, long usu ad alterius orationis partis vim detortum. Quod si inter nomin censeri velimus, adiectivum est diptoton, nominativi tantum et accusati casus, adiunctis (ut Carmichaeli observatum, p. 40.) *sum*, *essem*, *ess fortem*, *fore*, et Poetice *adsum*. ¶ Non inepte huc referri potest *Sesqui* quod quamvis in compositione fere semper invenistur, ut *sesquihora sesquilibra*, *sesquialter*, Cicero tamen in Orat. c. 56, extra compositio nem utitur, *Necesse partem pedis aut aequalem esse alteri parti, au altero tanto, aut sesqui esse maiorem*. Est autem origine idem quo *semisque*, *semis* in *ses* contracto, mutataque ultima encliticae in *i*: ut *sesquihora* sit *hora semisque*, i. e. *hora integra cum dimidia*, et ita i aliis. V. Gronov. pec. vet. I. 8. p. 15.

Digitized by Google

Unicum tantum casum habent nomina sequentia.

1. Solum nominativum[43]) singularem, *inquies*, substantivum[44]); et haec duo adiectiva, *exspes, potis, pote*[45]).

2. Solum genitivum, *dicis*[46]): ut, *dicis gratia; nauci; res nauci*[47]).

3. Solum ablativum, *noctu*[48]); *diu, interdiu*[49]; *ergo*, pro *causa*[50]) *promptu; natu, relatu, admonitu, iniussu.*

---

nationе funguntur; qualia sunt nomina literarum, et numerorum a *quatuor* usque ad *centum*. Idem *diptota* vocat, quae duos diversos casus tantum habeant, ut *suppetiae, suppetias: triptota* quae tres; ut, *templum, templi, templo: tetraptota* quae quatuor; ut, *puer, pueri, puero, puerum: pentaptota*, quae quinque; ut, *ventus, venti, vento, ventum, vente: hexaptota* denique quae sex; ut, *unus, unius, uni, unum, une, uno*. Nos vero casus non terminatione sed significatione distinguentes, *aptota* ea dicimus, quae sub uno vocis exitu, omnium casuum officio funguntur, rectius cum Vossio ἄκλιτα appellanda; *monoptota*, quae unius tantum casus; *diptota*, quae trium; atque ita porro, usum atque significationem retinuerunt.

43) Vocativum hic non moramur: quamvis enim *inquies*, etc. nusquam forte eo in casu iam reperiantur; quia tamen ex optimorum Grammaticorum placitis, omnia nomina rectum habentia, vocativum quoque (nisi vocum ipsarum natura eum respuat) habere possunt; idcirco sub nominativo vocativum hic etiam (si necesse sit) intelligi volumus.

44) Iohnsonius, qui App. p. 118, *inquies* aptoton facit, de substantivo intelligendus est: ut, *inquies nocturna*, ap. Plin. XIV. 22. et *vigiliarum labor et inquies*, ap. Gell. XIX. 9. Nam *inquies* adiectivum declinari ostendit Priscianus, col. 708, confirmatque col. 704, illo Sallustii Hist. II. *Corpore et lingua percitum et inquietem Barbaricum appellabant*. Addit et Vossius Anal. II. 20, ex Apuleio, *inquieti procacitate*.

45) Nec monoptoton solum est *potis*; sed, quod magis mirum, *potis* et *pote* a veteribus utroque in numero et per omnia genera inveniuntur frequentata; ut ap. Lucret. I. 452. — *Quod nunquam sine perniciali Discidio potis est seiungi, seque gregari*: et V. 718, *Nec potis est cerni, quia casum lumine fertur*: pro *pote*. Catull. XLIII. 5, *Quantum qui pote plurimum perire*, pro *potis*. Plaut. Poen. I. 2, 17, *Duas potis erat plus satis negotii dare*, pro *potes*. V. Voss. Anal. II. 21. et Perizon. ad Sanct. II. 10, 1. et IV. 17, 3.

46) *Dicis* pro *dices*, a Graeco δίκη δίκης; nam *dicis causa* valet δίκης ἕνεκα, *moris causa*.

47) Ab antiquo nominativo *naucum*, i. e. *nucis* aut aliarum rerum *putamen*. Naevius ap. Festum ablativo quoque usus est; *Eius noctem nauco ducere*, —

48) *Diu* et *noctu* nunc fere adverbialiter sumuntur: veteribus autem pro *nocte* et *die* usurpata: unde et τῷ *noctu* adiectivum fere femininum iunxere: ut Enn. *Qui noctu, Noctu concubia, Hac noctu filo pendebit Etruria tota*. Claud. Quadrig. *Multa noctu*. V. Macrob. Saturn. I. 4. Voss. Anal. II. 12. Confer et Iohnson. Addit. p. 28, extr. qui adiicit ex Plaut. Mil. II. 4, 28. *Mihi haud falsum eveniat somnium, quod noctu hac somniavi*: et ex Cic. ad Attic. VIII. 3, *Scribente me haec ipsa noctu in Caleno*. Sed in posteriore incertum, an *ipsa* auferendi sit, an

Digitized by Google

Item plurima verbalia quartae declinationis: ut, *accersitu, fricatu, illisu, percussu, persuasu*, etc.[51]).

4. Solum accusativum pluralem, *inficias* (quod cum verbo *eo* tantum iungitur; ut, *ire inficias;*) *incita* vel *incitas*; ut, *ad incitas redactus*[52]).

5. Solum ablativum pluralem, *ingratiis*[53]).

6. *Ambage, compede*[54]), in ablativo singulari fere solo reperiuntur: in plurali autem integra sunt, nisi quod in genitivo *ambagum*, vel *compedum*, vix dicantur.*[55]).

---

accusandi casus. Cato autem (ut eidem Iohnsono observatum) R. R. 156, *noctu sereno* in masculino dixit.

49) Plautus eodem sensu *interdius* utitur: ut in Asin. III. 3, 9, *Negotiosus interdius*: et Aul. I. 1, 38, *Tum autem interdius Quasi claudus sator domi sedet totos dies*: et Pseud. V. 2, 8, *Te sic interdius cum corolla ebrium incedere.* Profert et Iohnsonus App. p. 118, illud ex Livii lib. 8. *Nec discernunt interdius nocte;* ubi (si recte se habeat lectio) *interdiu* accusativo usurpatum videtur.

50) *Ergo*, sive pro illativa coniunctione sumatur, ut *ideo, igitur;* sive pro *causa*, ut in hoc Virg. Aen. VI. 670, *illius ergo venimus*, et in vet. Inscript. ap. Sponium Miscell. erud. antiq. p. 265, Laetitiae. et. grati. animi. ergo. verum ablativum esse atque a Graeco λογῳ deductum, Grammaticorum doctiores iamdudum statuerunt.

51) De his videndus omnino Vossius Anal. I. 47. Ursinus, p. 133. et qui prolixum satis eiusmodi vocum syllabum dedit, Iohnsonus, p. 123 et 124.

52) Ab inusitato *incitus*, i. e. *immotus*, ab *in* et *cieo*. *Ad incita* igitur, seu *incitas redactus*, subaudi *loca, calces, lineas.* Est enim metaphora a ludo 12 scriptorum ducta, nam cum ad ultimam lineam promoti erant calculi, tum is cuius intererat, *ad incitas lineas redactus* dicebatur. V. Non. II. 422. Scalig. Coniect. ad Varr. Append. ad lib. 6. Voss. Anal. I. 34 et 47. et de Construct. c. 6. et Gronov. ad Plaut. Poen. IV. 2, 36. et Trin. II. 4, 136. Leguntur quoque ap. Isidor. XVII. 67, *inciti homines* quibus scil. ulterius procedendi nulla spes est.

53) Ut, *tuis ingratiis* ap. Plaut. Merc. II. 4, 11. et Ter. Heaut. III. 1, 87, *Ea coacta ingratiis*: et Nepot. II. 4, *Ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur.* Huc quoque addi potest simplex *gratiis* ap. Plaut. Asin. Prol. 5, *Cave modo ne gratiis*: et ibid. I. 3, 42, *Honoris causa gratiis dono dabo*: et Ter. Adelph. IV. 7, 26, *Si non pretio, gratiis*: Pro quo postea *gratis* (quod adverbium vulgo existimatur, sed et ultima producta, ut Vossio monitum, Art. Gram. II. 31.) dixerunt. V. infra reg. 12. n. 72.

54) *Compedis* in genitivo sing. utitur Claudianus XIX. 3. *compedium* eod. casu plur. Plaut. Pers. III. 3, 15.

* 55) Huc addi possunt, I. In solo Nominativo nunc reperta, (1.) *Pernox*, quamvis *pernoctis* declinet Priscianus, col. 725. (2.) *Glos*, de quo vid. cap. II. reg. 35. n. 17. II. In solo Genitivo *cuimodi* et *cuicuimodi* ap. Cicer. de Fin. III. 9, pro S. Rosc. 34. (confirmante eam lectionem Prisciano, tom. 959.) et multis aliis locis: item Gell. II. 8. XIII. 29. XIV. 1. etc. pro *cuiusmodi* et *cuiuscuiusmodi*. V. Voss. Anal. I. 47, in primis vero Gronov. in Gell. II. 8. n. 6. *Alimodi* etium pro *aliusmodi*, habet Festus. Nimirum haec olim disiunctim effe-

Digitized by Google

2. Diptota.

11. Haec gemino cernes casu contenta. *Necesse*
Rectum cum quarto capiunt, *volupe*, *instar*, et *astu*
Significans urbem, simul *hir*. Iunxere Latinum
Cum recto terni flexus *vesper*que *sirempsque*.
Impetis et *spontis* patrius tenet; *impete*, *sponte*
Crebra magis sexto: sic *verbere*, *verberis*, omnem
Pluralem servans: *repetundarum repetundis*,
Suppetiae, *inferiae* quartum, vix plura tulerunt.

---

rebant, *cui modi*, *alii modi*, cum genitivus nondum in *ius*, sed *i*, desinebat. Sic Cato ap. Prisc. col. 717, *Uti mutem mores, atque alii modi sim*: et C. Licinius ibid. *Perversum est alii modi postulare*: et id. Cato ap. eund. col. 694, *Quis illi modi esse vult?* III. In solo Accusativo, (1.) *Pessum*, quod quidam adverbium faciunt, verus est accus. sing. ut *pessum ire*, *pessum dare*, unde et verbum *pessundo*; sive a *pessum* supino verbi *pendo*, ut *passum* pro *pansum* dicitur a *pando*, quae est Scioppii opinio; sive quod versimilius Vossius coniicit, a Gr. βύσσος pro βυθός, *fundus*. V. Ursin. part. 1. p. 915. (2.) *Venum* quoque accusativus est, ab inusitato *venus*: unde et dativus *veno*; ap. Tacit. Annal. XIII. 51, 2. et XIV. 15, 2: et *venui* ap. Apuleium, Met. VIII. p. 251. et Met. IX. p. 277. IV. Solo Ablativo (1.) *Luci*, pro *luce*; et (2.) quod adverbium vulgo statuitur, *rite*, pro *ritu*. (3.) *Fortuitu* ablativum statuit Iohnsonus, p. 122, dissentiente tamen Scioppio et Io. Kero Observ. de L. L. lib. 2. voc. *Pronomen*, qui cum vulgo illud inter adverbia reponunt. ¶ Multa etiam ab aliis huc congeruntur; veluti I. Nominativi tantum sing. (1.) *Nugas*, at hoc per Syncopen factum videtur ex *nugax*, vel (ut prisce scribebant) *nugacs*, extrito *c*, adeoque in genit. *nugacis* flectendum. (2.) *Damnas*: quod eodem pacto ex *damnatus* contractum affirmat Vossius Anal. I. 47, ac proinde genit. *damnatis* habere. Mihi tamen scrupulum haud levem hic iniicit, quod Iurisconsulti (quorum fere proprium est hoc vocabulum) in nominativo etiam plurali tantum: ut L. 122. §. 1. ff. de legat. 1, *Lucius Titius et Gaius Seius Maevio decem dare damnas sunto*: et L. 34. §. 1. ff. de legat. 3, *Titio filio meo nomina ex Kalendario, quae elegerit filius meus sibi, viginti dare damnas sunto sine dolo malo*. (V. Cuiac. ad Pauli Sent. III. 6. §. 6. et Rami Schol. p. 144.) Hic enim Syncopae nullus est locus. (3.) *Praegnas*, pro *praegnans*, quod extat ap. Cicer. ad Att. I. 10. *Quod soror praegnas est*: at *praegnatis* in genit. declinat Probus, col. 1469, et *pregnate* in abl. Consentius, col. 2039. et *praegnatem* accus. passim in ff. de ventr. inspic. Nimirum *damnas* et *praegnas* (ut notat Cassubonus ad d. Ciceronis loc.) sunt veteris lingnae reliquiae. Sic *sanas* antiqui dicebant pro *sanatus*: unde illud XII tabb. ap. Festum, *Nexo solutoque, furi sanatique idem ius esto*: et Gell. XVI. 10, *Proletarii et assidui et sanates*. (4.) His addit Carmich. p. 41. *differitas*, i. e. *differentia*, ex Lucret. IV. 640. et Arnob. II. item *prodigitas*, i. e. *profusio*, ex Lucilio ap. Nonius II. 695. Sed haec rancidae vetustatis vocabula non aliis magis casibus quam no-

Digitized by Google

In duobus casibus inveniuntur haec nomina:

minativis ipsis exoleverunt. (5.) *Aleo* et *ganeo* rectis tantum dici docet Despauterius: at *aleonem* habet Festus; *aleones* Tertullian. de Fug. c. 13. *Ganeonem* Cicer. pro Sext. c. 52. *ganeones* Varro in Modio ap. Non. II. 387, aliis etiam, si res tulisset, casibus usurpatis. II. In solo Dativo reperiri volunt Rhenius, Schmidius, etc. *arbitratui, derisui, despicatui, divisui, frustratui, irrisui, indutui, ludificatui, ostentui:* at eiusmodi verbalia minimum non carere ablativo Vossius putat, Anal. I. 47. et Ursinus p. 138: qui quorundam etiam nominativos ostendunt inveniri: ut, *derisus* ap. Prudent. π. στεφ. X. 249. *arbitratus* ap. Plaut. Asin. IV. 1, 21. Accusativos etiam (quae *supina* vocamus) *derisum* ap. eund. Aul. II. 2, 48. *irrisum*, Amph. II. 1, 40, notavit Iohnson. p. 889. III. (1.) Monoptotis solius Ablativi quidam addunt *testu*, pro *testa:* sed male, id enim Charisio, col. 23. Prisciano, col. 624, et Phocae, col. 1692, ἄκλιτον est, ut *gelu*. (2.) Eadem est eorundem Prisciani, col. 719. et Phocae l. cit. de *pecu* sententia: quamvis illud singulariter ablat. tantum nunc inveniri notet Iohnsonus, p. 123. V. supra cap. II. reg. 70. n. 49. (3.) *Algu* itidem inter monoptota ablat. tantum casus recenset Iohns. p. 123 et 124: idem tamen a Io. Kero Observ. de L. L. lib. 2. [voc. *Pronomen*] reprehensus, sententiam retractat, Addit. p. 37, agnoscitque non *alga* tantum, sed et *algus* nomin. et *algum* accus. ap. idoneos auctores reperiri. (4.) *Astu* monoptotis abl. tantum casu, adnumerant Priscianus, col. 1012, Despauterius, et alii: at in nom. sing. *astus* Tac. Annal. II. 20, 1. Silius VI. 615. et XVI. 32. in genit. idem IV. 708. Val. Flacc. V. 541. accus. *astum* Stat. Achill. II. 86. nom. plur. Tac. Annal. XII. 45, 4. accus. plur. Sil. VI. 307. XIV. 291. et XV. 605. et Cic. Off. III. 16, extr. [Gruterus tamen eumque secuti *astutos* legunt.] (5.) *Tabo* Charis. col. 17. et 25. Diomedes 288. Phocas, 1708 Donatus, 1749. Probus, 1446. Sergius, 1845. Consentius, 2040. et Servius ad Virg. Aen. III. 29. ablativo tantum efferendum volunt. Addit Priscianus, col. 744. genit. *tabi* ex Lucani VI. 547, quem et Vossius, Methodista, Danesius, aliique sequuntur. Sed et nominativum quoque ex Quintil. Declam. 12, adfert Iohns. p. 128, et ante eum Despauterius. (6.) *Crate* omnibus casibus singularibus, praeter ablativum, quosdam privasse notat Vossius. Is autem, Anal. I. 47, (cui in sing. ditototon est) addit ex Plaut. Poen. V. 2, 65. *cratim*, et ex Charisio, col. 20. *cratem:* quamvis eidem Charisio ibid. et Diomedi, col. 315, inter feminina tantum pluralia numeretur. Sed (quod Iohns. observat, p. 126.) *crates* in nom. sing. habet Plin. XIII. 12. *cratis* in gen. Id. XVIII. 21. *crati* in dat. Pallad. Nov. t. 22, ut mittam ablat. *crate* saepius ap. eund. Plin. XVI. 40. XVIII. 15 et 20, etc. Plurali autem integrum est: *cratium* enim, quod se nusquam invenisse aiunt Iohnsonus l. cit. et Ursinus, p. 134, diserte extulit idem Plin. VIII. 18, *Inter se cratium modo implexos.* (7.) *Fauce* etiam hoc referunt; quod in ablat. sing. duntaxat invenitur: cum autem plurali integrum sit et usitatissimum, nos ei potius inter singulari carentia locum praebuimus. (8.) *Obice* solo ablativo inveniri vult Phocas, col. 1709, et Ninivita, p. 102, at nominativi *obex* meminere Servius ad Virg. Aen. X. 377. et (eodem teste) Caper in libris dubii generis. *Cerea* quoque *obex* dixit Sidon. Car. II. 493. Ex Plauti etiam Merc. Prol. 72, *Tibi denique iste pariet laetitiam obex*, adfert post Rob. Stephanum Thes. L. L. Vossius Anal. I. 47, et ita quidem vetustiores habent Editiones, praecipue Parmensis 1510, at rectius in posterius vulgatis, pro *pbex*, *labos* repositum. Neque an in eod. Plaut. Pers. II. 2, 21. *hanc obicem* legendum sit, satis

Digitized by Google

1. In nom. et accus. sing. *necesse* vel *necessum*[56]); *volupe*, seu *volup*[57]), i. e. *voluptas; instar*[58]); *astu*[59]); *hir*[60]).

2. In nom. et ablat. sing. *vesper*, tertiae declinationis, *vesperi*[61]), *siremps*, *sirempse*[62]).

---

inter Interpretes convenit. Caeterum plurale integrum est, nisi quod de genit. *obicum* dubitet Despauterius. (9.) Monoptotis ablativi a Sulpitio Verulano, Io. Vausio, aliisque accensetur *Flamine* neut. gen. pro *flatu*. At *flamen* in accusativo Ciceronem dixisse in Arat. v. 10, notat Despauterius, *Flamen ad Austri inclinatior.* Quod cur in *flamina* Sanctius mutaret, Minerv. IV. 15. p. 802, nulla satis firma mihi ratio videtur. *Flamina* autem plurali omnes agnoscunt, nonnulli etiam et *flaminibus*: at *flaminis*, *flamini* et *flaminum*, tum denique adhibebo, cum idoneum praeiisse auctorem constiterit. (10.) De *impete*, *sponte* et *vicere*, quae alii hic adiiciunt, dicetur reg. 11 et 12. (11.) Monoptoton denique Accus. tantum plur. facit Carmichael vocem *affanias*, i. e. *res futiles ac nugatorias*: ut Apul. Met. X. p. 325, *Nescio quas affanias effutire.* At idem Apuleius (cuius fere proprium est hocce vocabulum) ablativo etiam utitur Met. IX. p. 276, *His et aliis similibus affaniis frustra obblateratis.*

56) *Necesse* et *necessum* solo neutro genere restiterunt ab antiquis adiectivis *necessis*, *necesse*, et *necessus*, *-a*, *-um*, i. e. *necessarius.*

57) *Volupe* quoque est a prisco *volupis*, i. e. *voluptatem afferens*, seu *delectabilis.* Sic Ter. Phorm. IV. 3, 5, *Venire salvum volupe est*: et Plaut. Asin. V. 3, 1, *Hic senex si quid, clam uxorem, animo suo fecit volup.*

58) Probus, col. 1444, *instar*, *instaris* declinat: at citra auctoritatem. Quidam adverbium esse crediderunt: at eos refellit Vossius, Anal. I. 46, qui ostendit nomen esse substantivum, ac nominativo quidem usum Ciceronem de clar. Orat. c. 51, *Plato mihi unus instar est omnium.* Et adscito adiectivo neutri generis Virg. Aen. VI. 866, *Quantum instar in ipso est!* Et Ulpian. L. 21. §. 3. ff. de nov. oper nunciat. *Si proponatur instar quoddam operis*: item accusativo, Ovid. de Pont. II. 3, 42, *Instar et hanc vitam mortis habere puta*: et Sueton. Iul. 61, *Cuius etiam instar pro aede Veneris genitricis postea dedicavit.* Paria his docet idem Vossius, de Construct. c. 64. et Gram. min. p. 65. Ut plane non ferendus sit Kirkwodus noster, qui contra hic haerere eum, nec quo se vertat habere affirmet.

59) De Athenis fere tantum usurpatur, quas Graeci ἄστυ, i. e. *urbem* κατ' ἐξοχήν nominabant. Sic Ter. Eun. V. 5, 17, *An in astu vexit?* C. Nepos II. 14. *Protinus accessit astu*: et Cic. de Leg. II. 2. *In astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit.* Indeque *Ludi Astyci* ap. Sueton. Calig. 20.

60) Charisius tamen *hiris* declinat, col. 17. (quod et Priscianus notat, col. 698.) alibi tamen, col. 12 et 28, indeclinabile facit, quae et Prisciani sententia est.

61) *Vesperi* quoque in ablativo dicitur, quod male quibusdam inter adverbia refertur. Vid. supra cap. II. reg. 16.

62) *Siremps* Festo idem est ac *similis re ipsa.* Senec. Epist. 91, *Omnium quae terrum premunt, siremps lex esto.* *Sirempse* autem ap. Plaut. Amph. Prol 78, quidam accusativo dictum volunt. At Charisio, col. 73 et 116, *Siremps* ablativus est, quem et Vossius, Anal. I. 48,

Digitized by Google

5. In genit. rarius, frequenter vero ablat. sing. *impetis*[63]) et *impete*[64]); *spontis* et *sponte*[65]).

4. In genit. et ablat. sing. *verberis*[66]) *verbere*. Plurali integrum est, *verbera, verberum, verberibus*, etc.

5. In genit. et ablat. plur. *repetundarum, repetundis*[67]).

6. In nom. et accus. plur. *suppetiae, suppetias; inferiae, inferias*[68]), * [69]).

---

sequitur; qui illic *Sirempse in lege iussit esse Iupiter*, quam *sirempse legem*, scribi malit.

63) Ab antiquo (ut videtur) nomin. *impes*. *Impetis* in genitivo utitur Lucretius VI. 316. Quod vero Vossius Gramm. min. p. m. 65, profert ex Silio VI. 256, atque tanquam insolens notat, *rapidi impetis*; in melioribus libris, *Nec frustra rapido stimulante dolore fuisset Impetus*, legitur. *Impetibus* vero ap. Lucret. I. 294, ab *impetus* potius, cum Carmichaele nostro ac eodem Vossio, quam ab *impete*, cum Despauterio et Melanchthone, declinaverim.

64) *Impete* quidam volunt antiquum ablativum quartae esse, pro *impetu*, ut *rite* pro *ritu*: at rem secus esse, ut alia omittam, ostendit genit. *impetis*.

65) *Sponte* solo ablativo dici docet Charisius, col. 23: idem tamen sui oblitus, col. 84, ei nominativum dat *spons*. Et Ausonius in Monosyll. *Sponte ablativi casus quis rectus erit? Spons. Spontis* vero genitivus Varroni L. L. V. 7. Columellae IX. 4. et XI. 3. Celso I. 1. usitatum: agnoscitque Consentius, col. 2085.

66) *Verberis ictu* habet Ovid. Met. XIV. 820. et Lucan. ap. Phocam, col. 1709. *hortamen clamoris et verberis* Pallad. Mart. t. 11. *Verbere* satis frequens: *verber* et *verberi*, nusquam leguntur.

67) Proprie loquendo *repetundarum* est a recto plurali *repetendae* vel *repetundae*, cui καθ' ὑπόνοιαν *pecuniae* reticetur, a participio *repetendus* vel *repetundus*, *-a*, *-um*. In genit. autem et ablativo tantum invenitur, quod in accusationibus his fere casibus solum utamur. V. Voss. Anal. I. 48.

68) Ita docet Alvarus Gramm. min. p. 131. et Ursinus, p. 134. Invenitur tamen *inferiis* ap. Lucan. IV. 789. et Flor. II. 18. Nominativum vero *inferiae*, quod ei quoque adimunt nonnulli, habet Festus.

* 69) Diptotis addi possunt (1.) Multa ex *Supinis* vulgo sic dictis, quae non aliis casibus quam in *um* et *u* leguntur. (2.) *Specus* tertiae declinationis, quod solo nomin. et accus. reperitur. (3.) *Parum*, quod (adverbium vulgo creditum) verum nomen esse nomin. et accus. casus statuit Iohnsonus, p. 120, ab inusitato *parus* pro *parvus*, ex Graeco παῦρος, eliso *v*. V. et Ursin. part. I. p. 919. (4.) Idem quoque p. 127, huc refert *foris* et *foras*, hoc accus. illud ablat. plur. ab exoleto *fora*, i. e. *foris*. Confirmat eius opinionem quod ap. Plin. XVII. 24, *A fora iniuria*, et in vetere lapide *de foris*, pro ἔξωθεν, legatur. Caeterum hae voces in adverbiorum naturam fere iam degenerarunt. ¶ Diptotis ab aliis adiiciuntur. (1.) A Rhenio et Schmidio, *Obtentui, obtentu; ruptui, ruptu*. Sed *obtentum* in accus. (quod Supinum vulgo vocatur) etiam dici putat Ursinus, p. 134. Certe *ruptum* in accus. non modo tanquam Supinum; ut *ruptum dare* ap. Plaut. Aul. II. 3, 4. et Ter. And. II. 1. 2. *ruptum collocare* ap. Caesar. B. G. I. 18, sed etiam

Digitized by Google

3. Triptota.

12. Haec trinos sumunt casus, totidemque recusant:
Tantundem primum, patrium, quartumque capessit.
At primum, quartum, quintum sibi *fas*que, *nefas*que,
Atque *melos* solum retinent: *epos* adde, Pelasgum
Et quod in ES finit neutrum, veluti *cacoethes*.
Hos tantum casus *grates* pluraliter edit,
Atque *mele*, *Tempe*, pariter finitaque Graeca.
At *dica* dat geminum quartum, geminumque vocantem
Mactus habet. Ternum, sextum quoque, *feminis* optat,
Femina plurali capiens. *Prece* flecte, *preci*que,
Atque *precem*, casus retinens pluraliter omnes.

Haec nomina tribus tantum casibus usurpantur:

1. *Tantundem* nominat. et accusat. *tantidem* genit. sing. [70]).

2. *Fas*, *nefas*, *melos* [71]); *epos*: item Graeca in ES neutri generis: ut, *cacoethes* [72]), nominativus, accusativus et vocativus sing.

---

nominaliter habetur, veluti ap. Stat. Sylv. V. 1, 45, *Illa quidem nuptumque prior taedasque marito Passa alio* — Et *diem nuptus* pro *nuptiarum* Gellio II. 24, ex MSS. restituit Gronovius. (2) *Inficiae* diptoton facit Despauterius: at eius nominativus *inficiae* nusquam iam conspicitur. (3) Diptotis a nonnullis accensetur *opus*, nomin. tantum et accus. casus, pro *necesse*, aut *necessarius*, acceptum. At vocem hanc a receptissima *opus operis* non differe, principes Grammatici dudum monstrarunt.

70) Nec in neutro tantum reperitur, quod quidam existimavere; sed etiam in masc. Plaut. Truc. II. 5, 7, *Tantundem dolum aggrediar*: in feminino etiam extulere Labeo L. 29. §. 1. ff. de legat. 3. *Ut Titia uxor mea tantandem partem habeat*: et Gaius L. 80. §. 1. ff. de pactis, *Quia forte tantandem pecuniam Titio debuit. Tantidem* autem in genit. Terent. Adelph. II. 1, 45, *Tantidem emptam postulat sibi tradier*: et Cic. pro Rosc. Am. c. 39, *Voluntatem decurionum ac municipum tantidem, quanti fidem tuam, fecit.* Sed et *tantidem* in nominativo aut accusat. antiquiores videntur dixisse, ut Ennius ap. Varr. L. L. VI. 3. *Tantidem quasi foeta canes sine dentibu' latrant* et ipse Varro in Eumen. ap. Nonium VII. 105, *Quid quasi non curat tantidem Aristoteles?* pro *tantundem*.

71) *Melum* tamen in singulari accus. Pacuvium, in plurativo *melos* Accium et Varronem, eorumque exemplo *melorum* Terentianum, *melis* Capellam dixisse notat Vossius Anal. II. 12.

72) Sic *panaces*, *nepenthes*, *hippomanes*. Vid. cap. I. reg. 29, *Cacoethe* autem, morbi genus, in plur. tum nom. tum accus. pluribus locis memorat Plinius.

Digitized by Google

8. Genitivo, dativo et abl. plurali carent, adeoque eo in numero triptota sunt, haec nomina: *rus* [80]), *thus*, *metus*, *mel*, *hyems*, *far* [81]). Item omnia quintae declinationis nomina, (praeter *res* et *dies*): ut, *spes*, *scabies*, *species*, *acies* [82]).

---

col. 1463, et Consentius, col. 2034. At *viri* et *viro* agnoscunt Charisius, col. 9, 10 et 57, et Phocas, 1700: ut et Priscianus, 722, exemplis e Lucretio, II. 475, *tetri primordia viri*; et ibid. 852, *suo contactos perdere viro*, confirmans. (7) *Chaos* tribus tantum casibus similibus usitatum quidam volunt: at ablativo quoque *Chao* Virgilius adhibuit Geo. IV. 347. Ovid. Met. XIV. 404, et in Ibin. 82, et Lactantius Inst. Div. I. 6. Vid. supra cap. 1. reg. 32. n. 39. (8) Porro *Secus*, pro *sexus*, neutr. gen. tribus tantum hisce casibus a veteribus usurpatum videtur: ut, Sallust. Hist. Fragm. II. 7. *At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus; magna gloria concurrentium, undique virile et muliebre secus, per vias ac tecta omnium visebatur*, Liv. XXVI. 47, *Liberorum capitum virile secus ad decem millia capta*. Tacit. Annal. IV. 62, 8, *Adfluxere avidi talium*, — *virile ac muliebre secus aetas omnis*: et Hist. V. 13, 5, *Multitudinem obsessorum omnis aetatis, virile ac muliebre secus sexcenta millia fuisse accepimus*. Varro ap. Agell. III. 10, *Post deinde quarta hebdomade, quod eius virile secus futurum est, caput et spina, quae est in dorso, informatur*. Sisenna ap. Non. III. 193. *Tum in muro virile ac muliebre secus populi multitudine omni collocata*. Auson. Idyll. XI. 8, *Vesta, Ceres et Iuno secus muliebre aerores*. Charisius de hac locutione [*virile secus*] loquens, col. 61, eam ait per omnes casus integra forma declinari, i. e. uti ego interpretor, utramque vocem tanquam unam spectatam invariabilem esse, ac cum substantivo apposito casu convenire; ut *virile ac muliebre secus aetas omnis*, nominativo; *virile secus nunquam ullum habui* ap. Plaut. Rud. I. 2, 19, accusativo, atque ita in aliis, sit dictum. Iohnsonus vero, App. p. 49, *virile secus*, pro *virilis sexus*, eadem loquendi forma dici putat, qua *id genus, omne genus*, pro *eius generis, omnis generis; quod ad*, vel *quantum ad*, intellecto. Eadem forte et Gronovii ad dict. Livii loc. mens est: nisi quod rem paulo obscurius exprimens, *optimos* ait *scriptores non dicere simpliciter* virile secus: *ut*, summovit virile secus: *sed ita uti, ut semper alteri substantivo, vel expresso, vel intellecto, adhaereat, sic positum, quasi* virilis sexus *in secundo casu*. Idem tamen, ab inferioris aetatis scriptoribus id neglectum observat; veluti ab Arnobio, qui *Ponere secus virile; Secus femineum sobolem prodit*; et Ammiano, qui *Virile ac muliebre secus trucidare: Virile ac muliebre secus indefensum*, ex seculi sui genio excusandi, dixere. Confer Voss. Anal. I. 81, et nos supra cap. I. reg. 88. n. 81. (9) His denique addit Iohnsonus, p. 129, *Aplustre*, quod genit. *aplustris*, plurali *aplustra* vel *aplustria* tantum habere is existimat. At *aplustri* in dativo et ablativo meminere, sive Plinius, sive I. Caesar, ap. Charis. col. 98, et Priscianus, col. 769. Neque qui minus, re sic ferente, *aplustrium* quoque et *aplustribus* dicere liceat, causae quidquam aliud videre me fateor, nisi quod in rarioris usus vocabulo casus illi non occurrant: atqui hoc pacto innumerae voces aliae casibus quibusdam deficere invenientur. (10) De *sordis*, quod idem triptoton in sing. facit, Vid. reg. seq.

80) *Ruribus* ex Plinii Epistolis Nebrissensis, Despauterius et Vossius, sed loco non indicato, protulerunt.

Digitized by Google

4. Tetraptota.

14. Casibus invenies quaedam viduata duobus:
Namque *vicis*, *pecudis*, *sordis*, *ditionis*, *opis*que,
Vix retinent rectum numeri quintumque prioris.
His quoque *nex*, *daps*, *frux* minus usurpataque cernes.

1. Nominativo ac proinde vocativo sing. privantur haec nomina: *Vicis* [83]), *pecudis* [84]), *sordis* [85]), *ditionis* [86]),

---

81) Addit his Despauterius, (1) *Hordeum*, *vinum*, *defrutum* et *mulsum*: at de his reg. 17, commodius dicetur. (2) *Ius*, *aes*, *os*, *mare*, *morum* et *fotum*. * At *iurum* Cato ap. Charis. col. 72, *Iurum legumque caliores*: *iurium* Plautus, Epid. III. 4, 86: *iuribus* Ulpianus, aliique ICti, quod et Charisius agnoscit, col. 19. * Id. Cato ap. Prisc. col. 750, *aerum* dixit et *aeribus*: posteriore quoque usus Lucret. II. 636, *Pulsarent aeribus aera*: et Arnobius, L. 3. * *Oribus* Virgilii est, Aen. VIII. 456, *Componens manibusque manus atque oribus ora*: item Aen. X. 566, *quinquaginta oribus*. *Orium* quoque (si Despauterio credimus) dixit Plinius, XX. 9. §. 36: at meliores codices *Vitia earum* (nempe *narium*, quod praecesserat) *gravecolentiamque sanari*, habent; non *vitia orium*, quod ille in suis legerat. * *Marum* pro *marium* utitur Naevius, ap. Priscian. col. 770, *maribus* Caesar B. G. V. 1. *Paulo latiores quam quibus in reliquis utimur maribus*: atque ita dicturus Curtius videtur VI. 4, 18, *Mare Caspium dulcius caeteris*, scil. *maribus*: quamquam id sine vitio suppleri posse neget Sanctius Minerv. IV. 2, p. m. 586. Parique modo in illo Cicer. de Leg. II. 12, *Praestantissimum ius est augurum, eorum, quae sunt in rep.* [*iurium*] intelligi ait, at aperte dici non posse. Sed (ut de re ipsa taceam, de qua tamen, neque illius, neque Servii ad Geo. II. 98, idem docentis auctoritate mihi persuasum est) aliter nunc apud Tullium haec verba leguntur, nimirum, *Praestantissimum in rep. ius est augurum, et cum auctoritate constitutum*. * *Foris* habet Ovidius, Fast. I. 258, et Trist. III. 12, 24, et Martialis, VII. 65. * *Moris* Virg. Ecl. VI. 22, Horat. Sat. II. 4, 22, Plin. XV. 24, et XXXIV. 18, dixere: *morerum* etiam, de arbore, Colum. V. 10: neque enim, sive e *morus*, sive *morum*, illud deflectas, hilum intererit. (3) His addunt Schmidius, Rhemius et alii, *Sensa* toto singulari, et gen. dat. et abl. plur. deficiens: quod tamen Lexicographi, alii integre declinant, *sensum sensi*, alii *sensa sensorum*. Vid. supra reg. 1. n. 5. (4) Iis denique casibus a Lancellotto et Despauterio, p. 107 et 108 privantur, *vehes*, *collum*, *balsamum*, *ius*, *allium*, *ulpicum*, *dibaphum*. Addere poterant, *murmur*, *pus*, et multa forsan alia.

82) Pleraque quintae nomina non hisce casibus tantum, sed toto plurali carere supra diximus cap. II. reg. 71, infraque fusius dicemus reg. 17. Inveniuntur autem, *facierum* ap. Catonem, teste Prisciano, col. 732, *planitierum* ap. Vitruv. V. Praef. *materierum* ap. Lactant. Div. Inst. II. 12, princ. *acierum* ap. Servium, teste Vossio. *Specierum* quoque dicere, Apuleius de hab. doctr. Plat. lib. I. p. 578. Id. de mund. p. 733 et 752. Pallad. Octob. t. 14. et Aurelian. de morb. Chron. I. 5. *Speciebus* etiam in Lemmatis ap. Celsum, V. 28. §. 17 et 19, notat Johnsonus Addit. p. 89. Et ita Dialectici ac Philosophi recentiores fere omnes

Digitized by Google

opis[87]). Porro *ditionis* caret toto plurali: *opes* pro *auxi-*

---

loquuntur; quanquam *specierum* et *speciebus* se dicere nolle, sed *formarum* et *formis*, Cicero ait, Top. 7. *Spebus* denique Sid. Apoll. Epist. III. 6. Victor Uticensis, et Scriptores Ecclesiastici, referente eod. Vossio, utuntur: quorum exemplum quod Obsopaeus, Leunclavius et Flor. noster Volusenus secuti sint, exçusandi potius, quam imitandi videntur. *Speribus* vero ab exoleto *sperio* (quo usus Ennius ap. Festum in voce, undeque et verbum *spero* deductum) Varroni, scriptori antiquario, [ap. Non. I. 54.] relinquendum. Confer Voss. Anal. II. 19.

83) Prisciano, col. 673, duobus tantum casibus inflectitur, *vicem* et *vice*, Charisio autem, col. 23, ut et Phocae, col. 1709, triptoton est, *vicis*, *vicem*, *vice*: cui concinit et Vossius Anal. I. 48, qui *vici* ait se legere non meminisse; at genitivi exempla idem profert ex Liv. I. 20, *vicis regiae*, et ex eod. III. 15, *alienae vicis*. Sed et dativum (quod si quoque concedere Charisius videtur, col. 72. et ipse Prisc. col. 1069.) invenisse se credunt Alvar. Gram. min. p. 134. Danesius, p. 181. et Iohnsonus, p. 129. in illo Quintil. Declam. VI. 4, *Substituit vici curae suae propinquos*. Quanquam et illic varie scribi, *viee*, *vicis*, *via*, et *huic*, testatur Obrechtus; Burmannus vero alterutrum, vel *vici*, vel *curae*, Glossatoris esse rem exponentis additamentum existimet. Charisius porro, col. 27, (licet id Vossius a quoquam Grammaticorum neget factum) agnoscit et nominativum *vix*: unde et *vix* adverbium idem Vossius non inepte deducit.

84) Huius vocis nominativus nusquam apud probatum auctorem iam reperitur, praeterquam in illo Caesaris ap. Priscian. col. 719, *Si sincera pecus erat*: quod ex antiquis Augurum libris forte prolatum, nec iam imitandum censet Vossius Anal. I. 48, praesertim cum et ei nominativum adimat Charisius, col. 72. Confer et eund. Voss. Anal. I. 32. Rem tamen ambiguam facit, quod *pecus* in recto fem. gen. ex veteribus Grammaticis agnoscant, non Priscianus modo, col. 659 et 719, eoque teste Caper, col. 654: sed et ipse Charisius, col. 118. *Pecus* autem (sive *pecudis* cum Vossio mavis) in recto respexit Varro R. R. II. 1. med. *Primum* (inquit) *ut bonum pares pecus, unum scire oportet, quid aetate quamque putidem parare habereque expediat. Itaque in bubulo pecore nec minor emitur unnicula.* Item eod. cap. *E quatuor altera pars est, cognitio formae cuiuscunque pecudis qualis fit. Magni enim interest, cuiusmodi quaeque sit ad fructum.* Et paullo post. *Qui potissimum quaeque pecudum pascatur, habenda ratio.* Caeterum Buchananus noster non veritus est et nominativum exprimere Psal. XLIV. 12, *Pecus ut macello destinata, exponimur Caedentium libidini.*

85) *Sordes* singulari carere pronunciant Charisius, col. 20. et Diomedes, col. 315. Sed contrarium multis exemplis ostendit Voss. Anal. I. 45. *Sordis* enim in genit. utitur Plaut. Poen. I. 2, 102. et Fulgent. Mythol. III. 1. *sordem* Cic. pro Flacc. 3. et ad Attic. I. 16. *sorde* Horat. Epist. I. 2, 53. *sordi* eodem casu Lucret. VI. 1269. Quod autem et dativi exemplum ex Plaut. Asin. II. 4, 90. praeberi putat Iohnsonus, p. 202, pravi codicis vitio deceptus est vir alioquin perspicacissimus: in omnibus enim meis, non *sordi datus*, quod ille legebat, sed unico vocabulo *sordidatus* habetur. *Sordis* denique in nominativo profert Beda de Orthogr. col. 2345, in testimonium adhibens illud Ambrosii, *Mundet vasa, ne sordis aliqua vini gratiam decoloret.*

86) Nec imitandus Erasmus, qui Paraph. in Luc. II. 1, nominativo usus: *Ut appareret quanto latius pateret ditio Christi quam Caesaris.*

Digitized by Google

lio[88]) rarius, pro *divitiis* autem, seu *potentia*, semper plurale reperitur. *Pecudis* et *sordis* plurali integra sunt. *Vices* et *vicibus* sunt satis frequentia: at genitivus *vicum* vel *vicium* non dicitur.

2. *Nex*, *daps*, *frux*, rarius in nominativo, adeoque et vocativo singulari inveniuntur[89]): plurali fere integra sunt[90]).

Pro *imperio* autem seu *potestate* vox accipitur, non pro *regione* aut *provincia*, quomodo Lipsius, Thuanus, Casaubonus et Buchananus noster minus recte usurpasse notantur. Vid. Sciop. Iud. de Stil. Hist p. 190, 210 et 222. Vorst. Latin. susp. c. 14. Cellar. Antibarb. p. 157.

87) *Ops*, pro Dea terrae, *Opis* Nymphae nomen, singulari integra sunt. *Ops* quoque pro *opifero*, aut etiam *auxilio* ipso, dictum ex Accio notat Priscianus, col. 752, item pro *opulento* Festus, unde *inops*. *Opis* autem pro *auxilio* nominativo dici ex male intellecto Ovidii loco Trist. I. 2, 10. putabat Iohnsonus App. p. 129, sed a Leodio monitus sententiam mutavit, Addit. p. 39. Quo magis mirum est, reverendum virum Sam. Pratenm, Gramm. Lat. part. I. p. 82, eundem denuo errorem errasse. *Opi* porro in dativo multi e recentioribus Grammaticis, Vasius, Rhenius, Finckius, Helvicus, Schmidius, Chytraeus, Beumlerus, Sebastianus, Alvarus, Kirkwodus, Deixius, Iohnsonus, etc. agnoscunt: at cum nullo id exemplo suffulciant, rectius fecisse videntur qui repudiant, Charisius, col. 128. Diomedes, col. 288. Phocas, 1709: item Despauterius, p. 101. Carmichael, p. 41. Valerius Ultr. p. 30. Verepaeus, p. 210. Danesius, p. 181. Farnabius, p. 17. Prateus, p. 82. etc.

88) *Opes* plurale pro *auxilio*, *opera* aut *labore*, habet Horat. Car. III. 3, 28. et Epist. I. 10, 36. Item Virg. Aen. XII. 427. et ipse Cic. Offic. II. 6. et Divin. II. 2. Confer Gifanii Observ. in L. L. p. m. 161: a quo etiam eopse loco observatum, Ciceronem nunquam *opibus* pro *divitiis* uti, sed pro *potentia*; ut et Plautum aliosque e veteribus, quos se sequi malle ait, quam Sallustium, Horatium, etc. qui priore illo significatu usurpant. Caeterum pro *divitiis* etiam in singulari adhibuit vetus Poeta ap. eund. Cicer. Tusc. III. 19, *O Priami domus — Vidi ego te astante ope barbarica, Tectis caelatis laqueatis, Auro, ebore instructam regifice.*

89) *Nex* in recto sing. utitur Cic. pro Mil. c. 4. et Quintil. V. 14. *inausta nex*: et auctor ad Herenn. IV. 22. *indigna nex*: et Sisenna ap. Non. II. 593. *mea nex*: et Auson. in Monosyll. *sera nex*. In plurali autem (contra quam Verepaeus et Kirkwodus docent) *neces* habent idem Cic. in Catil. I. 7: et pro Caecin. c. 34: et Tusc. III. 27. Tacit. V. 8, 5. Val. Flacc. III. 381. Auson. Perioch. Odyss. 24. et (si Despauterio Vossioque fidendum sit) nom. accus. et voc. Plinius. *Necum* vero, et *necibus*, vix uspiam leguntur. * *Daps* in recto utitur Cato R. R. 50 et 132. Festus in voce, et Liv. Andronicus ap. Priscian. col. 752: agnoscuntque veteres dixisse Charisius, col. 20, quamvis idem eod. loc. ut et Phocas, col. 1708: *dapes* inter feminina tantum pluralia reponant. Alibi tamen Charis. col. 72, nominativum duntaxat vocativumque sing. ei adimit. Probus vero col. 1446, se *dapem* tantummodo numero sing. ait legisse. At *dapis* utitur Horat. Car. IV. 4, 12, Epod. V. 33, et XVII. 66. Sat. II. 6, 89. et Epist. I. 17, 51. et Ovid. in Ibin. v. 427. et Plin. IX. 42. *dapi* Cato R. R. 132. *dapem* Id. ibid. Liv. I. 7. Tibull. I, 5, 28. Horat. Car. II. 7, 17. *dape* Cato dict. loc. Ovid. Fast. V. 521. He-

Digitized by Google

Pentaptota.

15. Quinque superstitibus, casu mutilantur at uno
Plurima: distribuens nam vox, referensque, hegansque,
Atque rogans vocitante caret. Pronomina iunge.
Tu, *meus*, et *noster*, *nostras*, tamen excipe; quintum
Pluraque queis magni tribuit sententia Vossi.
Plus dandi casu; patrio *satias*que *chaos*que
Deficit: adde *situs*. Nullum pluralia norunt
Ora, *vices* patrium, *soles*, *labes*, *sobolesque*,
Atque *faces*, *proles*, *luces*. Fors plura notabis.
Uno casu deficiunt voces sequentes:

---

roid. IX. 68. et Stat. Sylv. IV. 9, 51. Plurali autem quamvis Grammatici integrum affirment, *dapium* tamen nondum inveni. * *Frux* in nom. dixere Varro L. L. VIII. 31. Ennius Annal. IX. et XVII. ap. Priso. col. 724: et Auson. Idyll. XII. Meminit et Festus in voc. *Fruges* etiam in recto antiquos dixisse notat Priscian. col. 678: quo usus Quintil. Decl. XIII. 15, *Laesa fruges*, quemadmodum et accuratissimus Burmannus edidit.

90) Tetraptotis addi possunt, (1) *Iovis*, *Iovi*, *Iovem*, *Iove*. *Iovis* quidem in nomin. antiqui utebantur, eosque secutus Hygmus, parum probatae Latinitatis auctor. Vid. supra cap. II. reg. 29. n. 94. Loco autem nominativi et vocat. *Iupiter* optimi quique dixere: quod ipsum cum alios a se ortos casus perdiderit, non inepte inter diptota retuleris. (2) *Primoris*, *primori*, *primorem*, *primore*, adiectivum: cuius nomin. et vocat. *primor*, seu *primoris*, exolevisse docet Servius ad Virg. Aen. IX. 809. Plurali fere integrum et longe quidem usitatius est: non ita tamen quin singulari nonnunquam adhibeatur, contra quam Charisius, col. 20. Diomedes, c. 315. et Phocas, c. 1708, tradiderunt. Vid. supra cap. II. reg. 62. n. 32. *Primora* nom. accus. et voc. plur. nusquam invenimus. *Primorum* vero genitivus in illo Virg. loc. cit. *Primorum manus ad portas iuvenumque senumque, Prosequitur votis*; an a *primus* sit, an *primoris*, dubitat Servius: mihi a posteriore potius hic ductum videtur; eodem modo quo ap. Tac. Hist. I. 81, 1, *Erat Othoni celebre convivium, primoribus feminis virisque*. (3) *Quiris* in recto haud dicendum docet Vossius de vit. serm. I. 15. Charisio quidem, Diomedi et Phocae locis cit. tantum plurale est. Inveniuntur tamen *Quiritis* ap. Horat. Epist. I. 6, 7. et Lucan. II. 386. *Quiriti* ap. Ovid. Met. XIV. 828. *Quiritem* ap. eund. Amor. I. 7, 29. Trist. II. 569. Iuven. VIII. 47. Horat. Car. II. 7, 8. Pers. V. 75. *Quirite* ap. Claudian. XII. 17, sed licentia poetica et abusive dicta, ut notat vetus Scholiastes ad memoratum Persii loc. Confer Voss. Anal. I. 42. ¶ Ab aliis haec adiiciuntur, (1) A Phoca, col. 1709. et Despauterio, *remigis*, *remigi*, etc. at nominativo *remex* usi sunt (ipso agnoscente) Curtius IV. 3, 13. Propert. II. 20, 71, addere potuit et Cicer. Divin. II. 55. (2) A Charisio, col. 72, (cui et Vossius assentiri videtur Anal. I. 43.) *proceris*, *proceri*, etc. At

1. Vocativo [91]) carent,
   (1) Distributiva, seu Partitiva: ut, *quidam, alius.*
   (2) Relativa: ut, *qui, qualis.*
   (3) Negativa: ut, *nullus, neuter.*
   (4) Interrogativa: ut, *quis, uter* [92])*?*
   (5) Pronomina: ut, *ego, sui.*

---

dubitat Iohnsonus, an alius quisquam, praeterquam accus. casus *procerem* ap. Inven. VIII. 26, singulari reperiatur. (3) A. Charisio, col. 28. Despanterio et aliis, *frondis, frondi*, etc. At *frons* eo significatu usus Virgil. Geo. II. 372. Varr. R. R. I. 24. et II. 5. et in Parm. ap. Nonium VIII. 20. et Pallad. Septemb. t. 18. et intelligendum in illo Colum. R. R. VI. 3, de *fronde* loquentis, *Probaturque maxime ulmea, post fraxinea, et ab hac populnea: ultimae sunt lignea, et quernea et laurea, sed post aestatem necessariae, deficientibus caeteris*, ostendit Iohnsonus, p. 150. Olim et *fros* vel *frus*, absque *n*, dicebant, testibus Charis. col. 105. et Ausonio in Monosyll. Et ita a Caesare B. C. III. 58, *Sed etiam frus ex arboribus deficiebat*, scriptum, non (ut vulgo) *fructus* vel *frondes deficiebant*, contendit Vossius, Anal. I. 34. *Frondis* etiam in recto usus Serenus, XIII. 24, *Tum Delphica frondis addatur*, et XXXI. 10, *Prodest praeterea cum Baccho Persica frondis*: ἀρχαικῶς; ita enim ab antiquioribus dictum testis est ad Virg. loc. cit. Servius. (4) *Decemplex* nominativo et vocativo privat Cor. Valerius Ultraiectinus, p. 30, at hoc pacto alia etiam nomina in *plex*, non hisce tantum, sed pluribus etiam casibus, privare poterat. Quin et hoc ipsum *decemplex* ap. Varronem inveniri notat Carmichael, p. 41. (5) Meliore iure *indecor* et *dedecor* recto insitata notat Desp. p. 40, quibus optimi quique auctores consulto videntur abstinuisse. (6) *Lateris, lateri, laterem, latere*, absque nomin. et voc. tantum in usu esse docent Diomedes, c. 316. Donatus, 1749. et Consentius, 2034. At *later* in nom. Varro ap. Charis. col. 109. et Non. II. 481. Vitruv. I. 5, prope fin. et Colum. VI. 14, extr. dixere. Quo minus audiendi sunt, Phocas, qui col. 1708, *laterem* tantum et *latere* huic voci largitur, aut Priscianus, qui col. 678, *latere* etiam ei adimere videtur. Plures enim casus natura rei postulat; et *latere* etiam non solum Plauti est Truc. II. 2, 49, (agnoscente ipso Prisciano) sed etiam Ciceronis Divin. II. 47. et Plinii II. 82. et XIX. 10. ut et *lateris* eiusdem XVIII. 10. et *lateri* Columellae loc. proxime memorato. (7) *Nemo* denique genitivo et vocativo a nonnullis Grammaticorum veterum (referentibus Charis. col. 138. et Diomede, col. 322.) et e recentioribus a Monroo nostro aliisque privatur. At Plauti est, Capt. III. 5, 106, *Neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem*; et Lucilii ap. Priscian. col. 688, *Neminis ingenio quenquam confidere oportet*; et Ciceronis sed Attic. XIV. 1, *Affirmabat — in sermonem se post Illus Murt. praeterquam Lepidi, venisse neminis*: et Ennii ap. Fest. in voc. *Lapideo corde sunt multi, quos non miseret neminis.*

91) Ea solum nomina, ad quae sermo dirigi non potest, vocativo carere dicenda sunt. Vid. Linacrum, p. 12. et Ursinum, p. 186.

92) Addit Despanterius Infinita: ut *aliquis, siquis.* At eiusmodi sub Partitivis comprehenduntur.

93) Vid. Linac. p. 13. Frischlin. p. 328. Carmich. p. 42. Vossius Anal. IV. 8. Danes. p. 182. Verepaeum, p. 212. Finck. et Helvic. p. 144 et 166. Nov. Meth. p. 451. Ursin. p. 390. Iohnson. p. 132: qui

Digitized by Google

† Excipiuntur vulgo haec quatuor Pronomina; *tu, meus, noster* et *nostras*. At Vossius aliique Grammaticorum principes aliis etiam Pronominibus vocativum tribuunt: ut, *ille, ipse, iste, hic, is* et *idem*: item Partitivis seu Distributivis quibusdam: ut, *aliquis, quilibet, quicunque, quisque, omnis* [93]).

---

vocativi in hisce sive nominibus, sive pronominibus, usum exemplis sequentibus confirmare conantur.

Ille. *Iam mihi libertas illa paterna vale*, Tibull. II. 4, 2.
— *Si fas est, mos, precor, ille redi*, Id. II. 3, 46.
O nox illa, quae pene aeternas huic urbi tenebras attulisti, Cic. pro Flacc. 40.
O Nonae illae Decembres, quae, me Consule, fuistis, Id. ib.

Ipse. *Ipsaque tu tellus, ipsum cum fluctibus aequor,*
Ipse meas aether accipe summe preces, Ovid. in Ibin. 69.

Hic. *Esto nunc Sol testis, et haec mihi terra precanti*, Virg. Aen. XII. 176.

Idem. *Tu tamen idem has nuptias perge facere ita, ut facis*, Ter. And. III. 2, 41.

Aliquis. *Aperite aliquis actutum ostium*, Id. Adelph. IV. 4, 25.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Virg. Aen. IV. 625.

Quilibet. *Quilibet huc, dixit, confuge; tutus eris*, Ovid. Fast. III. 432.

Quicunque. — *Audaci quicunque afflate Cratino*, Pers. I. 123.

Quisque. *Quo ruitis, vestras quisque redite domos*, Ovidius Heroidius XIII. 130.

Omnis. *Diique Deaeque omnes*, Virg. Geo. I. 21.

Pratens tamen, p. 111, sextum ex his testimonium reiicit: *esto* enim, non secundae, ait, sed tertiae personae in citato Virgilii loco esse. Verum Servius ex contextu aliisque sequentibus vocativis, *esto* hic secundae personae esse colligit, atque *haec terra* δειχτιχῶς dici, ac si diceret, *O terra Italica, testis mihi esto*. Nonum haud satis valdum fatetur ipse Vossius: nam itidem ait se dicturum, *Exoriare aliquis Poenarum asseensus amore*. Non possum tamen accedere Crusio, qui haec fere omnia in nominativos, coacta interpretatione utens, resolvit, hoc modo: *O dii deaeque adeste: quot? omnes: Confuge huc: quis? quilibet:* sicut dicitur, *Orator ad vos venio*, etc. * Neque pro horum modo, sed aliorum etiam Pronominum, vocativis ratio stare videtur. Quid enim impedit, quo minus libertum quis compellet, *O tue nunc;* aut libertam, *O tua iam virgo;* aut servos alicuius, *Sui servi eum sustollite; defendite Caesarem O amici sui*: uti docent Valla de Recipr. c. 13. Scaliger de caus. L. L. VI. 134. et Voss. loc. superius cit. Postremum tamen insolentius videtur, ideoque relativo, vix reciproco, utendum. Sic Psal. CIII. 20, *Benedicite Domino, omnes Angeli eius*, habet vulgatus Interpres, non *Angeli sui*. Caeterum errat in contrariam partem Charisius, qui col. 182, et seqq. omnibus hisce vocativum attribuit, etiam τῷ *ego* non excluso: ut, *O ego infelix, O nos felices:* in quo rationem eum fugisse notat Vossius: in his enim *ego* et *nos*, non vocativi sed nominativi sunt casus: recteque a Prisciano observatum est, col. 964, *ullus, nullus, alius*, quae Charisius per omnes casus declinat, *vocativum habere non posse, cum abnegent praesentem demonstrationem personarum: vocativus autem praesentem soleat demonstrare personam.* * An *talis, tantus, tot* et *to-*

Digitized by Google

2. Dativo sing. caret *plus* [94]).

3. Genitivo singulari, totoque plurali, *satias*, i. e. *satietas* [95]), *chaos* [96]): item genitivo, forsan et dativo sing. et genit. dat. et abl. plur. *situs* [97]).

4. Genitivo plurali: *os* [98]), *vicis* [99]), *Sol*, plur. [100]); *labes*, *soboles* et *proles* [1]); *fax*, *lux*: item *faex*, *nex*, et alia quaedam * [2]).

---

tus, prima brevi, vocativum natura sua respuant, haud dixerim. *Talis* quidem in vocativo positi exemplum profert Christ. Scobar [in Ant. Nebriss. f. 47.] hoc Virg. Ecl. IV. 46, *Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis, Concordes stabili fatorum numine Parcae*: ut ordo sit, *O talia saecla currite*; quae et Car. Ruaei interpretatio est. At rectius L. de la Cerda, qui sermonem notat non ad *saecula*, sed ad *fusos* dirigi; exponitque, *Currite talia saecla*, q. d. *Currite per talia saecla*, vel *hanc temporum felicitatem ne rumpite aut interturbate.* * *Unus* et *solus* vocativo carere veterum quidam putarunt. At in contrarium obducit Priscianus, col. 673, ex Catullo XXXV. 17, *Une de capillatis*: ex Plauto in Fribolaria, *O amice ex multis mihi une Cephalio*: et ex Aticida in Hymenaeo, *Felix lectule talibus sole amoribus*. Adde quod ap. Ovid. Heroid. XIV. 73, *Surge, age, Belide, de tot modo fratribus unus*; *unus* prò *une* videatur dictum, quomodo et in quibusdam exemplaribus editum est.

94) *Plus* quoque vocativo carere videtur.

95) Non ablativus tantum *satiate* (quod Despauterius existimavit) ap. Lucretium invenitur, II. 1057. et V. 1390: sed accusativus etiam *satiatem* ap. eund. V. 40. V. Voss. Anal. I. 47, qui ex mente Charisii, col. 34. *satias* docet ex *satietas* per Syncopen factum, eandemque vocis contractionem in omnibus obliquis, praeterquam genitivo, reperiri: ut non imitandi sint R. Stephanus aliique Lexicographi, qui *satiatis* in genitivo declinant. Addunt et *satiei* in quinta dici, ut ap. Sil. IV. 110: sed libri emendatiores *satias* habent. *Satie* tamen, etiam in praestantissima Harduini editione, ap. Plinium invenitur VIII. 51: quae si vera lectio est (vetustiores enim *satietate* exhibent, Ful. Ursinus *siti* malit) non recte a Despauterio obliquis privatur; neque multum vulpandus Nebrissensis, qui accus. *Divitiae gignunt satiem, satiesque superbum*, in disticho quodam dixerit.

96) Vid. supra hui. cap. reg. 12. n. 78.

97) Vid. Rhenium, p. 90. et Schmidium, p. 81.

98) Vid. supra reg. 14. n. 80.

99) Vid. eand. reg. n. 82.

100) Pro *aestu*, aut *diebus*, plurali tantum utimur; etiam dativ. et abl. *solibus* (quod ei vulgo adimunt) habent Ovid. Met. XIII. 793. Horat. Epod. II. 41. Iuven. IV. 43. et multis locis Plinius.

1) Vid. paullo inferius reg. XIX. n. 87.

2) * Pentaptotis accenseri possunt, (1) *Gerundia*, quae vera nomina esse, omnes casus singulares praeter vocativum habentia, postea monstrabimus. Part. 1. lib. IV. (2) *Alius* in genitivo rarum esse usum docet Priscianus, col. 959. (3) *Vis* dativo sing. carere plerique omnes Grammatici statuunt: at eos refellit Iohnsonius Addit. p. 87, illo Hirtii, sive Belli Africani auctoris, c. 69, *Equitibus suis hostium vi oppositis*. Confer et Rami Schol. Gramm. p. 202. (4) Despauterius *verum* a *veru* dici negat: quod tamen diserte extulit Charisius, col. 50, qui etiam ibidem non *verua* sed *vera* dicendum praecipit. (5) *Crux* genitivo et da-

Digitized by Google

§. 5. *Deficientia* Genere.

Genere defici hic intelligimus nomina quaedam adiectiva, quae genere aliquo, sive per totum numerum, seu per certos quosdam casus, vel raro vel nunquam usurpata inveniuntur. De quibus haec regula esto.

16. Plurali primo, quarto quintoque carebit
Neutrius generis, quod in ER fit, fine sub uno,
Mobile, FEX, OR et ES, simul OS: cum *pubere*, *supplex*,
Comis, *inops*que, *vigil*, *sons*que, *intercus*que, *redux*que.
Caetera masculei rectum removeto priorem.
At *victrix*, *ultrix*, numero muliebria primo,
Femineum neutrumque genus pluralia poscunt.
Plus primo numero neutrum tulit, omne secundo.

Genere uno vel pluribus deficiunt:

1. In nominat. accusat. et vocat. plur. neutro fere destituuntur adiectiva tertiae, quae sub una terminatione exeunt:

(1) In ER: ut, *pauper*, *celer*, *degener*, *uber*.
(2) In FEX: ut, *artifex*, *carnifex* [3]).
(3) In OR: ut, *memor*, *concolor*, *bicorpor*.
(4) In ES: ut, *ales*, *dives*, *sospes*, *superstes*, *deses*, *reses*, *hebes*, *teres*, *praepes* [4]).
(5) In OS: ut, *compos*, *impos*, *exos* [5]).
(6) Item *pubis*, *impubis*, *supplex*, *comis*, *inops*, *vigil*, *sons* [6]), *insons*, *intercus*, *redux* [7]), et forsan alia [8]).

---

tivo plurali privant Vasius, Beumlerus, Mindanus: at vid. supra cap. II. reg. 60. n. 27. (6) *Utrium* ab *uter*, *adipum* ab *adeps*, et *dolorum* a *dolus* dici negat Lancellotus ap. Despauterium p. 107. Alia denique quaedam monosyllaba; ut, *splen*, *fel*, *pax*, *pix*, *strix*, genitivo, (forte et dativo) plur. destituuntur. V. Voss. Anal. II. 14. Nov. Meth. p. 158. Ursin. p. 204.

3) Sic *artifices digiti*, *artifices motus*; *carnifices oculi*, *manus*, *epulae*, dicuntur. Saepius tamen haec substantive ponuntur.

4) Sic *congener*; *bicolor*, *discolor*, *versicolor*; *tricorpor*; *cornipes*, *sonipes*, *bipes*, *tripes*, *quadrupes*, *aeripes*, *anguipes*, *locuples*, *perpes*, *hospes*, *comes*.

5) i. e. *sine ossibus*, Lucret. III. 721: at haec vox extra nominativum sing. et accus. *exossem* ap. Plaut. Menaech. V. 11, 106. et Apul. Met. 1. p. 8. vix reperitur, quanquam et aliter hic *exossam*, illic *exossabo* legatur.

6) *Sons* in recto se non legisse ait Probus, col. 1473.

Digitized by Google

2. *Caeter* vel *caeterus* in nominativo sing. vix dicitur [9]): sed *caetera* et *caeterum*.

3. *Victrix*, et *ultrix*, in singulari feminini tantum sunt generis [10]), in plurali autem feminini et neutri, *victrices* et *victricia; ultrices* et *ultricia*.

4. *Plus* in singulari neutri [11]), in plurali omnis generis est [12]).

---

7) *Reducum* et *reducibus* vix inveniri putem.

8) His forte addi possunt *eicur, trux, consors, exsors, princeps, particeps.* ℣ Inveniuntur tamen ex praedictis adiectivis, *versicoloria vela* ap. Plin. XIX. *quadrupedia maiora*, et *caetera quadrupedia* ap. Colum. XI. 2. *omnia quadrupedia* ap. Pallad. Mart. t. 13. *verbo teretia* ap. Gell. VII. 14. *ossa hebetia* ap. Cels. VI. 15, extr. At *hospita aequora*, Virg. Aen. III. 377. *hospita flumina*, Stat. Theb. IV. 842. *hospita tecta*, Val. Flacc. II. 650, sunt ab *hospitus, -a, -um. Paupera* etiam a *pauper* meminit Voss. Anal. II. 13, sed nullo auctore. Neque *superstita fragmenta* cum nupero scriptore Io. Nic. Funccio, de Adol. L. L. cap. VI. §. 4. facile dixerim. ℣ Quidam adiectivis hisce etiam in singulari neutrum adimunt: quod optimi tamen auctores non refugerunt: ut, Virg. Aen. V. 521. *memor numen.* Plin. X. 52, *bicolor ovum.* Val. Max. II. 1, *dives et praepotens naturae regnum.* Ovid. Art. Amat. I. 70, *externo marmore dives opus.* Iuven. XIII. 178, *Depositum tibi sospes erit.* Ovid. Amor. III. 15, ult. *Post mea mansurum fata superstes opus.* Id. Met. XIII. 135, *hebes ingenium.* Catull. LIX. 181, *brachiolum teres.* Colum. IV. 26, *Pedamen teres.* Lucan. V. 26, *Rerum nos summa sequetur imperiumque comes.* Horat. Epod. V. 5, 13, *Impube corpus.* Cic. ad Att. III. 20, *Nihil come, nihil simplex.* Id. in Limone Fragm. *Quicquid come loquens.* * Extra nominativum et accus. etiam frequentiora sunt: ut, Virg. Ecl. I. 69, *Pauperis tuguri.* Stat. Theb. I. 151, *Pugna est de paupere regno.* Curt. V. 1, 12, *Uberi et pingui solo.* Sil. III. 365, *Alite plumbo.* Tibull. I. 10, 31, *Divitis auri pondere.* Lucret. IV. 51, *hebeti corde.* Ovid. Met. X. 113, *tereti collo.* Val. Flacc. II. 103, *tereti auro.* Id. V. 486, *vigili pulcherrima flumina cornu.* Cic. Verr. III. 70, *Ex aerario inopi*, etc. Item in plurali Virg. Aen. XII. 413, *puberibus foliis.* Ovid. Fast. IV. 155, *supplicibus verbis.* Etiam *intercutibus vitiis* A. Gell. XIII. 8, et *intercutibus stupris* Cato ap. Priscian. col. 719, dixere. * *Degeneribus* autem, *congeneribus, memoribus, compotibus, impotibus, cornipedibus* et *sonipedibus*, nondum ullo in genere inveni.

9) *Caeterus ornatus* in plerisque editionibus legitur ap. Caton. R.R. c. 22: at Meursius et Popma haec verba non agnoscunt.

10) Claudianus tamen XXVIII. 25, *victrici solo* dixit, et (referente Farnabio, System. Gramm. p. 49.) Minut. Felix, *victrix tropaeum.*

11) *Plus* in singulari substantivum tantum esse vulgatior tenet opinio: natura autem esse adiectivum per se vox ipsa indicat. Sic cum dico, *pluris emi*, intellige cum Vossio Anal. II. 24. *pretii*, vel potius cum Sanctio IV. 16, extr. *aeris pretio.* Sic *plure venit*, Cic. ap. Charis. col. 84, supple *pretio.* Clarius et expresse Plautus Bacch. IV. 3, 17, *Mortuus pluris pretii 'st, quam ego sum:* et Sallust. Ing. 90, *Neque pluris pretii coquum, quam villicum habeo:* et Vitruv. VII. 3, *Ne plus spatium habentes pedes binos.* Haec adiectivum esse plane evincunt. Non ideo tamen queam in eorum sententiam facile concedere, qui ma-

Digitized by Google

§. 4. *Deficientia* Numero.

Ex his alia *plurali*, alia *singulari* deficiunt. Ex utrisque autem ea primum nomina exponemus, quae ad summa quaedam capita solent reduci: caetera deinde sub suo quaeque genere nominatim recensebimus.

---

sculino putant aut feminino posse adhiberi. In eo enim Plauti Truc. II. 6, 8, *Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem*, nolim cum Vossio loc. cit. *fidei* (sed *pretii*) intelligere: et in illo Varronis R. R. III. 16, *Ut ne plus tertia pars eximatur mellis*, subaudiendum *negotium quam*. Methodi auctor, qui (p. m. 415.) haec verba e Plinio perperam adducit, aut ipse deceptus est, aut Kirkwodo nostro incautius legenti errandi caussam dedit: is enim, p. 22, *Hic* (inquit) *quidam* (Sanctium aut methodi auctorem innuens) plus *aiunt cum voce* pars *genere concordare*: a qua opinione non ipse multum dissentit: postea enim paucis interiectis subiicit, *Et si in neutro licet dicere* pluris pretii, *cur non etiam in masculino* pluris valoris. Atqui, ut Methodi auctorem praeteream, cuius eadem quidem, sed obscurius prolata videtur sententia; Sanctius certe, ut plus adiectivum esse contendit, ita porro addit loc. cit. neutralem ei semper in singulari terminationem esse, ut τῷ *victrix* femininum. Idem fere docet Goclenius, qui Probl. Gramm. III. 80. Scaligerum notat non satis recte in Exercit. 22. *pluri sueco* dixisse: Quod si ex eo, quod plus interdum adiunctum sibi habeat substantivum, cum illo in genere convenire censendum sit; eodem plane modo consequi necesse est, ut *minus* et *amplius* omnis interdum generis fiant; idque non singulari tantum, sed etiam plurali, veluti ap. Caes. B. G. VII. 48, *Eo die milites sunt minus septingenti desiderati*: et Ibid. V. 7, *Naves amplius octingentae una erant visae*. Plus quoque ipsum pluralis itidem numeri erit: ut Liv. XXXIX. 31, *Romani paulo plus sexcenti ceciderunt*. In his autem omnibus ad sive secundum *plus, minus, amplius* negotium quam, recte methodi auctor intelligit. Confer Voss. de Construct. c. 15. et Ursin. part. II. p. 119, 120.

12) Huc referri possunt, (1) *Seminecem*, quod nusquam in neutro iam reperitur, cuique nullos alios casus concedit Iohnsonus, p. 128, praeter illum accus. *seminecem*, Liv. XXIII. 15. et XXIX. 2. Virg. Aen. V. 275, et plurali, nom. accus. et voc. *semineces*, Tac. Hist. III. 28, 4. et Agric. XXXVI. 3. Ovid. Met. I. 228. Val. Flacc. III. 158, etc. et genitivum *seminecum*, Sil. IV. 164. et VI. 11. At dativum quoque habet Virgil. Aen. X. 462, *Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta*: nec dubito quin, re sic postulante, genitivo *seminecis*, et ablativo *seminece*, idem aliique fuerint usuri. (2) Adiectiva quaedam, quae uni alicui, vel paucis tantum substantivis adiici possunt, quaeque propterea Rhenius in Paralip. p. 666. *Propria* seu *Specialia* appellat: qualia sunt *Gradivus Mars, Cytherea Venus, innuba virgo, concubia* et *intempesta nox, obstipum caput, meracum vinum, haedus* aut *hircus petulcus, subrumus agnus, limi oculi, simae capellae, apricae oves, Lucae boves, relicinus capillus, duracinae uvae, crustumina pira, rugiens leo, crocitans corvus, latrans canis*, etc. Confer supra cap. 1. reg. 14. n. 78. Ex hoc numero sunt, *nupta, praegnans, gravida, foeta*, et si quae sunt eiusmodi, femellis proprie convenientia, quae tamen figurate maribus aliisque substantivis interdum apponuntur. Sic *novum nuptum*, pro *marito*, Plaut. Casin. V. 1, 6, dixisse, notat Priscianus, col. 788. et *praegnans Iovis*

Digitized by Google

Plurali in universum *carentia.*

17. Propria sunt solo numero varianda priore:
Ni vel plura notent, vel sint pluralia tantum.
Nomina virtutum, vitiorum, abstractaque et artes
Rarius agnoscunt pluralem, et pleraque quintae:
Queis iunges herbas, frumenta, metalla, liquores.

In plurali nunquam vel rarius inveniuntur:

1. Nomina propria: ut, *Hector, Dido, Italia, Roma, Parnassus, Danubius.*

Exc. 1. At si propria pluribus eiusdem nominis conveniant, nihil impedit quo minus plurali utamur. Dicimus enim *plures Ioves, duodecim Caesares, tres Alexandri Reges Scotorum* [13]).

Exc. 2. Quaedam urbium nomina in solo plurali leguntur: ut, *Veii, Athenae, Bactra:* de quibus reg. 21, mox dicetur.

2. Rarius etiam in plurali usurpantur:
(1) Nomina virtutum: ut, *iustitia, fortitudo* [14]).
(2) Nomina vitiorum: ut, *ambitus, luxus.*

---

cerebrum legi ait Sanctius, I. 7. p. 56. Virgilii quoque est Ecl. III. 83, *Dulce — salix foeto pecori:* et Aen. I. 55, *Loca foeta furentibus austris;* et Geo. II. 5, *gravidus ager:* et Ovid. Fast. IV. 633, *gravidum pecus:* et Vitruv. II. 9, init. *Quae sunt praegnantia.* (3) *Tricuspis* neutro generi adiunctum negat Priscianus, col. 652, nisi in obliquis, ut *tricuspide telo* ap. Ovid. Met. I. 380. (4) Eadem et Vossio, Anal. II. 11, de adiectivo *cognominis*, mens videtur. V. supra cap. II. reg. 54. n. 98. ¶ Alii minus recte alia huc adiiciunt, (1) Priscianus, col. 707. *dis* adiectivum neutro singulari negat inveniri, quamvis plurale *ditia* satis sit frequens. At Val. Flacc. II. 296. *dite solum* dixit (nisi hoc sit ab antiquo *ditis:*) ut omittam *diti de pectore* ap. Lucret. I. 414. (2) Sanctius loc. proxime cit. et IV. 17. p. 857. *almus* ait raro in masculino nunquam in neutro reperiri: at *almum iubar* habet idem Val. Flacc. V. 311. *almum sidus* Statius, Theb. X. 364. et Virg. Geo. II. 330. *almus ager:* et Ecl. VIII. 17, et Aen. V. 64. *diem almum* Horat. Carm. Saecul. 9. *alme Sol*, Lucret. II. 390. *liquor almus*, et Ped. Albinov. Eleg. II. 18. *almi Caesaris.* Sanctio imposuisse videtur Festus, qui *alma*, non *almus*, nominat. (3) Alii addunt *bilicem* et *trilicem*, absque neutro, et accus, tantum casus: at *bilix* et *trilix* agnoscunt vett. glossae. Vid. Voss. Anal. I. 48. et Ursin. p. 134.

13) Propriis item nominibus in plurali utimur, (1) Cum pluralis pro singulari accipitur: ut, Martial. I. 25, *Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos.* (2) Cum de similibus, aemulis aut imitatoribus eorum, quibus propria conveniebant, fit sermo: ut, Ovid. Heroid. XIII. 68, *Et multos illic Hectoras esse puta.* Martial. VIII. 56, *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.* (3) Denique, cum pro eorum statuis aut nummis accipiuntur: ut, Cic. Acad. IV. 26, extr. *Centum Alexandros eius-*

Digitized by Google

(3) Nomina abstracta: ut, *magnitudo*, *iuventus* [15]).
(4) Nomina artium: ut, *Grammatica*, *Musica* [16]).
(5) Nomina quintae declinationis pleraque omnia: ut, *fides*, *macies* [17]).

---

demodi facere. Horat. Epist. II. 1, 284, *Retulit acceptos, regale nomisma, Philippos.*

14) Pleraque virtutum et vitiorum nomina, utpote ab adiectivis deducta, ad abstractorum classem referri possunt.

15) Ex nominibus tamen abstractis innumera pene plurali inveniri ostendit in primis accuratissimus Iohnsonus, App. p. 163, etc. et Addit. p. 39, qualia sunt, *Acerbitates*, *acrimoniae*, *aegritudines*, *alacritates*, *amaritudines*, *ambiguitates*, *amicitiae*, *avaritiae*, *auctoritates*; *Bonitates*, *benignitates*; *Calliditates*, *caritates*, *celeritates*, *claritates*, *commoditates*, *constantiae*, *cupidines*, *cupiditates*; *Debilitates*, *dementiae*, *difficultates*, *discordiae*; *Ebrietates*, *egestates*, *elegantiae*, *excellentiae*; *Familiaritates*, *felicitates*, *festivitates*, *fortitudines*; *Gracilitates*, *graviditates*; *Habilitates*, *hilaritates*, *honestates*; *Ignaviae*, *immunitates*, *impuritates*, *inanitates*, *inertiae*, *infirmitates*, *infidelitates*, *iniquitates*, *inopiae*, *insaniae*, *intelligentiae*, *invidiae*, *iracundiae*, *iucunditates*; *Laetitiae*, *lassitudines*, *lautitiae*, *libcralitates*, *libertates*, *levitates*, *loquacitates*; *Magnitudines*, *malignitates*, *malitiae*, *mediocritates*, *maturitates*, *memoriae*, *miseriae*, *mobilitates*, *molestiae*, *mollitiae*, *munditiae*; *Necessitates*, *nequitiae*, *nobilitates*, *notitiae*, *novitates*; *Obscoenitates*, *obscuritates*, *opportunitates*, *orbitates*; *Parvitates*, *pestilentiae*, *petulantiae*, *potentiae*, *potestates*, *pravitates*, *praesentiae*, *proceritates*, *propinquitates*, *proprietates*, *prosperitates*; *Raucitates*, *reticentiae*, *reverentiae*; *Salsitudines*, *sanctitates*, *salubritates*, *saevitiae*, *satietates*, *sapientiae*, *scabritiae*, *securitates*, *severitates*, *serenitates*, *siccitates*, *similitudines*, *societates*, *sodalitates*, *solitudines*, *solertiae*, *sollicitudines*, *spurcitiae*, *sterilitates*, *stultitiae*, *suavitates*, *sublimitates*, *superbiae*; *Tarditates*, *temeritates*, *tempestivitates*, *timiditates*, *tranquillitates*, *tristitiae*, *turpitudines*; *Valetudines*, *vanitates*, *varietates*, *ubertates*, *velocitates*, *venustates*, *veritates*, *vicinitates*. Item; *Altitudines*, *amoenitates*, *antiquitates*, *asperitates*, *Brevitates*, *Captivitates*, *conscientiae*, *consuetudines*, *Differentiae*, *distantiae*, *Eminentiae*, *Fiduciae*, *Gentilitates*, *gratiae*, pro *opibus* aut *potentia*, *Immortalitates*, *immensitates*, *inanitates*, *incolumitates*, *indulgentiae*, *Lasciviae*, *Misericordiae*, *Opulentiae*, *Paupertates*, *perennitates*, *pulchritudines*, *Servitutes*, *Vetustates*, *violentiae*, et quaedam alia. Confer et Carmichael p. 52. Voss. Anal. I. 40. [Heusinger. ad Cic. de Offic. I. 22, 15. I. 28, 7. Bremi ad Cic. de Fin. I. 8.]

16) Sic *Rhetorica*, *Dialectica*, *Logica*, *Ethice*, *Physica*, *Politice*, *Arithmetica*, *Nautice*. Sunt autem natura adiectiva, in quibus τέχνη vel *ars* intelligitur. Sed *Philosophia*, *Theologia*, *Astrologia* seu *Astronomia*, *Cosmographia*, *Geometria*, substantiva sunt singularia, feminini itidem generis. Ex prioribus autem pleraque pluraliter et neutro genere usurpantur, *Rhetorica*, *-orum*; *Metaphysica*, *-orum*. Sic *Georgica*, *Bucolica*, *Halieutica*, *Therapeutica*, *Theriaca*, etc. quibus subaudiendum, *carmina*, *praecepta*, aut simile quod substantivum. V. post reg. 21.

17) Ex omnibus quintae nominibus *res* solum et *dies* plurali integra esse supra docuimus reg. XIII. quibus *acies*, *facies*, *progenies*, *spes*, *species*, *superficies*, vulgo adduntur: quae tamen extra nom. accus. et voc. apud idoneos auctores haud facile reperies. Praeter ea autem; plurali etiam his casibus usitata invenit Iohnsonus, App. p. 160, et Addit. p.

Digitized by Google

(6) Nomina herbarum: ut, *hyssopus, apium* [18]).
(7) Nomina frumentorum: ut, *triticum, secale* [19]).
(8) Nomina metallorum: ut, *aurum, argentum* [20]), item mineralium: ut, *alumen, sulphur* [21]).

---

39. *eluvies, glacies*, et *scabies*: ut, *eluvies praeruptae* ap. Curt. VIII. 11, 7. *hyperboreas glacies* ap. Virg. Geo. IV. 517. *Porci et Socration, duae sinistrae Pisonis scabies, famesque Memmi* ap. Catull. XLVIII. et *eorum scabies sanantur* ap. Plin. XXVIII. 18. At postrema haec duo testimonia non satis valida ad rem firmandam videntur. Prius enim in multis (et melioribus, opinor) codicibus sic destinguitur — *duae sinistrae Pisonis, scabies, famesque Memmi*, vel *Mundi*. Posteriore vero ex optima Harduini editione, *sanatur*, non *sanantur*, legimus. Miror autem Iohnsonum aliosque hic *effigies* omisisse, quod pluraliter non tantum Plinius multis in locis: ut II. 8, *innumeras effigies*. VII. 8, *mirabiles effigies*. XXXIV. 5, *togatae et nudae*. XXXV. 12. *laudatissimae*, etc. sed Virg. Aen. III. 148, *effigies sacrae Divum*. Sil. XVII. 398, *spirantes praelia*. Tac. Anal. XIV. 32, 8, *effigies relictas*. Ibid. LXI. 1, *effigies Poppeae prosunt*, etc. adhibuerunt. *Pernicies* denique in plurali dicere ausum Arnob. lib. II. notat Vossius loc. superius laudato. * His igitur, et forte *luxuries* et *materies* (de quibus dictum in extremo c. II.) exceptis, reliqua quintae fere omnia plurali in universum privantur.

18) Plurimis etiam herbarum nominibus pluralem restituit egregia Iohnsoni diligentia, p. 189: ut, *Abrotoni, absynthia, acanthi, aconita, algae, allia, asparagi; Betonicae, betae, bibli, brassicae, bulbi; Cardui, castae, centaurea, cicutae, colocasia, coriandra, croci; Erucae; Filices; Hellebori; Intybi* et *intyba, inulae, iunci; Lactucae, lappae, lapsanae, linа; Malvae, meliphylla, menthae; Nepetae; Ozima; Papavera, papyri, porri; Sampsuca, saturcia, serpylla, sesama, stupae; Thymi, tribuli; Verbenae, violae, ulpica, urticae*. Quibus adiungit ipse Iohnson. Addit. p. 87, *Amoma, annagallides, anthyllides, cunila, lolia, rutae, tithimalli*: et Carmich. p. 31, *hyacinthi, lilia, cepae*.

19) Haec etiam pluraliter inveniuntur: ut, *steriles avenae* ap. Virg. Ecl. V. 37. et Geo. I. 154. et *vanis avenis* Ibid. 226: item *grandia hordea*, et *serite hordea*, et *hordea fragili culmo* ap. eund. Ecl. V. 16. et Geo. I. 210, 317. Posterius ex hisce deridet Cornificius ap. Cledonium, col. 1898, hoc versiculo, *Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat*: at longe maioris faciendum Maronianum iudicium notat Voss. Anal. I. 38: qui tamen, mira in tanto viro oscitantia, protinus addit, ita etiam in prosa loquutum Mamertinum in Panegyr. *Rumpunt horreq conditae messes*; tanquam idem *horreum*, quod *hordeum*, sit. Caeterum *hordea* in plurali Ovidius quoque XIV. 278. et Iuven. VIII. 154. extulerunt. Idem porro Vossius *avenas* dictis Virgilii locis, non pro *frumento*, sed *segetis-vitio* accipi, adeoque huc non pertinere contendit. In contrarium nititur Iohnsonus, qui ex illo Plinii IV. 13, *Feruntur et Oonae, in quibus ovis avium et avenis incolae vivant*, *avenas* pro frumenti etiam genere pluraliter usurpatum existimat; saltem non rem adeo fuisse inutilem, quum ea vivere homines possent. Utcunque sit haec res, *avenas* pro frumenti calamis plurali adhibuit Ovid. Met. I. 677. et Met. VIII. 192. et Trist. V. 10, 25. et Claudian. XXXI. 35. ¶ Huc etiam referuntur legumina, ut *faba, pisum, lupinus, ervum, cicer, canabis, lens, milium, panicum, vicia*, etc. Sed ex his quoque nonnulla pluralem recepere: ut *fabae* Virg. Geo. I. 215. Ovid. Fast. II. 576. Ibid. V. 267,

Digitized by Google

(9) Nomina liquorum: ut, *lac*, *oleum*[22]), [23]).

(10) Huc denique referuntur nomina multarum rerum, quae mensurari aut ponderari solent: ut, *butyrum*, *saccharum*[24]).

436, 488; et VI. 180: et de medic. fac. 70. Plin. XVIII. 7, 10, 26, etc. *pisa* Plin. XVIII. 7. *lupini* Id. XXII. 25. XXIII. 4. XXXV. 10. Horat. Sat. II. 3, 182: et Epist. I. 7, 23. Ovid. de mdd. fac. 69. *viciae* Id. Fast. V. 267.

20) At *aera* pro *rebus ex aere factis* Poetis plurali frequentissimum est. Plinius, etiam IX. 40. *addere his aera*, *ut Corinthia*, dixit. Vid. et supra reg. XIII. n. 80. *Electra* quoque tam pro *metallo* [ut ap. Martial. VIII. 51. Plin. IX. 40. et Claud. de rapt. Pros. 248.] quam pro *succino* [ut ap. Virg. Ecl. VIII. 54. Ovid. Met. II. 365. et Amor. III. 12, 37. Claud. VII. 125. XXVIII. 164. et XL. 11.] plurali usitata. *Oricalca* et *stanna* ap. Vitruvium legi notat Vossius Anal. I. 38, prius quoque habet et Stat. Theb. X. 654. et Val. Flacc. III. 61.

21) Sic *creta*, *minium*, *vitriolum*, *bitumen*, *stibium*, etc. *Sulphura* tamen Poetis plurali satis frequens: *Bituminum* quoque dixit Plin. VII. 15. De *sale* et *nitro*, quae huc referuntur, vid. mox reg. 20.

22) Inter haec memorantur, *vinum*, *villum*, *mulsum*, *mustum*, *defrutum*, *sapa*, *cerevisia*, *lora*, *zythum*: item *acetum*, *muria*, *omphacium*, etc. At *vina* plurali usitatissimum: etiam *vinis* in dativo et ablat. (quod dici prohibet Servius ad Virg. Eclog. V. 36. et Geo. II. 98.) habent Ovid. Fast. VI. 473. et Met. XII. 317. Cato R. R. 148, et plurimis in locis Plinius: cuius etiam est *vinorum* XIII. 4. et XIV. 20. *Mulsa* Plaut. Poen. I. 2, 112. *Musta* Martial. I. 19. XIII. 8, et 120. Quintil. Inst. II. 4. Tibull. I. 1, 6. V. 24. et II. 3, 38. Plin. XXIII. 1. XXXVI. 22. et saepius Ovidius; idemque in ablat. *mustis* Amor. I. 15, 11, dixere. *Defruta* Virgilii est, Geo. IV. 269. et Plinii XIV. 21. *Sapae* eiusdem Plinii ibid. ¶ Hic autem animadvertendum est, Grammaticos de iis fere liquorum nominibus, quae potui aut nutritioni inserviunt, loqui videri: alia enim in plurali haud raro inveniuntur: ut, *atramenta*, *biles*, *cholerae*, *cruores*, *faeces*, *salivae*, *spumae*, *sudores*, *urinae*, etc. V. Iohnson. p. 144. et Addit. p. 88, ut generaliora liquorum nomina omittam: ut, *aqua*, *fluvius*, *amnis*, *fons*, *gutta*, *imber*, *lacus*, *latex*, *mare*, *pluvia*, *stagnum*, etc. omnia plurali usitatissima. ¶ Inter liquores a quibusdam recensentur res udae et unguinosae, qualia sunt *adeps*, *arvina*, *balsamum*, *opobalsamum*, *cera*, *halec*, pro *muria* et *liquore gari*, *gluten*, seu *glutinum*, *gummis*, *medulla*, *pix*, *resina*, *sebum*, *succinum*, etc. Sed et haec pluraliter quandoque reperiuntur: *adipes*, *balsama*, *opobalsama*, *ceras*, *gummium* [in gen. plur.] *medullae*, *pices*, *resinae*, *succina* [Plin. XXXVII. 7, init.] Vid. Iohns. p. 147. et Addit. p. 88.

23) Nimis ampliter patere videtur haec rerum, sive vocabulorum, classis; utpote pleraque ex superioribus, frumentorum, metallorum, liquorumque, etc. nomina complectens. Ex maiore etiam parte fallax est canon; nam *lana*, *linum*, *panis*, *carbo*, *corium*, aliaque innumera, quae ad mensuram vel pensum pertinent, nomina, tantum abest ut plurali excludantur, ut saepissime eum postulet rerum ipsarum natura; praesertim ubi diversa earum genera seu species intelligi volumus.

24) His alii adiiciunt, (1) Nomina aetatum: ut, *infantia*, *pueritia*, *senectus*, etc. at haec sub abstractis comprehenduntur. (2) Aromatum: ut, *casia*, *crocus*, *moschus*, etc. sed ex his duo priora ad herbas referuntur. De *pipere* et *zinziberi* post dicetur. (3) Fruticum: ut, *oiler*,

Digitized by Google

Masculina *nunquam vel raro pluralia.*

18. Haec quoque pluralem numerum vix mascula norunt:

Nemo, penus, viscus, limus, cum *sanguine, pontus, Hesperus,* atque *fimus, mundus* muliebris, et *aer: Aethera* cum *musco* iunges et prole *diei.*
Pluralemque *sopor* raro, *ros, pulvis,* habebunt.

---

genista, edera, ligustrum, cytisus, eruca, arbutus, rubus, iuniperus, vitis, etc. at haec fere omnia tam usu, quam rei ipsius natura, pluralem admittunt. (4) Morborum: at pleraque ex his plurali reperiri ostendit Iohnsonus App. p. 180: ut, *crapulae, febres, hydropises, lippitudines, paralyses, podagrae, spasmi, stranguriae, tusses, vertigines,* etc. (5) Elementorum: ut, *terra, aqua, aer, ignis:* at ea, cum partes eorum aliquae significantur, plurali frequentata ipsi agnoscunt; praeter *aer,* quod tamen Lucretius et Vitruvius eo numero extulerunt. V. reg. seq. (6) Addit denique Charisius, col. 22. *quae nec videri nec tangi possunt, verum ab his in alterutram partem doloris aut gaudii addicimur:* ut, *gaudium, vigor, metus, letum, timor, terror, insania, sopor, ius, iustitia, moestitia, senium,* etc. Atqui eorum pars permagna ad abstractorum proprie sic dictorum classem pertinet. Reliqua fere sunt, quae abstractas quidem qualitates. Dialectici appellant, at ea non ab adiectivis, sed a verbis derivata: qualia sunt plurima in *or* et *io* tertiae, et in *us* quartae nomina. E verbalibus in *or* duo tantum et viginti plurali carere docet Iohnsonus, p. 154, viz. *acor, albor, amaror, caldor, canor, claror, decor, foetor, levor, lentor, lutor, mador, marcor, macror, mucor, nigror, putor, putror, rancor, stringor, torpor, viror.* Verum ex his multa sunt vix iam vel in singulari usitata: duo etiam *decores* et *foetores* ipse postea pluralia invenit, Addit. p. 89. Caeteris autem omnibus, ut, *algor, amor, ardor, angor, calor,* etc. pluralem idoneis exemplis asseruit. Ut autem hac in parte nimis, ita in reliquis contractior, aut certe non satis aequalis, videtur viri diligentia. Ex nominibus enim in *us* tria tantum, *contemptus, fastus* et *metus;* in *io* vero sex, *ambitio, cognatio, cognitio, contagio, desperatio, oblivio,* pluraliter usurpata commemorat: tanquam reliquis omnibus is numerus deesset. Vid. eum p. 162, extr. Atqui ex utrisque alia multa sunt, quae pluraliter adhibita ostendere facile foret: ut, *aditus, adventus, applausus, aspectus, assensus, consensus, hortatus, incursus, quiritatus, recessus,* etc. Et, *adhortatio, adulatio, basiatio, cavillatio, comparatio, comprehensio, consensio, consignatio, conversio, deliberatio, divinatio, exhibitio, frustratio, gratulatio, hortatio, imaginatio, laudatio, machinatio, narratio, obiurgatio, obtrectatio, occasio, offensio, opinio, perceptio, praescriptio, praevaricatio, professio, reconciliatio, reprehensio, respiratio, reputatio, restitutio, replicatio, sametio, salutio, scriptio, suasio, superstitio, tentatio, vocatio, vitatio, vituperatio, vociferatio, usucapio, usurpatio;* et plurima forsan alia. Sed vix operae pretium est istiusmodi minutias ulterius consectari. Haec enim omnia (ut probe a Carmichaelo nostro, p. 32, animadversum) diligenti magis observatione, quam Grammaticorum praeceptis cognoscuntur. ¶ Id tantum reliquum est, ut breviter hic in calce rationes subiiciam, propter quas auctores, nomina non modo praedicta, sed alia etiam nonnulla, ra-

Digitized by Google

In plurali vix unquam reperiuntur haec nomina masculina: *nemo, penus, viscus, limus, sanguis* [25]); *pontus, hesperus, fimus, mundus*, pro *mulierum ornamentis* [26]); *aër* [27]); *aether, muscus* [28]); *meridies*, a *medius* et *dies* compositum [29]).

Rarius pluralem admittunt, *sopor, ros, pulvis* [30]); [31]).

---

rius multitudinis numero adhibuerint. Eas autem tres (pro diversa eorum natura) assignat sollertissimus Lohnsonus. Prima est, quod in nominibus herbarum, et metallorum, rei materiam, quae in unaquaque specie una eademque est, fere solum attendebant: indeque est quod in nominibus fruticum, nonnunquam etiam et arborum, singularis pro plurali sit usitatus. Sic Virg. Ecl. X. 76, *Iuniperi gravis umbra*, pro *iuniperorum*: et Geo. II. 12, *Ut molle siler, lentaeque genistae, Populus, et glauca canentia fronde salicta*: et mox, *Ut altae Castaneae, nemorumque Iovi quae maxima frondet Aesculus, atque habitae Graiis oracula quercus*. Sic etiam Livius alicubi, *arbores abietis*: et Pallad. Iun. t. 5, *arbores fici*: et Octob. t. 8, *arbores oleae* dixerunt. Secunda est, quod in frumentorum, leguminum, liquorumque, etc. nominibus, res illae ex multis grauis seu minutis particulis aggregatae, unum quasi corpus constituere intelliguntur: quae ratio non in hisce modo, sed aliis etiam nominibus interdum locum habet: ut, *acus, palea, furfur*, item *arena, pulvis, cinis, lana*: quae etiam de maiore mole, (sive ut vulgo loquuntur) quantitate, dicta, singulariter adhibita Iohnsonus ostendit, p. 137 et 143. Tertia ad abstractas, quas vocant, qualitates pertinet: eae autem, cum in omnibus tanquam res unae eaedemque spectari soleant, singulari propterea plerumque proferuntur: cum vero, non tam qualitates ipsae, quam varii earum actus et exercitia, aut diversae quibus eae insunt res hominesque considerantur, pluralem fere omnia haec nomina admittunt.

25) Nec imitandus vulgatus Bibliorum interpres, qui Psal. V. 6. et Ps. LIV. 24, *virum sanguinum* dixit.

26) *Mundus* etiam pro *universi compage* plurali carere volunt. At Lucret. V. 529. *in variis mundis*, et Plin. II. 1, *innumerabiles mundos*: quomodo, nec uno in loco, Cicero loquitur. V. eum Acad. IV. 17. Nat. Deor. I. 10, 26 et 34.

27) *Aëribus cinis* et *aëribus alternis* dixit Lucret. IV. 292, et V. 644. et Vitruv. I. 1, *aëres locorum*, et I. 4, *aëribus firmitatem eripit*: nisi hic potius cum Philandro *a rebus* aut *a corporibus* legendum.

28) *Muscis* hoc sensu utitur Apuleius, Met. II. p. 40.

29) Ovid. Amor. I. 5, ult. pluralem sic καταφράζει, *Provenient medii sic mihi saepe dies.*

30) *Sopores* Ausonius, Idyll. VI. 41. et Ephem. ult. 23; *Rores* Virg. Geo. I. 385. et Aen. XII. 339. Horat. Car. III. 8, 66. Cic. Div. I. 8. Sil. Ital. IV. 165. et VII. 206. Lucan. IX. 701. Stat. Syiv. V. 1, 35. et Plin. II. 60, multisque aliis locis, dixerunt. *Roribus* eiusdem Plinii est, XVI. 26. et XVII. 24. Luc. VII. 837. Stat. Theb. II. 674. V. 590. VIII. 8. et XII. 138. Claudian. X. 249, et (si Vossio credimus) Columellae. At *rorum* vel *rorium* nusquam apud Classicum quenquam, cum eod. Vossio reperiri existimem. *Pulveres* Horatius Epod. XVII. 48. et Pallad. Feb. t. 25, *pulveribus* idem Pallad. Oct. t. 14, utuntur.

Digitized by Google

Feminina *nunquam aut raro pluralia.*

19. Vix ea plurales adhibent muliebria casus:
Plebs, *humus*, atque *lues*, *sitis*, ac *argilla*, *supellex*,
Cum *venia*que *salus*, et *vespera*, *glarea*, *pubes*,
Et *tabes*. Numerum capiunt quoque rara secundum,
Talio cum *cholera*, *fames*, *pax*, *gloria*, *tellus*,
Et *bilis*, *cutis*, atque *quies*, *pituita*que, *labes*:
Adde *picem*, *famam*, *sobolem*, cumque *indole prolem*.

---

81) **Addit Despauterius**, 1. *Fumus.* 2. *Carcer* pro *loco* ubi sontes detinentur. 3. *Uncus*, pro *ferro incurvo*, quo noxiorum corpora trahi solebant. 4. *Cestus*, pro *zona* sponsae nubentis. 5. *Genuinus*, pro *posteriore dente*. At *fumi* Lucretius, VI. 102. *fumis* Martial. III. 82, 23, *fumos* Virg. Geo. II. 217. et Geo. IV. 250. Ovid. Met. I. 571, et Fast. I. 577. et Martial. II. 90. IV. 5, et XIV. 118, pluraliter adhibuerunt. In reliquis rerum ipsarum natura pluralem necessario requirit. Praeterea *plenos carceres*, e Seneca, et *carcerum squaloribus premitur* e Iul. Firmico in Prol. profert post eund. Despauterium Voss. Anal. I. 89. *Unci* ap. Florum III. 21, *Genuini* ap. Cic. Nat. Deor. II. 54, reperiuntur. 6. *Cultus*, quod pro *auri folio*, singulari tantum usurpandum his adiungunt Curius et Despauterius, nusquam peculiari hoc sensu apud quempiam e Classicis puto inveniri. ¶ Quae ab aliis Grammaticis huc addita, praeter iam dicta, notat Vossius, sunt haec: *adeps*, *almus*, *alvus*, *autumnus*, *clavus*, pro *impurpurata veste* [V. Charis. col. 19.] *crūor*, *genius*, *iubar*, *metus*, *pallor*, *sal*, pro *condimento*, *silex*, *situs*, *Sol*, *terror*, *timor*, *vigor*, *unus*. At ex his pleraque pluraliter saepius usitata ostendit idem Vossius loc. cit. ut, * *adipes* Lucret. IV. 645. Quintil. Inst. II. 10. et Plin. VIII. 36. XI. 37. §. 85, extr. et XVI. 38. *adipibus* Colum. VI. 2, extr. * *Nereides almae* Cic. in Arat. v. 450. *almae Camenae* Horat. Car. III. 4, 42. *almis vitibus* Virg. Geo. II. 238. * Ad *diciendas alvos* Plin. XIX. 5. Vid. et VIII. 57. XIX. 8. et XXXI. 2. Idem quoque pro *alvearibus apium* plurali utitur; ut XI. 16. XXI. 14, etc. et ante eum Varro R. R. III. 16. bis. * *Inaequales autumnos* Ovid. Met. I. 117, *per autumnos* Horat. Car. II. 14, 15, *autumnis pinguescit* Plin. XIV. 2. * *Plagulae tunicae altera angustis clavis, altera latis* Varr. de Anal. II. p. m. 1109. et Liv. IX. 7, *Tabernae circa forum clausae*, — — *lati clavi, annuli aurei positi.* * *Genii* Plautus Truc. II. 1, 31. Plin. I. 7. Censorin. I. 3, extulere. * *Metus* plurale est, non tantum Poetis Virgilio, Ovidio, Horatio, Silio, V. Flacco, etc. sed etiam Plinio VII. 50. XXII. 22. XXXVII. 4, extr. Tacito Hist. IV. 5, 5. Quintil. Declam. VIII. 11. et XVIII. 10. *metuum* autem et *metibus* nusquam legi supra docuimus, reg. 18. * *Sales* pro *condimento* utitur Colum. VII. 4. extr. *salibus durata*, et VII. 8, med. *aspergitur tritis salibus*: et VIII. 6, *integris salibus adoperiunt. Sales* etiam *aequoreos* dixit Lucan. X. 257. Adde Pallad. Mai. t. 9. Oct. t. 12. Nov. t. 17, 18, 19, 20, 21, 22. et Dec. t. 6. item Paulum ICtum, Ammianum, et Vegetium, a Vossio citatos Anal. I. 89. Confer infra de hac voce reg. 20.

Digitized by Google

Haec feminina vix unquam in plurali adhibentur: *plebs*[32]), *humus*, *lues*[33]), *sitis*, *argilla*, *supellex*[34]), *venia*, *salus*[35]), *vespera*[36]), *glarea*, *pubes*, *tabes*.

---

ni 89, et reg. 22. n. 75. * *Silices* habent Lucretius, Propertius, Ovidius, etc. *silicum* id. Lucret. VI. 688. Ovid. Amor. I. 11, 9. * *Situs* plurale, pro *positione*, satis frequens; Sic *situs locorum* Plin. II. 12. *situs oppidorum* Caesar. B. G. III. *quos situs* Cic. ad Q. frat. II. 16. pro *squalore* etiam Ovid. Met. VII. 303, dixere. * *Duos soles visos* Liv. XXVIII. 11. et XXIX. 14. *plures soles* Plin. II. 31. *soles binos terrosque apparuisse* Senec. N. Quaest. I. 11. Adde supra reg. XV. n. 98. * *Unus* in plurali non usurpari, nisi iis iungantur quae aut nunquam aut raro singulo numero reperiuntur, docet inter alios Vossius Anal. I. 89: ut, Ter. Eun. II. 3, 76. *in unis aedibus*, Sallust. Iug. c. 64. *unae et alterae scalae*, Id. Catil. 6. *una moenia*. Rectius Varro, qui Annal. II. p. m. 1107, singulari in *verbis* [i. e. vocibus] singularibus; plurali in coniunctis rebus utendum tradit. Hoc enim pacto *unus* quibuslibet fere substantivis pluraliter apponi potest. Sic Cato R. R. 10 et 11, *molas asinarias unas*. Plaut. Pseud. I. 1, 52, *nunc unae quinque remorantur minae*. Id. Trin. I. 2, 129, *Quia rure dum sum ego unos sex dies*. Cic. pro Flacc. 29, *In quo tibi invideo, quod unis vestimentis tamdiu lautus es*. Virg. Aen. II. 642, *Satis una superque Vidimus excidia*. Lucan. IV. 548, *In partibus unis*. Buchanan. Psal. LVI. 4, *Pollicitis tuis innixus unis*. Id. Epig. III. 10, 27, *Votis unis*. Confer et Linac. lib. III. p. 176. Carmich. p. 84. et Iohnson. p. 216. * Porro *cruores* Virgilio, Horatio aliisque Poetis satis frequens: *palloribus* utuntur Lucret. IV. 337. et Tacit. Agric. XLV. 4. *timores* Horatii est Car. I. 87, 16. Ovid. Trist. II. 158. Stat. Theb. V. 319. *timarum* Lucani I. 454. *vigores* Silii XV. 355. *vigoribus* A. Gellii XIX. 11. * Meliore autem iure huc retulissent alia quaedam in *or*, quae vere plurali destituta Iohnsonus observavit, p. 151, qualia sunt, *acor*, *albor*, *amaror*, etc. supra reg. XVII. n. 28. memorata. * Caeterum *iubar* et *alvus* minus recte hic masculinis adnumerantur, quibus ex purioris aevi consuetudine hoc genus fuisse abrogatum cap. 1. docuimus. ¶ Addit Iohnsonus, p. 155, *modus*, pro *ratione* (*medium* vulgo vocant) *rei cuiusquam perficiendae*. At hoc significatu pluraliter adhibuisse videtur Lucretius V. 67, *Et quibus ille modis congressus materiai Fundarit coelum*, etc. et v. 74, *Et quibus ille modis Diuum metus insinuarit Pectora* — Rectius mea sententia *modus* pro *rei mensura* aiunt *fine* dixisset; quod nusquam nisi singulariter, ut contra *modi* pro *versibus* aut *numeris musicis*, nusquam nisi pluraliter, legisse me memini. ¶ His denique ediicit, teste Despauterio, Lancilottus, *Orcus*, *Erebus*, *arrhabo*, *halo* et *bolus*: at ex his duo priora quasi propria sunt: reliquis, si plura notentur, pluralis necessarius est: *bolus* etiam eo in numero utitur Plautus Pers. IV. 4, 106.

32) *Plebes urbanae*, in l. 3. Cod. de Feriis, et *coronam plebium*, ap. Prudentium in vit. Romani, v. 709, legi Vossius notat. Columella etiam de apibus loquens, IX. 11. *duae* dixit *aut tres alveorum plebes*. At de *populi vulgo* non aliter quam singulari apud bonos auctores reperies.

33) *Alternas lues* habet Prudentius, π. στεφ. II. 222. Vid. interim quae de hac voce supra notavimus ad reg. 15. n. 78.

34) Vid. supra cap. hui. reg. 3. n. 10.

35) *Salutes* vulgatus Interpres Psal. XVIII. 51, eumque imitatus Mars. Ficinus dixerunt, notante Vossio Anal. I. 40. Sed Charisii, qui plurali privat, potior auctoritas.

Digitized by Google

Rarius plurali reperiuntur, *talio, cholera, fames, pax, gloria, tellus, bilis, cutis, quies, pituita, labes, pix, fama, soboles* et *proles, indoles* [37]), [38]).

---

36) Sic *vesper, vesperugo*, et (de quo dictum) *Hesperus*, ideo singularia, quod de una re tantum dicantur; proprie enim *stellam Veneris* significant post Solis occasum visam; quemadmodum et eadem tempore matutino *Lucifer* appellatur, ob eandem rationem plurali destitutum.

37) *Taliones* et *talionum* Gellius XX. 1. * *Choleris* et *choleras* (sed de morbo) Plin. XX. 12. §. 48. et 14. §. 52. et §. 58. et XXII. 25. §. 70. * *Paces* Plaut. Rud. I. 5, 1. Lucret. V. 1229. Horat. Epist. I. 3, 8. et Epist. II. 1, 102. Sallust. Iug. 35. et ap. Cledon. col. 1898. et Varro de vit. pop. Rom. ap. Non. II. 621, eosque secutus Buchanan. noster Psal. LXXII. 7. Plaut. etiam *pacibus perfectis* dixit Pers. V. 1, 1. * *Gloriae, gloriarum* et *gloriae*, Plaut. Truc. IV. 4, 36. et Mil. I. 1, 22. Tacit. Anal. III. 45, 4. Gell. I. 2. et Eumen. Orat. pro restaur. Schol. c. 6. Addunt Vossius, Methodista Gallus et Walkerus illud Cic. pro Planc. c. 24, *Etenim honorum gradus summis hominibus et infimis sunt pares; gloriae dispares.* At rectius, me iudice, *gloriae* hic cum Iohnsono, genitiv. singul. positum dixeris: unde et in Gronovii editione *gloriae, dispares*, commate interiecto, legitur. * *Tellures* Cor. Gallus ap. Vib. Sequestr. de Flumin. p. m. 45. * *Biles* pro morbo (ut videtur) Plin. XXVI. 8. §. 46, at pro *humore corporis* sic dicto, aut *ira*, vix alio quam singulari reperies. * *Cutes* Plin. VI. 31. Solin. cap. 70. Adfert quoque Iohnsonus illud Propertii IV. 5, 62, *Per tenues ossa sunt numerata cutes:* at hunc versum tanquam spurium obelisco configunt meliores Interpretes: *cútibus* autem habent non tantum Aurelian. Chronic. I. 4. p. m. 315. et Arnob. lib. II. extr. sed etiam Plin. VII. 2. et XI. 37. * *Quietes* Lucret. I. 406. *quietibus* Cic. Offic. I. 29. * *Pituitas* Plin. XX. 14. §. 53. et 17. §. 73. et XXIV. 10. §. 45. et 11. §. 61. et XXVI. 10. §. 62. et Pallad. I. 28. * *Labes* plur. Cic. Offic. III. 21. Gell. I. 2. Arnob. lib. II. et IV. Symmach. Epist. VI. 7. Buchan. Psal. LI. 10. * *Pices* Virg. Geo. III. Plin. XIV. 20. et XVI. 12. * *Famas* [*stante* Vossio] Plaut. Trin. Sallust. Fragm. VI. 2. eumque imitatus Arnob. lib. VII. et ante eum Aruntius, quem eo nomine damnat Senecae Epist. 114. * *Soboles* plur. Cic. de leg. III. 2. Plin. XI. 11. Colum. IX. 14. et X. v. 213. et de *novellis ramulis* loquens, IV. 29. et de Arbor. c. 5. Gell. XIX. 12. et Pallad. Novemb. t. 7. de *pruno*. Neque hoc significatu *sobolibus* refugit Colum. V. 6, quanquam id a se lectum neget Despauterius. * *Indoles* plur. Gell. XIX. 12. * *Proles* plur. Colum. X. v. 163; *prolum*, ut alibi diximus, Mart. Capella.

38) Praedictis addunt veteres aliique Grammatici, *Arena, barba*, [de bestiis plurali tantum dici volunt:] *contagio, culpa, fuga, galla, gaza, hara, ira, lux, mors, pestis, sors* (pro *sortitione*) *strues, tussis, vis, vita* (ut, *alnus, nax*, abstracta aliaque prius memorata omittam:) quarum fere omnium frequentem satis ex optimis auctoribus usum, Voss. Anal. I. 40. Carmich. p. 38. Ursinus, p. 101. Iohnsonus, p. 156. et alii, eruerunt. ¶ Lancilotto denique, referente Despauterio, tantum singularia sunt, *Luna, mastix, inquies, olivitas*, pro *tempore legendarum olivarum, autumnitas*, pro *proventu autumni, spatha*, pro *instrumento pharmacopiolarum, ira*, pro *fune* quo navis ad terram religatur. At *Lunas* habet Claudian. XVIII. 6, eadem ratione qua *Soles*, Liv. XXVIII. *olivitates* Colum. I. 1. *spathis* et *oris* de pluribus dicenti necessario utendum: posterius quo-

Digitized by Google

Neutra *nunquam vel raro pluralia.*

20. Insuper haec numerum renuunt prope neutra secundum:

Sal, iubar et *nihilum, virus, pus,* atque *veternum, Iustitium, foenum, sabulum, seniumque, lutumque, Ver, ebur,* atque *penum, lethum,* cum *glutine, viscum.*

Adde *salum, glastum, nitrum, nil, nectar, omasum, Maneque, prolubium,* simul et *diluculum,* et *album,* Atque *gelu, tabum, pelagus* quoque, *vulgus* et *hilum,*

Zinziber atque *hepar, gypsum, coenumque, vitrumque,*

Cumque *croco lardum, piper,* et cum *felle barathrum.*

Haec neutra denique nunquam vel raro in plurali usurpantur: *sal*[39]), *iubar, nihilum, nihil* et *nil, virus*[40]), *pus*[41]), *veternum* vel *veternus, iustitium, foenum*[42]), *sabulum* vel *sabulo,* masc. gen. *senium*[43]), *lutum*[44]), *ver,*

---

que habet Liv. XXII. 19. et XXVIII. 36, priore etiam, (sed pro gladiis, ad eius similitudinem, latioris generis), Tacit. Anal. XII. 35, 5. *Olivitas* quoque et *autumnitas* inter abstracta, *mastix* inter liquida referri possunt: de *inquies* reg. 10. diximus. ℣ Potiori iure huc referri possunt, *adorea, fors, propago* de prole humana; *ravis, requies,* et *prosapia. Prosapias* quidem *veteres* ex Catone de origin. citat Nonius I. 348: plurali carere volunt Charis. col. 19. et Diomed. col. 814. Cicero vero de Univ. II. antiquatum etiam in singulari notat vocis usum; Quintil. Inst. VIII, 3, insulsum existimat.

39) *Sales* masc. pro *facetiis,* plurali quam singulari usitatius; pro *condimento* autem *ciborum* frequentius singulari: at *sal* neutrum singulari raro, plurali nunquam usurpatur.

40) *Virus* tres tantum similes casus singulares habere Probus aliique e veteribus statuunt: at *viri* et *viro* inde Lucretius deflexit. Vid. supra reg. 12. n. 78. Iohnsono autem ablativum quoque pluralem ei tribuenti, Addit. p. 88. imposuit prava Statii, Theb. VI. 886, editio, in qua — *omnis In viris adducta Venus* — legebatur: at illic *in vires* melioribus editum, quod et necessario sententia ipsa deposcit.

41) *Pura* tamen in plur. extulit Plinius, multis in locis, ut XXVIII. 6. *aurium pura,* et XXIV. 16, *pura execrantibus:* adde XXX. 9. et XXXV. 6. et confer supra reg. 12. n. 78.

42) *Foena* plurali utitur Pallad. Mai. t. 1.

43) *Senium* quoque inter abstracta censeri potest.

44) *Luta* ex Cicerone Nonius III. 132. ex Caesare Caper, col. 2244 proferunt.

Digitized by Google

ebur [45]), *penum*, *-ni*, et *penus*, *-noris* [46]) tertiae, *lethum*, *gluten* et *glutinum*, *viscum*, *salum*, *glastum*, *nitrum*, *nectar*, *omasum*, *mane* [47]), *prolubium* [48]), *diluculum*, *album*, *gelu*, *tabum* [49]), *pelagus* [50]), *vulgus* [51]), *hilum*, *zinziber* [52]), *hepar*, *gypsum*, *coenum*, *vitrum*, *crocum* [53]), *lardum* [54]), *piper*, *fel* [55]), *barathrum* [56]).

---

45) *Ebora* plurali dixit Plin. XIX. 5. §. 26, extr. et XXXVI. 2. princ.

46) *Pena* nusquam dictum: *penora* autem Festus in voc. et Colum. non semel utitur. Vid. eum XII. 4. ubi ait, *ne situ penora mucorem contrahant*: et paullo post, *cum ea res innoxia penora conservet*: et in lemmate cap. 2. eiusd. lib. *tractare penora*, et cap. 4. *parare vasa penoribus*. Adi sis et Gell. de hac voce disserentem IV. 1. et supra cap. 1. reg. 38. n. 71. * Finckium et Helvicum, qui *sala* ap. Virg. legi aiunt, plane falli Vossius observat.

47) *Mane*, ut alibi docuimus in nominat. accusat. et ablat. singul. tantum reperitur: quo postremo casu *mani* etiam Plant. Most. III. 2, 80, extulit.

48) *Prolubium* in nom. solum et accus. sing. Iohnsonus legi tradit, p. 118 et 119.

49) De hac voce vid. supra reg. 10. n. 55.

50) *Pelage* plur. Lucretius utitur, V. 86, et VI. 619, itemque (si recte se habet Meursii lectio) Catullus LXI. 16: at hoc potius a Gr. πελάγεα, contracte πελάγη, quam a Lat. *pelagus* descendere videtur. V. cap. 2. reg. 8. Profert autem ex Cicer. de Fin. II. 4, *de pelagis omnibus*, Despauterius: at pro eo in emendatioribus *Pelasgis* repositum est.

51) *Vulgi* plur. ex corrupto Cic. loco Nat. Deor. III. 17, [*Saturnum vulgi colunt*] adfert Despauterius: pro quo meliores libri (quod Vossius monuit) *vulgo* habent.

52) *Zinziberi* potius aut *xinziberis* dicendum notavit Vossius vit. serm. I. 12.

53) *Croci* quidem et *crocos* plurali ap. Ovid. Met. IV. 393. Fast. IV. 442. Propert. IV. 16. et Juven. VII. 208. a *crocus*, m. g. reperies; at *croca* nusquam. *Crocis* quidem, pro *luteis illis apicibus* in medio lilio nascentibus, utitur Plin. XXI. 5: an id vero a *crocum*, anne a *crus cris*, deflexerit, haud satis certum.

54) *Larda* tamen *pinguia* dixit Ovid. Fast. VI. 169.

55) *Fel*, pro *mordacitate* aut *virulentia*, plurali vix reperitur: at pro *parte corporis*, quae primaria est vocis significatio, pluralem, si de pluribus sermo sit, recte adhiberi existimat Iohnsonus, p. 181.

56) Multa alia veteres novique Grammatici huc ingerunt plurali destituta; *aevum*, *allium*, *altum*, *callum*, *caelum*, *delicium*, *fascinum*, *gaudium*, *kalec*, *ingenium*, *lac*, *macellum*, *marmor*, *melos*, *murmur*, *pedum*, *robur*, *rudus*, *rus*, *scrupulum*, *solium*, *solum*, *siler*, *siser*, *sinapi*, *sulphur*. Verum in horum plerisque frequentem satis plurativi usum, Vossius, Iohnsonus aliique indagarunt. * *Aevis* enim dixere Ovid. de Pont. I. 3, 88. Met. II. 649. Plin. XIV 1. XVI. 2, 35 et 44. XVII. 18. et XXIV. 5. *aevorum* Hieron. in 1 lib. Esdrae. * *Tranquilla per alta* Virg. Aen. II. 208. *scix. maria.* * *Callis* utitur Sueton. Aug. 80. * *Fascinis* Plin. XXVI. 10. * *Gaudia* Poetis tritissimum, *gaudiis* etiam habet Cic. Ca-

Digitized by Google

Singulari *in universum carentia.*

21. Multa tenent solos plurales nomina casus
Festa, libros, urbes, ludos signantia: iungi
Cardineus vult his numerus quoque, distribuensque:
Quem *pauci, plerique* gregem comitantur et *ambo.*

---

til. I. 10. * *Ingenia, ingeniorum* et *ingeniis*, eidem Ciceroni frequentia, Div. I. 38, extr. pro Arch. 8. Orat. 15, etc. Sic et Quintil. Inst. I. 3. Plin. N. H. quamplurimis in locis, et alii. * *Marmora* utuntur non tantum Poetae, Horat. Car. II. 18, 17. et IV. 8, 13. Ovid. Met. VI. 312: et XV. 314. Iuven. I. 12. Manil. II. 778. Stat. Sylv. I. 3, 86. Claudian. XX. 360. et *marmoribus*, Iuven. XIV. 90: et Lucan. X. 115. Sed etiam Oratores aliique: ut Quintil. Inst. V. 11. p. 445. Senec. Epist. 90: et Epist. 100, *varietae marmorum. Marmora* autem, *marmorum* et *marmoribus* habet Plin. XXXIII. 7, extr. XXXVI. 7, init. et XXIV. 17. §. 102, et multis aliis locis. * *Murmura* Poetis fere omnibus usitatum, Lucret. I. 724. Virg. Aen. IV. 210. Propert. I. 8, 5. Val. Flacc. I. 496. Ovid. Met. I. 206. Stat. Theb. I. 207. Iuven. X. 89. Pers. III. 31: item Plin. XXVIII. 7. *murmurum* autem et *murmuribus* vix puto inveniri. * *Robora* pro *viribus* Virg. Aen. VII. 610. Ovid. Met. XV. 229 et 421. Lucret. V. 818. V. Flacc. I. 553. Ciceronis etiam est pro Cluent. c. 56. *Illa robora populi Rom.* et ad Attic. VI. 5, *Haec sunt nostra robora.* * A *rudus* est *rudera* ap. Liv. XXVI. 11: et Prudent. Apoth. v. 725. et *ruderibus* ap. Rutil. Numat. Itin. I. 412. * *Rura* habent non tantum Poetae, quibus creberrimi est usus, sed etiam Cic. Offic. III. 1. Varro R. R. 1. 2. med. et Plin. II. 68, et pluribus aliis locis. De genit. et dat. plur. vid. supra reg. 13. n. 80. * *Sola*, pro *terris*, dixere Ennius ap. Festum, Lucret. II. 592. Virg. Geo. I. 80. Tibull. I. 5, 3. Catull. LXI. 7 et 40. Stat. Sylv. I. 1, 56. Theb. IV. 445. Theb. VIII. 391. et Theb. X. 471. Senec. Oedip. v. 434. Nemes. Cyneg. v. 8. et Avien. descript. orb. v. 272, 503, 999, et 1312. et Buchanan. Psal. XXXIII. 5, et LXV. 11. In prosa etiam ipse Cic. pro Corn. Balbo, c. 5. *sola terrarum ultimarum*, et orat. anteq. iret in exil. c. 10, ext. *Cuius nutu sola terrarum gubernantur:* ut praeteream Arnob. lib. II. *excavare alia telluris sola* dicentem. Qnin et eodem numero pro *plantis pedum* adhibuerunt Martial. X. 72. et Cic. cuius est Tusc. V. 32, *calceamentum solorum callum;* ut et Lactantii de Mort. Pers. c. 21, *Donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur.* Item pro *soleis, pavimentis*, aut similibus: ut *sola marmorea* ap. Cic. Parad. VI. et *sola horreorum* ap. Colum. I. 6. med. et *sola picta* ap. Prudent. contr. Symmach. II. 250. Ut plane mirum sit tot Grammaticos pluralem huic voci ereptum ivisse. ¶ Alia porro sunt ex eo genere vocabulorum, quae plurali prorsus carere, rerum ipsarum naturae et cuiusvis linguae genio repugnat: ut, *macellum, pedum, scrupulum, solium:* ut mittam haec omnia (excepto *pedum*, de quo dictum reg. 9. n. 41.) pluraliter apud optimos auctores reperiri. * *Macella ista* Memmium dixisse notat Caper, col. 2244. * *Scrupula* saepius habet Colum. V. 1 et 2: item Martial. IV. 89. al. *scripula.* * *Solia duo* Cato R. R. c. 10. *solia balinearum* Plin. XX. 21. *solia argentea* Id. XXXIII. 12. *soliis fictilibus* Id. XXXV. 12. ¶ *Allium* praeterea et *siser* (prius Virg. Ecl. II. 11. auctori Moret. v. 88. et Colum. X. v. 112. posterius Plin. XX. 5, plurali usitatum) ad herbas pertinent; *lac* ad liquida; forte etiam et *halec* pro *muria:* pro *pisce* autem, sive

Digitized by Google

Singulari generatim privantur,

1. Nomina festorum: ut, *Bacchanalia* [57]), *Quinquatria*, et *Quinquatrus* f. gen. [58]).

2. Multa nomina librorum: ut, *Bucolica, Georgica* [59]).

---

neutro, sive muliebri dicatur, de multis loquenti pluralis necessarius est; ut immerito culpatus sit eo numero utens Erycius Cordus, cuius propterea est hic versus Epig. lib. II. *Quod tres haleces dixi, me, Sexte, reprendis.* ¶ De *coelum, delicium, melos, sinapi*, aliisque in *I* nominibus, superius dictum h. cap. reg. 4, 6, 8 et 12. ¶ Huc autem recte a Iohnsono referuntur (praeter *diluculum, mane, omasum, prolubium, veternum, piper* et *zinziber* a nobis in regula proposita) *balaustium* et *opium* semper singularia: rarius item pluralia *exitium, odium, omentum*. ¶ *Silera* de multis dici posse idem affirmat; perstringitque non satis ex merito Vossium, eumque secutos Methodistam, Leodium, etc. *siler* inter nomina tantum singularia reponentes: ita enim ante eos docuerant Charisius, col. 19. Diomedes, col. 314. [uon *silex*, ut vulgo editum,] Despanterius, p. 104, etc. ut tutius plurali abstineri putem. ¶ His addunt Nebrissensis, Despauterius et alii, *ador, hir, fas, nefas, instar, necesse* et *necessum*, de quibus supra egimus, reg. 9, 11 et 12: item *manna, mammona* et *pascha*, voces peregrinas. *Manna* autem, cum panis vicem suppleret, ad frumenta reg. 17, referri potest. *Mammona* vero, sive *Mammonas*, proprie divitiarum Deus, ideoque plurali privatum censebitur. *Pascha* denique, ex Vossii (ut reg. sequenti notatum) sententia, pluralem admittit. ¶ His porro annumerat idem Despauterius *spicum*, antique pro *spica*, et *sinum* (al. *sinus*) pro *vase ventrivoso*, parum usitatum, utrumque vero pluralis naturaliter capax. Postremo adiiciunt *meditullium, terracium, epityrum, saccarum, minerval, agaricum, illicium, abdomen, amen, temetum, vervactum, papyrum, capital, specimen, uber* pro *copias* de quorum omnium plurali haud ita facile est nunc statuere. Vid. Despaut. p. 108.

57) Haec natura adiectiva sunt: quibus *Festa* intelligi oportet. Caeterum iunctim *Agonale festum, Bacchanale festum*, dici posse docet Macrobius, Saturn. I. 4. Plautus etiam *Bacchanal facere* Mil. III. 2, 44: et *Bacchanal exercere* Amph. IV. 2. suppos. 12 et 15, in singulari dixit: et Sueton. Aug. 31, *sacrum Lupercale*.

58) Excipe *Pascha* et *Pentecoste*, quanquam Vossius Anal. I. 41, *tria paschata*, vel potius *paschua*, Chronologis dicere permittat. Confer cap. 1. reg. 16. n. 75.

59) In his, quae etiam adiectiva sunt, *opera, Βιβλία, praecepta*, vel tale quid, animo concipiendum: quemadmodum in *Annales* intelligitur *libri*: At de horum uno loquentes, non singulari modo, sed eo forsan rectius, *primo annali*, quam pluraliter *primo annalium*, utemur. Ita enim Cic. Attic. XII. 23, *Sceiptum est in tuo annali*: et de clar. Orat. c. 15, *Apud Ennium in nono (ut opinor) annali*. Nepos XXIII. 13, *Atticus in annali suo scriptum reliquit*. Plin. VII. 28, *Ennius — propter eos sextum annalem adiecit*. Et Gell. I. 7, *Centesimo quinquagesimo Quadrigarii annali*: et II. 2, *Ex annali eius sexto*. Eodem fere pacto, idem Cic. Offic. II. 24, *Xenophon in eo libro qui Oeconomicus inscribitur*: et Colum. XII. 1, *In Oeconomico Xenophon*: et Id. VII. 5, *Georgicum carmen*, dixere. Caeterum Poematum nomina; ut, *Aeneis, Thebais, Thesеis, Achilleis, Ilias*, feminina fere et tantum singularia sunt. Vid. supra reg. 17. n. 14. [Ad. Ἰλιὰς, Ὀδυσσεία etc. supplendum est ποίησις. Vid. Franckii Callinum p. 171. G. St.]

Digitized by Google

5. Nomina ludorum: ut, *Apollinares, Olympia*[60]).

4. Multa urbium nomina: ut, *Philippi, Syracusae, Sardis* vel *Sardeis*[61]), *Hierosolyma*[62]).

5. Numeri cardinales omnes (praeter *unus* et *mille* substantivum)[63]) ut, *duo, centum.*

6. Numeri distributivi plerumque: ut, *singuli, bini, deni*[64]).

7. Quibus denique adde, *pauci, plerique*[65]), *ambo*[66]).

---

60) In hoc *ἀγωνίσματα*, vel *certamina*, in illo *Ludi* intelligendum, et ita in aliis.

61) Quare haec propria urbium nomina plurali efferri consueverint, rationem vide ap. Sanctium Minerv. I. 7, sub fin. et Vossium Anal. 1. 33, init.

62) Ex his quaedam singulari, licet rarius, inveniuntur: ut, *Hierosolyma, -orum*, et *Hierosolyma, -ae; Mycenae*, et *Thebae, -arum*; vel *Mycena, Thebe, -ae* et *-es*. Sic Tac. Hist. V. 10, 4, *Hierosolymorum maenia*. Ibid. II. 7, *Conditae urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse*. Virg. Aen. VI. 839, *Erud ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas:* et Aen. V. 52, *Argolicove mari deprensus et urbe Mycenae;* al. *Mycena*. Iuven. XIII. 27, *Thebarum portae*. Id. XV. 6, *Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis*. Stat. Theb. IV. 610, *Tyriae dux inclytae Thebes*. Vid. et Priscian. col. 663.

63) Vid. supra hui. cap. reg. 8. n. 33.

64) Apud Poetas, et qui his dictione proximi sunt, Historicos, numeri distributivi pro cardinalibus positi, saepe singulariter inveniuntur: ut, Lucan. VIII. 445, *septeno gurgite*, pro *septem gurgitibus*. Virg. Aen. X. 207, *centenaque arbore fluctum Verberat*, pro *centum arboribus*, vel *remis*. Plin. XVII. 23, *quadrageno* — et *viceno spatio*, et XXVI. 10, *septuageno coitu*. *Singulus* etiam, licet id negent Charisius, col. 20. Priscianus, c. 591, et alii, singularem habere ex gemino Varronis loco probat Nonius II. 787; item ex illo Plauti, Cistell. IV. 2, 34, *Atat singulum video vestigium:* nisi mavis hic *singulum* pro *singulorum* positum. *Singulum* autem numerum pro *singularem* dixit Gellius XIX. 8: et XVIII. 13, *nummo singulo multabatur:* item Terent. Maurus de Syllab. v. 1072, *Sextuplo vel una vincet alterius singulum:* et Augustin. Doctr. Christ. I. 5, *Singulus quisque horum Deus, et singulus quisque horum plena substantia*. Confer Voss. Anal. I. 42: et Laur. Vallam Eleg. III. 5.

65) Veteres *plerus, plera, plerum*, absque adiectione, singulari utebantur: unde adverbium *plerumque*. Gellius etiam IV. 9, extr. *pleraque historia* dixit: et IV. 11, *pauca carne*, et Hyginus Fab. 194, *Post paucum tempus*.

66) *Cuncti, reliqui* et *caeteri*, quae his significatione affinia videntur, singulari frequentia sunt. * Porro ad numerum distributivum referendum est *quoteni* (rarum inventu vocabulum, quodque bis tantum se reperisse Saturnius ait, Merc. mai. V. 16.) ad numerum autem cardinalem *tot, quot*, eorumque composita, de quibus reg. 9. *Uter, uterque, utervis, uterlibet; alter, neuter, alteruter* (quae ad numeros itidem spectant) in singulari de duobus (ut ita loquar) individuis; in plurali de multis in duas partes divisis, adhibenda sunt.

Digitized by Google

Masculina *nunquam vel raro singularia.*

22. Haec etiam numero spoliantur mascula primo:
*Cancelli, manes, Lemures, fastus*que, *minores,*
Maiores, fasces, natales, posteri et *antes,*
Atque *pugillares, superi;* cum *codi*que*cillis,*
Furfuribus, cani, Luceres, simul *inferi* adhaerent:
Et, quibus est rarus numerus prior, ista: *penates,*
Ac *proceres, sentes, vepres, casses*que, *fori*que,
Et cum *coelitibus fines* quoque, *liberi* et *artus.*

Vix unquam in singulari reperiuntur [67]) haec nomina masculina: *cancelli, manes, Lemures, fastus* vel *fasti* [68]), etc. *maiores, minores, fasces, natales* [69]), *posteri, antes, pugillares, superi, inferi* [70]), *codicilli, furfures* [71]), *cani, Luceres* [72]), [73]).

---

67) Apud probos auctores intellige, quorumque exemplum tuto liceat imitari. Aliter enim *Manem* Apuleius, de Deo Socrat. p. 689: et *Mani* Cato R. R. c. 141, utuntur. *Lemurem* etiam dixit idem Apuleius Ibid. p. 688: et *maior meus Socrates,* Florid. §. 2. p. 759. *Superus* et *inferus,* expressa voce *Deus,* citat ex Liv. Andron. Priscianus, col. 606. Adfert denique ex Cicerone Charisius, col. 20, *Fascem unum si nactus esses.* At *fascem* hic de *imperii insignibus* dici, mihi haud satis exploratum videtur.

68) Item *fasti* eadem significatione, et paulo frequentius, in quo *libri* reticetur. At *fastus dies,* ut et *nefastus,* singulari trita sunt.

69) Pro *generis conditione* tantum plurale, pro *die nativitatis* etiam singulare.

70) Multa eorum quae hic memoravimus, natura adiectiva sunt: nam in *maiores, minores* et *posteri,* intelligitur *homines;* in *superi* et *inferi, Dii;* in *cani, capilli;* in *pugillares, libri.*

71) Pro *purgamento farinae* singulari saepius usitatum: interdum etiam plurali: ut Colum. R. R. VIII. 4, *Furfures e farina excreti.*

72) Sic *Rhamnenses,* seu *Rhamnetes,* et *Tatienses,* duae aliae tribus, in quas (praeter *Luceres*) totus populus Rom. tempore Romuli dividebatur. Dubitari autem potest, an in illo Propertii IV. 1, 31, *Hinc Tatios* [sive ut Broekhusius legit, *Tatios*] *Rhamnesque viri, Luceresque coloni, Tatios* et *Rhamnes* plurali sint, an, ut Schmidius opinatur, singulari posita.

73) In hanc classem referri possunt, (1) *Menses,* pro *menstruis muliebribus,* etsi Plin. XVII. ult. *ambiri arbores a muliere incitati mensis,* in singulari dixerit. (2) *Foci,* pro *sedibus patriis.* (3) *Freni,* quia non dicitur *frenus,* sed *frenum.* (4) *Horti,* pro *locis arboribus* ad voluptatem consitis. Vid. Vallam Eleg. III. 9. (5) *Loci muliebres, ubi* (ut ait Varro) *nascendi initia consistunt:* quo etiam significatu Columella dixit *loca* R. R. VIII. 11. (6) *Pantices,* pro *intestinis pelliculatis* sive *abdomine,* ap. Plaut. Pseud. I. 2, 51: et Martial. VI. 64, 19. Invenitur autem in vet. gloss. singulari *pantex:* et ap. Tibull. in Priap. legit Ios. Scaliger, *Latet incenso pantice abditus specus.* Vid. eius Comment. ad Virg. Append. p. 477. (7) *Ludi,* pro *publicis spectaculis.* (8) *Aborigines,* vetus Italiae populus. (9) *Turi,* pro *carnosis* et *pulposis* animalium *partibus.*

Digitized by Google

Rarius singularem admittunt, *penates* [74]), *proceres, sentes, vepres, casses, fori, coelites, fines, liberi, artus* [75]).

---

74) *Penas* vel *penatis* in recto sing. agnoscit Festus, eodemque teste, Labeo Antistius. Penas quoque in vetere Inscriptione vidisse se ait Dion. Halicarnassensis, Antiq. Rom. I. 68, ut Livium praeteream, quem XXVIII. 18, *sub eodem penate*, dixisse, post Car. Sigonium existimat Vossius: quamvis Gronovio aliter hic legatur. * *Procerem* habet Iuven. VIII. 26. * *Sentem* Columella XI. 3. et *sentis* Prudentius contr. Symmach. II. 1042. * *Veprem* idem Columella, d. l. et Plin. XIII, 21. *vepre* Ovid. Met. V. 628, et (si Bentleio credimus) *vepris* Horatius, Car. I. 23, 5. * *Casse* Senec. Agam. v. 893. * *Foro* Ennius ap. Isidor. orig. XIX. 2. et Gell. XVI. 19. de Arione, *Stans in summo puppis foro.* * *Coelitem* Tertullianus, de Pall. IV. *coelite* Ovid. de Pont. IV. 6, 17, et Ibid. IX. 131. * *Finis* et *finem* eo significatu Horat. Car. I. 34, 11. et Sat. II. 1, 35. *fine* Mela I. 2, extr. * *Liber*, etiam pro *filio*, habet Quintil. Declam. II. 8, init. et Aur. Victor in Nerva, *Traianum in liberi locum et in partem imperii adoptavit.* Sic Iustinianus Inst. III. 7, pr. *Si quis — liberum vel liberos habuerit*: et Cod. III. 28, 33, pr. *Si quis maximam portionem libero relinquat*: et Cod. V. 9, 8. §. 5. *In sua potestate talem liberum vel liberos relinquens.* Ut taceam Ovid. Met. I. 767, *En ego liber*: quem locum alii aliter legunt et interpretantur. Sed et *liberos* pluraliter de uno dici observat Gellius II. 13. Donatus ad Ter. Heaut. I. 1, 99. et Hecyr. II. 1, 16. Bad. Ascens. ad Vall. Eleg. III. 8. Goclen. Probl. Gram. II. 54. Iohns. App. p. 187. Et D. Augustinus Civ. Dei, XVI. 40. *Latinae* (inquit) *linguae consuetudine* liberi *dicuntur pluraliter filii, etiamsi non sint uno amplius.* * *Artus* denique in sing. utitur Lucanus VI. 754, *tunc omnis palpitat artus*: et eius exemplo Priscianus, col. 1219, *ab armo artu corporis* dixit.

75) Alii, sed minore cum ratione, his addunt, 1. *Annales.* 2. *Carceres*, pro *septis* quibus emittebantur equi ad certamina. 3. *Gemini*, pro *duobus fratribus uno partu editis*, ut et *trigemini* pro *tribus.* 4. *Grumi.* 5. *Indigetes.* 6. *Lares.* 7. *Loculi.* 8. *Lumbi.* 9. *Primores.* 10. *Sales*, pro *facetiis.* 11. *Spiritus*, pro *animi elatione*: item, 12. *animi*, pro *magnanimitate* vel *audacia.* 13. *Amores*, pro *turpibus* et *Venereis.* 14) *Magistratus*, pro *populi praesidibus.* 15. *Pisces*, pro *signo coelesti.* Quae omnia, usu ferente, singularem admittere, ex optimis auctoribus Vossius Anal. I. 42. Methodi auctor, p. 181. Ursinus, p. 108. Iohnsonus, p. 184. et Carmichael, p. 38 ostenderunt. Addunt porro *nummi* pro *pecunia*; *panni* pro *laceris* tritisque mendicorum *vestimentis*; *odores*, pro *odoramentis*; *triplices*, pro *pugillaribus* trium foliorum: quae (aliter singulari satis frequentia) hoc ideo sensu pluralem sunt adepta, quod multae istiusmodi res simul intelliguntur. ¶ Adiiciunt praeterea nomina in *ates*; ut, *optimates, summates, infimates*; et sequioris aetatis *primates, magnates*, etc. omnia natura adiectiva, ac singularem, licet rarius, admittentia. *Optimati* enim Cicero ad Attic. IX. 7. *optimatem* Cael. ap. eund. ad Attic. X. sub Epist. 9. *Summas, summatis* et *summatem*, Apul. Met. XI. p. 272 et 285. Met. IV. p. 126. Met. XI. init. Symmach. ad Auson. Epist. I. 31. Ammian. Marcell. XIV. 6. et Sidonius Epist. IX. 6. *Infimatis* Plautus Stich. III. 2, 37. ¶ Addunt denique quaedam hominum et populorum propria; ut, *Cares, Seres, Quirites, Samnites, Numades, Garamantes, Acarnanes, Libes, Corybantes*, etc. At haec, ut naturaliter, si de uno horum dicantur, singularem requirunt; ita auctores eum numerum, re sic postulante, non refugerunt. Sic *Cares* C. Nep.

Digitized by Google

Feminina *nunquam vel raro singularia.*

23. De grege femineò sunt haec pluralia tantum:
Excubiae, *tenebrae*, *Nonae*, cum *lactibus*, *Idus*,
Quisquiliae, *thermae*, *scopae* quoque, *relliquiae*que,
Feriae et *exsequiae*: cum *cunis*, *divitiis*que,
Exuviae, *induviae*, *gerrae* iungantur, *opes*que,
Atque *facultates*, *dirae*, *scalae*que, *plagae*que.
His *apinas*, *tricas*que, *minas* superadde, *Kalendas*,
Insidias, et *vindicias*, et pauca locorum
Nomina, *primitias*, *fortunas*, atque *salinas*,
Inducias nectens: numero neque *nundina* flecti,
Nuptiae ve invenies, aut *nuga*, *manubia* primo.
Quem tamen interdum capiunt *decimae*que, *fores*que,
Praestigiae, *salebrae*, *fauces*, et *literae*, et *aedes*,
Atque *operae*, *phalerae*, *bigae* cum fratribus, et cum
Factio signatur *partes*, *Charites*, *scatebrae*que:
Pluraque quae melius referet tibi sermo solutus.

XIV. 1, *Ser* Sidonius Car. V. 48. *Quiritem* Horatius et alii. Vid. reg. 14. n. 90. *Samnis* Cic. Offic. II. 21. et Lucil. ap. eund. Tusc. II. 16. et *Samnitis* Prudent. contra Symmach. II. 515. *Nomas* Martial. VIII. 55. et IX. 76. et Silius V. 194. et VI. 705. *Garamas* idem Silius locc. citt. Senec. Herc. OEt. v. 1106. et Hippol. v. 67. et Claudian. XXI. 255 et 355. et XLVII. 20. *Acarnan* Liv. XXXV. 18. Curtius III. 6, 1. et Grat. Cyneg. v. 133. *Libs* Sidon. car. IX. 94. et XV. 143. rectius *Libys* Sil. III. 701. IV. 471. IX. 181, et alibi. *Corybas* Claudian. VIII. 149. et XXXIII. 208, dixerunt. * *Etesias* quoque in sing. habet Plin. XVIII. 34, quamvis *Etesiae* quibusdam tantum plurale existimetur. * Quod autem *Lendes* singulari privent nonnulli, ratione prorsus absonum videtur, nisi et de uno horum loqui Latinis interdictum dicatur. ¶ Miror autem accuratissimum Iohnsonum, *mores* in *sensu morali*, h. e. ut ego interpretor, pro *virtutibus aut vitiis* acceptum, p. 188. et *amores*, pro *homine amato* (ut in illo Cicer. Phil. VI. 5, *Sed redeo ad amores deliciasque nostras L. Antonium*) p. 184, singulari privare. Prius enim eo sensu singulariter adhibuisse videtur Horat. Epist. II. 2, 131, *Caetera qui vitae servaret munia recto More*: et Car. IV, 5, 21, *Mos et lex maculosum edomuit nefas*. Clarius Cic. Phil. II. 28, *Quid enim unquam illa domus viderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more, et sanctissima disciplina*: et (ipso fatente Addit. p. 41.) Senec. Epist. 97, *negligentia boni moris*. Posterius quoque eopte significatu singulare est Ovidio Met. I. 450, *Primus amor Phoebi Daphne Peneia*: et Virg. Ecl. VII. 21, *Nymphae, noster amor, Libethrides* et Aen. IV. 17, *Postquam primus amor deceptam morte fefellit*. Ut taceam vulgatum illud de Tito Vespasiano, qui *amor et deliciae generis humani* est dictus, Sueton. in vit. eius, c. 1.

Digitized by Google

Haec feminina vix unquam in singulari leguntur [76]): *excubiae, tenebrae, Kalendae, Nonae, Idus, lactes, quisquiliae, thermae, scopae, reliquiae, Feriae, exsequiae, cunae, divitiae, exuviae, induviae, gerrae, opes, facultates, dirae, scalae, plagae, apinae, tricae, minae, insidiae, vindiciae, primitiae, fortunae* [77]), *salinae, induciae, nundinae, nuptiae, nugae, manubiae.* Item nonnulla locorum no-

---

76) Horum tamen nonnullis singularem, exemplo vix imitando, auctores dederunt. Nam * *tenebra* dixit Lampridius in Commodo. * *Lactis agnina* Titinnius ap. Priscian. c. 686. *Quisquilia* Novius vel Naevius ap. Festum in voc. * *Scopa* Charisius, col. 20. et vulg. Interp. Esa. XIV. 23. unde deminutivum *scopula* ap. Colum. XII. 18. et *scopa regia*, herbae nomen, ap. Plin. XXI. 6. * *Feria prima, secunda*, etc. Ecclesiastici Scriptores, licet id veteribus factum neget Gell. XIX. 8. * *Ope Barbarica* antiquus Poeta ap. Cic. Vid. supra reg. 14. n. 88. * *Scala* Cels. VIII. 15. [*super scalae gallinariae gradum traiicitur*] Gaius L. 54. §. 4. ff. de furt. [*Qui scalam sciens commodaverit*] et Phavorinus in Lexico, *Ἀναβολεύς, ἡ παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένη σκάλα.* Quod tamen damnat Quintilianus Inst. I. 5: et singulari meliores auctores abstinuisse ostendit illud Sallustii, Iug. 64, *Ubi unae atque alterae scalae comminutae.* * *Plagam* Cic. Offic. III. 17, *Sic tu aedes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas.* Modo enim praecesserat, *Suntne igitur insidiae tendere plagas*, etc. * *Nundina* vett. glossae, damnante tamen Gell. loc. proxime cit. Olim quidem in sing. dicebant *nundinum*, testante, ex Varrone, Nonio III. 145: unde *trinundinum* ap. Cic. pro dom. c. 16; et Phil. V. 3, vel divisim *trinum nundinum*: ut ap. Liv. III. 35, pr. *Comitia in trinum nundinum indicta sunt*: et Quintil. Inst. II. 4, *sive non trino forte nundino. Primum* quoque *nundinum* dixit Lamprid. in Al. Severo, c. 28, pro *primum nundinarum diem.* * *Reliquia pridiana* Apuleius Apol. p. 409. * *Facultas patrimonii* Paulus ICtus l. 12. §. 8. ff. de administr. tut. * *Vindiciam* legg. XII. tabb. et Serv. Sulpitius ap. Festum in voc. * *De insidia prima* Charis. ex Sallustio, col. 75. ℨ Not. 1. Ex his quaedam natura adiectiva esse: ut *dirae*, supple *preces* vel *imprecationes*; *salinae*, intelligo *tabernae*, vel potius *fodinae*; *reliquiae* et *primitiae* supple *partes*, quomodo Lucret. IV. 978, *reliquias vias*, vel, ut Gisanius edidit, *reliquias*, quatuor syllabis: et Ovid. Met. XII. 272, *primitium torrem*, dixerunt; *manubiae* supple *praedae* vel *partes.* Not. 2. Ex his nonnulla aliam significationem nacta singulari satis frequentia esse: ut, *Ops* deae nomen, et *opis* pro *auxilio.* V. supra reg. 14; *facultas* pro *copia* aut *potestate rei faciendae*; *plaga* pro *ictu* aut *mundi climate. Apina* et *Trica*, ignobilia Apuliae oppida, unde hae voces in proverbium sunt tralatae; *mina*, pro certo nummorum pondere, item pro *mamma lactis experte*, nec non pro *ove glabri ventris*; *Fortuna* pro Dea, *Nundina* etiam Deae nomen.

77) *Fortuna* pro opibus singulari usus videtur Horat. Epist. 1. 5, 12, *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* Apertius Cic. Amic. c. 16, *Spes amplificandae fortunae.* Quintil. VI. 1, *De fortuna quoque, quo uterque abundabat, addebat*: et Sueton. Iul. 65, *Militem neque a moribus, neque a fortuna probabat, sed viribus*, i. e. interpretante Casaubono, *a censu.* Pro *vitae* autem *conditione* aut *statu*, saepius quidem plurale, nonnunquam et singulare Iohnsonus observat, p. 196.

Digitized by Google

mina: ut, *Alpes*[78]), *Gades*, *Thermopylae*, *Esquiliae*, mons Esquilinus[79]), [80]).

Rarius etiam in singulari usurpantur, *decimae*, *fores*, *praestigiae*, *salebrae*, *fauces*, *literae*, *aedes*, *operae*, *phalerae*, *bigae*, et similia a *iugo* composita: ut, *trigae*, *quadrigae*, *partes*, pro *factione*, *Charites*, *scatebrae*[81]).

---

78) In sing. tamen *Alpem* Lucanus III. 299: et Iuven. X. 152. *Alpe* Ovid. Art. III. 150: et Claudian. XV. 82, et XXIV. 285. *Alpis* idem Lucan. I. 688: et ap. Liv. V. 34, *Ipsi per Taurinos saltusque Iuliae Alpis transcenderunt*, o suis exemplaribus legit Vossius; Cluverius Ital. antiq. p. 225, *inviae Alpis*. At recentius editis ex emendatione Rhenani *Ipsi Taurino saltu invias Alpeis transcenderunt*, repositum est. *Alpe* autem non carmine solum, ut Vossius notat, sed prosa etiam utitur Sidonius, Epist. V. 16

79) Sic *Lautumiae*, carceris Syracusani nomen; *Gemoniae*, locus Romae, quo damnatorum corpora tracta praecipitabantur: in hoc autem intelligitur, haud raro etiam exprimitur, *scalae*.

80) De nominibus urbium, quae a quibusdam huc referuntur, superius egimus reg. 21.

81) * *Decimam*, addito substantivo *partem*, habet Plautus Stich. I. 5, 81, intellecto Cic. in Verr. III. 40, 47, 48, 63: et Nat. D. III. 36, *Neque Herculi quisquam decumam vovit*: et Victor de orig. gent. Rom. c. 6, *decima pecoris*, *decima fructuum*. * *Foris* in nom. Plaut. Aul. IV. 5, 5, et Pers. III. 2, 5: et Terent. II. 3, ult. *foris* genit. Ovid. Heroid. XII. 150. *forem* Varro ap. Non. VI. 18. Plaut. Bacch. IV. 7, 35, et alibi saepius, Cic. Tusc. V. 20. Livius VI. 34, et XL. 2. Catull. LIX. 168. Ovid. Amor. II. 19, 38. de Pont. II. 2, 42. Apul. Met. IX. p. 298. Ablativo denique *fore* Horat. Sat. I. 2, 67. Ovid. Fast. II. 738. Apul. Met. 1. p. 19. IX. p. 298, et X. p. 336. * *Praestigiae* genit. sing. Quintil. IV. 1. * *Salebra* Cic. Fin. V. 28, V. Maxim. VI. 2, 5. Apulejus Met. 1, extr. * *Fauce* Ovid. Met. XIV. 738: et Heroid. IX. 98: et in Ibin. v. 549. Phaedrus I. 1, 8. Horat. Epod. XIV. 4. et Martial. VII. 87. * *Litera* pro *epistola* Poetae, praesertim Ovidius multis in locis: item Ciceronis est Verr. I. 35, *Nullam literam pupillo*, *nullam matri eius*, *nullam tutoribus reddidit*: et ad Attic. XIV. 16, *A quo adhuc nulla litera est*: (nisi forte augendae rei causa, *voculam* aut *elementum* intellexerit. V. Iohnson. p. 198.) * *Aedes* pro *templo*, singulari usitatissimum: at etiam pro *domo* eiusve parte aliqua Plaut. Asin. I. 3, 67. Mostell. II. 2, 44. et Poen. III. 1, 26. Horat. Car. I. 30, 4. Ovid. Heroid. XIV. 24. Iuven. III. 31. Gellius, IV. 14. et Iustinian. l. 3. Cod. de locat. conduct. adhibuerunt. Addit Alciat. Parerg. iuris VI. 10. (et post eum Iohnson. p. 192.) illud Curtii VIII. 6, 3, *Excubabant servatis noctium vicibus proximi foribus aedis*, *in qua Rex adquiescebat*: at pro *aedis* in Var. *sedes* scriptum testatur potiusque iudicat Freinshemius. Adfert quoque idem Alciat. d. l. ex Cic. pro Cluent. c. 28, *in aede T. Anii*: sed ibi *aedes* (quod et Freinshemius notat) non *aede* legitur. Quin et in secundo ex Plauti Mostell. a Iohnsono allato testimonio, *capitalis caedes facta est*, quidam, iique fere recentiores codices habent, licet altera illa *capitalis aedis* Gulielmio Taubmannoque verior scriptura videatur. Postremum denique ex eiusd. Poenulo *de aede sacra* sive *templo* dictum existimat Acidalius. * *Opera* pro servo Horat. utitur, Sat. II. 7, ult. * *phalera* sive *falera*, Plin. XXXIII. 1. §. 6, nisi malis neu-

Digitized by Google

Item alia quaedam, quae haud facile versu dicuntur: ut, *affaniae* [82]), *angustiae*, pro *inopia* aut *difficultate*, *argutiae*, *facetiae*, *furiae*, pro *furore*, *lapicidinae*, *minutiae*, *offuciae*, *parietinae* [83]), [84]).

---

trum plurale esse, ut Graecum φάλαρα. * *Biga* Statius Theb. I. 388. Sylv. I. 2. 45, et Sylv. III. 4, 46. Senec. Herc. OEt. v. 1520: item Suetom. Tiber. 26. Val. Max. I. 8. Plin. XXXV. 11; ut Capitolinum in Gordiano iun. et Cassiodorum lib. III. Var. ad Faust. de Circensibus, omittam. *Quadriga* Plin. VII. 21. XXXIV. 8. §. 6. XXXV. 10. §. 22. et XXXVI. 5. §. 9, 10 et 15. Gratius Cyneg. v. 228. Hygin. Fab. 61 et 250. Fulgentius Fab. 11. Ulpian. l. 29. ff. de verb. oblig. et (qui alibi has voces singularem habere negat) ipse Varro, V. Gell, XIX. 8. *Triga* denique (cuius in sing. nullum sibi succurrisse exemplum ait Iohnson. p. 193.) habet idem Ulpian. l. 38. §. 14. de aedil. edict. et vetus Poeta ap. Scaligerum ad Propert. III. 21, 15. * *Pars* pro *factione* in sing. usus est Cicero pro Deiot. c. 13, *Qui in altera parte fuisset:* ad Famil. X. 31, *Cum non liceret mihi nullius partis esse.* Livius XXXV. ult. *Qui Romanae partis erant:* et XLII. 29, extr. *Cotys, Odrysarum Rex, evidenter Macedonum partis erat.* Sic Ibid. c. 63, princ. Cic. pro Mil. c. 15: ad Famil. VIII. 17. Terent. Andr. II. 5, 8. Pro *munere* autem, sive *officio*, item pro *loco*, *gradu*, aut *ordine*, plurale fere semper adhibetur: ut Cic. Attic. VII. 26, *Partes meae non desiderabuntur:* pro Quintio c. 2, *partes accusatoris:* pro Flacc. c. 27, *Servus primarum partium.* Horat. Epist. I. 18, 14, *partes tractare secundas.* Hinc et *primae*, *secundae*, etc. absolute, intellecto *partes*, dicuntur: ut Cic. de Orat. III. 56, *Huic* [actioni] *primas dedisse Demosthenes dicitur*, *huic secundas*, *huic tertias.* Sic *primas tenere*, *primas alicui deferre*, *tribuere*, *concedere* ap. eund. Sic *ad tertias* (notante Iohnsono) ap. Plin. XX. 4, *Item ad tertias decocto eorum poto cum vino:* et XXIII. 6, *Succoque decocto ad tertias*, non *ad tertiam:* et ita in aliis numeralibus. Cicero tamen ad Q. Frat. I. 1, 15, pr. singulari dixit, *Etsi mea pars nemini cedit, fac ut tua caeteros vincat*, de reipub. administratione loquens. Et Plaut. Asin. III. 1, 14, *Et meam partem loquendi et tuam tradam tibi.* * *Scatebra* (quod miror Vossium Iohnsonumque siluisse) habet Plin. XXXI. 10, *Scatebra fonticuli semper emicante.* * *Charito* denique idem Plin. XXXV. 10, *Quam Graeci Charita vocant.*

82) Vid. supra reg. 10. n. 55. * Caeterum pro *angusto loci spatio angustia* singulari usurpatur, ut ap. Plin. IV. 11, et XIV. 6. Ciceronis quoque est Nat. Deor. II. 9, extr. *angustia orationis.* Citatur et a Rob. Stephano aliisque, ex eod. Partit. orat. c. 32, *angustia rei familiaris:* at in melioribus *angustiae* illic invenio. * *Argutia* utitur Gellius III. 1, et XII. 2: item Apul. Met. 1, init. et Pallad. lib. XIV. princ. * *Facetia* iidem Gellius III. 3, et Apulsius, Apol. p. 496. * *Furia* de una Eumenidum, aut homine furioso usitatum, mox dicetur. * In *minutiam* redigi dixit Seneca Epist. 90. * *Neque ullam aliam offuciam* Plaut. Mostell. I. 3, 107.

83) Adde, (1) *Arae* pro *religione;* ut, *Pro aris et focis pugnare.* (2) *Antiae*, i. e. *muliebres capilli* in frontem demissi, cui *comae* a Vossio intelligitur. (3) *Branchiae*, quo tamen singulari utitur vulg. interpres Tob. VI. 4. (4) *Fraces*, pro *siliquis oliuarum*, aut *olei feribus.* (5) *Flocci*, pro *feculis vini.* (6) *Lutinae* ap. Charisium, quem hac voce locupletavit ex MSS. Schottus Observ. Philol. I. 4. *Aedes* vel *officinae* in-

Digitized by Google

Neutra *nunquam vel raro singularia.*

24. Haec numeri spernunt casus neutralia primi:
Lautia, cum *transtris*, *bellaria*, cum *paraphernis*,
Et, cum *principiis*, *bona*, *tesqua*, *crepundia*, *scruta*,
*Castra*que cum sociis, *lamenta*que, *munia*, *flabra*,
Et cum prole sua *cunabula*, *Gargara*, et *exta*.
*Acta*que, *iusta*, simul *praecordia*, *lustra* ferarum,
Et populi coetu celebrata *comitia*, quaeque
Terruerant avidos cum prole *Ceraunia* nautas,
*Arma*que cum *rostris*; flexu varianda secundo
Omnia: sed terno *sponsalia*, *moenia*, iunctis
Ilibus, et *brevibus*, *magalibus*. Insuper addunt
Plurima doctores, quorum vel rarior usus
Cernitur, aut numerum capiunt quandoque priorem.

---

telligi credit Vossius. (7) *Secundae*, pro *foetus* in utero *involucro*, quae et *secundinae* vocant. (8) *Tonsillae*, i. e. *glandulae* sive *amygdalae faucium*. (9) *Prosiciae*, scil. *partes*, pro *exitis hostiarum* dissectis. Ovid. *prosecta* vocat, Fast. VI. 168. (10) Potes et his cum Despauterio adiungere *areae*, pro *splendore sideribus circumfuso*, ap. Senec. Nat. Quaest. I. 2. prope init. (11) Porro *gratius agere* solo plurali dicitur: at *gratiam referre* solo singulari; et utroque numero *gratiam* et *gratias habere*: quod posterius loquendi genus male improbat Lambinus, cum eo usu sit Terentius Andr. IV. 5, 31. Vid. Ursin. p. 110.

84) Huc referunt, (1) *Ambages*, *balneae*, *compedes*, *crates*, *dapes*, *deliciae*, *epulae*, *fruges*, *grates*, *inferiae*, *preces*, *repetundae*, *suppetiae*, *sordes*, *vires*; de quibus superius diximus. (2) *Acidulae*, *antae*, *antennae*, *barbae*, bestiarum, V. supra reg. 19. n. 88. *blanditiae*, *ceremoniae*, *copiae*, pro *exercitu*, *fides*, pro *chordis*, *fidiculae*, pro *instrumentis tortorum*, *genae*, *gingivae*, *grossi*, *habenae*, *illecebrae*, *ineptiae*, *inimicitiae*, *latebrae*, *lautitiae*, *naeniae*, *nares*, *nates*, *palae*, *palpebrae*, *retes*, *sarcinae*, *sortes*, pro *effato oraculi*, *vigiliae*: quae omnia singulari usitata, Vossius Anal. I. 43. Methodi auctor, p. 183. Ursinus, p. 112, et Iohnsonus, p. 191, et seqq. prolixe monstrarunt. *Cantharis* quoque dixisse Plin. XVII. 17, etsi *cantharides* viro cuidam docto tantum plurale sit visum, ostendit idem Iohnsonus Addit. p. 41, iungere poterat et *cantharide* ap. eund. XXIX. 6. §. 24. (3) *Caulae*, *clitellae*, *falae*, i. e. *turres* ligneae, *lendes*, sive masculinum, sive femininum dicatur. V. cap. 1. reg. 41. n. 92. *maniacae*, pro *morbo*, (cui *ficus* intelligi ostendit Iohnsonus, p. 46,) *oreae*, seu *aureae*; pro *frenis* qui equorum insertis, *tonsae*, *valuae*: quae tametsi nunc forte non reperiantur, singularem sua natura deposcunt: quae ratio in quibusdam e praecedentibus, *antae*, *antennae*, *barbae*, *fidiculae*, etc. locum habet. (4) Propria quaedam aut his cognata vocabula: ut, *Aonides*, *Bacchae*, *Camenae*, *Cyclades*, *Dryades*, *Erinnyes*, *Eumenides*, *Furiae*, *Gorgones*, *Gratiae*, *Hamadryades*, *Harpyiae*, *Hyades*, *Maenades*, *Napeae*, *Naiades* vel *Naides*, *Nebrides*, *Oreades*, *Pleiades*, *Pierides*, *Parcae*, *Sirenes*, *Sporades*, *Stymphalides*, *Symplegades*, *Thyades*, *Vergiliae*:

Digitized by Google

Haec neutra in singulari vix unquam inveniuntur: *Lautia, transtra, bellaria, paraphernа, principia* [85]) [*das Hauptquartier*], *bona, tesqua, crepundia, scruta, castra.* Sic *aestiva, hiberna* [86]), *stativa,* in quibus *castra* intelligitur, *lamenta* [87]), *munia, flabra, cunabula,* et eius compositum *incunabula, Gargara, exta, acta, iusta, praecordia, lustra, comitia, Cerauuia* et *Acroceraunia, arma, rostra.* Quae omnia sunt secundae declinationis: * Tertiae vero *sponsalia, moenia, ilia* [88]), *brevia, magalia* [89]), [90]).

---

quae, praeterquam quod de una harum loquenti singularis necessarius est, eo in numero maiorem partem inveniuntur. Sic *Baccha* Plaut. Amph. II. 2, 71. *Camoena* Horat. Car. I, 12, 39. Senec. Med. v. 626. Ovid. de Pont. IV. 13, 38. *Cyclas* Silius IV. 247. Senec. Herc. OEt. 803. Vitruv. VII. 7. *Dryas* Senec. ibid. 1093. Martial. IX. 62. *Eriuys* Virg. Aen. II. 337. Ovid. Met. I. 241. V. Flacc. I. 281, et alii. *Eumenis* Stat. Theb. V. 33, et alibi saepius, Silius, II. 559. *Furia* Cic. ad Q. Frat. III. 1, 4. Apul. Met. IX. p. 304. *Gorgo* vel *Gorgon*, Val. Flacc. III. 54. Virg. Aen. II. 616. Cic. Verr. IV. 56. Claudian. III. 280. Propert. IV. 9, 58. *Gratia* Horat. Car. III. 19, 16, et IV. 7, 5. *Hamadryas* Stat. Sylv. I. 3, 63. *Hyas* Id. Syly. I. 6, 21. *Maenas* Propert. III. 6, 14. Catull. I. 69. Sil. III. 102. Senec. Troad. v. 674, et Med. v. 833. *Naïs* vel *Naïas*, Virg. Ecl. II. 46. Ovid. Heroid. XV. 162. Stat. Sylv. I. 2, 207. Calphurn. Eclog. IV. 69. *Nebris* Claudian. VIII. 605. Senec. OEdip. 438. Sil. III. 395. *Oreus* Calph. Ecl. IV. 136. *Pleïas* Virg. Geo. IV. 233. Ovid. Met. I. 670. *Parca* Horat. Car. II. 16, 39. Pers. V. 48. Ovid. Heroid. XI. 105. *Pieris* Horat. Car. IV. 3, 18. Ovid. Fast. IV. 222. *Siren* Horat. Sat. II. 3, 14. Sueton. Clar. Gramm. XI. 2. Stat. Sylv. II. 116. Iuven. XIV. 19. Claud. C. 1. *Symplegas* Senec. Hercfur. v. 0211, et Herc. OEt. 1273. Lucan. II. 718. *Thyas* Virg. Aen. IV. 302. Horat. Car. III. 15, 10. V. Etacc. III. 275. Stat. Theb. V. 92. (5) Addit Ninivita *cantes*, pro *organorum fistulis*, et *Decretales* pro *Pontificum constitutionibus*, barbarorum saeculorum vocabula: quin et ipsa *Decretalem* interdum legi agnoscit. (6) Addit Schmidius *epiphoras*, pro *mordace humore* oculos vel alia membra afficiente: quo tamen Plinius XXI. 19, et XXIX. 6; et Cic. Fam. XVI. 18, singulari utuntur. (7) Servio denique, ad Virg. Aen. II. 272, eumque secuto Despanterio, tantum plurale est *mappae;* ut et Carmichaeli nostro *thensae:* at prius singulari adhibuit Horat. Sat. II. 8, 63, et (ipsis agnoscentibus) Epist. I. 5, 22: item Martial. II. 37, et IV. 46: et Senec. de ira, III. 30: et Iuven. V. 27, ut taceam de *mappae missione*, sive signo quo quadrigae apud Romanos committebantur, cuius meminere Sueton. Ner. 22. Iuven. XI. 191, et Martial. XII. 29. *Thensa* quoque usus idem Sueton. Iul. 76, et Festus in voc.

85) Sic *post-principia* Varro ap. Gell. XVI. 18.

86) Item *hibernacula* ap. Liv. XXII. 31, et alios.

87) *Lamentae* femin. utitur Pacuvius ap. Nonium II. 493.

88) *Iliis* tamen in secunda dixit Celsus IV. 1, extr.

89) Quaedam ex his in singulari reperiuntur; at ea fere apud auctores, quorum (hac saltem in parte) imitatio vix probanda videtur: ut, * *bellarium* ap. Festum. * *Lamenium, cunabulum, flabrum, praecordium,* in Glossis Philoxeni, Cyrilli, Papiae, etc. * *Transtro* utitur Persius V.

Digitized by Google

III. *Abundantia.*

Abundantia sunt octuplicia, 1. Quaedam sola terminatione abundant: ut, *arbos* et *arbor*. 2. Quaedam sola declinatione: ut, *laurus, lauri* vel *laurus*. 3. Quaedam solo

---

147. * *Acrocerauno* Plinius III. 10 et 26: qui et *Ceraunios* et *Acroceraunios* montes nominat. IV. 1, init. et VI. 9, etc. prius etiam Sueton. Aug. XVII. 6. * *Moene* Ennii est ap. Festum. *Ile* quoque veteres dixisse notat Servius ad Virg. Eclog. VII. 26, et Aen. VII. 499, cui comitem Vossius addit Plinium XI. 87. §. 79, sed ibi *lillae* legendum, non *ile*, docet Harduinus. * *Bonum* denique addit Iohnsonus pro *bonis* dici ap. Plaut. Trin. IV. 1, 8, at aliter emendatiores codd. habent. ¶ De his porro, Not. 1. Quaedam natura adiectiva esse: ut, *bona* et *acta*, in quibus *negotia*, i. e. *res*; *aestiva, hiberna, stativa*, in quibus *castra* vel *loca*; *iusta*, in quo *funera*; *sponsalia*, in quo *convivia* intelliguntur. Not. 2. Quaedam alia significatione singulari frequentia esse: ut, *principium*, pro *initio*; *castrum*, pro *oppido* aut *vico munito*, unde et deminutum est *castellum*; *lustrum*, pro *quinquennii spatio*, aut *sacrificio piaculari*; *comitium*, pro *loco* in quo *comitia* celebrabantur; *rostrum*, pro *cornea, ille cuspide* in ore avium, qua cibum capiunt, et tralate pro *prominente* et ferro plerumque armata *in prora navium parte*; unde et *rostra* pro *pulpito* nomen accepit, quod is scil. locus ex plurimis Antiatum navium *rostris* esset constructus: *actum*, pro *re acta* sive *actione*, Cic. Phil. I. 7. V. Vallam Eleg. IV. 9: *Ceraunia*, *-ae*, gemmae nomen ap. Plin. XXXVII. 9.

90) His addi possunt, (1) Rariora usu vocabula, *analecta, batualia, coagmenta, equestria*, pro 14 ordinibus in quibus equites sedebant, *evangelia*, pro *praemio*, quod laetum afferenti *nuncium* dabatur (sensu autem sacro singulari fere usitatum;) *iuga*, pro *transtris* Virg. Aen. VI. 411. *malitia, palaria, rapicia*, seu *rapacia, interanea, praebia, praebenda, prosecta, triscurria*. (2) Quae singulari nonnunquam inveniuntur, *lachana, menstrua, oblivia, palearia*. (3) *Arbitria*, pro *arbitrorum sententia; auxilia*, pro *auxiliaribus copiis; adversaria*, pro *commentariis* quibus memoriae causa res annotantur; *apophoreta; impedimenta*; pro *sarcinis* aliisque in exercitu necessariis; *lemuria, quisquilia, nicoteria, soteria*. (4) Sacris fere Scriptoribus usitata, *magnalia, zizania, natalitia*, pro *die natali*. *Natalitium*, pro *dono* quod eo *die* mittitur, sing. utitur Censorinus in Praef. *Natalitia*, pro *convivio* natali die celebrato ad festa referes, quemadmodum et *Oegia, repotia, genialia, hilaria, charistia*, et, si libeat, supra dictum *sponsalia*, ut et Impp. Rom. *quinquennalia, decennalia, vicennalia*, etc. (5) Adiectiva pro Substantivis posita: ut, *avia, devia*, in quo *loca*; *parentalia*, in quo *funera*; *pudenda, verenda, virilia, genitalia, naturalia, muliebria*, in quibus *membra*; *talaria*, in quo *calceamenta* subaudiuntur. * Sic *cuenta, sata, sacra, serta, sensa, aeria, utensilia, popularia*: quo etiam in censu haud pauca ex superioribus et mox memorandis numerari debent. (6) Multa, quae nativa vocum ipsarum ratione singularem necessario requirere videntur; ut, *altaria, apiaria, aviaria, alvearia, columbaria, cibaria, diaria, donaria, mellaria, ocularia, pugillaria, plantaria, roboraria, rosaria, specularia, tabularia, vivaria, viridaria*: item, *aulaea, aplustra* vel *aplustria, uncilia, classica, carcheia, compita, effata, fraga, foenilia, gesa, hybernalia, iuga*, pro *cacuminibus montium; intestina, liba, lumina* pro *oculis, licia, mappalia, nutricia, ostrea, ostia* de *fluminis exitu, praesegmina, pascua, prae-*

Digitized by Google

clivis, -e, et *declivus, -a, -um*; *imbecillis* et *imbecillus*; *semisomnis* et *semisomnus*; *exanimis* et *exanimus* [92]).

Not. tamen alteram terminationem in aliis vix usitatam, in aliis rariorem esse: Sic, *magnanimus, flexanimus, effrenus, levisomnus*, dicimus, non *magnanimis*, etc. contra *pusillanimis, iniugis, illimis, insomnis, exsomnis*; non *pusillanimus*, etc. et *semianimis, inermis, sublimis, acclivis, declivis, proclivis*; rarius *semianimus, inermus*, etc. et *inanimus*, vix *inanimis*; *biiugus* saepius quam *biiugis* [93]).

---

92) Alii addunt, a *cera*, *sincerus* et *sinceris*; a *nervus*, *enervis* et *enervus*; a *norma*, *abnormis*, *denormis*, *enormis*; et *abnormus*, etc. a *lumbus*, *elumbis* et *elumbus*; ab *annus*, *perennis* et *perennus*: At *sinceris*, aut *abnormus*, etc. *elumbus*, *perennus*, nullis veterum exemplis nituntur. Proferunt quidem ex Apuleio Met. 1. p. 8, *enervam salutationem*, et ex Ovid. Fast. III. 523 et 654. Macrob. Saturn. I. 12, aliisque *Annam Perennam* Deae nomen. At pro priore, melioribus codd. *enervem* invenimus. Posterius peculiare est, neque alio usquam trahendum. * Potiore iure hoc retulissent, a *barba*, *imberbis* et *imberbus*. Prius quidem longe vulgatius est: at *imberbi iuvenes* ex Varrone, *imberba iuventute* ex Cicerone adfert Charisius, col. 74, et ex Lucilio, eodemque Varrone, *imberbi* pro *imberbes*, Nonius VIII. 84. *Multibarbus* quoque vel (ut aliter legitur) *illutibarbus* Apulei est Florid. §. 3. p. 762, ut taceam *Aenobarbum* gentis Domitiae ap. Romanos cognomen.

93) Inveniuntur et apud veteres aliae, quam quibus nunc utimur adiectivorum terminationes: ut, *hilarus*, pro *hilaris* ap. Plaut. Amph. III. 3, 6. aliisque in locis, Terent. Adelph. IV. 7, 38, et ap. ipsum Cic. de Fin. V. 30, *vita hilara*. * *Acrus*, pro *acer* Cn. Matius ap. Charis. col. 94, Pallad. Aug. t. 5: et Plin. Valer. II. 45. * *Gracila*, pro *Gracilis*, Lucil. ap. Non. VIII. 48: et *gracilae*, pro *graciles*, ap. Terent. Eun. II. 3, 22. * *Concinnem*, pro *concinnam* Apul. Met. V. p. 159. * *Pronis*, pro *prona*, Varro ap. Non. VIII. 94. * *Sterila*, pro *sterilis*, Lucret. II. 844: et *sterilam*, pro *sterilem*, ap. Festum in voc. * *Sacrem porcum*, pro *sacrum* Fest. in voc. et *sacres porci*, Varro R. R. II. 1 et 4. Plaut. Menech. II. 2, 16. et Rud. IV. 6, 4. * Notat quoque idem Nonius VIII. 41 et 60, *vulgaria*, pro *vulgaris*, et *singularia*, pro *singulari* antiquitus dicta: quos etiam veterum verborum sectatores, Gellius et Apuleius imitari non dubitarunt. Confer Macrob. Saturn. I. 4, et Dausq. Orthogr. Vol. 1. p. 78 et 79. ¶ Diximus superius cap. 1. reg. 14. n. 74, adiectivorum in ER tertias, secundam terminationem IS masculinis interdum iunctam reperiri. Exemplis autem ibi memoratis addere possis, *Vir alacris* Terent. Eun. II. 3, 12. *Campestris ager* Colum. III. 14. *Campestre situs* Id. VII. 2. *Celebris locus* Auct. ad Herenn. II. 4. *Celebre vir* Tac. Anal. II. 88, extr. *Pons celebris* Id. An. XIII. 47, 2. *Servilius foro celebris* Id. An. XIV. 19, 2. *Poeta celebris* Gell. XVII. 21. *Palustris ager* Colum. VIII. 14. *Silvestris ager* Id. VIII. 11, et XI. 2. *Silvestris tumulus* Liv. XXVII. 26. *Salubris annus* Cic. Div. I. 57. *Salubris spiritus* Senec. Contr. V. 5. *Salubris locus* Cels. I. 3, prope init. *Ventus salubris* Id. II. 1. *Salubris effectus* Id. III. 6. Addit Johnsonius ex Liv. III. 7, *Equestris tumultus*: at frustrantibus numeris verba non reperio. *Celeris* quoque de viro dictum, ex Catone

Digitized by Google

27. Nec te praetereat, quibus est et terminus unus,
Nomina per varios flexus quandoque vagari:
Qualia, ne longum faciam, tibi glossa recludet.

Multa sunt nomina, quae sub una eademque nominativi singularis terminatione, in obliquis suis casibus, nunc hac, nunc illa declinatione inflexa reperiuntur [94]). Ea autem potissimum sunt quadruplicia. Nam,

1. Quaedam sunt primae et tertiae: ut, *Calchas, Calchae*, et *Calchas, Calchantis; Euphrates, Euphratae* et *Euphratis* [95]).

2. Quaedam sunt secundae et tertiae: ut, *Iber, Iberi*, et *Iberis* [96]), *sequester, sequestri* et *sequestris* [97]). Sic *Oedipus, Oedipi* et *Oedipodis* [98]),

---

et Caecilio adducit Priscianus, col. 760. * Quod vero *acris* masculino legi neget Rhenius, p. 15, Vossiumque *acris censor* Anal. I. 26, extr. dicentem eo nomine reprehendat Iohnsonus Addit. p. 44, utrumque refellunt *acris sapor* ap. Columellam XII. 17, et *acris vomitus* ap. Cels. VIII. 4, prop. fin. ut omittam *acris somnus*, quod ex Ennio profert Priscianus, col. 647. * Affirmat porro idem Rhenius ibid. *celeber* et *saluber* raro aut vix unquam inveniri. At prius Ovidii est Fast. IV. 391. Tibull. II. 1, 88, et IV. 4, 28. Liv. XXV. 12, extr. Curt. VII. 4, 8, et VIII. 9, 9. Plin. XXIV. 17, et XXXV. 10. Posterius etiam Ovid. Remed. v. 704, et Plin. XVIII. 34. ¶ Quin et apud vetustiores terminationem ER communis generis fuisse ostendit Priscianus, col. 647 et 760, ut, *acer fames* ap. Naevium, *acer hyeme* ap. Ennium, et *celer hasta* ap. Liv. Andronicum. Neque dubium est, quin ap. Lucret. IV. 161, recte legatur, *Ut merito celer his rebus dicatur origo;* nec audiendi sint, qui *celer his* in *celeris* volunt mutatum.

94) Alii haec Variantium nomine comprehendi volunt.

95) Sic *Ganges, Orontes:* item multa virorum nomina: ut, *Astyages, Cambyses, Dares, Orestes, Hippocrates, Socrates*, et similia. In quibus tamen videndum quid usus ferat. Nam in plerisque genitivus primae in *ae* exolevit, quamvis accusativus eiusdem declinationis in *en*, et vocativus in *e* vel *a* in usu remanserint. Vid. supra cap. II. reg. 46. n. 48. Vossius his adiicit *Aeacides*, quod et tertiae esse probat hoc *v.* Senecae Troad. 45, *Ipsaque ad aras maius admissum scelus Aeacidis armis.* — Sed ibi omnino cum Scaligero et Gronovio *Aiacis* legendum. ¶ Porro in MA nomina, quae nunc tertiae sunt, olim et primae fuerunt: ut, *dogma, dogmae; glaucoma, glaucomae;* pro *dogmatis, glaucomatis.* Vid. supra cap. II. reg. 64. n. 88.

96) Vid. cap. II. reg. 15. n. 42.

97) Sic *Mulciber, Mulciberi* et *Mulciberis; vesper, vesperi* et *vesperis; cancer, cancri* et *canceris*, quo posteriore usus Lucret. V. 616, *gibber, gibberi* et *gibberis.* Vid. cap. II. reg. 16. n. 37, 38 et 41.

98) Sic *Melampus, -i*, et *-odis.* At *tripus, Antipus, tripodis, Antipodis* tantum dicuntur; *polypus* tantum *polypi*, V. cap. II. reg. 37. n. 26. * De nominibus in EUS vel EUS alibi diximus eod. cap. II. reg. 15. n. 32, et reg. 23. n. 71, et reg. 48. n. 63, de *glumus, glomeris* et *glumi*, reg. 36. n. 23.

Digitized by Google

3. Quaedam in US sunt secundae simul et quartae: ut, *domus* [99]), *colus* [100]). Sic quarundum arborum nomina: ut, *ficus, pinus, laurus, cornus, quercus* [1]), [2]).

---

99) De huius vocis declinatione tritus habetur ille versiculus, *Tolle* ME, MI, MU, MIS, si declinare DOMUS *vis*. Caeterum genitivo utimur et *domus* et *domi*, sed sensu diverso: illo enim significamus corpus ipsum atque aedificium quod ex parietibus constat et tecto; ut, *partem domus demolitus sum*: hoc vero, locum ubi quis manet, ut, *Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi*, Cic. Offic. I. 22. Dicimus et *domi meae, tuae, suae, nostrae, vestrae, alienae*. Vid. Charisius, col. 101, et Vallem Eleg. III. 15. Ciceronis etiam est, Verr. V. 42, *Hospes tuus, cuius tu domi fueras*, pro *in cuius domo*: et pro Quint. c. 5, *Qui istius domi erat educatus*: item ad Attic. I. 12, *Clodius deprehensus domi Caesaris*: at ad Attic. II. 7, *Qui* [Clodius] *cum in domo Caesaris quondam unus vir fuerit. Domi* autem, pro *domus*, usus videtur Terent. Eun. IV. 7, 45, *Domi focique sac vicissim ut memineris*. Contra *domo*, pro *domi*, invenimus: ut Apul. Apol. p. 541, *Domo adservantur*; Virg. Geo. III. 96, *Abde domo*: et Sueton Iul. 20, *Bibulum* ait, *quoad potestate abiret, domo abditum*. Senec. vero ad Marciam. c. 14, *Toto anno domi latuisse*. * *Domo* in dativo (quod Ursinus, p. 220, non agnoscit) habet non tantum Cato R. R. c. 134, 139 et 141, sed etiam Horatius Epist. I. 10, 18. * *Domu* in ablativ. utitur Plautus Mil. I. 1, 48. Verba etiam sunt Praetoris in l. 1. §. 10. ff. de inspic. ventre, Mulier in domu honestissimae foeminae pariat: et id creberrimum in libris inscriptionum notat Brissonius παράγρ. n. 122. ap. Gruterum quoque Inscript. DXCIX. 8. *domu* legimus. Adfert et R. Stephan. in Lexic. ex Traiani ad Plin. Epist. lib. 10. n. 76, *area cum domu collapsa*: at in meis *domo* invenio. Confer supra cap. II. reg. 67. n. 46.

100) *Colo* Virg. Aen. VIII. 409. Tibull. I. 3, 86. Propert. IV. 1, 74, et Ovid. Art. I. 702. Plin. VIII. 48, et Apul. de Mund. p. 755. utuntur: *colu* Statius Theb. VI. 380. (confirmante Prisciano, col. 719.) Cic. de Orat. II. 68, extr. et Plin. XXI. 15. Ap. Propert. IV. 9, 48, variant codd. aliis *colo*, aliis *colu*, legentibus. Vossius Anal. II. 20, extra hunc et genitivum eiusdem numeri casum, quartae ait semper videri, nec se *hae coli* dicere ausurum. Ego potius Servium et Despauterium, secundam praeferentes, sequendos puto. Optimi certe auctores *colos* (ac proinde *coli*) dixerunt: ut Ovid. Fast. III. 817. Martial. VII. 47, et IX. 18. Iuven. XIV. 249. Senec. Herc. fur. v. 559. Stat. Theb. V. 150, et Sylv. I. 4, 64, et III. 1, 172, et Achill. I. 582 et 635, et Claudian. XX. 389, tametsi idem Stat. Theb. III. 242, et IX. 839, in nom. et idem X. 643, et Val. Flacc. VI. 445 et 645, in accus. eius numeri, et genitivo etiam sing. Flacc. II. 148, *colus* extulerint; quos Servius ad Virg. loc. cit. haud imitandos pronunciat.

1) *Ficus* pro *arbore* tam secundae est quam quartae, pro *fructu* saepius secundae (V. Iohnson. App. p. 36.) an et pro *ulcere* ambiguum videtur. *Ficui* autem, *ficuum*, *ficubus* aut *ficibus*, nusquam, credo, reperiuntur. * *Pinu* in ablativo enunciarunt, Virg. Ecl. VII. 24. Geo. II. 389. Aen. IX. 72, et X. 206. Horat. Car. II. 11, 14. Propert. II. 15, 19. Stat. Theb. VIII. 588, et Sylv. V. 3, 148. Lucan. VI. 351. Ovidius Met. I. 699, et XIV. 248. Fast. V. 382, et Heroid. V. 137. Claudianus III. 252, et XVIII. 279, et Val. Flacc. I. 457. Ut mirum sit Fabrum in Lexico id ap. Vitruv. II. 9, med. tanquam peculiare notasse. *Pinus*

Digitized by Google

4. Quaedam denique tertiae et quintae sunt: ut, *plebes*, (contracte *plebs*) *plebis* et *plebei*, seu *plebi*; *fames*, *famis*, *famei* vel *fami*[3]); *requies*, *requietis* et *requiei*[4]), [5]).

---

quoque in plurali dixere Virg. Ecl. I. 69. Aen. IX. 116. Aen. X. 280, et XI. 196. Catull. LXII. 1. Lucan. III. 581 et 553, et VII. 450. Val. Flacc. I. 128. Martial. X. 92. Ovid. Fast. I. 519, et IV. 493. Met. V. 442, et VII. 442. Stat. Theb. III. 518. X. 166. Sylv. II. 3, 52, et VI. 28, et Achill. II. 347, et Claud. XXXVI. 559. At *pino* in dativo sing. Plin. XVI. 24, ablat. XXIII. 8. *pinorum* Id. XVI. 83, et XXIII. 2. *pinis* Id. XVI. 20, et XXXVII. 3. *pinos* Ennius ap. Gell. XIII. 20, Cato R. R. 28, et Virg. Geo. IV. 112. Ut credam Historicos et Oratores secundam, Poetas vero quartam, sed in quibusdam tantum casibus, praetulisse: *pinui* autem, *pinuum*, et *pinibus* a nemine dictum. * *Laurus* per secundam melius quam per quartam declinari docet Servius ad Virg. Ecl. II. 54. *laurûi* quoque et *lauribus* negat idem in usu esse ad Aen. X. 689. *Lauru* tamen in ablat. habet Horat. Car. II. 7, 19. Tibull. III. 4, 28. Tacit. Anal. XV. 71, 1, et Hist. II. 55, 2. Colum. IV. 26. Plin. XV. 30. §. 39. Gell. V. 6, init. *Laurus* in plurali agnoscit Charis. in illo Virg. Ecl. VIII. 13, *Inter victrices hederam tibi serpere lauros* et Aen. III. 91, *Limina, laurusque Dei*: quanquam postremo loco *laurus* singulari sit an plurali positum dubitet Servius: at priore nunc fere *lauros* legitur. Utcunque est, *Laurus* plur. habet Tibull. II. 5, 121. Stat. Theb. VII. 707 et 784, et alibi saepius, V. Flacc. I. 209. Lucan. I. 287, et VI. 409: et Colum. V. 7, *Laurus* etiam in genitivo sing. usus Martial. VI. 6, nk. Nec *lauruum* refugiebat Plinius, teste Charis. loc. cit. At omnibus casibus frequentior secunda. * *Quercûs* ex Cicerone profert Priscian. col. 717: at idem ad Attic. XIII. 28, aliique, quod norim, omnes in quarta utuntur. * Id. Priscianus, eod. loc. cit. ex Statio, *Cornus deprensus Aethiva* Theb. VII. 647, pro *hasta ex ea arbore*. Sic Ovid. Heroid. X. 107, *Non potuerunt figi praecordia ferrea cornu*. Silii quoque est, IV. 652, *Hinc pila, hinc Libycae certant sul-texere cornus Densa nube polum*. Apud eundem vulgo etiam legitur X. 57, *penetrante per ilia cornu*, et v. 122, *transfigit pectora cornu*; at cerno ex membranis suis utrobique legunt praeferuntque Heinsius et Drakenborgius. Sed et in secunda non tantum *cornu* extulit Serenus, II. 4, sed *corni* et *cornis* Plinius XXIII. 8, §. 79. et XV. 26, init. * *Cupressus* saepius secundae: Columella tamen *cupressu* dixit IV. 26, et Horatius Epod. V. 18, *cupressus funebres*. * *Fagus* pro *fagos*, iuxta nonnullos, usus est Maro Geo. II. 71, et ap. eund. in Culice v. 139, *umbrosae fagus*; et v. 128, *aëriae platanus*: et ap. Catull. LXII. 89, *Qualis Eurotae progignunt flumina myrtus*, legunt los. Scaliger, et Fr. Taubmannus.

2) His adde, * *Fastus* plurale vel *fasti*. Priore utitur Colum. IX. 14. Varro ap. Priscian. col. 711. Claudian. XVIII. 473. *fastibus* quoque (licet id reprehendit Servius ad Virg. Aen. III. 326.) Lucan. X. 187. Apud Horat. vero Car. III. 17, 4, etiam sua aetate duplicem se in codicibus invenisse scripturam et *fastos* et *fastus* testatur Priscianus, loc. proxime laudato. In secunda tamen usitatius esse omnes agnoscunt: unde *Fasti Consulares* dicimus, non *Fastus*: et Ovidius inscripsit *Fastorum*, non *Fastuum libros*. * *Arquus*, sive *arcus*, pro *iride*, genit. *arqui*, Lucret. VI. 525, et Cic. Nat. Deor. III. 20, declinant. Addit Ursinus, p. 220, nescio quibus auctoribus dat. et ablat. plur. *arquis*. At nomina-

Digitized by Google

CAP. IV.

De Nominum Comparatione.

Comparatio est Nominis per gradus variatio. Comparantur nomina tantum adiectiva [1]), eaque quorum significatio augeri potest vel minui [2]).

---

tivo et accusativo eius numeri *arcus* solum invenimus. * *Angiportus* ab *angipŏrtus* utitur Horat. Car. I. 25, 10. *angiportus omnes* Cic. Divin. I. 32. *angiportuum* Vitruv. I. 6, init. at *angiporto* Auct. ad Heren. IV. 51. *angiportorum* Id. Vitruv. eod. cap. ter habet, et *angiportis* Ibid. init. et cap. seq. init. item Cic. Verr. II. 57, et Catull. LVI. 4, nisi haec potius sint a neutro *angiportum*, quo usus Terent. Adel. IV. 2, 39, et Enn. V. 2, 6, et in melioribus, Phorm. V. 7, 8, et Varro L. L. IV. 12, et V. 5, extr. *Angiporta* quoque ex Plaut. Mostell. et ex Cic. de Divin. eopte in loco (ait Manutius) ubi nunc *angiportus* legimus, profert Nonius III. 1. § Obsoleta, quales hi genitivi Terentiani, *fructi*, *ornati*, *tumulti*; apud alios *quaesti*, *senati*, *versi*, etc. item Plaut. *cibus*, *lectus*, nec non ablat. *humu*, *vulgu*, *sonu*, *somnu*, pro *humo*, *vulgo*, etc. a nobis superius cap. II. reg. 67. n. 46. notata, praetereo. *Succubum* quoque Apulcio remittimus, *succorum* nobis servamus.

3) *Fame* in ablativo, ultima producta, Poetae semper efferunt, quod indicio est illud olim quintae fuisse.

4) Vid. supra cap. II. reg. 81. n. 160.

5) Addunt et hic, quinto loco, nomina quaedam in US, quae tertiae simul sunt et quartae declinationis; ut, *acus*, *aceris* et *acus*, pro *palea*. Vid. cap. I. reg. 84. n. 48. *penus*, *penoris* et *penus*; *specus*, *specoris* et *specus*, unde ablativi sunt *penu*, *specu*. At *specus* tertiae nusquam extra nominativum et accus. sing. reperiri supra notavimus h. cap. reg. II. n. 69. *penoris* vero vel *peni* dicturum se negat Charis. p. 57, utpote quem sequatur auctorem non habens. *Penora* tamen Columella XII. 4. *penori* Ulpianus l. 3. §. 5. ff. de penu legat. et *penore* Caesar Strabo ap. Priscianum, col. 718, dixere. Caeterum haec minus accurate huc referri videntur, quod cum declinatione genus etiam immutent. § Hic autem in fine duo notanda sunt, I. Certos esse nominum quorundam casus ad aliam formam, quam qua vulgo solent inflexos, sed ab alio themate oriundos, quod iam non exstat amplius: cuiusmodi sunt genitivi singulares, *Achilli*, *Ulyssi*, *Oronti*, contracti ex *Achillei*, *Ulyssei*, *Orontei*, etc. non sane ab usitatis rectis *Achilles*, *Ulysses*, etc. sed ab inusitatis in EUS vel US, *Achilleus*, *Ulysseus*, vel *Achillus*, *Ulyssus*, etc. Sic *poematis*, *schematis*, et similes dativi et ablativi plurales, a nominativis *poematum*, *schematum*, quae nusquam iam inveniuntur, fluxerunt. II. Nequaquam esse existimandum in his et similibus licere pro lubitu alios etiam casus ad formam eorum quos firmat auctoritas, cuique fingere. Itaque Barbarismi culpam haud effugerit, qui, e. gr. ex eo quod *Achilli* vel *Achillei* in genitivo sing. inveniat, dativum *Achillo* vel *Achilleo*, aut accus. *Achillum* vel *Achilleum*, ad analogiam secundae formatos usurparit. Nec qui dativum ablativumque pluralem *poematis*, *schematis* usu recipimus, idem ius erit genitivo sing. *poemati*, *schemati*, aut dativo et ablativo *poemato*, *schemato*, quos consuetudo iam repudiavit.

1) Nullum substantivum proprie comparari potest: interdum tamen ioci, vel festivitatis causa, comparata inveniuntur, quatenus scil. adiectiva

Digitized by Google

Gradus comparationis sunt tres, *Positivus*, *Comparativus* et *Superlativus*.

Positivus est, prima vox adiectivi rem absolute et simpliciter significans: ut, *durus*, *mollis*.

Comparativus est, qui supra Positivum significat *magis*: ut, *durior*, *mollior*, i. e. *magis durus*, *magis mollis*.

Superlativus est, qui supra Positivum significat *valde* vel *maxime*: ut, *durissimus*, *mollissimus*, i. e. *valde* vel *maxime durus*; *valde* vel *maxime mollis* [3]).

Comparatio est triplex, *Analoga*, *Anomala* et *Elliptica*. Analoga, seu *Regularis*, est quae communem aliquam formationis suae regulam sequitur. Anomala, seu *Irregularis*, est quae ab hac regula deflectit. Elliptica denique, seu *Defectiva* est, quae uno aliquo vel duobus gradibus caret.

I. COMPARATIO ANALOGA, *seu* REGULARIS.

Comparativi *formatio*.

1. Primus in *i* casus Positivi, syllaba cui sit *Or* subnexa gradum medium formabit. At ortum *A ficus* atque *dicus*, *volus* et *loquus entior* optat; *Iunior* hinc *iuvenis*que, *sinisteriorque sinister*.

---

esse finguntur, et qualitas quaedam, non essentia, in iis significatur. Sic ab *oculus*, quasi adiectivum esset, i. e. *dilectus tanquam oculus*, ap. Plautum, Curc. I. 2, 28, est *oculissimus*. Sic a *patruus*, quasi *affectus patrui habens*, ap. eundem est *patruissimus*, Poen. V. 4, 24. Sic *Poenior* idem dixit. Ibid. V. 2, 81, i. e. *magis perfidus*, vel potius, ut Cl. Perizonius in Sanct. Minerv. I. 11, interpretatur, *qui magis habeat omnia requisita ad Poenum constituendum*. Sic Iul. Scaliger *Neronior*, pro *Nerone saevior*, Buchananus noster *fraterrimi*, pro *valde improbi*, *inepti* et *garruli*, quales *Fratres* sive *Monachos Franciscanos* ipse describit, utuntur. Sic Marcus Aurelius Imp. in L. 12, extr. Cod. de Repud. et Novell. XX. c. 19, *philosophissimus* appellatur. Huc referri possunt *inimicissimus suus* ap. Cic. pro Mil. c. 9, et Nepot. XXII. 12. pro *maximo suo inimico*; *meritissimo eius*, pro *summo eius merito* ap. Plautum, Asin. III. 3, 147: et *pessimo publico* ap. Varr. R. R. I. 18, et Liv. II. 1: et (ut suspicatur Gronovius) IV. 4, pro *maximo Reip. malo* vel *damno*. Vid. Ursin. p. 388, et Maiorem de variand. orat. p. 114.

2) Interdum adiectiva, quorum significatio, nec intondi, nec minui potest, comparata invenimus, qualia sunt Plautina illa *geminissimus*, *parissimus*, *ipsissimus*, *occisissimus*, *exclusissimus*: in quibus Superlativus non rei gradum, sed affirmationem addit. Huc pertinent *verior*, *falsior*, *rectior*, et similia; in quibus non rei incrementum, sed perspicuitas et evidentia consideratur.

3) An Superlativus ultimum excessum significet, Vid. in primis Perizon. p. m. 226 et 232, et Ursin. p. 387.

Digitized by Google

Comparativus formatur a proximo casu Positivi in *i*, addendo syllabam *or*, ut, *duras*, genitivo *duri*, *durior*; *mollis*, dativo *molli*, *mollior*.

Exc. 1. Adiectiva pleraque in *ficus*, *dicus*, *volus* et *loquus*, a verbis *facio*, *dico*, *volo* et *loquor* derivata, habent *entior*, ab antiquis Positivis in *ens*: ut, *munificus*, *munificentior*; *maledicus*, *maledicentior*; *benevolus*, *benevolentior*; *multiloquus*, *multiloquentior* [4]).

Exc. 2. *Iuvenis*, *iunior* [5]) facit; *sinister*, *sinisterior*.

Superlativi *formatio*.

2. ER recti superadde RIMUS, gradus inde supremus

Surget. At, ER dempto, *dexter*, *citer* atque *sinister*

Dant *imus*, atque *exter*, quod et *extremus* quoque format.

Superlativus gradus dupliciter formatur.

I. Si Positivi nominativus desinat in ER, Superlativus fit adiiciendo RIMUS: ut, *niger*, *nigerrimus*; *celer*, *celerrimus* [6]).

Exc. Haec quatuor, *dexter*, *citer* [7]), *sinister*, *exter* [8]), delendo *er*, et addendo *rimus* faciunt Superlativum, *dextimus* [9]), *citimus*, *sinistimus*, *extimus*, et saepius *extremus*.

---

4) Ita eiusmodi nomina a *loquor* composita comparari iubent plerique Grammaticorum; at praeter veterum auctoritatem, ut Vossius monet, qui propterea satius censet talibus abstinere. Certe Plautus Trin. I. 2, 163 et 164, *menduciloquius* dixit et *confidentiloquius*; nisi et haec sint licenter, more illius, conficta.

5) Contracte pro *iuvenior*, quo usus Apuleius Met. VIII. p. 252.

6) *Celerissimus*, a *celeris*, antiquitus dixere, Cn. Manlius in Iliade, et Ennius in Annal. teste Prisciano, col. 760. Quemadmodum et *crebrissimus* utitur Gellius, II. ult. pro *creberrimus*, et in L. 4. C. de incest. et inut. nupt. *acrissimus* pro *acerrimus*, a quibusdam legitur, a *crebrus*, *acris* aut *acrus*. Vid. cap. III. reg. 26. n. 93.

7) Positivo *citer* usi sunt Cato et Afranius ap. Priscianus, col. 599 et 607.

8) *Exter* Statii est Theb. XI. 429, [ita citante Prisciano, col. 599, quamvis aliter vulgo editum] item Paullini ad Cyther. v. 507, et Papiniani l. 84. ff. de adquir. vel omitt. hered. et aliorum. *Exterus* autem dixere Arcadius et Honorius Impp. L. 9. C. de Iudaeis et coelic. Addit Vossius ex Cic. Catil. II. 29, *exterus hostis* et *longinquus*. Sed ibi *extero hoste* legitur, ut nescias an ab *exter*, an ab *exterus* deflexum: non magis quam in τῷ *exteras nationes* ap. eund. pro leg. Manil. c. 16, aut

Digitized by Google

3. In reliquis S atque SIMUS sibi subdere gaudet
Qui fit in *i* casus Positivi proximus. Atqui
Dant LIMUS, IS dempto, *facilis*, *similis*que, *humilis*que,
Cui *gracilis* formae, simul *imbecillis* adhaerent.
Posterus at *postremus* habet, *superus*que *supremus*,
Et *summus*; priscum quoque et *interus intimus* edit.
Infimus atque *imus* capit *inferus*. A *ficus* ortis
Et *volus* et *dicus* est ENTISSIMUS: inde sed aufer
Mirificus. Petiere RIMUS *nuperus*que, *vetus*que,
*Maturus*que, SIMUS capiens aliquando: creari
Vultque gradus *nequam*, recto quasi *nequus* haberet.

II. Si Positivus non desinat in ER, Superlativus formatur a proximo casu in I addendo S et SIMUS: ut, *durus*, *duri*, *durissimus*; *mollis*, *molli*, *mollissimus*.

Exc. 1. Haec quinque, *facilis*, *similis*, *humilis*, *gracilis*, *imbecillis*, abiecto IS et addito LIMUS faciunt Superlativum [10]), *facillimus*, *simillimus*, *humillimus*, *gracillimus* [11]), *imbecillimus* [12]).

---

extera regna ap. Virg. Aen. IV. 350. Caeterum Priscianus, col. 598, Superlativos hosce *citimus*, *extimus*; ut et *supremus*, *infimus*, *intimus*, *ultimus* et *postremus*, a Praepositionibus *cis* vel *citra*, *extra*, *supra*, *infra*, *intra*, *ultra* et *post*, deductos existimat. Eius sententiam (in plerisque saltem) refellit Vossius Anal. II. 25, de nonnullis tamen dubitat Ursinus, p. 347.

9) *Dextimus* et *sinistimus* eidem Vossio Positivi sunt, nulla ratione, ut iudicat Cl. Perizon. ad Sanct. I. 11. An autem cum summi nominis viro P. Burmanno Praefat. ad Vell. Patérc. p. 13, *dexterrima solertia* dicere liceat, cum exemplum non inveniam, fateor me nescire.

10) Vulgo praecipiunt Superlativos hosce unico L in prosa scribendos: ac Poetis tantum geminare licere. At melioribus libris duplex LL praeferri monet Ursinus, p. 342.

11) De *gracillimus* dubitat Vossius: at *gracillimis cruribus* dixit Sueton. in Nerone c. 51.

12) *Imbecillimus* habet Seneca Epist. 85, sed et *imbecillissimus* ap. Celsum legitur II. 18. Schmidius autem, hypomn. p. 61, haec ita distinguit, ut hoc ab *imbecillus*, illud ab *imbecillis* sit formatum. ¶ Addunt vulgo ex Prisciano, col. 609, *agillimus* ab *agilis*, et Valla Eleg. VI. 26, *docillimus* a *docilis*. Sed potior auctoritas nobilis Grammatici Sosipatri Charisii, qui col. 162, diserte haec nomina Superlativo S gemi-

Digitized by Google

Exc. 2. *Posterus*, habet *postremus* [13]); *superus* [14]), *supremus* et *summus*; *interus*, Positivo vix usitatum [15]), *intimus*; *inferus*, *infimus* et *imus*.

Exc. 3. Composita cum *ficus*, *dicus* et *volus* faciunt ENTISSIMUS, ab antiquis, uti diximus, Positivis in *ens* [16]): ut, *munificus*, *munificentissimus*; *maledicus*, *maledicentissimus*; *benevolus*, *benevolentissimus* [17]). † At *mirificus*, regulariter Superlativum facit *mirificissimus* [18]).

Exc. 4. Haec tria, *nuperus*, *vetus*, *maturus*, Superlativos formant in RIMUS, *nuperrimus* [19]), *veterrimus*, *maturrimus* [20]), vel etiam *maturissimus* [21]), ab antiquis nominativis *nuper* [22]), *veter* [23]), *matur* [24]).

---

nare et *agilissimus*, *docilissimus* efficere tradit. *Utillimus*, quod ex Cassiodoro affertur, barbariae eius seculi relinquimus.

13) Item et *postumus*, ubi *u* pro *i* remansit usu veteris; nam cum antea scriberent *optumus*, *pessumus*, *maxumus*, etc. primus Iul. Caesar per *i* talia enunciavit teste Quinctiliano, Inst. I. 7. Caeterum de voce *postumus* legi merentur, quae notat Cl. Perizon. ad Sanct. I. 11, 2.

14) *Superus* et *inferus* dixit Liv. Andronicus ap. Priscian. col. 636. Cato R. R. 149, *Super inferque vicinus*. Cicero Tusc. I. 26, *Supera inferaque omnia*. *Mare superum et inferum* obvia sunt.

15) *Interus* sive *inter* iam exolevit: quanquam Scaliger credat Corn. Severum in Aetna, v. 209, dixisse — *Vertit vasa intera vortice saevo*: ubi in vett. libris *vasa vitrea*, in aliis *vasa omnia* legitur.

16) *Munificentior*, et *munificentissimus*; *beneficentior*, et *beneficentissimus*, et similia, ab antiquis participiis *munificiens*, *beneficiens*, extrita per Syncopen tertia vocali, deducit Vossius Anal. II. 26. Neque obstat (uti Carmichael noster existimavit, Etym. p. 47.) quod purioris aevi analogia *munifaciens* potius ac *benefaciens* deposcat.

17) A vocibus in *loquus* (quas *entissimus* quoque habere docent) Superlativi vix inveniuntur.

18) *Mirificissimus* utitur Terent. Phorm. V. 6, 30. At D. Augustin. de Civ. Dei XVIII. 42, princ. *mirificentissimam potentiam* dixit. * Sed et alia huiusmodi nomina veteres regulariter comparabant, ut, *beneficissimus* ap. Catonem, *magnificissimus* ap. Accium, teste Prisciano, p. 603. Eodem modo et Catonem *magnificior*, et *munificior* extulisse auctor est Festus in voce.

19) *Nuperum hominem* dixit Plautus Capt. III. 5, 60: *nupera notitia* etiam ex Terent. Heaut. I. 1, 1, profertur: at meliores *nuper* habent. Superlativus autem *nuperrimus* nunc quidem non reperitur; at antiquos eo usos testatur non modo Priscianus, col. 606, sed adverbium *nuperrime* ap. Cic. de Invent. I. 17.

20) *Maturrimus* utitur Tacit. Anal. XII. 65, 5: *maturissimus* Auct. ad Herenn. IV. 26, et Colum. IV. 29, et XI. 3. Ab hoc est adverbium *maturissime* ap. Catonem, ab illo *maturrime* ap. eund. et Sallust. teste Charisio, p. 184. et Caes. B. G. I. 33. Utrumque adhibuit Cicer. pro Caecin. 2, extr. et de Orat. III. 20.

21) Addit post Bad. Ascensium Despauterius *saturrimus* vel *saturissimus* a *satur*, nullo veterum exemplo. * *Austerrimus* tamen dixit Messalla Corv. p. 4, pro *austerissimus*, ab antiquo, uti videtur *auster*, pro *austerus*.

Digitized by Google

Exc. 5. *Nequam*, indeclinabile, *nequior* et *nequissimus* facit, tanquam a recto *nequus* vel *nequis*.

II. COMPARATIO ANOMALA, *seu* IRREGULARIS.

4. Longius a dictis normis nonnulla recedunt:
Nam *bonus* et *melior* dat et *optimus*; et *malus* optat
Pessimus et *peior*; *parvus minor* ac *minimus* vult;
Maximus et *maior magnus*: *multus*que poposcit
Plurimus, et neutrum numero dans *plus* modo primo.

Irregulariter comparantur haec nomina [25]):
Bonus, melior, optimus [26]).
Malus, peior, pessimus [27]).
Parvus, minor, minimus [28]).
Magnus, maior, maximus [29]).
Multus, plurimus; multa plurima; multum, plus, plurimum [30]). Nam *plus* in singulari est quasi substantivum, et neutri tantum generis; in plurali adiectivum et omnis generis, ut supra docuimus [31]).

---

22) Unde adverbium *nuper*: at nomen positivum in *us* desinere Capro ap. Priscianum, col. 606, videtur.

23) Qua voce Ennium et Accium usos testatur idem Priscianus, col. 607 et 716.

24) Ita Priscianus, col. 606: at Vossius a *maturissimus* contractum opinatur.

25) Irregulariter comparatis accenseri etiam possunt multa a nobis superius tradita: quia tamen in illis Positivi analogia quaedam retinetur; haec vero ab eo longissime recedunt, in diversa ea classe collocanda videbantur.

26) *Melior* ex *mavelior* factum (ab antiquo *mavelis* pro *mavis*) per Syncopen; vel ab *ἀμείνων* Tarentino, pro *ἀμεινων*, *n* in *l* conversa. *Optimus* est ab *opto*, quasi *optatissimus*. Vid. Uraiu. p. 345, et Vossius Anal. II. 24.

27) Forte a *pessum*, quasi *pessior*. Voss. in Etym. voc. *pessum*.

28) Vel a *μείων* inserto *n*, vel potius a *μινύος*, ut Attice dictum, pro *μικρός*. Dixere tamen et *parvissimus* Lucret. I. 609 et 615, et III. 200. Varro ap. Nonium VI. 43, et Festus in voc. *Spara*: item e iunioribus Vegetius I. 8. Boetius Musicae prolog. Cael. Aurelianus Tard. I. 1, 5, et alii. Vid. Voss. II. 24, et Despaut. p. 124.

29) *Maior* quasi *magior* (unde *magis* adverbium) pro *magnior*, extrita liquida: vel (quod Vossio maxime arridet) a *μείζων*. *Maximus* e *magnissimus κατὰ συγκόπην* factum videtur.

30) *Plus* a *πλέον*, *n* in *s* conversa. Ab hoc ductum *plusimus* vetustum, pro quo deinde *plurimus* dictum. Adferunt quidam ex Cic. ad

Digitized by Google

III. COMPARATIO ELLIPTICA, seu DEFECTIVA.

1. Positivo carentia.

5. Haec viduata gradu sunt pauca sequentia primo; *Ultimus*, *ulterior*; *prior*, et *primus*; *propior*que, *Proximus*; *ocyor* atque *ocyssimus* adiiciantur: *Deterior* iungi quibus et *deterrimus* ambit.

Positivo carent nomina sequentia: *ulterior*, *ultimus* [32]); *prior*, *primus* [33]); *propior*, *proximus* [34]); *ocyor*, *ocyssimus* [35]); *deterior* [36]), *deterrimus* [37]).

Attic. XI. 2, Superlativum *multissimus*; at eo loco non *ex multissimis et miserrimis curis*, quod vitiose legebatur, sed *ex multis meis et miserrimis curis*, legi debere docti iamdudum ostenderunt. *Pars* autem *multesima* ap. Lucretium VI. 651, eumque imitatum Buchananum de Sphaer. I. 658, eadem ratione dicitur qua *pars millesima*.

31) Vid. cap. III. reg. 16. n. 11.

32) Ab antiquo *ulter*: Priscianus et alii a Praepositione *ultra* deductum volunt.

33) A *pris* inusitato, unde et *pridem* et *pridie*.

34) Ab antiquo *propis*; alii a Praepositione *prope*.

35) Ab ὠκύς, cuius Comparativus cum ὠκίων sit per ι, ideo Gifanius, Dausquius, Vossius, *ocior* (non ut, vulgo, *ocyor*) scribendum putant. Alii tamen dissentiunt, atque ad Positivum ὠκύς, aliosque gradus ὠκύτερος et ὠκύτατος provocant.

36) Ab obsoleto *deter*: alii Priscianum, col. 597, secuti, a verbo *detero*.

37) Quibus, nec immerito, addit Ursinus, p. 358, et ante eum Varro L. L. VII. 89, *peior*, *pessimus*, *minor*, *minimus*, (quibus adiungas, *plus*, *plurimum*) utpote proprio Positivo destituta. *Peior* enim et *pessimus* non magis a *malus* nascuntur, quam quae illi Comparativum et Superlativum tribuit Charisius, col. 182, *nequior* et *nequissimus*. * Addit porro Verepaeus *frugalior*, *frugalissimus*; et *antiquior*, *antiquissimus*, pro *potior* vel *carior*, *-issimus*. Prius, credo, quia Quinctiliano Inst. I. 6, displicet *frugalis*, pro quo *frugi* vult dicendum. At num Positivum tantum, an vero et *frugalior* etiam et *frugalissimus* (quod Turnebo videtur) Quinctilianus reiiciat, merito dubites. Omnia certo reperiri apud bonos auctores, aiunt eius Scriptoris interpretes. Nec *antiquior* ob tralatitiam vocis significationem Positivo orbandum videtur. * Adiiciunt alii *potior* et *potissimus*: at haec a *potis*, *pote*, proveniunt, immutata nonnihil primaria verbi notione. * Quidam huc referunt *habitior*, *habitissimus*, pro *pinguior*, *pinguissimus*: at Positivo *habitus* eodem significatu utitur Gellius IV. 20. * *Penitior* et *penitissimus* Positivo privat Farnabius: sed *ex penitis faucibus* dixit Plautus Asin. I. 1, 28. * Antiquos denique *saepior* et *saepissimus*, absque Positivo, protulisse memorat Priscianus, col. 602, et 1016. At haec ab inusitato *saepus* Sanctius, *saepis* Perizonius (non ab Adverbiis *saepe*, *-ius*, *-issime*, quod facit Priscianus) deducunt, Minerv. I. 11, 8.

Digitized by Google

2. Comparativo *carentia.*

6. Orba gradu medio *nuperus*, *meritus*que, *novus*que, *Par*, *sacer*, *invictus*, *persuasus* et *inclytus* adde.

Comparativo privantur: *nuperus*, *nuperrimus*; *meritus*, *meritissimus*; *novus*, *novissimus*, mutata paulum significatione, pro *ultimus* [38]); *par*; *parissimus* [39]); *sacer*, *sacerrimus*; *invictus*, *invictissimus*; *persuasus*, *persuasissimus*; *inclytus*, *inclytissimus* [40]).

---

38) Ab hac voce, tanquam non Latina, abstinuisse Ciceronem docet Gellius, X. 21, idemque de senibus quibusdam sua aetate testatur Varro L. L. 5. §. 7. At de Cicerone falli Gellium iamdudum ostenderunt D. Gothofredus, And. Schottus, Carmichael noster, aliique, qui tria minimum indicant Ciceronis loca, in quibus *novissimus* pro *extremo* accipitur.

39) *Pariissimus* non tantum Plauti est Curc. IV. 2, 20, sed etiam Gellii, XX. 1.

40) Perperam his adiiciunt Methodi auctor, Annotatores Oxonienses et alii, *apricus*, *bellus*, *comis*, *consultus*, *diversus*, *fidus*, *invisus*, *invitus*. Nam *apricior* usus est Columella II. 3. *Bellior* ex Varrone citat Nonius II. 74. *Comior* Ciceronis est, pro Murena, c. 31. *Consultius* dixit Imp. Decius l. 3. C. de acq. et retin. poss. *Inconsultius* Caesar B. Civ. I. 45. Liv. XLI. 7. Sallust. Iug. c. 35. et Plin. in Paneg. c. 83. *Invisior* Cic. Offic. II. 9. Tacit. Annal. VI. 4, 5, et Hist. I. 12, 3. Sueton. Tiber. 13, 1. V. Max. III. 8, et IV. 7. Plin. XXII. 13, pr. Senec. de Ira II. 35. et de Clem. I. 18. Martial. VI. 21. *Invitius* Cic. de Orat. II. 89. ¶ Huc autem referri possunt, (1) *Decorus*, *decorissimus* Apul. Apol. p. 406. *putus*, *putissimus* Cic. ad Attic. II. 9, et ex usu communi *Christianus*, *Christianissimus*. A Pronomine quoque *ipse*, vel *ipsus*, est *ipsissimus* ap. Plautum Trin. IV. 2, 146. At *tuissimus* a *tuus* Neotericorum figmentum est. (2) In his Comparativum non agnoscit Iohnsonus, *germanissimus*, *gnarissimus*, *ignarissimus*, *opinatissimus*, *paedidissimus*, *pathicissimus*: ut praeteream quosdam a Plauto confictos, nec facile in exemplum trahendos Superlativos, *exclusissimus*, *geminissimus*, *occisissimus*, *oculissimus*, *patruissimus*, *ridiculissimus*, *sacrilegissimus*, *spissigradissimus*, *tuciturnissimus*, *verberabilissimus*. Cuius farinae etiam videntur quaedam ex praecedentibus: ut et *infandissimus* Varii ap. Quintilianum III. 8. et *nefandissimus* ap. Pseudo-Quintil. Decl. XVIII. 11. et Iustin. XVIII. 7, 10. * Male autem his addit, App. p. 241, *vocalissimus*, et Addit. p. 46, *secundissimus*. *Vocalior* enim habet non modo (quod ipse fatetur Addit. p. 47.) Quintil. VIII. 3, sed Seneca etiam Nat. Q. II. 29. et Gell. XIII. 19. *Secundior* vero Caesar B. G. II. 9. et Sueton. Iul. II. 2. (3) Ab antiquioribus denique Grammaticis Comparativo privantur *caesius*, *vetus* et *falsus*. Varro enim L. L. VII. 89, *caesius* tantum et *caesissimus* ait dici. Idem V. 7, a *vetus* non *veterior*, sed *vetustior*, declinat. Et Festus *fulsior* et *falsius* negat in consuetudine esse. *Veterior* tamen protulit Plautus Bacchid. V. 2, 31, uti Prisciano notatum col. 607. *Falsius* quoque dixit Petron. c. 132, ut *fulsior* ap. D. Augustinum aliosque omittam. *Falsissimus* autem, quod aversantur nonnulli, habet Columella I. 6. med. *Caesius* ad nomina in US purum exeuntia magis proprie spectat. (4) De reliquis (praeter iam dicta) Participiis, quae Comparativo deficere existimantur, commodius sub reg. 9. dicemus.

Digitized by Google

3. Superlativo carentia.

7. Haec Superante carent: *satur*, et *diuturnus*, et *ingens*,

Atque *senex*, *iuvenis*, *adolescens*, *pronus*, *opimus*;
Et finita BILIS prope cuncta, vel ILIS et ALIS:
Cum multis aliis quae nunc perscribere longum est.

Multa carent Superlativo: ut, *satur*, *saturior* [41]); *diuturnus*, *diuturnior*; *ingens*, *ingentior*; *pronus*, *pronior* [42]); *opimus*, *opimior*: item haec aetatum nomina, *adolescens*, *adolescentior*; *iuvenis*, *iunior*; *senex*, *senior*.

Superlativo etiam deficiunt:

1. Pleraque Verbalia in BILIS: ut, *tolerabilis*, *tolerabilior*; *flebilis*, *flebilior* [43]).

2. In ILIS finita penultima longa: ut, *iuvenilis*, *iuvenilior*; *civilis*, *civilior* [44]); *exilis*, *exilior* [45]), [46]).

---

41) Vid. paulo ante n. 21.

42) At *rotae ingentissimae* dixit Vegetius de re mil. IV. 8, et *pronissimus ad indulgentias* Capitolinus in Pio, c. 10.

43) Nomina in *bilis* Comparativum admittentia haec enumerat Iohnsonus, p. 120, eumque secutus Lowaeus, *admirabilis*, *aequab.* *affab.* *alib.* *amab.* *cognob.* *commendab.* *conducib.* *contemptib.* *desiderab.* *detestab.* *exsecrab.* *exorab.* *favorab.* *hab.* *horrib.* *ignorab.* *imitab.* *immob.* *impetrab.* *incredib.* *insutiab.* *intestab.* *intolerab.* *irrevocab.* *laudab.* *memorab.* *mirab.* *miserab.* *mob.* *notab.* *optab.* *placab.* *praestab.* *probab.* *sanab.* *stab.* *terrib.* *tolerab.* *tractab.* *vendib.* *venerab.* et, quod vix huius loci est, *debilis*. Quibus adde *adspectabilior*, Apul. Apol. p. 428. *delectabilior*, Id. Florid. 17. p. 808. *excusabilior*, V. Max. VIII. 11, 4. *immobilior*, Senec. Controv. 20. *implacabilius*, Tacit. Annal. I. 18, 5, et Hist. III. 53, 5. *instabilior*, Aur. Victor in Galb. c. 6. *mutabilior*, Val. Maxim. VI. 9, 14. *penetrabilior*, Macrob. Sat. VII. 12: item *credibilius* Lactant. Inst. II. 9. *inseparabilior* August. de Trin. XV. 23. *portabilius* Id. Epist. 34. et *rationabilior* l. 37. ff. de stipul. serv. et l. 34. pr. ff. de oblig. et act. Adferunt quoque ex Petronio *formidabilior*, quod non reperio. ¶ Haec autem ideo Superlativis privari, quod ipsa vocum vastitate delicatas veterum aures raderent, notat Ursinus, p. 359. Inveniuntur tamen *affabilissime*, *amabilissimus*, *habilissimus*, *mirabilissimus*, *mobilissimus*, *mutabilissimus*, *stabilissimus*, *verberabilissimus*, et, quae usu satis frequentia sunt, *nobilissimus* et *ignobilissimus*.

44) *Civilissimus* tamen dixit Spartianus de Hadr. c. 20, et Eutropius in Nerva, VIII. 1.

45) Ex his multa vix comparantur: ut, *anilis*, *hostilis*, *puerilis*, *scurrilis*, *senilis*, *servilis*, *virilis*. At *puerilius* utitur Horat. Sat. II. 3, 250. *viriliores* Lamprid. in Elagab. c. 8, extr. *virilius* Senec. de Brev. vit. c. 6. * *Vilis* autem et *subtilis* utroque et Comparativo et Superlativo satis crebra sunt.

46) Pleraque etiam in ILIS penultima brevi, a verbis ut plurimum derivata, comparationem vix recipiunt: ut, *altilis*, *coctilis*, *ductilis*, *fictili-*

Digitized by Google

5. Desinentia in ALIS: ut, *capitalis*, *capitalior*; *regalis*, *regalior* [47]).

4. Multa alia promiscuae terminationis: ut, *arcanus*, *arcanior*; *declivis*, *declivior*; *proclivis*, *proclivior*; *longinquus*, *longinquior*; *propinquus*, *propinquior* [48]).

---

lis, *fissilis*, *fossilis*, *fusilis*, *futilis*, *insensilis*, *missilis*, *nexilis*, *pensilis*, *plicatilis*, *rasilis*, *scissilis*, *sculptilis*, *sectilis*, *sensilis*, *sutilis*, *textilis*, *tortilis*, *trusatilis*, *versatilis*, *volatilis*, etc. Item, *aquatilis*, *dapsilis*, *fluviatilis*, *parilis*, *disparilis*, *saxatilis*, *umbratilis*. At comparantur *fragilis*, *fertilis*, *sterilis*: et (de quibus dictum supra) *agilis*, *docilis*, *facilis*, *gracilis*, *humilis*, *similis*, *utilis*, et eorum composita. *Dapsilius* quoque habet Lucilius ap. Nonium IV. 282.

47) Sic *penetralior* Lucret. II. 382. *mortalius* Plinius XXVI. 15. * At integre comparantur, *hospitalis* Flor. I. 16, princ. Cic. Verr. I. 26. *liberalis* Liv. XXII. 26, pr. Cic. pro Q. Rosc. c. 8: item *vocalis* et *frugalis* de quibus supra: *aequalior* ex Quintil. III. 8, profert Iohnsonus, p. 220, absque Superlativo, at *aequalissimus* dici posse comprobat non tam Tertulliani auctoritas de Anim. c. 17, quam compositum *inaequalissimus* ap. Sueton. Aug. LXXV. 3. ¶ Caetera in ALIS vix comparata inveniuntur, *artificialis*, *australis*, *exitialis*, *fatalis*, *furialis*, *generalis*, *glacialis*, *lethalis*, *maritalis*, *medicinalis*, *naturalis*, *nivalis*, *regalis*, *occidentalis*, *orientalis*, *pacalis*, *pernicialis*, *pluvialis*, *principalis*, *rationalis*, *septentrionalis*, *socialis*, *specialis*, *trivialis*, *venalis*, *vitalis*, *universalis*, etc. A *feralis* autem *feralior* extulit Pacatus in Paneg. Theod. c. 46, et *feralissimus* Salvian. de gubern. Dei, c. 1. Nec dubito quin ex praedictis aliqua, si se occasio dederit, Comparativo possint et fortassis etiam Superlativo adhiberi, ut, *australior*, *exitialior*, *fatalior* et *fatalissimus*, *venalior* et *venalissimus*, etc. quanquam nusquam forte iam exempla occurrant.

48) His adduntur, (1) Ab Ursino, p. 360. *aeternius*, *aeternior*, Plin. XIV. 1. pr. *salutaris*, *salutarior*, Cic. Nat. Deor. III. 9. *silvester*, *silvestrior*, Plin. XVI. 27: item haec Participia et Participiformia, *improvisus*, *improvisior*, Tac. Annal. II. 47, 1. *intactus*, *intactior*, Iuven. VI. 162. *infinitus*, *infinitior*, Cicer. Top. c. 8. *provectus*, *provectior*, Senec. Epist. 94. et (de quo n. 52.) *alsus*, *alsior*. (2) A Carmichaele, p. 49. *adultior*, Plin. X. 33. *barbarior*, Ovid. Trist. V. 1, 72, et de Pont. III. 2, 78. *citior*, Plaut. ap. Fest. Ovid. Pont. II. 4, 25. [al. *citius*] *conclusior*, Hygin. Poet. Astron. IV. 14. *conductior*, Plaut. Poen. III. 2, 4. [rectius *condoctior*,] *confossior*, Plaut. Bacch. IV. 8, 48. *contentior*, i. e. *magis contentus*, Id. Poen. II. 1, 15. *divisior*, Lucret. IV. 958. *impunitior*, Liv. III. 50. Pers. V. 130. *omissior*, Terent. Adelph. V. 3, 45. *remissior*, Cic. pro Muren. c. 26. Caes. B. G. V. 12, etc. *solliciti*or, Plane. Ciceroni, Fam. X. 18. Tac. Hist. IV. 58, 1. Quintil. Inst. VII. 2. * Inveniuntur tamen *citissimus*, Quintil. Inst. VI. 4. *remississimus*, Sueton. Aug. XCVIII. 2. (3) A Iohnsono App. p. 237 et seq. et Addit. p. 46. *Actuosior*, *agrestior*, *alacrior* [quod et Superlativum habere negat Charisius, col. 88.] *austerior*, *concinnior*, *corpulentior*, *exitiosius*, *fervor*, *glabrior*, *horridior*, *ignitius*, *illecebrosius*, *incolumior*, *informius*, *insubidius*, *languidior*, *lutulentius*, *mediocrius*, *meracior*, *misericordior*, *obliquior*, *perennius*, *populatius*, *prolixius*, *protervior*, *peculiarius*, *rubicundior*, *rufior*, *scabrior*, *squalidius*, *stomachosior*, *sublimior*, *surdior*, *vicinior*, *valgius*, *unguinosior*; a Positivis *actuosus*, *agrestis*, etc. * Male

Digitized by Google

4. Positivo et Superlativo carentia.

8. *Anterior* solum, *sequior*, *satior*que leguntur.

Haec tria, *anterior* [49]), *sequior* [50]), *satior* [51]), in solo Comparativo inveniuntur [52]).

---

autem Superlativo carentibus idem adnumerat, *Albidior*, *communior*, *crudior*, *dirior*, *divitior*, *glutinosior*, *hebetior*, *oculatior*, *obstinatior*, *portuosior*, *pudicior*, *rubrior*, *segnior*, *serior*, *sincerior*, *turbidior*, *vegetior*, *vividior*. *Albidissimus* enim dixit Celsus V. 26. §. 20. *communissimus* legit Casaubonus in Sueton. Vesp. c. 22, pro quo alii *comissimus*. *Crudissimus* habet idem Sueton. Aug. c. 4. *dirissimus* Varro ap. Nonium II. 247. *divitissimus* Cic. Divin. I. 36, et Nepos XIX. 1. *glutinosissimus* Colum. III. 11, extr. *hebetissimus* Plin. IX. 30. *oculatissimus* Id. XXXIV. 6. *obstinatissimus* Senec. Epist. 71. *portuosissimus* Plin. IV. 12. *pudicissimus* Id. VII. 35. *segnissimus* Apul. Apol. p. 495. *serissimus* Plin. XV. 15. Vel. Paterc. II. 131, extr. *sincerissimus* Seneca Ep. 66 et 108. Gell. XV. 1, et XX. 6. *turbidissimus* Cic. Fam. VI. 15. Quintil. I. 10. Tacit. Hist. III. 49, 8. *vividissimus* Festus (ita enim legendum videtur) pro quo alii *vivissimus*. *Ruberrimus* denique et *vegetissimus* (quae ipse in Addit. agnoscit) Celsus V. 18. §. 31. Plin. XVIII. 26. * Mitto *austerissimus* ap. Scrib. Larg. Compos. 142, et ap. Scriptores Ecclesiasticos aut inferioris aetatis *exitiosissimus*, *sublimissimus*, *surdissimus*, *misericordissimus*, *protervissime*, *vicinissime*. (4) His forte addi possunt, *Ater*, *devexus*, *effoetus*, *ieiunus*, *rancidus*, *teres*, *vulgaris*: item plurima in *osus*, *actuosus*, *cariosus*, *coenosus*, *compendiosus*, *callosus*, *contentiosus*, *dolosus*, *ebriosus*, *foliosus*, *frondosus*, *glebosus*, *iocosus*, *lanuginosus*, *lapidosus*, *lignosus*, *medicamentosus*, *morbosus*, *nebulosus*, *nervosus*, *onerosus*, *pilosus*, *prodigiosus*, *rugosus*, *spumosus*, *strigosus*, *succosus*, *torruosus*, *torosus*: et in *entus*, *esculentus*, *luculentus*, *temulentus*: quorum Comparativi *atrior*, *devexior*, *effoetior*, *actuosior*; etc. inveniuntur; at non item quod sciam, Superlativi, nisi apud Scriptores deterioris aetatis. Vid. tamen quae post dicenda sunt Append. 2. (5) De omissis Participiorum postea dicetur reg. 9. Append. 1.

49) Ab antiquo *anter*, vel *anterus*; vel, ut alii volunt, a praepositione *ante*. Scioppius *anterior* barbare dici ait: at vocis usum tuentur Borrichius Cogit. p. 47, et Perizon. ad Sanct. IV. 4, 95, non ex Sulpitio Severo tantum, Symmacho et Sidonio, sed ex ipso Caesare, B. Civ. III. 68.

50) Sive a verbo *sequor*, seu adverbio *secus*.

51) Ab adverbio *satis*. Vix alio autem genere quam neutro utimur, *satius*: ut Cicer. Attic. VII. 1, *Vincere satius est quam vinci*. *Multo satius est*, Lucret. V. 1126. *Satius ducere*, Nepos XVI. 1. Legitur quidem vulgo ap. Plin. XVII. 5, *Terra optima et operi satior*. At in Harduini editione *et satis* habetur, i. e. *frugibus*.

52) His adde *melior*, neque Positivum, neque Superlativum eiusdem originis agnoscens. ¶ Addunt alii *licentior*: verum Positivus *licens* est, non inusitatus optimis etiam auctoribus: ut, Propert. IV. 1, 26. Statio Sylv. I. init. 93, et Martial. IV. 8. * Adiiciunt Despauterius aliique *temperior*, i. e. *tempestivior*: at hoc non nisi adverbialiter *temperius* vel *temporius* reperitur, [Vid. Cic. Fam. IX. 16, et Ovid. Met. IV. 198] ab antiquo ablativo *tempori*, vel, ut olim loquebantur, *temperi*: unde verbum *tempero*; ut a *pignus*, *pignoris*, olim *pigneris*, unde *pignero*.

Digitized by Google

5. Comparativo *et* Superlativo *carentia.*

9. Haec proprio genuere gradus de corpore nullos
Nomina, vel raros: a verbis, nominibusque
Quae composta fluunt; in DUS quoque Participans, et
Dant quibus US purum fines, ICUS, IVUS et INUS,
Aut IMUS aut ORUS: cum Deminuentibus adde
Plurima, quae versu promptum comprendere non est.

Nullos vel rariores ex sese gradus emittunt nomina sequentia [53]):

1. Adiectiva cum nominibus aut verbis composita: ut, *versicolor*, *tardigradus*, *degener*, *consonus* [54]), *foedifragus*, *lucifugus*, *pestifer* [55]).

Vid. Manut. ad Cic. loc. cit. ℣ Rectius hue referri potest Comparativus *alsior*, vel *alsius*, quo utitur Cicer. ad Attic. IV. 8, et ad Q. Fratr. III. 1. c. 2, nusquam enim *alsus* aut *alsissimus* invenimus: quamvis *alsia corpora* dixerit Lucret. V. 1014. ℣ Eodem fere pacto reperitur *applicior* ap. Apul. Met. X. p. 842, solo Comparativo, et ap. Gell. X. 12. *exequentissimus*: solo Superlativo; *applex* enim aut *appliciissimus*; et *exequens*, aut *exequentior* frustra quaesiveris. * *Novissimus* itidem prima secundoque gradu privant Charis. col. 130, Donatus, 1746, et Consentius, 2022. At vid. supra reg. 6.

53) In nominibus autem eiusmodi, Comparativus et Superlativus supplentur per adverbia *magis*, et *valde* vel *maxime*: quae circumlocutio in comparabilibus quandoque locum habet: ut, Ovidius Art. I. 476, *Quid magis est saxo durum; quid mollius unda?* Cic. Div. IV. 3, *Homo valde studiosus et diligens.* Terent. Andr. V. 1, 16, *Quibus id maxime utile est.*

54) Talia plerumque sunt, a nominibus *color*, *genus*, *gradus*, *lex*, *modus*, *sonus*, etc. composita. Cui etiam classi referenda sunt haec a Iohnsono observata, *exanimus*, *magnanimus*, *inermis*, *imbellis*, *rebellis*, *anceps*, *praeceps*, *discors*, *excors*, *infamis*, *multiformis*; *affinis*, *confinis*, *cornus*, *inops*, *expers*, *exsanguis*, *exsors*, *exspes*, a nominibus *animus*, *arma*, *bellum*, *caput*, *cor*, *fama*, *forma*, *finis*, *nervus*, *opis*, *pars*, *sanguis*, *sors* et *spes*, composita. ℣ Inveniuntur tamen *percupior*, Horatius Car. III. 30, 1. *sublimior*, Iuven. XI. 24. (et ap. Symmach. Epist. VI. 56, *sublimissimus*), *concordior*, Plaut. Aul. III. 5, 7, et *concordissimus*, Cic. pro Ligar. c. 2. *secordior*, Sidon. Epist. V. 7. *secordissimus*, Apul. Apol. p. 444, *vecordior*, Aur. Vict. de Caes. XL. 17. *vecordissimus*, Cic. pro dom. c. 56. *misericordior*, Plaut. Rud. I. 5, 23, et ap. Augustin. et Salvian. *-dissimus*. Item *deformior*, Martial. IV. 79, et *-missimus*, Gell. IV. 11. *versipellis*, *versipellior*, Porcius Latro. Declam. in Catil. c. 9. *amentior*, Suet. Aug. p. 65. *amentissimus*, Cic. Phil. V. 23. *dementior*, Id. in Pis. c. 20. *dementissimus*, Id. de Arusp. resp. c. 27. *spissigradissimus* Plautinum est Poen. III. 1, 8, nec temere imitandum.

Digitized by Google

2. Participia in DUS: ut, *amandus, lugendus* [56]). Item Verbalia in BUNDUS: ut, *errabundus, pudibundus* [57]).

3. Nomina in US purum, sive praeeunte vocali, desinentia: ut, *dubius, caeruleus, vacuus* [58]).

4. Finita in ICUS penultima brevi: ut, *famelicus, modicus* [59]).

5. Finita in IVUS: ut, *fugitivus, demonstrativus* [60]).

---

55) Incomparabilia porro sunt, quae a verbis hisce sunt composita, *bibo, frango, fugio, fero, gero, lego, vomo, voro*, etc. De comparatione compositorum ex *dico, facio, volo* et *loquor*, superius dictum. Sed ex his etiam haud pauca comparationem non recipere notat Iohnsonus, p. 229: ut, *blandidicus, falsidicus, veridicus*: et *castificus, horrificus, laetificus, luctificus, mellificus, moestificus, monstrificus, pacificus, tabificus*, et *tardiloquus*. * *Sacrilegissimus* tamen usus est Plautus Rudent. III. 4, 1.

56) *Infandissimus* tamen et *nefandissimus*, ut supra notatum, adhibuerunt Quintilianus et Iustinus. * *Admirandissimus, colendissimus, metuendissimus* posteriorum sunt temporum. At *reverendissimus*, quatenus dignitatis est titulus, ab ipsa necessitate et usu commendatur. ¶ Participia in RUS, quae huc quidam adiiciunt, incrementum nec prorsus comparationem recipiunt.

57) A *tremebundus* tamen est *tremebundior*, ap. Colum. X. v. 396.

58) At inveniuntur *arduior* et *arduissimus*, Cato ap. Priscianum, col. 600. *assiduior*, Varro R. R. II. 9. *assiduissimus* et *assiduissime*, Sueton. Aug. LXXI. 3. Cic. de clar. orat. c. 91. *egregior*, Iuven. XI. 12. Lucr. IV. 469. *egregiissimus*, Pacuv. ap. Priscianum, loc. cit. Gell. XIV. 5. *exiguior*, Ulpian. l. 75, de legat. 3. *exiguissimus*, Ovid. Heroid. XIV. 115. *industrior*, Plaut. Most. I. 2, 71. Gracch. ap. Prisc. p. 601. Cato ap. Charis. p. 181. Cic. pro dom. c. 11. *innoxior*, Cato ap. Prisc. l. c. *idonior*, vel *idoneior*, Paulus l. 2. ff. de popul. act. *luxurior*, Val. Max. IX. 1. *noxior* et *noxiissimus*, Senec. de Clement. I. 13 et 26. [pro quibus Lipsius *obnoxior*, et *noxiosissimus* legit.] *perpetuior* et *perpetuissimus*, Cato ap. Prisc. l. c. *ptissimus*, (quanquam id Cic. in Antonio reprehendit Philipp. XIII. 19.) Tacit. Agric. XLIII. 7. Florus IV. 7, 15. Curtius IX. 6, 17: ut utrumque Senecam, Pseudo-Quintilianum, Ausonium, et innumeras Inscriptiones veteres omittam. *Strenuior*, Plautus Epid. III. 4, 10. *strenuissimus*, Cato R. R. prooem. Sallust. Catil. c. 60. Tacit. Hist. IV. 69, 1. Plin. XVIII. 5. *vacuissimus*, Ovid. Pont. III. 1, 141. Mitto *caesiissimus*, pro *caesiissimus*, a *caesius*, absque Comparativo, iuxta Varronem, L. L. VII. 89, et *necessarior*, ap. Tertull. de Patient. c. 11. ¶ Quidam comparationis legi eximunt et *tenuis*: at *tenuior* et *tenuissimus* optimis auctoribus sunt frequentata.

59) *Rusticior* tamen dixit Seneca Epist. 88, et Gell. XVII. 2. *rusticius*, Horat. Sat. I. 3, 81. *pathicissimus*, Martial. XII. 96. * Huc quoque referri possunt multa in *cus*, praecedente consonante, non comparata: ut, *coruscus, flaccus, luscus, mancus, plancus, truncus, uncus, aduncus*: item, *caducus, glaucus, raucus*. *Fuscior* tamen utitur Martial. XIV. 62, *mancior* etiam habet Iul. Scaliger de Caus. L. L. VII. 141; an licite, alii viderint. ¶ * De nominibus in *ficus* et *dicus* saepius dictum.

60) *Lucrosus* tamen, *festivus, tempestivus* et *intempestivus* comparantur: at duo postremi absque Superlativo. Vid. Ovid. Met. XIII.

Digitized by Google

6. Finita in INUS: ut, *matutinus*, *internecinus* [61]).
7. Finita in IMUS: ut, *legitimus*, *limus* [62]).
8. Finita in ORUS: ut, *canorus*, *odorus* [63]).
9. Deminutiva: ut, *tenellus*, *maiusculus* [64]).
10. Plurima denique variae terminationis: ut, *almus*, *mirus* [65]), *egenus*, *lacer*, *memor*, *sospes* [66]), etc.

---

792. Sueton. Tiber. c. 48. Cic. Fam. VI. 4. Teront. Adelph. V. 9, 26. Gell. II. 29. Val. Max. VII. 8, 9. * Multa etiam in VUS, praecedente consona, incomparabilia sunt: ut, *calvus*, *curvus*, *fulvus*, *furvus*, *gilvus*, *helvus*, *servus*: item *cavus*, *flavus*, *laevus*, *navus* vel *gnavus*, *ravus*, *scaevus*. *Ignavus* vero (contra quam docet Carmichael, p. 50.) integre comparatur, *ignavior*, Cic. Verr. II. 78. *ignavissimus*, Liv. V. 28.

61) Sic *adulterinus*, *belluinus*, *clandestinus*, *faecutinus*, *ferinus*, *felinus*, *genuinus*, *inopinus*, *necopinus*, *intestinus*, *peregrinus*, *repentinus*, *rupinus*, *vespertinus*, penultima longa; et eadem brevi, *diutinus*, *geminus*, *pristinus*, *serotinus*, et quorum significatio comparationem vix patitur, *adamantinus*, *byssinus*, *crystallinus*, *coccinus*, *glaucinus*, *prasinus*, *smaragdinus*, etc. Reperimus tamen *divinior*, Horat. Sat. I. 4, 43. et *divinissimus*, Cic. de leg. II. 18. *repentinior*, Apul. de mund. p. 719. *supinior*, Martial. II. 6. *vicinior*, Plin. XXXIV. 14. Ovid. Fast. VI. 275, et apud Scriptores mediae aetatis *Latinior* et *Latinissimus*. Augustinus etiam Doctr. Christ. I. 23, *vicinissime* utitur.

62) Sic *finitimus*, *maritimus*, *simus*, *resimus*; et, do quibus ante dictum, *exanimus*, *inanimus*, *magnanimus*, et similia. *Opimior* tamen dixere non tantum Apuleius Met. V. p. 157, et Ausonius in Monosyll. sed etiam Cic. Orat. c. 47, et Gell. V. 14.

63) Sic *honorus*, *inhonorus*, *indecorus*, *inodorus*, *sonorus*, *soporus*; at *decorissimus* Apul.

64) Ex his multa sunt a Comparativis ipsis derivata; ut, *grandiusculus*, *meliusculus*, *plusculus*. Caetera vero; ut, *candidulus*, *floridulus*, *vegulus*, *blandulus*, *aureolus*, *nasutulus*, *miscellus*, *nigellus*, *pulchellus*, *glabellus*, etc. significationis incrementum vix recipiunt. Inveniur tamen *bellior* (de quo supra n. 40.) et *bellissimus* ap. Cic. ad Attic. VI. 4. *Pusillior* quoque extulit Apuleius, Met. V. p. 149. An vero et id ipsum Deminutivum statuendum sit, nondum liquido exploratum habeo. Caeterum multa sunt in LUS (praeter Deminutiva) quae comparationem vix admittunt: qualia sunt, *aemulus*, *anhelus*, *caerulus*, *credulus*, *deridiculus*, *edentulus*, *frivolus*, *garrulus*, *incredulus*, *innubilus*, *masculus*, *mutilus*, *nubilus*, *patulus*, *pendulus*, *pullus*, *querulus*, *ridiculus*, *rutilus*, *sedulus*, *stridulus*, *subdolus*, *tinnulus*, *tremulus*, *vernaculus*, *vetulus*.

65) *Mirior* tamen utitur Titinnius ap. Festum, et *mirius* Varro ap. Nonium II. 515.

66) His adiiciunt, (1) Quae incrementum non recipiunt; qualia sunt Gentilia; ut, *Romanus*, *Spartiata*: Possessiva; ut, *patrius*, *Evandrius*: Numeralia; ut, *primus*, *decimus*: Materialia; ut, *aureus*, *aeneus*: Interrogativa; ut, *qualis*, *quantus*: Temporis significativa; ut, *hesternus*, *crastinus*: Exeuntia in *plex*; ut, *duplex*, *triplex*. Excipe *simplex*, *multiplex*: at posterius absque Superlativo. Vid. Voss. Anal. II. 27. (2) His annumerat Lancilottus, et ex eo Carmichael, p. 50, quamvis augmenti capacia, *campester*, *pedester*, *palustor*, *volucer*, *uber*, *agrestis*, *vulgaris*. At *uberior* et *uberrimus* frequentia sunt: *agrestior* quoque Ciceronis est, Tusc. V. 27. *vulgarior* Livii XXV. 17. Confer supra n. 48. (3) Incom-

Digitized by Google

parabilibus praeterea accensentur a Vossio, Danesio, Farnabio aliisque, *balbus, canus, cicur, claudus, compos, crispus, dispar, exos, hodiernus, impos, ieiunus, mediocris, mutus, opimus, praeditus, sylvester.* Verum *crispior* utitur Plin. XXII. 22, et alibi saepius, *crispissimus* Colum. XI. 3. *ieiunior* Cic. de Clar. orat. c. 12, et multis aliis locis, *mediocrius* Id. Attic. I. 20, et XII. 46. *opimior* Cicero aliique, ut supra monitum; *sylvestrior* Plin. XVI. 27, et XXII. 24. §. 71. Confer et Iohnson. p. 218. (4) At longe omnes vicit Iohnsoni diligentia, qui, praeter ea quae a nobis supra exposita ac in capita quaedam digesta sunt, hanc insuper adiungit adiectivorum solitae comparationis expertium seriem, p. 219. *Acclinis, accumbus, aegrotus, albus; Caecus, catus, creperus; Ferus, fluidus, foenebris, funebris, fortuitus, fulgidus; Gibber* et *gibbus, gracilentus, gravidus; Herbidus, hirtus, hispidus; Indigus, infernus, infidus, inhospitus, insons, intempestus, iovidus, irritus, iugis; Ludicrus* vel *ludicer, luridus, lutulentus; Macilentus, marcidus, madidus, medicus, memor, merus, montanus, morbidus, morus, mucidus; Nudus, nuperus; Oblivionus, obstipus, olidus, orbus; Pandus, peculiaris, perfidus, praeposterus, privus, prodigus, properus, providus; Rabidus, reclinis, regularis, repandus, retarridus, roscidus, rudis, rusticanus; Sanguinolentus, scapiosus, sinuosus, sons, sudus, supernus; Tabidus, temulentus, trux, turgidus; Vagus, udus, ventriosus, vesanus, vesecus, victrix, vietus, uvidus, vultuosus:* Item haec Participiorum naturam imitantia, *Albatus, auratus, calamistratus, cincinnatus, crinitus, decrepitus, fucatus, gradatus, insolitus, lassus, nefastus, vincatus. Delirus* autem, *deses, dilabidus, profanus* et *reses*, quae his interserit, ad ea pertinent quae notis 54 et 55 memoravimus: utpote a nominibus *lira* et *fanum*, verbisque *labor* et *sedeo* composita. Ex his tamen nonnulla comparata inveniuntur: *Caecior* enim habet Horat. Sat. I. 2. 91. *hirtior* Apul. de herb. c. 71. *olidissimus* Petron. c. 21. *sinuosius* Gell. XII. 5. *temulentior* Sidon. Epist. III. 13. Et *fucatius, lutulentius, madidior*, ipse postea ap. Auson. Idyll. IV. Praefat. (addere potuit et ex Gell. XIII. 26, *fucatior*) Plaut. Poen. I. 1, 30, et Plin. XXVII. 5, observat, Addit. p. 45. Porro *insons* et *trux* integre comparat Rheman. Palaemon, col. 1869. *memorior* quoque habet Priscianus, col. 699: et (de quo supra diximus) *nuperrimus*, col. 606. Lactantii etiam est Inst. III. 18, *delirius.* * Immerito autem, mea sententia, Lilium Iohnsonus exagitat, App. p. 225, quod de Comparativi formatione agens, adferat exempli loco *albior*, quod nusquam (ait ille) apud idoneum auctorem reperitur. Varro enim, Romanorum doctissimus, de hac ipsa re loquens, L. L. VII. §. 29 et 39, a voce *album*, *albius* et *albissimum* declinat. ¶ Caeterum, quamvis mirificam sane maximeque laudandam hac in re diligentiam Iohnsonus posuerit, neutiquam tamen ei vel cuiquam fere mortalium speranduum fuit, ut voces comparabiles ab incomparabilibus ita suis finibus discretas exhiberet, quin aliae postea aliis observandae, atque hinc aut illinc collocandae superessent. Quam vere autem hoc a me sit pronunciatum, ostendet hocce satis largum nominum a Iohnsono omissorum (in quibus extra positivum vel nulli vel rarissimi gradus iam conspiciuntur) apicilegium. *Acclivis, ales*, i. e. *velox, artifex*, i. e. *artificiosus, assus; Blaesus; Convexus, curtus; Daedalus; Fumidus; Galbus, gnarus; Impavidus, index, intrepidus, iocularis; Lassus, lippus; Mutus; Perpes, putridus, putris; Ravidus; Singularis, subitus; Terrestris, torpidus, torridus, trepidus; Vapidus, varus.* Item haec in OSUS, *Aeruginosus, argillosus, arundinosus; Biliosus; Calculosus, cavernosus, cerebrosus, clamosus, clivosus, confragosus, contagiosus, cretosus; Dumosus; Facetosus, fastosus, fragosus, fucosus; Globosus, graminosus, granosus; Lacrymosus, lentiginosus, limosus, lutosus; Maculosus, meticulosus, montosus, mulierosus, musculosus; Nemorosus, nimbosus, nivosus, nummosus; Paludosus, pal-*

Digitized by Google

mosus, pannosus, pediculosus, petrosus, piscosus, plagosus, pluviosus, pruinosus; Rabiosus, racemosus, rubiginosus, rixosus, ruinosus; Sabulosus, saxosus, scabiosus, scelerosus, scopulosus, setosus, siticulosus, sonniculosus, squamosus, strumosus, sylvosus; Verminosus, vermiculosus, verrucosus, et alia plura. Item haec in ENTUS, *amarulentus, bucculentus, floridulentus, frustulentus, iurulentus, mustulentus, potulentus, pulverulentus, purulentus, rorulentus, vinolentus, virulentus*. Item haec in AX, *bibax, emax, augax, pellax, vendax*. Ut taceam nomina in ILIS, ALIS, ICUS, INUS, etc. a nobis superius commemorata. Neque dubium est, quin plurima alia id sedulo agentes sint deprehensuri. ¶ Superest priusquam hanc materiam absolvam, ut de Participiis, aliisque de Comparatione in genere observandis, duplicem hic in calce Appendicem subnectam.

APP. I. *De Comparatione* Participiorum.

De Participiorum aut *Participiformium Comparatione* omnium accuratissime egerunt duo insignes Grammatici M. Elias Maior Vratislaviensis, et saepius a nobis laudatus laudandusque Rich. Iohnsonus, hic sub finem suae Apparatus, et Additt. p. 59, ille in libro postumo de varianda oratione, p. 116 et sqq. Nos autem (omissis quae supra attigimus) ea primum recensebimus, quae uterque apud Auctores comparata ostenderunt: ac deinde illa quae a nobis praeterea observata sunt, adiiciemus.

1. A IOHNSONO integre comparata inveniuntur, Praesentis temporis, *Abstinens, abundans, affluens, amans, appetens, ardens; Confidens, consignans, constans, continens, conveniens; Decens, diligens; Egens, eminens, evidens, exultans; Fervens, flagrans, florens, fulgens; Impotens, indecens, indulgens, infans, innocens, insolens, instans, intolerans; Libens; Nocens; Obediens, observans, obsequens; Patens, patiens, perseverans, pollens, praecellens, praesens, praestans, providens, pudens; Reverens; Sapiens, sciens, significans; Torrens; Valens, vigilans.*

Praeteriti, *Abiectus, abruptus, absolutus, acceptus, accommodatus, accuratus, acutus, apertus, apparatus, arctus, attentus, aversus, auspicatus; Beatus; Cautus, celebratus, circumspectus, citatus, cognitus, commendatus, compositus, concitatus, confertus, confusus, coniunctus, consideratus, contemptus, corruptus, cultus, cumulatus; Demissus, deprehus, desertus, desperatus, dilectus, dilutus, disiunctus, dissolutus, distortus, distractus, doctus; Editus, efferatus, effusus, electus, emendatus, eximus, eruditus, exactus, excitatus, excusatus, exercitatus, exoptatus, expertatus, expeditus, exploratus, exquisitus, extensus v. -tus; Honoratus; Ignotus, impeditus, impensus, inauspicatus, incitatus, inconsideratus, incorruptus, inquinatus, inscitus, inseparatus, instructus, intentus, iratus, iunctus; Laudatus, lectus; Mansuetus, medicatus, minutus, moderatus, modulatus, munitus; Neglectus, notus; Occlusus, occultus, occupatus, odoratus, optatus, ornatus; Pacatus, paratus, perditus, perfectus, perturbatus, pervagatus, perversus, placatus, politus, praeruptus, probatus, productus, proiectus, promptus, purgatus; Quaesitus, quietus; Receptus, refertus, remotus, restrictus; Sacratus, sceleratus, secretus, sedatus, solutus, spectatus, subiectus, suspectus; Tectus, temperatus, tritus.*

2. Absque Superlativo, *Albicantius, arrogantior, asseverantius, audentior; Consonantior, copulantius, cunctantius; Diffidentius, dolentius, dominantior; Excellentius, extantior, exuperantior; Festinantius, fidentius, furentior; Iactantior, ignoscentior, indiligentior, intemperantior; Latentius, lubentius; Metuentior, moderantius; Negligentior, nitentior; Profluentius, prominentior, properantius, pugnantius; Reticentior; Simulantior, sonantior, stagnantior; Temperantior, trepidantius*: Et, *Abductius, abscisior, abstrusior, accinctior, addictius, adductior, adiunctior,*

Digitized by Google

adminiculatior, adstrictior, affixius, affectatius, afflictior, agitatior, altior ab *alo, appositior, arrectior, assuetior, attractior, attritior, auctior; Cavillatior, circumscriptior, coactius, coarctius, coctior, cohibitior, collectior, coloratior, comitatior, commotior, compertius, compressior, comptius, conciliatior, concretius, conditior,* a *condio, condoctior, confirmatior, conspectior, constrictius, contentius* a *contendo, contatius, contortius, contractior, conturbatior, correctior, culpatius, cunctatior, cuneatior, curatius; Damnatior, decoctius, deductior, deliberatius, descriptius, devexior, devinctior, diffusius, directior, diruptior, dispositius, distinctius, districtior, distributius; Effrenatius, elatius, elutius, enarratius, enodatius, erectius, evinatior, exactior, exaggeratius, experrectior, explanatius, explicatius, explicitius, expolitior, expressior, exsuctior; Festinatius, fluxior, fractior, fusior; Glomeratius; Imminutior, immoderatius, imperceptior, improvisior, incautior, incensior, inclinatior, incomptior, inconsultius, incultius, induratius, inflatior, inoffensius, insignitius, intortius, irritatior; Laxatior, libratior, limatius; Obligatior, obsoletior, obtusior, offensior, offirmatior, ordinatior; Pensior, perquisitius, pictius, pollutior, porrectior, praefractior, pressius, propensior, properatius, protectior, provectior; Recondititor, reductior, refusius, requietior, resolutior, retractatius, retractius; Saturatior, seductior, separatius, scitius, simulatius, spoliatius, sparsior, strictior, sublatius, succinctior, summissius, suppressius; Tacitius, tersior, testatior, turbatior; Venenatior, veneratior, vibratior, unctior.*

3. Absque **Comparativo**, *Candentissimus, conficientissimus, cupientissimus; Discrepantissimus; Eloquentissimus, experientissimus; Impudentissimus, indignantissimus; Persequentissimus; Rigentissimus; Servantissimus, superantissimus:* Et, *Affectissimus, affirmatissime, argutissimus, armatissimus, attenuatissimus; Conceptissimus, conquisitissimus, consociatissimus, consuetissimus, consummatissimus, contaminatissimus; Deditissimus, defamatissimus, defectissimus, deformatissimus, desideratissimus, despectissimus, despicatissimus, devotissimus, distentissimus* a *distineo, divulgatissimus, dotatissimus; Effeminatissimus, effertissimus, excelsissimus, excogitatissimus, excussissimus, expertissimus, exsecratissimus, extenuatissimus; Fundatissimus; Immansuetissimus, implicatissimus, inculpatissimus, inordinatissimus, inquietissimus, insulsissimus, intemperatissimus, involutissimus, iurisconsultissimus; Mixtissimus; Nominatissimus, notatissimus; Perspectissimus, pervulgatissimus, profligatissimus, profusissimus; Receptissimus; Stercoratissimus, suspensissimus; Temperatissimus; Vulgatissimus.*

His adde, ex EL. MAIORE: **Praesentis**, *Efferventior, micantior, superantior:* Et, *audentissimus, exsuperantissimus, retinentissimus.* **Praeteriti**, *Conspiratius, constructior, delectatior, effectius, exercitior, -issimus, inquisitius, laevatior, repulsior, substrictior, vestitior, -issimus:* Et, *castigatissimus, contentissimus, dispositissimus, expolitissimus, extructissimus, memoratissimus, ordinatissimus, sublatissimus.* Item haec: Participiis similia, *aquatior, cupillatior, lanatior:* et *gypsatissimus.* Et haec inferioris aevi, *cogentior, differentior; congruentissimus, dignantissimus, evigilantissime:* et *colligatior, impressior, multiplicatior; conciliatissimus, dicatissimus, enucleatissimus, inexpeditissimus, opinatissimus:* et sp. Tertullian. *sulphuratior.*

Utriusque industriam effugerunt, **Praes.** *Candentior, cupientior, impudentior, insipientior, pissimus, petulantior, -issime, tolerantior, -issimus, utentior; arrogantissimus, consonantissime, excellentissimus, fragrantissimus, insscientissime, intemperantissimus, temperantissimus.* **Praeter.** *Abditior, -issimus, argutius, coloratior, correptius, deditior, defectior, detectior, devotior, distentior* a *distendo, effeminatior, elimatior, excelsior, fundatior, immansuetius, infensior, infractior, inhonoratior, insultius, in-*

Digitized by Google

temperatius, literatior, -issimus, notatior, obaeratior, perplexior, pervulgatior, profusior, protentior, recensior, recisius, reconditior, salsior, -issime, suspensior, tensior, vulgatior; appositissime, conscelleratissimus, curatissimus, effrenatissimus, exornatissimus, illigatissimus, illiteratissimus, immoderatissimus, imparatissimus, improbatissimus, inopinatissimus, mellitissimus, obsoletissimus, pollutissimus, propensissimus, perpolitissime, repertissimus, scitissimus, strictissimus, tersissimus. Ut haec deterioris aetatis praeteream, *Adulantior, fragrantius, operantior, -issimus, peccantius, pertinentius, repugnantius; Festinantissime, fidentissime, iactantissime, inconsiderantissime, negligentissimus*, al. *neglectissimus, properantissime, redundantissimus:* Et *auratior, cavatior, concisior, destinatius, diminutior, exsertior, -issime, inauratior, inquietior, insuetius, abominatior, obstrictior, perosior, perpensius, reparatior, saginatior, subductior;* *Compitissimus, devinctissimus, enodatissime, incautissimus, inconsultissimus, infestatissimus, satiatissime, testatissimus, venenatissimus, unctissimus.*

Not. vero quod *olentius*, et *repugnatior* quae ex Tibull. IV. 2. 27. et Ovid. Met. XIV. 21, profert Iohnsonus: item, *praecipitatior, eligentissimus, tentissimus*, quae ex Apul. de Mund. p. 719. Gell. I. 7. et Petron. c. 36, profert Maior, melioribus codicibus, *olentibus, expugnacior, praecipitatio, elegantissimus, lentissimus*, legantur.

APP. II. *Quaedam de* Comparatione *in genere* Observationes.

1. Obsolete comparata non sunt in usum revocanda: ut, *mirior* ap. Festum, *memorior* ap. Priscianum, *parvissimus* ap. Lucretium et alios.

2. Nec iis utendum quae ioci plerumque causa Plautus confinxit: ut, *geminissimus, oculissimus, verberabilissimus*, etc.

3. Nec adhibenda promiscue, quae non nisi semel, aut cum προσφεγείᾳ quadam ab Auctoribus sunt usurpata; ut, *Plautinissimus* ap. Gell. III. 3. *philosophissimus* Novell. XX. c. 9. *cinaedior* ap. Catull. X. 24.

4. Poetica quoque a prosae convenientibus sunt distinguenda: ut, *barbarior* Ovidii, *pathicissimus* Martialis.

5. Non minus cavendum a recentioribus. Sic *retrosior, enucleatissimus, opinatissimus, unissimus, servilissimus*, seculo suo relinquenda sunt: quanquam duo posteriora Emphasis forte excuset. Multa etiam quae Apuleium habent Auctorem haud temere adhibenda putem.

6. Usus et iudicium aurium ubique consulenda sunt. Quamvis enim optimorum Auctorum exemplis praecipue ac fere unice sermo Latinus innitatur; non tamen in tanta veterum Scriptorum iactura adeo arctandi mihi videntur linguae Romanae limites, ut nullis iam adiectivorum gradibus uti liceat, praeterquam quos paucissimi illi codices, ex omni antiquitate ad nostra tempora perducti nobis servarunt. Hac igitur in re satis esse opinamur ab iis abstinere, quae veteres consulto vitasse, quaeque ipsa soni duritie auribus offensionem allatura videntur; in aliis vero, ubi nihil eiusmodi prorsus sentitur, liberum, re sic ferente, nobis usum permittere. Hoc pacto, quamvis *eloquentior, profligatior, malevolentior*, et *insultissimus, ambitiosissimus, bibacissimus*, nusquam forte iam reperiantur; nihil tamen impedire existimem, quo minus, si idonea se occasio cuiquam praebuerit, tuto ea ac legitime usurpare possit. Eodemque iure in multis aliis standum videtur.

7. Sunt quidam Superlativi ab aliis formati; ut, *Extremior* ap. Apul. Met. I. p. 15. *extremissimus* ap. Tertull. Apol. c. 19, ab *extremus; Postremior* ap. eund. Apul. de Deo Soer. p. 670. *postremissimus* in Orat. C. Gracchi ap. Gell. XV. 12, a *postremus; Minimissimus* a *minimus* ap. Arnob. lib. V. *Intimior* ab *intimus* ap. recentiorum seculorum Scriptores. At haec vix iam recipienda videntur. *Proximior* autem, quo non tantum Ulpianus, l. 1. §. 8. ff. unde cognat. et Vegetius de re Mil. I. 20, extr.

Digitized by Google

adminiculatior, adstrictior, affixius, affectatius, afflictior, agitatior, altior ab *alo, appositior, arrectior, assuetior, attractior, attritior, auctior; Cavillatior, circumscriptior, coactius, coarctius, coctior, cohibitior, collectior, coloratior, comitatior, commotior, compertius, compressior, comptius, conciliatior, concretius, conditior,* a *condio, condoctior, confirmatior, conspectior, constrictius, contentius* a *contendo, contatius, contortius, contractior, conturbatior, correctior, culpatius, cunctatior, cuneatior, curatius; Damnatior, decoctius, deductior, deliberatius, descriptius, devexior, devinctior, diffusius, directior, diruptior, dispositius, distinctius, districtior, distributius; Effrenatius, elatius, elutius, enarratius, enodatius, erectius, evinatior, exactior, exaggeratius, experrectior, explanatius, explicatius, explicitius, expolitior, expressior, exsuctior; Festinatius, fluxior, fractior, fusior; Glomeratius; Imminutior, immoderatius, imperceptior, improvisior, incautior, incensior, inclinatior, incomptior, inconsultius, incultius, induratius, inflatior, inoffensius, insignitius, intortius, irritatior; Laxatior, libratior, limatius; Obligatior, obsoletior, obtusior, offensior, offirmatior, ordinatior; Pensior, perquisitius, pictius, pollutior, porrectior, praefractior, pressius, propensior, properatius, protectior, provectior; Reconditior, reductior, refusius, requietior, resolutior, retractatius, retractius; Saturatior, seductior, separatius, scitius, simulatius, spoliatius, sparsior, strictior, sublatius, succinctior, summissius, suppressius; Tacitius, tersior, testatior, turbatior; Venenatior, veneratior, vibratior, unctior.*

3. Absque **Comparativo**, *Candentissimus, conficientissimus, cupientissimus; Discrepantissimus; Eloquentissimus, experientissimus; Impudentissimus, indignantissimus; Persequentissimus; Rigentissimus; Servantissimus, superantissimus:* Et, *Affectissimus, affirmatissime, argutissimus, armatissimus, attenuatissimus; Conceptissimus, conquisitissimus, consociatissimus, consuetissimus, consummatissimus, contaminatissimus; Deditissimus, defamatissimus, defectissimus, deformatissimus, desideratissimus, despectissimus, despicatissimus, devotissimus, distentissimus* a *distineo, divulgatissimus, dotatissimus; Effeminatissimus, effertissimus, excelsissimus, excogitatissimus, excussissimus, expertissimus, exsecratissimus, extenuatissimus; Fundatissimus; Immansuetissimus, implicatissimus, inculpatissimus, inordinatissimus, inquietissimus, insulsissimus, intemperatissimus, involutissimus, iureconsultissimus; Mixtissimus; Nominatissimus, notatissimus; Perspectissimus, pervulgatissimus, profligatissimus, profusissimus; Receptissimus; Stercoratissimus, suspensissimus; Temperatissimus; Vulgatissimus.*

His adde, ex **EL. MAIORE**: **Praesentis**, *Efferventior, micantior, superantior:* Et, *audentissimus, exasperantissimus, retinentissimus.* **Praeteriti**, *Conspiratius, constructior, delectatior, effectius, exercitior, -issimus, inquisitius, laevatior, repulsior, substrictior, vestitior, -issimus:* Et, *castigatissimus, contentissimus, dispositissimus, expolitissimus, extructissimus, memoratissimus, ordinatissimus, sublatissimus.* Item haec Participiis similia, *aquatior, expillatior, lanatior:* et *gypsatissimus.* Et haec inferioris aevi, *cogentior, differentior; congruentissimus, dignantissimus, evigilantissime:* et *colligatior, impressior, multiplicatior; conciliatissimus, dicatissimus, enucleatissimus, inexpeditissimus, opinatissimus:* et ap. Tertullian. *sulphuratior.*

Utriusque industriam effugerunt, **Praes.** *Candentior, cupientior, impudentior, insipientior, pissimus, petulantior, -issime, tolerantior, -issimus, utentior; arrogantissimus, consonantissime, excellentissimus, fragrantissimus, insecientissime, intemperantissimus, temperantissimus.* **Praeter.** *Abditior, -issimus, argutius, coloratior, correptius, deditior, defectior, detectior, devotior, distentior* a *distendo, effeminatior, elimatior, excelsior, fundatior, immansuetius, infensior, infractior, inhonoratior, insulsius, in-*

Digitized by Google

temperatius, literatior, -issimus, notatior, obaeratior, perplexior, pervulgatior, profusior, protentior, recensior, recisius, reconditior, salsior, -issime, suspensior, tensior, vulgatior; appositissime, conscleratissimus, curatissimus, effrenatissimus, exornatissimus, illigatissimus, illiteratissimus, immoderatissimus, impparatissimus, improbatissimus, inopinatissimus, mellitissimus, obsoletissimus, pollutissimus, propensissimus, perpolitissime, repertissimus, scitissimus, strictissimus, tersissimus. Ut haec deterioris aetatis praeteream, *Adulantior, fragrantius, operantior, -issimus, peccantius, pertinentius, repugnantius; Festinantissime, fidentissime, iactantissime, inconsiderantissime, negligentissimus*, al. *neglectissimus, properantissime, redundantissimus:* Et *auratior, cavatior, concinior, destinatius, diminutior, exsertior, -issime, inauratior, inquietior, inquietius, abominatior, obstrictior, perosior, perpensius, reparatior, saginatior, subductior; Compiosissimus, devinctissimus, enodatissime, incautissimus, inconsultissimus, infestatissimus, satiatissime, testatissimus, venenatissimus, unctissimus.*

Not. vero quod *olentius*, et *repugnatior* quae ex Tibull. IV. 2. 27. et Ovid. Met. XIV. 21, profert Iohnsonus: item, *praecipitatior, eligentissimus, tentissimus*, quae ex Apul. de Mund. p. 719. Gell. I. 7. et Petron. c. 86, profert Maior, melioribus codicibus, *olentibus, expugnacior, praecipitatio, elegantissimus, lentissimus*, legantur.

APP. II. *Quaedam de* Comparatione *in genere* Observationes.

1. Obsolete comparata non sunt in usum revocanda: ut, *mirior* ap. Festum, *memorior* ap. Priscianum, *parvissimus* ap. Lucretium et alios.

2. Nec iis utendum quae ioci plerumque causa Plautus confinxit: ut, *geminissimus, oculissimus, verberabilissimus*, etc.

3. Nec adhibenda promiscue, quae non nisi semel, aut cum προσφορᾷ quadam ab Auctoribus sunt usurpata; ut, *Plautinissimus* ap. Gell. III. 3. *philosophissimus* Novell. XX. c. 9, *cinaedior* ap. Catull. X. 24.

4. Poetica quoque a prosae convenientibus sunt distinguenda: ut, *barbarior* Ovidii, *pathicissimus* Martialis.

5. Non minus cavendum a recentioribus. Sic *retrosior, enucleatissimus, opinatissimus, uniissimus, servilissimus*, seculo suo relinquenda, sunt: quanquam duo posteriora Emphasis forte excuset. Multa etiam quae Apuleium habent Auctorem haud temere adhibenda putem.

6. Usus et iudicium aurium ubique consulenda sunt. Quamvis enim optimorum Auctorum exemplis praecipue ac fere unice sermo Latinus imitatur; non tamen in tanta veterum Scriptorum iactura adeo arctandi mihi videntur linguae Romanae limites, ut nullis iam adiectivorum gradibus uti liceat, praeterquam quos paucissimi illi codices, ex omni antiquitate ad nostra tempora perducti nobis servarunt. Hac igitur in re satis esse opinamur ab iis abstinere, quae veteres consulto vitasse, quaeque ipsa soni duritie auribus offensionem allatura videntur; in aliis vero, ubi nihil eiusmodi prorsus sentitur, liberum, re sic ferente, nobis usum permittere. Hoc pacto, quamvis *eloquentior, profligatior, malevolentior*, et *insultissimus, ambitiosissimus, bibacissimus*, nusquam forte iam reperiantur; nihil tamen impedire existimem, quo minus, si idonea se occasio cuiquam praebuerit, tuto ea ac legitime usurpare possit. Eodemque iure in multis aliis standum videtur.

7. Sunt quidam Superlativi ab aliis fomati; ut, *Extremior* ap. Apul. Met. I. p. 15. *extremissimus* ap. Tertull. Apol. c. 19, ab *extremus; Postremior* ap. eund. Apul. de Deo Soer. p. 670. *postremissimus* in Orat. C. Gracchi ap. Gell. XV. 12, a *postremus; Minimissimus* a *minimus* ap. Arnob. lib. V. *Intimior* ab *intimus* ap. recentiorum seculorum Scriptores. At haec vix iam recipienda videntur. *Proximior* autem, quo non tantum Ulpianus, l. 1. §. 8. ff. unde cognat. et Vegetius de re Mil. I. 20, extr.

Digitized by Google

et Min. Felix, c. 19, sed etiam Seneca Epist. 108, utuntur, potiore auctoritate nititur.

8. Adiectiva denique cum certis Praepositionibus composita, quae vel augent vel minuunt significationem simplicis, si simplex illud usitatum sit, et extra compositionem comparabile, a comparationis lege fere eximuntur. Talia sunt *praedives, praedurus, praepotens, praeposterus*: item, *depareus, edurus, egelidus*, (quae duo contrariam notionem suscipiunt) *subhorridus, subtristis, subpallidus*, etc. Excipitur *praeclarus*, cuius Comparativus et Superlativus apud optimos auctores reperiuntur. At *praestans, praestabilis, praecellens*, quae immediate a verbis fluunt, comparationem admittere usus docet. Quibus adde *praesens*, cuius simplex inusitatum: item *praefractus, -ior*, in quo mutata simplicis significatio. * Composita ex per, quae a verbis derivantur, sequuntur naturam derivatorum a verbis cum praepositione prae compositis. Sic *perquisitior, pervagatior, pervagatissimus, periurior, periurissimus*, reperias, nempe a *perquiro, pervagor, periuro*, posterius *peiero*. At ubi Praepositio per adiectivis comparabilibus intendendi causa iungitur, eam Positivi propriam esse docet Valla, Eleg. I. 17: ut, in *percarus, perdiligens, perpulcher*: neque *peroarior, -issimus*, etc. dicendum. Atqui Superlativum nonnunquam per etiam recipere volunt Vossius de Construct. c. 17, et Ursinus, p. 553, qui *perpaucissimus* ex Columella R. R. III. 20. *pertenuissimus* ex Senec. N. Quaest. II. 10. *peroptimus* ex Plaut. Mostell. III. 1, 148. *perdifficillimus* ex Liv. XL. 21. *perplurimum* ex Plin. II. 54, proferunt. Verum meliores impressi his locis, *tenuissima, optimo, per difficillimum, plurimum* habent.

CAP. V.

De Nominum Specie et Figura.

§. 1. *De* SPECIE.

Species Nominis est duplex, *Primitiva* et *Derivativa* [1]).

Primitiva est, quae a nulla alia voce ortum habet: ut, *albus* [2]).

Derivativa est, quae aliunde formatur: ut, *albedo*.

I. *Primitivae Speciei* subiiciuntur fere haec sequentia:

1. Interrogativum, quo de re quapiam quaerimus: ut, *quis? uter? qualis* [3])?

---

1) Derivata potius quam *Derivativa* vocari debere censet Vossius.

2) Primitiva ea in lingua Latina esse intelligimus, quae a nullis aliis vocibus Latinis originem ducunt: aliter enim nullae forte huic linguae sunt voces primitivae, utpote ab aliis linguis illa antiquioribus omnes acceptae. Hoc igitur pacto *ego* in lingua Latina primitivum erit, quamvis id a Graecis Latini acceperint: item *Musa*, etsi id a Graecis Latini, ab Hebraeis Graeci habeant. *Arundo* etiam, *imago*, et similia, primitiva licet statuere, quia eorum origo vel incerta, vel ignota est.

3) Eiusmodi voces, cum interrogationis vim amittunt, Indefinita seu Infinita appellantur.

Digitized by Google

2. Redditivum, quod Interrogativo respondet: ut, *talis, tantus, tot* [4]).

3. Relativum, quod vocem antecedentem respicit: ut, *qualis, quantus, quot* [5]).

4. Collectivum, quod multa in singulari significat: ut, *populus, grex* [6]).

5. Innumera denique Nomina, tam Substantiva quam Adiectiva, quae ad certas classes reduci nequeunt [7]).

II. Derivativa quintuplicia sunt. Nam quaedam derivantur,

1. A Nominibus, quae vocantur *Denominativa.*
2. A Verbis, quae *Verbalia.*
3. A Participiis, quae *Participialia.*
4. Ab Adverbiis, quae *Adverbialia.*
5. Quaedam denique a Praepositionibus orta sunt.

1. *De Denominativis.*

Denominativorum species sunt sex, viz. *Patronymica, Gentilia, Possessiva, Deminutiva, Amplificativa,* et *Denominativa* speciatim sic dicta.

---

4) Adde, Vel cum suis Relativis coniunguntur: ut, *talis* cum *qualis; tantus* cum *quantus; tot* cum *quot*, etc. ut Cic. Offic. II. 18, *Quales sumus, tales esse videamur.* Ter. Phorm. II. 4, 14, *Quot homines, tot sententiae.*

5) Notandum vero eas voces geminatas, aut adiectionem *cunque* habentes; ut, *qualiqualis*, et *qualiscunque; quotquot*, et *quotcunque*, etc. Universalia infinita appellari. Vid. Linacrum, p. 11.

6) Huc referri possunt, quamvis pleraque derivativae speciei, 1. *Nomen* Partitivum, quod multa sigillatim significat: ut, *unusquisque, uterque, uter, neuter:* Vel unum ex multis; ut, *alter, alius, caetera* et *reliquus.* 2. *Nomen* Universale, quod totam naturam eius, cui additur, verbo subiicit: ut, *omnis, cunctus, nullus.* 3. *Nomen* Particulare, quod appellativi, cui additur, partem aliquam, non totam eius naturam, verbo subiicit: ut, *aliquis, quidam, ullus.* Vid. Linacr. ibid.

7) Multae aliae a quibusdam hic traduntur nominum distinctiones; veluti, 1. *Nomen* Fictitium, quod a sono fingitur: ut, *sibilus, murmur.* 2. Synonymum, cum duae voces diversae idem significant; ut, *ensis, gladius; terra, tellus.* 3. Homonymum, cum eadem vox diversa significat: ut, *populus*, pro *turba*, et pro *arbore; acies*, pro *acumine ferri*, pro *pupilla oculi*, pro *exercitu ad pugnam instructo*, etc. 4. Ambiguum, cum eadem vox modo substantivi, modo adiectivi naturam obtinet: ut, *vigil, rex, servus;* substantivi, ut Virg. Aen. II. 266, *Caeduntur vigiles.* Ter. Eun. III. 1, 18, *Regem elegantem narras.* Iuven. IX. 120, *Lingua mali pars pessima servi.* Adiectivi, ut Horat. Car. III. 8, 14, *Vigiles lucernae.* Virg. Aen. I. 21, *Hinc populum late regem belloque superbum Venturum excidio Libyae.* Horat. Epist. I. 19, 19, *O imitatores servum pecus.* Talia, licet derivativae formae, sunt verbalia in *tor* et *trix.* V. Linacr. p. 6.

Digitized by Google

PATRONYMICA.

Patronymica proprie dicuntur, quae a parentum, maiorumve nominibus derivata, filium vel filiam, nepotem vel neptem, aliosve eorum posteros significant [8]).

1. A patre: ut, *Pelides*, i. e. *Achilles, Pelei filius.*

2. A matre: ut, *Philyrides*, i. e. *Chiron, Philyrae filius.*

3. Ab avo paterno. ut, *Aeacides*, i. e. *Achilles, Aeaci nepos.*

4. Ab avo materno: ut, *Atlantiades*, i. e. *Mercurius, Atlantis nepos.*

5. A Regibus gentiumque conditoribus: ut, *Romulidae*, i. e. *Romani*, a *Rege Romulo* [9]).

Terminationes *Patronymicorum* praecipuae sunt quatuor [10]):

DES, cuius exempla vidimus.

AS: ut, *Thaumantias*, i. e. *Iris, Thaumantis filia.*

IS: ut, *Atlantis*, i. e. *Electra, filia Atlantis.*

Ne: ut, *Nerine*, i. e. *Galatea*, aut alia *Nerei filia.*

Ex his DES masculinum est, AS, IS et NE feminina. In DES et NE *primae* sunt, in AS et IS, *tertiae Declinationis* [11]).

---

8) Quaedam etiam a fratrum nominibus, sed rarius, derivantur ut, *Phoronis*, i. e. *Io*, *Phoronei soror*; *Phaethontiae*, i. e. *una e sororibus Phaethontis.* Addit Despauterius, A nominibus maritorum: ut, *Menelais*, i. e. *Helena Menelai uxor.* Item praepostero more, A nominibus filiorum: ut, *Meleagris*, i. e. *Althaea Meleagri mater.* Verum nulla eiusmodi mihi adhuc dum videre contigit.

9) Sic *Dardanidae*, i. e. *Troiani*; *Labdacidae*, i. e. *Thebani*; *Arsacidae*, i. e. *Parthi*, a Regibus eorum *Dardano*, *Labdaco*, *Arsace.* Sic *Aencadae*, a duce *Aenea*, qui eum secuti sunt *Troiani* nominantur. A posteris etiam illustribus Patronymica nonnunquam derivari notat Vossius: ut, *Aegidae*, *Timodemidae* ap. Pindarum, i. e. *maiores Aegei* et *Timodemi.*

10) Est et quarta terminatio ION, sed rarissima: ut, *Iapetion*, *Oedipodion*, i. e. *Iapeti* vel *Oedipodis filius.* Unde alia rursus Patronymica formantur, *Iapetionides*, *Oedipodionides*: quod et in aliis usu venisse videtur; ut, *Atlantiades* ab *Atlantias* Patronymico potius, quam ab *Atlas* derivatum.

11) De nominibus Patronymicis aut quasi Patronymicis, notandum, 1. Has eorum terminationes, ut et voces ipsas plerasque a Graecis esse desumptas. 2. Praecipuum Patronymicorum usum in carmine esse, in primis vero Heroico. 3. Ea interdum idem valere ac primitiva: ut, *Scipiades*, i. e. *Scipio*, *Oedipodes*, i. e. *Oedipus.* 4. Non pauca nomina a regionibus, urbibus, montibus, fontibus, fluviis, aliisque rebus derivari; quae formam quidem patronymicam habent, re autem vera Gentilia sunt, aut pro Possessivis aliisque adiectivis nominibus posita: ut, *Maconides*, i. e. *Homerus* a *Maeonia* regione; *Cypris*, i. e. *Venus*, a *Cypro* insula. Sic *Aonides*, *Pierides*, *Parnassides*, *Helicomides*, *Aganippides*, *Castalides*, etc. Musarum nomina, ab *Aonia*, *Pieria*, regionum; *Parnasso*, *Heliconc*,

Digitized by Google

GENTILIA.

Gentilia dicuntur, quae patriam vel gentem significant [12]): ut, *Romanus*, *Atheniensis* [13]), *Macedo*, *Arabs*, *Lacaena*, *Troas*, *Thessalis* [14]).

---

montium; *Aganippe*, *Castalia*, fontium nominibus. Sic *Ilias*, *Troas*, pro muliere ex *Ilio*, *Troia*: Et, *Naiades*, *Oreades*, *Dryades*, *Hamadryades*, i. e. Nymphae fluminum, montium, sylvarum, a vocibus Graecis ῥέω, *fluo*, ὄρος, *mons*, δρῦς, *quercus*, nominatae. Nec ratio horum obscura est, quia patria vel locus educationis instar parentis est. Unde et quidam talia Patronymicis adnumerant. At *Ilias* Homeri, *Troades* Senecae, aliaque Poetarum scripta, ab argumento sive materia denominationem suam sunt sortita. Sic *Aeneis* Virgilii ab *Aenea*; *Thebais*, *Achilleis* Statii, a *Thebis*, *Achille*, etc. Poetae denique istiusmodi nominibus simpliciter pro Gentilibus aut Possessivis non sine elegantissima Metonymia utuntur: ut, *Asis terra*, *Libystis ursa*, *Ausonis ora*, *Sithonis unda*: Et, *Daulias ales*, *Ambracias terra*, *Nasamonias Harpe*, *Actias Orithyia*, *Sidonias Drepane*, etc. pro *Asiatica*, *Libyca*, *Ausonia*, *Sithonia*; *Daulia*, *Ambracia*, *Nasamonia*, *Actaea*, sive *Attica*, *Sidonia*. Confer Heins. ad Ovid. Heroid. XV. 164, et Drakenb. ad Silium II. 117.

APP. *de* Patronymicorum formatione.

I. Finita in DES, a nominibus primae, mutant *ae* genitivi in *ades*: ut, *Aeneas*, *Aeneades*; *Hippotes*, *Hippotades*.

Exc. 1. In A finita aliquando ipsum *a* mutant in *i*: ut, *Philyra*, *Philyrides*.

Exc. 2. In AS et ES interdum assumunt *i*: ut, *Amyntas*, *Amyntiades*; *Anchises*, *Anchisiades*.

II. A nominibus secundae et tertiae addunt casui in *i* syllabam *des*; ut, *Priamus*, *Priamides*; *Hector*, *Hectorides*, penultima brevi. Producunt tamen penultimam *Belides*, *Lycurgides*, *Amphiaraides*.

Exc. 1. *Ei* genitivi abit in *i* longum: ut, *Peleus*, *Pelides*. At *Otreus*, *Otriades*.

Exc. 2. Si duo *i* concurrunt, posterius mutatur in *ades*: ut, *Macretius*, *Macretiades*.

Exc. 3. In *as* tertiae, quorum genitivus exit in *antis*, *a* literam ante *des* petunt: ut, *Abas*, *Abantiades*; *Poeas*, *Poeantiades*, *Atlas*, *Atlantiades* (nisi haec sint a Patronymicis in AS femininis, *Abantias*, *Poeantias*, *Atlantias*.) Eodemque fere modo formantur, quae a nominibus fiunt in *on*: ut, *Telamon*, *Telamoniades*; *Amphitryon*, *Amphitryoniades*; *Laomedon*, *Laomedontiades*. A *Scipione* tamen non *Scipioniades*, sed *Scipiadles*, imminuto verbo, nascitur.

III. Patronymica feminina, quae in AS et IS exeunt, fiunt a masculinis *de* syllaba sublata: ut, *Thestiades*, *Thestias*; *Phaethontiades*, *Phaethontias*; *Aeolides*, *Aeolis*; *Belides*, *Belis*.

Not. 1. Quaedam tum in *as*, tum in *is* exeunt: ut, *Aeactias*, Ovid. Met. VII. 9. *Aeetia*, Val. Flacc. VI. 481. *Atlantis*, Virg. Aen. VIII. 135. *Atlantias*, Sil. XVI. 137. *Sidonis*, Ovid. Met. II. 840. *Sidonias*, Sil. XIV. 269. Sic plur. *Heliconiades*, Lucret. III. 1050. *Heliconides*, Pers. Prol. 4.

Not. 2. Feminina, quae a masculinis fiunt penultima longa, in *eis* desinunt, soluta diphthongo, atque *e* brevi in longum verso: ut, *Aeneides*, *Aeneis*; *Achilleides*, *Achilleis*.

Digitized by Google

POSSESSIVA.

Possessiva sunt, quae possessionem aut proprietatem aliquam significant [15]): ut, *Regius*, a *Rex*; *fraternus*, a *frater*; *Herculeus*, ab *Hercules*.

Exponuntur autem *Possessiva* per genitivum sui primitivi, pro quo eleganter poni solent: ut, *domus paterna*, i. e. *domus patris*; *vita humana*, i. e. *vita hominum* [16]).

DEMINUTIVA.

Deminutiva sunt, quae deminutionem sui primitivi significant: ut, *libellus*, *filiola*, *corculum*; a *liber*, *filia*, *cor*: *misellus*, *parvulus*, *duriusculus*; a *miser*, *parvus*, *durior* vel *durius*.

IV. NE finita a genitivo fiunt, addita ne syllaba penult. longa: ut, *Adrastus*, *Adrastine*; *Neptunus*, *Neptunine*. At *Nereus ei* in *i* longum commutat, *Nerine*. Quod si primitivum *i* ante *os* habeat, mutabitur *os* in *one* penultima producta: ut, *Acrisios*, *Acrisione*. Unde et virile finxit Ovidius *Acrisioniades*.

12. Varias Gentilium terminationes has enumerant Vossius Anal. II. 29, et Ursinus, p. 46. (1) Masculina; in A, ut, *Galata*; O, ut, *Saxo*; AN, ut, *Acarnan*; ON, ut, *Lacon*; AR, ER, IR, UR, ut, *Car*, *Afer*, *Trevir*, *Ligur*; AS, ut, *Arcas*, *Arpinas*; ES, ut, *Cres*; IS, ut, *Asheniensis*, *Samnis*; US, ut, *Iudaeus*, *Aegyptius*, *Neapolitanus*, *Corinthiacus*, BS, NS, PS, RS, ut, *Arabs*, *Laurens*, *Aethiops*, *Camers*, *Tiburs*; X, ut, *Thrax*, *Lalex*, *Cilix*, *Cappadox*, *Phryx*. (2) Feminina; in A, ut, *Lacaena*, *Cressa*; AS, ut, *Troas*; IS, ut, *Colchis*. Ex his autem quae in US et ENSIS, itemque quae in ER et in AS contracte pro *atis* desinunt, Adiectiva sunt; reliqua fere Substantiva.

13) Inter Gentilia in US et ENSIS ita distinguunt nonnunquam Scriptores, ut in US terminata de loco originis, in ENSIS de loco habitationis, commorationis aut venditionis usurpent: ut, *Romanus*, Romae natus, aut Romani civitate donatus; *Romanensis*, qui Romae degit. Sic Catoni R. R. c. ult. *Romanensis sal* est, non Romae factus, sed qui isthic venit. At perpetuam non esse hanc distinctionem Saturnius pridem monstravit, Merc. mai. V. 16.

14) De duabus hisce *as* et *is* terminationibus vide quae paulo ante in Patronymicis diximus.

15) Possessiva analogice terminantur in IS vel US. In IS quidem trifariam, in *ilis*, *ris* et *sis*; ut, *herilis*, *puellaris*, *castrensis*: In US multifariam, praecipue vero in *eus*, *ius*, *cus*, *nus*, etc. ut, *virgineus*, *Cuculus*, *sareus*, pen. brevi; *Phoebeus*, *Sophocleus*, pen. long. *patrius*, *Evandrius*; *civicus*, *Aristotelicus*; *paternus*, *Pompeianus*, *anserinus*, *caballinus*, *i* longo; *elephantinus*, *oleaginus*, *i* brevi, etc. Confer Voss. loc. cit. et Ursin. p. 48.

16) Interdum eadem vox et ad Gentilia et ad Possessiva referri potest: ut, *civis Romanus* gentile est, *ager Romanus* possessivum. Sed in regundis harum vocum finibus (ut Ursino observatum) saepe diversi abeunt, interdum et secum ipsi dissentiunt Grammatici. Ita *castrensis*, *pratensis*, Bangius gentilibus, Vossius possessivis, Ursinus denominativis annumerat. Ipse Vossius *Pompeianus*, quod non male prius ad possessiva retulerat, paulo post in denominativorum serie repetit.

Digitized by Google

De *Deminutivis* quatuor praecipue notanda videntur.

1. Eorum pleraque in LUS, LA, LUM desinere [17]).

2. Ab uno primitivo gradatim plura descendere Deminativa, maiorem subinde deminutionem inferentia: ut, a *puer, puerulus, puellus, puellulus*; a *cista, cistula, cistella, cistellula* [18]).

3. Deminutiva fere cum primitivis suis genere convenire: ut, *lapis, lapillus; pagina, pagella; os, osculum* [19]).

4. Deminutivis deminutionem addi posse per adiectivum *parvus, minutus*, aut simile: ut, *parvi pisciculi, parva munuscula, minutae interrogatiunculae* [20]).

AMPLIFICATIVA.

Amplificativa sunt, quae primitivorum suorum significationem augent seu amplificant [21]).

Ex his quaedam substantiva, quaedam adiectiva sunt.

Substantiva in O desinunt: ut, *capito*, i. e. *habens magnum caput*. Sic *naso*, qui *nasum; labeo*, qui *labia; bucco*, qui *buccas* solito maiores habet.

Adiectiva desinunt in OSUS vel ENTUS: ut, *vinosus, nodosus, plumbosus; corpulentus, fraudulentus, sanguinolentus* [22]). Item quaedam aliter in *tus*; ut, *literatus, auritus, nasutus* [23]).

DENOMINATIVA *speciatim sic dicta.*

In hanc classem Denominativorum ea referimus, quae ad superiora capita nequeunt reduci: qualia sunt in-

---

17) Quaedam etiam exeunt in IO, ut, *homuncio, senecio* (ab antiquo genitivo *senecis*) *pusio* a *puer*: quaedam in EUS, ut, *equuleus, hinnuleus*: quaedam in ASTER, ut, *surdaster, calvaster*: quaedam denique more Graeco in ISCUS, ut, *Syriscus, Panniscus, calathiscus*. Quae autem in ASTER finiunt, pleraque imitationem cum irrisione quadam significant: ut, *poetaster, parasitaster*. Est et in *oleaster* et *pinaster* imitationis aut certe similitudinis quaedam nota.

18) Sic a *porcus, porculus, porcellus*; ab *equus, equulus, equuleus*; a *vinum, vinulum, villum*; et forte ab *unus, unulus, ullus*.

19) In quibusdam tamen haec regula fallit, vel fallere saltem videtur: ut in *hic aculeus* ab *haec acus, scamillus* a *scamnum, ranunculus* a *rana, pisciculus* a *pannus, ervilla* ab *ervum, senaculum* a *senatus*, pro *senaticulum, conventiculum* a *conventus*. Sed horum et similium primitiva, apud veteres, vel heteroclita, vel terminatione abundantia fuisse videntur. Vid. Voss. Anal. II. 29. et Sanctium I. 10 et in eum Perizon.

20) Vid. Sanctium loco modo laudato, qui Vallam contra docentem multis exemplis refutat.

21) Extra comparationem (de qua supra egimus) haec intellige.

22) De varia nominum in OSUS et ENTUS significatione, Vid. Urstn. p. 66 et 67.

23) In hanc classem suo modo referri poterunt Verbalia in AX et BUNDUS.

Digitized by Google

numera tum substantiva tum adiectiva ab aliis nominibus derivata: ut, *eques, lectica, animal, lupanar, thuribulum*; ab *equus, lectus, anima, lupa, thus: cordatus, saluber, gravidus, aureus, coelestis, adamantinus*; a *cor, salus, gravis, aurum, coelum, adamas*[24]).

Ex Substantivis praecipue memorari debent nomina **Abstracta**, i. e. Substantiva ab Adiectivis[25]) deducta, rerum qualitates per se ipsas spectatae significantia: ut, *iustitia, pietas, dulcedo*; a *iustus, pius, dulcis*[26]).

Adiectivorum variae admodum sunt significationes, ut certis legibus comprehendi vix queant. Ex iis tamen potissimum notantur,

1. Materialia: ut, *corporeus, chartaceus, crystallinus, quernus.*

2. Localia: ut, *hortensis, agrestis, fluviatilis, marinus.*

3. Temporalia: ut, *solstitialis, momentaneus, aestivus, diurnus, annuus*[27]).

2. *De Verbalibus.*

Verbalia sunt quae a verbis derivantur[28]).

Eorum variae sunt terminationes; praecipue vero,

1. Substantivorum in IO, OR, IX, US et URA: ut, *lectio, amator, altrix, luctus, creatura*[29]).

2. Adiectivorum in *bilis*, vel *ilis, bundus, ax, itius, icus, idus, tivus*: ut, *amabilis, docilis, ludibundus, audax, fictitius, erraticus, fluidus, sativus*[30]).

---

24) Ex Denominativis substantivis quaedam appellantur **Contentiva**, seu **Comprehensiva**: ut, *lauretum, vinetum, esculetum, dumetum, salictum, carectum.*

25) Adiectiva ipsa, unde haec *Abstracta* derivantur, **Concreta** Dialectici vulgo appellant.

26) Multifarias Denominativorum terminationes Vid. ap. Vossium Anal. II. 80 et 81. Schmid. p. 162. et Ursin. p. 56, et seqq.

27) Multas alias earum significationes recenset Ursinus, p. 63, etc.

28) Ex his longe plurima a supinis sunt derivata, adeoque, cum ea vere nomina sint, si originem proximam spectes, Denominativa dici debent. Verum cum primigenium vocum ortum Grammatici hic respiciant, ac praeterea confusio evitetur, non est quod a recepta **Verbalium** appellatione quae sunt a Supinis derivata excludamus.

29) Horum (ut diximus) pars maxima a Supinis orinntur; non tamen omnia: nam *legio, regio, alluvio, opinio, religio, concio, contagio, suscapio*, et forsan alia, a praesente aut praeterito verborum sunt deducta: item, *amor, calor, fragor*, etc. *sonus, gustus, mergus, figura*, etc.

30) De his aliisque eorum terminationibus Vid. Voss. Anal. II. 82. Schmid. p. 171. Ursin. p. 82.

Digitized by Google

3. *De Participialibus, Adverbialibus, et a Praepositione ortis.*

1. Participialia sunt, quae ex Participiis in nomina degenerarunt: ut, *sapiens, acutus, doctus, disertus*[31]).

Ex his multa *Substantivorum* naturam induerunt: ut, *adolescens, animans, rudens, serpens; advocatus, sponsus, natus, legatus; nupta, sponsa, serta*, scil. *corona; praetexta*, scil. *vestis; debitum, decretum, praeceptum, fatum, tectum, votum*, etc.[32]).

2. Adverbialia sunt, quae derivantur ab Adverbiis: ut, *hodiernus*, ab *hodie; crastinus*, a *cras; binus*, a *bis*.

3. Sunt et a Praepositionibus orta: ut, *contrarius*, a *contra*; *anticus*, ab *ante*; *posticus*, a *post*.

§. 2. *De* FIGURA NOMINUM.

Figura *Nominum* est duplex, *Simplex* et *Composita*[33]).

Nomen Simplex est, quod semper unum fuit, neque ex vocibus aut particulis pluribus conficitur: ut, *res, iustus, facilis, cor, quantus*.

Nomen Compositum est, quod ex duabus aut pluribus vocibus seu particulis in unum iunctis conflatur: ut, *respublica, iniustus, difficilis, perdifficilis, vecors, quantuscunque*[34]).

¶ Quia voces numerales cum utraque tum specie tum figura nominum participant, ideo quae de iis dicenda videbantur, in postremum hunc locum reiecimus.

---

31) Quando Participia naturam suam amittant, postea dicetur Lib. IV.

32) Huc adde *ausa, coepta, cogitata, conata, sensa*, fere in plurali. Sic *culta, sata*, scil. *arva*.

33) Figura Decomposita est inane quorundam Grammaticorum commentum.

34) De Compositis haec notatu digna sunt, 1. Aliquando partes compositae sunt integrae; ut, *iusiurandum*; aliquando utraque pars corrupta, ut, *artifex*; aliquando altera integra, altera corrupta; ut, *meridies*. 2. Haec voces compositae ex pluribus quam tribus coniunctis constant. *Perconsequens* est ap. Gellium, XIV. 1. Alia eius generis sunt ap. Plautum, sed Comica, more Graeco et ex Graecis fere formata. 3. Voces componuntur ex simplicibus extra compositionem significativis et separabilibus; ut, *praegravis*; vel ex voce una significante, et altera inseparabili, aut syllabica tantum adiectione; ut, *vesannus, tantundem*. 4. Compositae voces, praesertim integrae, eleganter interdum dirimuntur; ut, *pergratus, per mihi gratum feceris*. Multa contra conglutinantur, aliquum divulsa; ut, *necopinatus, exinsperato, extempore*. 5. Componuntur nomina, (1) Cum Nominibus; ut, *magnanimus*. (2) Cum Pronominibus; ut, *cuiusmodi*. (3) Cum Verbis; ut, *armiger*. (4) Cum Participiis; ut, *breviloquens*. (5) Cum Adverbiis; ut, *benedictio*. (6) Cum Praepositionibus; ut, *internuncius*. Addunt quidam et cum Coniunctione; ut, *plerique*: at *que* hic potius Syllabica adiectio, quam Coniunctio videtur. Caeterum *que, ve* et *ne*, Coniunctiones Encliticae, quamvis vocum fini

Digitized by Google

De NUMERALIBUS.

Numeralia sunt duplicia, *Simplicia*, scil. et *Composita*.

Simplicia rursum vel *primitiva* sunt vel *derivativa*.

Primitiva Cardinalia appellantur, caetera sunt *derivativa*.

Cardinàlia sunt, quae numerum absolute significant: ut, *unus*, *duo*, *tres*, etc. [35]). Haec respondent ad quaestionem, Quot?

---

adiectae, non tamen partes earum censendae sunt. ¶ De Compositorum Declinatione supra diximus.

35) De Cardinalibus, Not. 1. Pro *tredecim*, *decem et tres*; pro *sedecim*, *decem et sex* dixit Cicero, pro S. Rosc. c. 6, et pro Cluent. c. 27. Not. 2. Pro dubiis *septemdecim*, *octodecim*, *novemdecim*, *decem et septem*, *decem et octo*, *decem et novem*, praeunte Prisciano, De Ponder. col 1561 dixeris. *Septemdecim* quidem habetur etiam optimis Editionibus ap. Cic. Verr. V. 47. et Liv. XXXVIII. 38. *octodecim* quoque legitur, non modo ap. Val. Maxim. III. 2, 26. Vell. Paterc. II. 41, 2. Epit. Liv. CXXX. Eutrop. VI. 7. Sext. Ruf. c. 15, etc. in nonnullis exemplaribus; sed etiam ap. Plin. XVIII. 28, in utroque Parisiensi Io. Harduini. At suspicatur post El. Vinetum Vossius Librarios hisce in locis numeros integros extulisse, cum primitus notis Romanis scriberentur, XVII, XVIII aut XIIX, quemadmodum et in quibusdam Editionibus invenimus. Eadem fere et doctissimi Cellarii mens est, Cur. poster. p. 184. et Antibarb. p. 134, qui porro nusquam se sit *novemdecim* ap. probatum scriptorem observasse, praeterquam in Epit. Livianae lib. CXIX, at Gronovium illic annotare MSS habere *decem et novem*, item *decem et octo*; Sigonium XIX. Frobenium XVIII, per notas expressisse. Vid. Cur. post. p. 361. Not. 3. A *viginti* ad *centum*, si duo numeri copulativa iungantur, minorem maiori praeponi, alioquin maiorem minori docet Valla, Eleg. III. 14. Ciceronem tamen *viginti et duos*, Curtium *triginta et duos*, Plinium *quinquaginta et quatuor* dixisse, notat Ursin. p. 69. In ordinalibus rursus Ciceronem *quinquagesimum et sextum*, Senecam in Apocoloc. *annos sexagesimum et quartum*, alios alia id genus exinlisse. Verum in his et similibus, dubites (ait Badius Ascens. in dict. Vallae locum) an coniunctio per Librarium ineptulum sit assuta. Not. 4. Post *centum* minor numerus vel cum, vel sine copulativa sequitur: ut, *centum et duo*, sive *centum duo*; et *centesimus secundus*, sive *centesimus et secundus*. Interdum tamen et minor numerus praecit: ut Plin. VII. 52. *Ut tamen in septimum et quinquagesimum atque centesimum vitae duraret annum*. Confer Linac. p. 171. Voss. de Construct. c. 68. et Nov. Meth. p. 443. Not. 5. Pro *octodecim*, *novemdecim*, eleganter quoque *duodeviginti*, *undeviginti* dicitur, et sic deinceps usque ad *centum*, hoc etiam incluso: etiam in ordinalibus et distributivis, itemque in Adverbiis numerandi: ut, *duodevicesimus*, *undevicesimus*, *duodevicieni*, etc. *undecentum* Plinius dixit VII. 60, extr. *undecentesimus* Val. Max. VIII. 7. extern. 11. *undeceni* id. Plin. XXXVI. 8, extr. Porro et observandum, *duo* in talibus manere indeclinabile; ut, *duodeviginti horarum spatio*: etiam dividi nonnunquam; ut in hoc Plinii XXXV. 8, *Duo enim devicesima Olympiade interiit Candaules*. ¶ De *mille* vid. supra cap. III. reg. 8. n. 33. [Ceterum dicendum etiam *quintus decimus*, *sextus decimus* etc., non *decimus quintus*, *decimus sextus* etc. quod vulgo fieri solet. Cfr. Cic. de Invent. I, 53. 54. Prisc. lib. de figuris numeror. c. 5. p. 297. tom. II. ed. Krehl. G. St.]

Digitized by Google

Derivativa sunt septuplicia, *Ordinalia*, *Distributiva*, *Partitiva*. *Multiplicativa*, *Proportionalia*, *Temporalia* et *Ponderalia*.

1. Ordinalia sunt, quae ordinem significant: ut, *primus*, *secundus*, *tertius*, etc. [36]). De his quaeritur per Quotus?

2. Distributiva sunt, quae singulis plurium eundem numerum distribuunt: ut, *singuli*, *bini*, *terni*, etc. [37]). Quaestio de iis fit per Quoteni?

3. Partitiva sunt, quae partitionem significant, posteriore sui parte ex nomine *pars* composita: ut, *bipartitus*, *tripartitus*, *quadripartitus*, etc. De quibus Quaestio est Quot partium?

4. Multiplicativa sunt, quae partium aut specierum rei multiplicationem summatim explicant: ut, *simplex*, *duplex*, *triplex*, etc. [38]). De his quaeritur per Quotuplex [39]) ?

5. Proportionalia sunt, quae proportionem seu habitudinem rei ad rem numero exprimunt: ut, *duplus*, *triplus*, *quadruplus*, etc. In his Quaestio fit per Quotuplus?

6. Temporalia et
7. Ponderalia } sunt, quae numerum certi temporis, ponderis vel aliarum rerum exprimunt: ut, *bimus*, *trimus*, *quadrimus*, etc. [40]) Sic

---

36) Pro *primus* et *secundus* ante *vicesimus*, *tricesimus*, etc. saepius legimus *unus et duo*, et posterius invariabile, non magis (inquit Linacer. p. 171.) quam ratione probante: ut, Cic. Senect. c. 5, *Plato uno et octogesimo anno scribens mortuus est.* Plin. II. 23, *Quantas enim dimetiens habeat septimas, tantas habere circulum duo et vicesimas.* Fabius Annal. IV. ap. Gell. IV. 5, *Duo et vicesimo anno, postquam Galli Romam ceperunt.* Sic legio *unaetvicesima*, sive *unetvicesima* ap. Tacit. Annal. I. 45, 1. Hist. II. 43, 1. et aliis locis: et legio *duoetvicesima* ap. eund. Hist. II. 100, 2. ¶ Ad Ordinalia suo iure referenda sunt numeralia in ANUS inde deflexa: ut, *primanus*, *secundanus*, *tertianus*, etc. *i. e. primi*, *secundi*, *tertii ordinis*, seu *classis*.

37) Ex allata Distributivorum definitione apparet differre has locutiones, *Dedit amboobus duos nummos*, et *Dedit singulis binos nummos*. Qui dedit duos unum singulis dedit: qui binos dedit, singulis dedit duos. Caeterum non Poetae modo, sed et Oratores distributiva non raro pro Cardinalibus usurpant, etiam iis substantivis functa, quae utrumque habent numerum. At iis quae singulari carent, distributiva fere semper iunguntur: ut, *binae literae*, *terna castra*, etc.

38) Poetae Multiplicativis etiam pro Cardinalibus interdum utuntur: ut, Virg. Aen. I. 98, *Duplices tendens ad sidera palmas*, i. e. *duas*.

39) Interrogativum *quoteni* Ciceronis est: *quotuplex* autem et *quotuplus*, etsi apud probatum auctorem iam non inveniantur, necessitas tamen excusare videtur.

40) Unde Deminutiva *bimulus*, *trimulus*, *quadrimulus*, etc. et substantiva *bimatus*, *trimatus*.

Digitized by Google

composita, *biennis*, *triennis*, etc. *bimestris*, *trimestris*, etc. *biduum*, *triduum*, etc. *binoctium*, *trinoctium*, etc. *biennium*, *triennium*, etc. annorum, mensium, dierum et noctium, numerum significantia. Sic etiam *bilibris*, *trilibris*, *quadrilibris*, etc. quae librarum numero significando inserviunt. At in *arius* a distributivis orta quarumvis rerum numero applicari possunt: ut, *binarius*, *ternarius*, *quaternarius*, etc. Sic *versus senarius*, i. e. sex pedum; *denarius nummus*, i. e. decem assium; *octogenarius senex*, i. e. octoginta annorum; *grex centenarius*, i. e. centum capitum[41]), etc. De his quaeritur, Quot annorum, mensium, librarum, etc.

LIBER SECUNDUS.

De Pronomine.

Pronomen[1]) est pars orationis variabilis, quae pro nomine posita, personam aut rem aliquam demonstrat[2]).

Pronominis Accidentia sunt octo, *Figura*, *Species*, *Genus*, *Casus*, *Numerus*, *Persona*, *Motio* et *Declinatio*[3]).

I. Figura *Pronominum* est duplex: alia enim sunt Pronomina *Simplicia*, alia *Composita*.

---

41) Haec in *arius* substantive accepta, et quaedam substantiva in *as* et *io* numerum in abstracto notant: ut, *unitas*; *binarius*, sive *dyas* Graecum; *ternio*, *ternarius*, et Gr. *trias*; *quaternio*, *quaternarius*; *quinarius*; *senio*, *senarius*; *septenarius*, *octonarius*, *novenarius*, *denarius*. *Unio*, *quinio* et *denio* mediae aetatis; *duernio*, *quinquernio*, *octernio* barbara sunt.

1) Sanctius Minerv. I. 2, eumque (ut solet) sequutus Scioppius, acriter contendunt Pronomen non esse partem orationis a nomine distinctam. Et sane, si rationem in iis Grammaticam spectemus, eadem utriusque natura videtur. Quia tamen in originaria linguarum constitutione ad alium usum nomina, ad alium vero pronomina comparata videntur; noluimus tot seculorum consensu firmatae, nec sine ratione primitus invectae harum vocum distinctioni obniti.

2) In hoc praecipue Pronominis a Nomine differentia constitui videtur, quod Nomina ad res ipsas primario et directe significandas sunt inventa: postea vero Pronomina usu introducta sunt quae Nominum locum supplerent, et res ipsis notatas audientibus quasi commonstrarent: unde et brevitati simul consultum est, et ingrata eorundem Nominum repetitio vitatur. Vid. Perizon. ad Sanct. I. 2. n. 7.

3) *Comparatio* non accidit *Pronominibus*, quia eorum significatio gradus non admittit. *Ipsissimus* tamen ab *ipse* licenter finxit Plautus, ut alibi dictum. Sic et recentiores quidam *tuissimus* a *tuus*.

Digitized by Google

Pronomina Simplicia sunt decem et octo [4]; *Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is, quis, qui, meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras* et *cuius* [5]).

De Pronominibus Compositis postea dicetur.

II. Species *Pronominum* itidem duplex est, *Primitiva* et *Derivativa*.

Pronomina Primitiva sunt decem: *Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is, quis, qui.*

Derivativa sunt octo: *Meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras* et *cuias.*

¶ Pronomina aliter dividuntur in *Demonstrativa, Relativa, Possessiva, Gentilia, Interrogativa* et *Reciproca.*

1. *Pronomina* Demonstrativa sunt, quae rem praesentem, vel tanquam praesentem simpliciter demonstrant [6]: ut, *ego, tu, hic, iste*; et interdum *ille, is, ipse* [7]).

---

4) Quot sint Pronomina, non satis inter Grammaticos convenit. Sanctius et cum eo Scioppius tria tantum *Pronomina* (i. e. ut illi appellant, *prima Nomina*) numerant, *ego, tu, sui*: Priscianus, Linacer et alii, quindecim, exclusis *quis, qui* et *cuias.* Probus addit *tantus, quantus, talis, qualis.* Servio, Diomedi, Frischlino Pronomina sunt, *unus, nullus, solus, totus, uter, alter, neuter, alius, reliquus, caeterus, pauci, plerique*, et ab his composita. His porro adiicit Ursinus, *ambo, cunctus, universus, totus*, prima brevi, et omnia interrogativa, *quot, quotus, quoteni, quotuplex, quotuplus?* Vossio denique et Saturnio Pronomina sunt numeralia *omnia, duo, tres, primus, secundus*, etc. Verum cum in eo praecipue Pronominum essentia consistere videatur, quod nihil fere rei per se notent, sed res nominibus antea designatas tantum commonstrent, haud satis validis innixi rationibus eorum opinionem existimaverim, qui Pronominum numero voces adiiciunt, ab hac earum rem demonstrandi natura alienas.

5) His addi potest *cuius, cuia, cuium*; vel, ut antiquius profitebant, *quoius, quoia, quoium*: quod quamvis olim forte omnibus suis casibus integrum fuerit, nunc vero tantum reperiuntur, (praeter nominativum) accusativus sing. *cuium, cuiam, cuium*; ablat. [vulgo] *cuia*; plur. nominat. *cuiae*, et accus. *cuias.* Ipsum quoque *cuius*, nominativo sing. masculino, frequens quidem in ore Grammaticis, auctoritatem desiderat, (Vid. Ursin. p. 595. n. 9.) In illius vero locum, et aliorum etiam generum casumque, successere genitivi *cuius*, et pluraliter *quorum* vel *quarum*, a *quis*; quibus longe frequentius optimi quidem Scriptores utuntur; non ita tamen ut alterum illud (quod Vossius ait) sit aevo Augustaeo inusitatum. Vid. Borrich. Cogit. p. 77.

6) Communis (ut modo diximus) Pronominum omnium proprietas est, ut rem personamve aliquam demonstrent. Ex iis autem strictiore sensu Demonstrativa appellamus, quae ad hunc unico finem sunt instituta, ut rem aliquam simpliciter commonstrent, oculoque aut animo quasi praesentem subiiciant. Relativa vero rem quidem demonstrant, sed prius in oratione memoratam. Possessiva et Gentilia rem itidem indicant, illa quidem ut possidentem, haec ut ad gentem sectamve aliquam digito quasi monstratam spectantem. Interrogativa de re aliqua ignota, necdum ostensa, interrogant, ut illa vel oculis vel intellectui mon-

Digitized by Google

2. Relativa sunt, quae rem antecedentem in memoriam reducunt: ut, *ille, ipse, is, qui* [8]), et haud raro *hic*, et *iste* [9]).

3. Possessiva sunt, quae possessionem significant: ut, *meus, tuus, suus, noster* et *vester* [10]).

4. Gentilia sunt, quae gentem vel patriam significant: ut, *nostras, vestras, cuias* [11]).

5. Interrogativa ex his appellantur, quibus interrogantes utimur: ut, *quis* [12])? et *cuias* [13])?

---

stretur. Reciproca denique rem, sed tanquam in se redeuntem vel reflexam, ostendunt. In plerisque igitur Pronominibus duplex significationis vis est, una rem demonstrandi, quae ea Pronomina proprie constituit, altera relationem, possessionem, patriam, etc. significandi, quorum omnium respectu nullum fere inter ea et nomina intercedit discrimen. Atque, ut exemplo res clarius exponatur; nulla alia re inter se distinguuntur, *paternus, herilis, Hectoreus*, et *meus, tuus, suus*, quae utraque ex aequo possessionem significant; quam quod haec digito quasi possessorem ostendant, illa non item. Rursus haec Gentilia *Arpinas, Privernas*, a Pronominibus *nostras, vestras*, hac sola re discriminantur, quod illa patriam simpliciter narrent, vel describant; haec vero sub oculos ponant.

7) *Hic* ad primam personam solet referri, *iste* ad secundam, *ille* ad tertiam. Qua de re Valla Eleg. II. 4. et Saturn. Merc. mss. II. 4. Habetque haec differentia locum in Adverbiis ab hisce Pronominibus derivatis. [Haec quanquam etiam a recentioribus quibusdam Grammaticis traduntur, tamen ita comparata esse, ut probari nullo modo possint, alio loco docere constituimus. G. St.] * *Ille* etiam ad laudem, *iste* ad contemptum saepius pertinet. * *Hic* denique ad propinquius refertur, *ille* ad remotius. At hae distinctiones perpetuae non sunt. [De *hic* et *ille* pronominibus dixerunt Manut. ad Cicer. Epp. Famil. III, 10. Perizon. ad Sanctii Minerv. II. 10, 7. Oudendorp. ad Caesar. B. G. I. 1. p. 5. n. 1. Intt. ad Sallustii Iugurth. 13, 9. Qui quod *ille* interdum ad propinquius, *hic* ad remotius referri docent, pronomen *hic* ad rem graviorem, *ille* ad minus gravem pertinere non viderunt. G. St.]

8) *Qui* propositioni principali connectit aliam incidentem; semperque inter duos casus nominis substantivi quod refert, locum habet; quorum posterior animo plerumque reticetur: ut Lucan. X. 407, *Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur*; integre, *qui viri*: interdum uterque exprimitur: ut Caesar β. G. I. 6, *Diem dicunt qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant.* Sed de hac re fusius in Syntaxi.

9) Quando *hic, iste, ille, ipse, is*, demonstrativa sint, quando relativa, sententia orationis facile indicat.

10) Adde et *cuius, cuia, cuium*, de quo supra.

11) Gentilia non solum gentem, patriam aut familiam, sed etiam partes sectamve significant. Vid. Vallam Eleg. II. 8. Nonnunquam et possessiva pro gentilibus accipiuntur: ut *Buchananus noster*, pro *nostras*, i. e. *Scotus*.

12) *Qui* non minus ac *quis* ad interrogandum adhibetur: ut Plaut. *Qui me est audacior homo?* Cic. *Qui tantus fuit labor?* Liv. *Qui finis erit dissidiorum!* Porro *qui* rectius interdum adhiberi notat Taubmannus ad illud Virgilii Ecl. II. 19, *Nec qui sim quaeris, Alexi: quis* enim substantiam designat, *qui* rem accidentem, manifesto exemplo Comici, Eunuch. V. 1, 7. Th. *Quis fuit igitur?* Py. *Iste Chaerea.* Th. *Qui Chae-*

Digitized by Google

6. Reciproca denique sunt, quae rem in seipsam reflectunt: ut, *sui* et *suus* [14]).

III. Genera Pronominum sunt eadem fere quae in Nominibus. Nam eorum tria, *ego*, *tu*, *sui*, substantiva sunt et *communis generis*; masculina cum mares, feminina cum feminas demonstrant [15]). Reliqua vero adiectiva sunt, et proinde *generis omnis*: *meus*, *mea*, *meum*; *nostras*, *nostras*, *nostras* [16]):

IV. Casus in Pronomine sex; } quemadmodum in
V. Numeri sunt duo; } Nomine.

VI. Personae Pronominum sunt tres [17]): *Prima*, quae loquitur: ut, *ego*. *Secunda*, ad quem sermo dirigitur: ut, *tu*. *Tertia*, de quo sermo habetur; ut, *sui*, *ille*, *ipse*, et caetera Pronomina relativa.

VII. Motio, quae Pronominum adiectivorum est propria, sub eorum declinatione comprehenditur.

---

res? [Cfr. Drakenb. ad Liv. I. 7, 10. Cortii ad Sallustii Catilin. 44. Cicer. pro Rosc. Amer. c. 34. *Qui primus Americam nuvigat?* G. St.]

15) Haec, cum interrogandi vim amittunt, Infinita, sive Indefinita, appellantur: ut, *Dic quid velis. Nescio cuias sit. Cuias* etiam interdum et relativum est: ut, *Socrates Athenienses erat, cuias et Plato. Cuius* contra quandoque interrogativum: ut, *Cuiam pecus?* Virg.

14) Aliquando et reciprocatio fit in primae et secundae Personae Pronominibus, cum in se reflectuntur: ut, *Ego me consolor; Tu tibi places.* Sed de hac re aliisque ad Reciproca pertinentibus aptior erit in Syntaxi dicendi locus.

15) Propie loquendo *ego*, *tu*, *sui*, nullius esse generis videntur. In his enim, *Ego stultus putavi* Virg. Ecl. I. 20. *Tu miser exclamas* Iuven. XIII. 112, et similibus, *stultus* et *miser*, non cum *ego* et *tu*, sed cum voce generali *homo* intellecto convenire consendum est.

16) Linacer, p. 20. *nostras* et *vestras* generis statuit communis dumn. At in neutro etiam reperiri ostendit Columella, qui R. R. IV. 33, extr. *nostratis et Gallici arbusti*, dixit. Ciceronis etiam est Fam. II. 11, princ. *nostratia verba*, et Catonis R. R. c. 135. *Coria nostratia*, Plinii, XV. 11. *Cotonea nostratia*, et Vitruvii VI. 9, extr. *nostratium operum*. An vero in neutro nominativi aut accus. sing. *nostrate* vel *nostras* dicendum sit, dubitari potest. Prius affirmat Donatus, posterius Vossius Anal. IV. 8. qui Scaligerum patrem *nostrate vocabulum* dicentem damnat. Alicubi tamen (nisi me fallit memoria) sic Plinius loquitur. Eadem nimirum in his ratio est, quae in aliis Gentilibus in *as*, quae olim in *atis* et *ate* duabus terminationibus desinebant; ut, *Arpinatis*, *Arpinate*; *Privernatis*, *Privernate*, postea in unam contracta sunt, *Arpinas*, *Privernas*. Ac proinde ut Cicero ad Attic. XVI. 13, *Iter Arpinas*, Livius V. 24. *Bellum Capenas*, et VIII. 19. *Bellum Privernas* dixere: ac, ut Columella V. 6. *ulmus nostras*: sic etiam *vinum nostras*, *ericetum vestras*, vix *nostrate* aut *vestrate* dicendum. Confer Priscian. col. 762 et 943.

17) Persona duplex est, altera *naturalis*, sive sermonis vulgaris; altera *Grammatica*, sive constructionis. Illa Pronominum est et Nominum ratione aut orationo praeditas significantium: haec aliorum nominum substantivorum et verborum etiam communis.

Digitized by Google

II. Cum *Pronomine*: ut, *isthic*, *illic* [21]); ab *iste*, *ille*, et *hic* [22]).

III. Cum *Verbo*: ut, *quivis*, ex *qui* et *vis*; *quilibet*, ex *qui* et *libet*.

IV. Cum *Adverbio*: ut, *nequis*, *numquis*; a *ne*, *num* et *quis* [23]); *eccum*, *eccam*; *eccos*, *eccas* [24]); ab *ecce* et *is*: *ellum*, *ellam*; *ellos*, *elkis* [25]); ab *ecce* et *ille*.

V. Cum *Praepositione cum*: ut, *mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum*, *quicum* et *quibuscum* [26]).

VI. Cum *Coniunctione*: ut, *ecquis*, *siquis* [27]): ab *et*, *si*, et *quis*.

VII. Cum *syllabica adiectione*, eaque varia:

1. Met componitur cum *ego*, *tu* [28]), *sui*, per omnes casus: *egomet*, *meimet*, *mihimet*, etc. *tutemet* [29]), *tuimet*, *tibimet*, etc. *suimet*, *sibimet*, etc. [30]).

---

ap. Cic. et Gell. Vid. Hb. 1. c. 8. r. 8. n. 27. et r. 20. n. 55. * Huc pertinet *reapse* ap. Cic. Divin. I. 37. de Fin. V. 10. Fam. IX. 15. et Plaut. True. IV. 3, 41. pro *re ipsa*: item *reque eapse bene meritus* dixit Scipio Africanus ap. Fest. in voc.

21) Huc refertur *quisquis*: sed hoc geminatum potius quam compositum dici debet, cum utrobique sit idem Pronomen. Par ratio in *ipsipsus*, quo utitur Plautus Cist. II. 3, 58. pro *is ipse*.

22) *Isthic*, *illic*, non declinantur, nisi casibus in *e* desinentibus, i. e. nomin. accus. et voc. sing. per omnia genera; et plur. nomin. et accus. neutr. gen. Dativus quoque sing. non est in usu. * Pro *isthac* Cato dixit *istace* R. R. c. 132.

23) Sic ab *ubi* et *quidque* est *ubiquisque*, quod Virg. usurpavit Aen. VII. 40. *Io matres audite ubiquesque Latinae*.

24) Invenies et *ecca* ap. Plaut. Menaech. I. 2, 65.

25) Adde ex Plauto pleniora *eccilla*, *ecceillam*, *ecceillam*, Stich. IV. 1, 30. Pers. II. 2, 65. Mil. III. 1, 194: item *eccistam*, *eccistam*, Curc. V. 2, 17.

26) *Quicum* ablativum generi omni, utrique et numero inservire supra diximus. Imo Donza Barbarismum credit, si quis dicat *quibuscum*, quod tamen ap. Ciceronem et alios non semel legitur: ut Offic. I. 17. *Quibuscum communis plerumque fortuna est*. Ibid. c. 35. *Ut probemur iis quibuscum et apud quos vivamus*, et c. 40. *Ad eorum approbationem quibuscum vivimus*: et Philipp. II. c. 45. *Quibus ortus sis, non quibuscum vivas, considera*. *Quocum* etiam et *quicum* idem Cic. de Orat. II. 1. pro Sext. c. 17. pro Deiot. c. 5. Phil. II. 3. et Terent. Eun. I. 2, 89. et III. 5, 36. aliique dixere. Vid. Mai. de var. orat. p. 651. et Priscian. p. 978: *quicum* tamen longe frequentius est.

27) Notandum de compositis hisce a *quis* posteriore parte, ea femininum nominativi sing. et neutrum nominativi et accusativi plur. in *a* mittere: ut, *aliqua*, *nequa*, *numqua*, *siqua*, *ecqua*. Invéniuntur tamen et *ecquae*, *siquae*.

28) *Tumet* in recto non dicitur, sed interiecta syllaba *tutemet*.

29) Interdum, ut Emphasis intendatur, additur insuper et *ipse*: ut *egomet ipse*, *tutemet ipse*, *vosmet ipsi*, et apud Livium lib. IX. *suismet ipsi praesidiis*.

Digitized by Google

2. Te, cum solo nominativo vocis *tu*: ut, *tute* [31]).

3. Ce, cum Pronomine *hic*, et genitivis *eius*, *cuius*: ut, *hisce*, *haecce*, *hocce*; *huiusce*, *hisce*, *hosce* [32]); *eiusce*, *cuiusce*: unde *eiuscemodi*, *cuiuscemodi* [33]).

4. Cine additur Pronomini *hic*, sed iis duntaxat casibus qui in c terminantur: ut, *hiccine*, *haeccine*, *hoccine*, *hunccine* [34]), etc.

5. Pte componitur cum ablativis *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*: ut, *meapte*, *tuapte*, *suapte*, etc. Et interdum cum *meo*, *tuo*, *suo*, etc. ut, *meopte*, *tuopte*, *suopte* [35]).

6. Piam, cum *quis*: ut, *quispiam*, *quempiam*, *aliquispiam* [36]).

7. Dam, cum *qui*, per omnes casus, genera et numeros [37]).

8. Dem, cum *is* in *idem* (pro *isdem*) per omnes casus [38]).

9. Cumque, seu cunque, cum *qui* per omnes casus [39]).

10. Que in *quisque*,
11. Nam in *quisnam*,
12. Quam in *quisquam*,

} Syllabicae potius adiectiones [40]), quam hoc Adverbium, illa Coniunctiones esse videntur [41]).

---

30) Apud Senecam Tragicum, ut observat Vossius, *met*, amissa vi sua, aliquoties redundat. Quod et recentioribus Poetis nimis frequens.

31) Male addit Vossius accusativum *tete*; quod potius per geminationem factum videtur, ut *meme*, *sese*, cum ultima sit longa.

32) *Horunce*, *harunce*, et per Apocopen, *horune*, *harune*, antiqua sunt.

33) Legas et *istiece*, *illicce*, ex compositis *isthic*, *illic*. De *hisce*, pro *hice* ap. Plautum supra diximus.

34) *Illancine* quoque utitur Terentius, Heaut. IV. 5, 8.

35) *Mihipte* etiam dixit Cato ap. Festum, et *mepte* Plautus Menaechm. V. 8, 10.

36) Originem voculae *piam* nostire se ait Festus. Sed Dacierius, in eum, docet Oscos *piam* dixisse pro *quam*, quomodo *pitpit* dicebant pro *quicquid*: unde sint *quispiam*, et *quisquam*; *uspiam*, et *usquam*.

37) In casibus Pronominum *qui* et *is* per *m* terminatis composita *quidam* et *idem* *m* in *n*, mollioris soni gratia, commutant, *quendam*, *quandam*, *quorundam*, etc. pro *quemdam*, *quamdam*, etc. *eundem* pro *eumdem*, etc.

38) Quidam ab Adverbio *demum* hoc compositum volunt: at eos falli Vossius ostendit ex eo, quod similiter dicamus *tantundem*, *totidem*, *pridem*: in quibus omnibus nulla Adverbii *demum* significatio percipitur. Porro *idem* masculinum dicitur pro *isdem*, *idem* neutrum pro *iddem*: in hoc correpta, in illo producta prima est syllaba.

39) Sic *qualiscunque*, *quantuscunque*, *quotcunque*, quae Vossius aliique Pronominibus accensent: item Adverbia, *quandocunque*, *utcunque*, *ubicunque*, etc.

40) Neque enim in illis *que* et *nam* sapiunt Coniunctionum naturam, aut in hoc *quam* habet vim Adverbii et Pronominis.

41) Praedictis addit Ursinus *pte*, quod adiicitur Pronomini *is* in

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

De Verbo.

Verbum est, pars orationis variabilis, aliquid de re aliqua dici seu affirmari significans [1]).

Verbo accidunt octo, *Modus*, *Tempus*, *Numerus*, *Persona*, *Coniugatio*, *Genus*, *Species* et *Figura*.

Modus est diversa verbi inflectendi ratio, diversis animi affectionibus indicandis inserviens [2]).

Modi Verborum sunt quatuor, *Indicativus*, *Subiunctivus*, *Imperativus* et *Infinitivus* [3]).

---

eampse et *eapse* apud Plautum, quasi *eam ipsam*, *ea ipsa*. At posteriorem in his partem esse Pronomen *ipse*, licet indeclinabile positum, significatio indicat, quomodo *reapse* a *re* et *eapse*, i. e. *ea re ipsa* dictum supra ostendimus not. 20. * Alii his addunt syllabam *tim* in *meatim*, *tuatim*, *nostratim*, pro *meo*, *tuo*, *nostro more*: Sed haec Adverbia sunt (non Pronomina) quemadmodum *bovatim*, *canatim*, *suatim*, pro *more boum*, *canum*, *suum*, antiqui dixere.

1) Vulgaris Verbi definitio est, quod sit *pars orationis*, *quae agere*, *pati aut esse significet*. Sed nostra accuratior, magisque ex ipsa verbi cuiusvis natura petita videtur. Caeterum τὸ *affirmari* laxiore hic sensu accipimus, pro eo quod *praedicari* Dialectici appellant, quo non modo affirmationes strictius sic dictae, sed negationes etiam interrogationesque includuntur. Confer Iohnson. p. 258.

2) *Modorum* in verbis appellationem, non ad significationem referri, ut per eos significetur quomodo quidque quod singulis verbis denotatur factum sit: sed ad rationem variarum terminationum diverso modo diversis elocutionibus et constructionibus aptandarum; ac eodem plane modo se habere *Modos* in verbis, quo *casus* in nominibus, docet Cl. Perizonius in Sanct. I. 13, 1. p. 88.

3) Ab aliis duo alii adduntur Modi, Optativus nimirum et Potentialis, a nonnullis etiam et Permissivus sive Concessivus: at hi omnes in *Subiunctivo*, quicum terminatione conveniunt, continentur. Quod si ex varia hominum voluntate, sive animi affectione, per verbi voces adsignificata, constituendus sit Modorum numerus, is ut in multo plures, quam quos illi comminiscuntur, amplietur necesse est: hoc enim pacto non *Optativum* modo, *Potentialem* et *Permissivum*, sed *Interrogativum* etiam, *Precativum*, *Hortativum*, *Volitivum*, *Debitivum*, aliosque eiusmodi *modos* habebimus. Huc adde, quod hae affectuum animi significationes non revera verbis ipsis inesse, quod Linacer (qui *Potentialem* primus excogitavit) in primis vero Ursinus, p. 562. et Iohnsonus, p. 275, et seqq. confendunt; sed ex aliis vocibus vel expressis vel tacitis repetendae videantur. Sic in *Optativo*, quem vocant, desiderium animi non verbo ipso significari, sed alio quod reticetur, ipsi fatentur: ut illud Virg. Aen. II. 110, *Fecissentque utinam*, integre sit, *Opto ut*, vel *uti fecissent*: *nam* enim in *utinam*, particula est voci adiecta, ut in *quianam*, *undenam*, *ubinam*. Sic in illo Quinctiliani Inst. II. 12, *Frangas citius quam corrigas quae in pravum induruerunt*, quod modi *Potentialis*; et in illo Terentii Adelph. I. 2, 54, *Profundat*, *perdat*, *pereat*,

Digitized by Google

Ex his tres priores **Finiti** vocantur, quia certam personam ac numerum definiunt: quartus vero **Infinitus** appellatur, quod nulla in eo sit personae numerive differentia.

Indicativus est, quo simpliciter affirmamus, negamus, aut interrogamus [4]): ut, *amat, non amat, amatne* [5])?

Subiunctivus est, qui alteri verbo subiicitur, nec per se sententiam absolvit: ut, *Orat ut ad se venias; Quid faciam prorsus ignoro* [6]).

Imperativus est, quo imperamus, oramus, hortamur, aut permittimus: ut, *Scribe puer; Miserere laborum; Pelle moras; I sequere Italiam ventis, pete regna per undas*, Virg. [7]).

Infinitivus est, qui generalem verbi significationem absque certae personae numerive discrimine exprimit: ut, *Nescio fallere; Dignus amari* [8]).

Tempus est, differentia verbi ex consignificatione praesentis, praeteriti et futuri.

---

nihil oil me attinet, quod *Concessivi* esse volunt; hic, *Esto ut*, illic *Res ita est, Fieri potest, Necesse est ut*, vel simile quid intellige. Vid. Mariangeli (sive Scioppii) Auctar. Epist. V. Voss. Anal. III. 8. ac praecipue Perizon. in Sanct. loc. sup. cit.

4) Sequentes *Modorum* ac *Temporum* Definitiones, sive Descriptiones dicere mavis, ex eorum usu frequentiori, non tamen perpetuo, sunt petitae.

5) Indicativi futurum loco Imperativi interdum adhibetur: ut Cicer. Fam. VII. 20, *Sed valebis, meaque negotia videbis, meque expectabis*, pro *vale, vide, expecta*. Interdum optandi vim habet: ut Ter. Heaut. III. 1, 54, *Sic me Dii amabunt, ut tuarum miseritum est fortunarum*: pro, *Sic me Dii ament*. Neque tamen in his naturam suam exuit Indicativus: intelligitur enim, *sicut spero et opto*. Vid. Perizon. l. cit. n. 2.

6) Subiunctivo pro Imperativo frequentissime utimur: ut Ter. Hecyr. V. 3, 12, *Tua quod nil refert, percontari desinas*, pro *desine*. Cic. Attic. VII. 8, *Nihil incommodo valetudinis tuae feceris*, pro *facito*.

7) Quidam ex Personis Imperativi in *to*, *tote* et *nto*; itidemque ex passivis *tor* et *ntor*, diversum modum constituunt, quem *Mandativum* appellant, utpote in legibus mandandis praecipue usitatum. Hunc etiam futuri, illum praesentis temporis esse volunt. At nullam esse utramquo hanc distinctionem docet Ursinus, p. 554. et ante eum Voss. Anal. III. 14. quamvis Perizonio, p. 104. prior forma ad praesens futurum, seu statim faciendum, posterior ad remotius et postea futurum, nonnunquam referri videatur: ut in illo Virg. *Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola: Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito*.

8) Infinitivum numero Modorum excludunt Iul. Scaliger de caus. L. L. V. 114. et Vossius Anal. III. 8. sub fin. quibuscum consentit et Perizonius, I. 14, 2. qui illasce voces non *verba infiniti modi*, sed simpliciter et directo *verba infinita* iubet appellari. *Verbi nomina* a quibusdam vocitata testis est Priscianus, col. 808. ac vere *nomina* non *verba* esse contendunt Iohnsonus, p. 341. aliique. Qua de re fusius in Syntaxi dicetur.

Digitized by Google

Tempora verborum sunt quinque, *Praesens*, *Praeteritum imperfectum*, *Praeteritum perfectum*, *Praeteritum plusquamperfectum*, et *Futurum*.

Ex Temporibus tria Simplicia sive *absoluta* sunt, *Praesens*, *Praeteritum perfectum*, et *Futurum*; duo autem Composita, *Praeteritum imperfectum*, et *Praeteritum plusquamperfectum* [9]).

Praesens est, quod aliquid nunc fieri significat [10]): ut, *scribo*, *doceor*.

Praeteritum perfectum est, quod rem notat iam perfectam et completam; ut, *scripsi*.

Futurum est, quod aliquid ex voluntate aut necessitate fore promittit: ut, *scribam*.

Praeteritum imperfectum est, quod tempus aliquod praeteritum respicit, indicatque rem tum praesentem, sed nondum absolutam fuisse: ut, *scribebam*.

Praeteritum plusquamperfectum est, quod tempus aliquod praeteritum respicit, ac rem tum praeteritam atque perfectam notat: ut, *scripseram* [11]).

Numeri et Personae { Verborum nihil aliud sunt, quam diversae eorum terminationes, numeris et personis Nominum sive Pronominum convenientes.

Numeri igitur sunt duo, *Singularis*, ut *amo*. *Pluralis*, ut *amamus*.

---

9) Est et tertium tempus compositum, *futurum* nempe *Subiunctivi*, *Perfectum*, sive *exactum*, ideo nominatum, quod non, ut futurum Indicativi, rem simpliciter futuram notet; sed ita insuper futuram, ut rem aliam itidem futuram tempore antecedat. Aliud enim est, *Cum coenabo pecuniam tradam*: aliud, *Cum coenavero*. Hoc enim *coena peracta*, illo *inter coenandum*, pecuniam traditum iri significatur. * Aliter a Varrone dividuntur Tempora in Infecta et Perfecta. Infecta sunt *Praesens*, *Praeteritum imperfectum*, et *Futurum simplex*. Perfecta sunt *Praeteritum simplex*, *Praeteritum plusquamperfectum*, et *Futurum exactum*. Vid. Voss. Anal. III. 18. et Rudim. nostra, p. 45.

10) *Praesens* hic non rigide ac sensu Philosophico pro unico momento et puncto temporis, sed pro longiore quadam mora ac temporis continuatione usu vulgari accipiendum est: unde etiam haud raro pro praeterito aut futuro auctores utuntur: ut Plaut. Casin. II. 3, 9, *Postquam amo Casinam*. Cicer. Attic. II. 5, *Cupio et iampridem cupio Alexandriam reliquamque Aegyptum visere*; pro *amavi*, *cupivi*, aut *amabam*, *cupiebam*. Plaut. Casin. II. 6, 53, *Compressan' palma, an porrecta, ferio*, respondente altero, *Age ut vis*. Id. Cist. II. 3, 86, *Ibo domum, atque ad parentes suos reduco Silenium*, pro *feriam*, *reducam*. Vid. Ursinus, p. 584. et Perizon. I. 18, 4.

11) De vario temporum in omnibus Modis usu Vid. Alvar, p. 23. Ursin. p. 541. Iohnson. p. 278, et seqq. fuse disserentes.

Digitized by Google

Personae[12]) tres, *Prima*, ut *amo*; *Secunda*, ut *amas*; *Tertia*, ut *amat*.

Coniugatio est variatio verbi per modos, tempora, numeros et personas.

Coniugationes verborum sunt quatuor: *Prima*, *Secunda*, *Tertia* et *Quarta*.

Eae autem vulgo a se invicem discernuntur vocali quae praecedit *re* praesentis Infinitivi verbi activi, vel *ris* praesentis Indicativi verbi passivi, hoc modo:

Prima	habet	*a* longum	ante *re* vel *ris*: ut,	*amare*, *amāris*.
Secunda		*e* longum		*docēre*, *docēris*.
Tertia		*e* breve		*legĕre*, *legĕris*.
Quarta		*i* longum		*audire*, *audīris*.

Verborum *Coniugatio* vel est *Regularis* vel *Anomala*. Illa communem aliquam coniugandi formam servat: haec ab ea forma desciscit.

In unoquoque verbo regulari et pleno potissimum considerandae sunt quatuor eius primariae partes; viz. *Praesens Indicativi* in *o*, *Praeteritum perfectum* eiusdem in *i*, *Supinum prius* in *um*, et *Praesens Infinitivi* in *re*.

Praesens Indicativi in *o* dicitur Thema sive *Radix verbi*, quod reliquae verbi partes ab eo, sive immediate, sive aliis intervenientibus, nascantur.

A Praeterito perfecto descendunt voces in *ram*, *rim*, *ro*, *ssem* et *sse*.

A Supino priore, Supinum posterius, participia praeteriti temporis, et futuri in *rus*: item pleraque verbalia in *us*, *io*, *or* et *ix*.

Praesens Infinitivi quotae coniugationis verbum quodque sit ostendit.

¶ In Rudimentis nostris, praeter Coniugationum Typos, proposita sunt generalia verborum a thematis suis ducendorum praecepta: [Haec quum vulgaria sint, typis describi nolui. Longe meliora nuper dedit *Struvius* in libro praestantissimo: *Ueber die lateinische Declination und Coniugation. Eine grammat. Untersuchung v. D. K. L. Struve. Koenigsb.* 1822. G. 8t.] superest, ut de Praeteritis et Supinis, quorum formatio latius patet, nec, ut caeterarum partium una fere et eadem, sed varia et multiplex est, hoc in loco agamus.

---

12) Eodem se modo habent Personae in verbis, quo genera in nominibus adiectivis. Proprie autem, nec verba personas, nec adiectiva genera habent; sed terminationes personis aut generibus substantivorum in structura Grammatica convenientes. Vid. Perizon. I. 12, 2 et 3.

Digitized by Google

* De Verbis anomalis capite secundo; de Genere, Specie et Figura verborum cap. tertio; de Gerundiis et Supinis libro de Participiis dicetur.

CAP. I.

De Praeteritis et Supinis Verborum.

Regulae generales.

1. Pleraque simplicium leges composta sequuntur. Hinc excepta suo melius post ordine pandam.

Verba composita formant praeteritum et supinum iuxta regulas simplicium: ut, *amo, amavi, amatum*; sic *redamo, redamavi, redamatum*.

Excipiuntur nonnulla quae suis locis explicabuntur.

2. Cum geminat primam simplex, composta priorem Praeteriti amittunt: praeter *praecurro, repungo*; Quaeque sibi gignunt *do, sto*, cum *discere posco*.

Quando praeteritum simplicis geminat primam syllabam, composita non geminant: ut, *pello, pepuli; repello, repuli*, non *repepuli*.

Exc. Quaedam tamen eam syllabam retinent: ut, *praecurro, praecucurri* [13]); *repungo, repupugi* [14]): item com-

---

13) Alia etiam a *curro* composita geminationem quandoque retinent: ut, *accucurrisse* Cic. Attic. XII. 18. *adcucurrit* Tacit. Hist. III. 12, 5. Petron. c. 9 et 139. *concucurrisse* Cato ap. Priscian. col. 901. *concucurrit* Flor. IV. 2. *concucurrissent* Hirt. B. Afric. c. 59. *decucurrit* Caes. B. G. II. 21. Sueton. Ner. c. 11. 5. Plin. Epist. III. 7. [al. *decurrit*:] *decucurrerunt* Caes. B. G. II. 19. Hirt. B. Hisp. c. 23. Liv. XXII. 4. *decucurrere* Ibid. *decucurrissent* Hirt. B. Alex. c. 31. *discucurrit* Sueton. Gal. XXXII. 6. *excucurrerunt* Liv. I. 15. Hirt. B. Hisp. c. 21. *excucurrisset* Sueton. Galb. XVIII. 6. *excucurrissent* Liv. II. 17. [al. *excurrident*] *excucurrerit* Plaut. Most. II. 1, 12. *excucurrisse* Id. Bacch. II. 3, 125. *incucurrerunt* Liv. XXVIII. 15. *incucurrerat* Id. XXVII. 18. *occucurri* Plaut. Marc. I. 2, 38. [al. *occurri*] *percucurri* Cicer. de Orat. III. 14. *percucurrit* Petron. c. 52. Sueton. Tiber. IX. 5. et Ner. III. 2. Flor. IV. 12. *percucurrissent* Caes. B. G. VIII. 46 et 52. *prōcucurrerunt* Caes. B. Civ. III. 98. *procucurrissent* Ibid. et Liv. XXV. 11, lectionem comprobante Prisciano l. cit. Verum haec ipsa reduplicationem saepius abiiciunt: nam *accurrisse* habet Cicer. Offic. III. 31. *concurrerunt* Plin. XI. 83. Hirt. B. Alex. c. 65. Vel. Paterc. II. 70, 1. *concurrere* Claudian. XX. 29. *concurrerant* Hirt. B. Alex. c. 65. C. Nepos, X. 10. *concurrerit* Virg. Aen. VII. 224. *concurrissent* Flor. I. 13. *concurrisse* Plin. IV. 13. *decurrerunt* Curt. VII. 6, 1. *decurrere* Virg. Aen. IV. 153. et XI. 139. *decurrerit* Tibull. IV. 1, 51. Val. Max. Praef. *decurrisse* Curt. VI. 7, 27.

Digitized by Google

posita a *do*, *sto*, *disco* et *posco*: ut, *addo*, *addidi*[15]), *asto*, *astiti*, *edisco*, *edidici*, *deposco*, *depoposci*[16]).

3. A praesentis in I mutatum, vult E supino.
Excipe *displiceo*, *do*, *go* finitaque, quaeque
Progenerant *habeo*, *sapio*, *salio*, *statuo*que.

Si verbum compositum mutet A simplicis in I, supinum habebit E: ut, *facio*, *feci*, *factum*, *perficio*, *perfeci*, *perfectum*.

Exc. *Placeo*, *placui*, *placitum*: at *displiceo*, *displicui*, *displicitum*. Sic finita in *do* et *go*: ut, *ago*, *egi*, *actum*; *adigo*, *adegi*, *adactum*; *cado*, *cecidi*, *casum*; *recido*, *recidi*, *recasum*. Item composita ab *habeo*, *sapio*, quae I in supino retinent: ut, *prohibeo*, *prohibitum*; *desipio*, (si modo supinum habeat) *desipitum*: Et a *salio*, et *statuo*, quae in supino U habent: ut, *insilio*, *insultum*; *instituo*, *institutum*[17]).

---

discurrisse Id. IV. 15, 10. *incurreruni* Id. IX. 5, 8. Sallust. Frag. VI. 6. *incurristi* Cic. Orat. c. 67. *incurrisse* Id. pro Sext. c. 6. *occurri* Id. Catil. III. 7, extr. *occurrerunt* Hirt. B. Alex. c. 10 et 82. *occurrisses* Plin. XXVI. 3. Vel. Paterc. II. 61, 2. *occurrissent* Caes. B. Civ. III. 92. *occurrisse* Stat. Theb. VI. 940. Iustin. XXIV. 8, 5. *percurrisset* Curt. IV. 4, 1. *percurrissent* Id. IX. 1, 3. *percurrisse* Cicer. de Orat. I. 50, extr. Horat. Car. I. 28, 6. Curt. IV. 4, 10. *procurrerunt* Caes. B. G. I. 52. *procurrerat* Id. B. G. V. 34. *procurrerant* Id. B. Civ. II. 34. *procurrerit* Horat. Epod. XVI. 29. Iustin. XXV. 4, 9. *procurrissent* Caes. B. Civ. II. 41. Flor. I. 18, etc. quibus adde *praecurrit* ap. Cicer. Orat. 54. et *praecurrerunt* ap. C. Nep. VIII. 1. quod semper geminari Grammatici quidam docent. Caetera a *curro* composita, ut *antecurro*, *circumcurro*, *recurro*, *succurro*, *transcurro*, reduplicationem vix admittunt. Male autem his adnumerat Vossius Anal. III. 19. *accurro*, *discurro*, *incurro*, *occurro*, quae nonnunquam geminari modo ostendimus.

14) Vid. infra reg. 30.

15) Praeterita verborum *do* et *sto*, syllaba quidem auctiora sunt; vix tamen (ut Vossius notat) geminata dici merentur: nisi forte dicas *dedi* et *steti* per Syncopen facta ex *dedui*, *steti*.

16) Olim plura composita simplicium suorum geminationem retinebant. Sic *despopondera* et *despopondisse* adhuc in Plauto legimus, Truc. IV. 3, 51. et Trin. III. 1, 2. Ex eiusdem Anlularia *admemordit* citat Gellius, VII. 9. et ex Ennio *detotondit*, ex Varrone *detotonderat* adfert Priscianus, col. 868. Porro haec praeteriti reduplicatio (ut ab Auctore Methodi notatum, p. 201.) imitatio est augmenti Graecorum: antiqui enim *memordi*, *peposci*, *pepugi*, *spespondi*, *cecurri* dicebant, teste eodem Gellio l. c. qui et M. Tullium et C. Caesarem ita ait locutos: unde et *fefelli* a *fallo*, *peperi* a *pario*, *tetigi* a *tango*, *cecidi* a *cado*, adhuc utimur: similiterque *tetuli* a *tollo* ap. Plaut. Amph. II. 2, 84. Terent. Andr. IV. 5, 13. Lucret. VI. 672, aliosque, invenimus. Confer Vossium Anal. III. 19 et 37.

Digitized by Google

4. Si sit A praesenti, non desinit esse supino.

Si verbum in praesenti A habuerit, A quoque in supino habebit, quamvis in praeterito mutetur: ut, *capio, cepi, captum, fallo, fefelli, falsum.*

5. Praeteritis quaecunque carent, spoliabo supinis.

Quae verba praeteritis carent, carent etiam supinis: ut, *polleo, glisco, ferocio*, etc. [18]).

Prima Coniugatio.

6. AVI praeterito capit, ATUM prima supino.

Verba primae Coniugationis habent in praeterito AVI, in supino *atum*: ut, *voco, vocavi, vocatum.*

7. *Do dedit* atque *datum* format, compostaque primae
Quae *venum, circum, pessum*que, *satis*que crearunt.
Sto stetit et *statum* poscit: STITIT at sibi proles
Exigit atque STITUM, multo sed crebrius ATUM.

Exc. 1. *Do* facit praeterito *dedi*, supino *datum*. Sic composita primae coniugationis, *venundo, circundo, pessundo, satisdo* [19]). Caetera fere sunt tertiae coniugationis [20]); de quibus Reg. 29.

Sto, steti, statum. Composita STITI [21]) STITUM, et frequentius STATUM: ut, *exsto, exstiti, exstitum* vel

---

17) Ita docet Despauterius; propius tamen intuenti composita verbi *statuo*, apparet *i* loco *ŭ a* substitutum, in supino etiam retineri; *u* autem penultima supini vocalis, praesentis quoque tam simplicis quam compositi penultima est.

18) *Cieo* quidem habet *citum*, penultima brevi, absque praetenito in secunda coniugatione, nam *civi* a *cio* quartae est. Vid. reg. 17.

19) Hoc verbum *do* eiusque composita primae coniugationis contra aliorum naturam *da* penultimam aut antepenultimam corripiunt, ut *dăbam, venundăbam, dăbamus, venundăbamus*, etc.

20) Iaveniuntur tamen *interdare* Plaut. Trin. IV. 5, 152. et *cibus interdatus* Lucret. IV. 866. *Superdare*, ut Cels. VII. 2, extr. *Glutinantia superdanda*: et VII. 7, 4, *Linamentum superdandum erat*, et alibi saepius. *Introdabat* Cic. pro Caecin. c. 5. al. *intrudebat*. *Condator* autem pro *una dator* in vett. Glossis, et *praedatus*, pro *ante datus* ap. Cael. Aurelian. Acut. III. 17. n. 168, etc. imitanda non sunt.

21) *Circumsto, interslo* et *supersto*, e in praeterito retinere videntur, *circumsteti* Cic. Attic. I. 16. Virg. Geo. IV. 861. Aen. II. 559. et VIII. 800. Ovid. Met. XI. 505. Tac. Annal. XV. 15, 3, etc. *interstetit* Ammianus, XXII. 27. *superstiti* Sallust. Iug. c. 64. *Circumstiterant* tamen habet idem Tacit. Hist. III. 31, 5. * *Praestasse* ap. Vegetium, I. 1. e libro

Digitized by Google

exstatum; praesto, praestiti, praestitum vel *praestatum* [22]). Sic *ad-, con-, in-, ob-, per-, pro-, re- sto* [23]).

8. A *Lavo* fit *lavi, lautum, lotum* atque *lavatum*.
Poto potatum vel *potum* flecte: *iuvo*que
Dat *iuvi;* at soboles *iutum* prope sola reservat.

Exc. 2. *Lavo* in praeterito facit *lavi*, in supino *lotum, lautum*, et *lavatum* [24]).

Poto, potavi, potum vel *potatum* [25]).

Iuvo, iuvi, iutum. Sic eius compositum *adiuvo, adiuvi, adiutum*. Hinc participia *iutus* et *adiutus;* sed hoc longe quam illud usitatius [26]).

---

vet. impresso, pro *praestitisse*, legit rectumque censet Stewechius. *Praestavit* ex Ammiano idem profert: *praestaverit* ex Inst. Iustin. Vossius Anal. III. 20. *Repraestaverit* dixit Paulus, I. 47. ff. de act. empt. et vend. *adstassent*, pro *statuerunt*, Festus. *Restaverit* denique vulgo legebatur ap. Propert. II. 25. (sive ult.) 53. pro quo meliores *restabit*.

22) A supinis in *atum* frequentia sunt Participia in *aturus; conatarus* Lucan. I. 17. Plin. XVIII. 5. Martial. X. 41. [et id solum Saturnius agnoscit, p. 72.] *exstaturus* Plin. XVII. 22. *obstaturus* Quinct. II. 11, init. Stat. Theb. VII. 247. *instaturus* Liv. X. 36. Frontin. Strat. I. 6. *perstaturus* Liv. VIII. 34. *praestaturus* Cic. Fam. I. 8. X. 11. XII. 16. et ad Attic. XIV. 16. Liv. XXX. 15. Vitruv. I. 1. extr. Senec. Controv. lib. 1. praef. Brutus ad Cic. Fam. XI. 9. *Praestatum* quoque ex eodem citat Priscian. col. 863. Et haec quidem usitatiora videntur. *Adstiturus* tamen profert ex Porcina id. Prisc. d. l. *praestiturus* habet Livius, XXXVII. 25 et 35. et quidam Codd. Cic. Fam. VI. 8. et Bruti Epist. ad Cic. 11. princ. at probatiores *praestaturus*. *Exstiturus* ex Ulpiano adfertur.

23) *Disto* praeterito supinoque carere docet Ursinus, p. 681. *Distasse* tamen, pro *distitisse*, apud veterem Irenaei Interpretem, I. 24. legi notat Vossius, l. c. *Antisto* quoque praeterito destitutum videtur.

24) *Lavi, lautum* et *lotum*, sunt a *lavo, lavis, lavere*, tertiae, de quo in anomalis. Nempe a perfecto *lavi* factum *lavitum*, unde per Syncopen *lautum*, et *au* in *o* converso *lotum*. Supino autem *lavatum* utuntur Plautus, Aul. III. 6, 48. Ter. Eun. III. 5, 44, et 52. et Horat. Sat. I. 3, 137. et VI. 125. unde et *lavaturus* ap. Ovid. Fast. III. 12. *Lavavit* quoque legitur ap. Plaut. True. I. 2, 95. ubi vett. aliaeque Editt. habent *lavabat*, minus bene.

25) Supino *potatum* utuntur Plaut. Pseud. V. 2, 28. et Colum. XII. 51. extr. *Potum* Virg. Ecl. VII. 11. et Ecl. IX. 24. ut mirum sit Iohnsonum id in suo supinorum syllabo, p. 888, omisisse. Hinc *potus, poturus, potor* et *potrix;* illinc *potatus, potaturus* et *potator*, optimis auctoribus usitata, descandunt. In compositis, *adpotus, epotus, compotor; vix adpotatus, epotatus, compotator*, inveniuntur.

26) *Iutus*, quod Alvarus, Bangius ac Vossius, non nisi in composito *adiutus* inveniri putarunt, legi in Tacito Annal. XIV. 4, 1. et Pallad. IV. 10. ostendit Methodi auctor. Addit Faber in Lexic. ex Lactantio de Opif. Dei, c. 10. *Lingua iuta offensione dentium*: at in meis *adiuta* invenio. * *Iuvavit* Manilio tribuit Vossius, sed locum non addit. Ita-

Digitized by Google

9. Haec per UI per ITUMque, *cubo*, *domo* cum
sono flectes,
Et *tono*, iunge *veto*, simul et *crepo*: *discrepo*
normam
Sed potius sequitur: *mico* vult *micui*que, supini
Impatiens: AVI tamen ATUM *dimico* praefert.
Quam tenuit legem *replico* cum *supplico*, et omne
Quod *plico* composuit verbum cum nomine iunctum.
Caetera sed *soboles* ritu copulantur utroque.
At *frico* vult *fricui*, *frictum*; *secui*, *seco sectum*;
Interdumque *neco*, *necui*; quod saepius AVI
Atque ATUM poscit. *Labo*, *nexo* cum *plico* nil
dant.

Exc. 5. Sex verba quae sequuntur, faciunt praeterito UI, supino ITUM:

Cubo, cubui, cubitum [27]). Sic composita, tam primae: ut, *accubo*, *excubo*, *recubo*: quam tertiae, quae *m* literam assumunt: ut, *incumbo*, *succumbo*. Vid. Reg. 25.

Domo, domui, domitum [28]). Sic *e-*, *per- domo*.

Sono, sonui, sonitum [29]). Sic *as-*, *circum-*, *con-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *per-*, *prae-*, *re- sono*.

Tono, tonui, tonitum [30]). Sic *at-*, *circum-*, *in-*, *superin-*, *re- tono*.

Veto, vetui, vetitum [31]).

---

que vereor, cum Ursino, ne deceptus *iuvavit* legerit, ubi recte *iuvabit* habetur, l. V. v. 458, — *Thebana iuvabit Dicere bella uteri, mixtumque in fratre parentem.* * *Iuvaturus* Sallust. est Iug. 51. et Plin. Epist. IV. 15. *adiuvatus* Frontini de Aquaed. lib. 1. *adiuvaturus* Petron. c. 13. non temere imitanda, ait Ursinus, p. 682. Ego contra *iuvaturus* libentius quam *iuturus* adhibuerim.

27) *Cubasse* tamen ap. Quinctil. VIII. 2. prope fin. *incubavere* ap. Plin. XI. 16. *supercubasse* ap. Apul. Met. VI. p. 200. invenimus. Addit Vossius *cubatus in fumo* ap. Plin. X. 57. sed *cubitus* illic Harduinus edidit.

28) *Domaverunt* ex Floro citat Vossius: sed eo in loco (vit. III. 22.) meliores codd. *domuerunt* exhibent. *Domavi* quidem usus est vetus Poeta ap. Charis. col. 252 et 253. *domitor* Tibull. IV. 1, 116. et Ammian. XXI. 5. *perdomavi* ex Cic. adfert Cledonius, p. 1917.

29) A *sonitum* est verbale *sonitus*. *Sonaturus* tamen dixit Horat. Sat. I. 4, 44. *sonaverint* Tertullian. ad Scap. c. 2. *resonavit* Manilius, V. 566. *classicum personavit* Appl. Met. V. p. 152.

30) *Intonata* legitur ap. Horat. Epod. II 51.

31) *Vetavit* ex Persio profertur, Sat. V. 90. ubi in aliis libris *notavit*. *Vetatus* quoque ex Statii Theb. III. 550. adducunt Despauterius,

Digitized by Google

Crepo, crepui, crepitum [32]). Sic *con-, in-, per-, re-crepo. Discrepo* tamen *discrepavi* potius quam *discrepui* facit [33]).

Exc. 4. *Mico* facit *micui* sine supino [34]). Sic *inter-, pro- mico. Emico* autem *emicui* habet et *emicatum* [35]); *dimico, dimicavi,* raro *dimicui* [36]); *dimicatum.*

Exc. 5. *Plico* simplex, olim *plicui* vel *plicavi,* et *plicitum* vel *plicatum,* fecisse videtur [37]): quorum nullum iam repertur.

Ab eo composita, sive cum nomine, sive cum praepositionibus *sub* et *re,* AVI tantum et ATUM habent: ut, *duplico, -avi, -atum; multiplico, -avi, -atum; supplico, -avi, -atum; replico, -avi, -atum* [38]).

Reliqua cum praepositionibus composita, vel faciunt UI, ITUM; vel AVI, ATUM: ut, *applico, implico, -plicui, -plicitum,* et *-plicavi, -plicatum: complico, -plicavi, -plicatum; vix -plicui* et *-plicitum* [39]). *Explico,* pro *expedio,*

Vossius, aliique: at emendationibus *vetanti* est editum. *Petaquenum* tamen in optimis Gruteri, Graevii, Gronovii aditt. habetur ap. Cic. Fam. X. 23.

32) *Increpo,* sensu *obiurgandi,* interdum etiam *increpavi* facit, quo non tantum Sulpitius Severus lib. 1. Hist. sacr. utitur: sed etiam Plautus Mostell. III. 2, 68. dicet Vossius et Ursinus ita dixisse veteres negant. *Increpatus* Iustin. XI. 3, 5. at Prudent. Cathem. VII. 195. eadem notione utuntur.

33) *Discrepavi* Ciceronis est, de Orat. III. 80, *Si qua in re discrepavit ab Antonii divisione nostra partitio* [ita enim habent meliores libri, quamquam *discrepuit* legerit Nonius, VII. 99.] *discrepui* Horat. Art. 219.

34) *Micavit* exstat ap. Solin. c. 56. sed non temere imitandum: nam Quinctil. I. 6. reprehendit eos, qui *emicavit* potius quam *emicuit,* dicebant.

35) Supinum *emicatum* colligitur ex *emicaturus* ap. Senec. Consol. ad Helv. c. 11.

36) *Dimicuisse* legitur ap. Ovid. Amor. II. 18, ult.

37) Priscianus, col. 860. *plicui* vel *plicavi* declinat; Diomedes vero, c. 368. et Phocas, c. 1712. *plicui* solum agnoscunt. Verum neutrum hodie usquam legitur. *Plicavi* tamen potius in usu fuisse, ex *plicativ, plicatilis* et *plicatura,* videtur.

38) *Replicui* solum a *replico* habet Priscianus, l. c. unde *replictae* (pro *replicitae*) *tunicae* ap. Stat. Sylv. IV. 9, 29. At *replicassit* ex Plinii iuniori Epistolis profert Stephanus in Thes. L. L. et Vossius Anal. III. 20. *replicatus* quoque habet alter Plin. IX. 23. XI. 88. §. 75. et XXXIV. 8.

39) *Complicui* aut *complicavi* nondum inveni: *complicatus* Ciceronis est, Offic. III. 19. *complicitus* Apuleii, Met. I. p. 27, etc. *implicasti* eiusd. Apul. Met. III. p. 90. *implicui* reliquorum. Alia fere promiscua sunt. *Applico* enim, cum ad navigationem refertur, non solum *applicui* facit, quod docent Alvarus, Verepaeus et Schmidius, sed etiam *applicavi.*

Digitized by Google

expando, aut simili, *explicui* saepius [40]) et *explicitum*: pro *explano* seu *interpretor*, *explicavi* et *explicatum* fere semper facit [41]).

Exc. 6. *Frico* habet *fricui*, *frictum* [42]). Sic *af-*, *circum-*, *con-*, *de-*, *ef-*, *in-*, *per-*, *re- frico*.

Seco, *secui*, *sectum* [43]). Ita *circum-*, *con-*, *de-*, *dis-*, *ex*, *in-*, *inter-*, *per-*, *prae-*, *re-*, *sub- seco*.

Neco, *necavi*, interdum *necui*, *necatum* [44]). *Eneco*, *-avi*, *-atum*, et *enecui*, *enectum* [45]); *interneco*, *-avi*, *-atum*, et *-ectum* [46]).

Exc. 7. Haec tria, *labo* [47]); *nexo* [48]), et *plico* (de quo prius dictum) praeterito ac proinde supino carent [49]).

Ciceronis enim est de Invent. II. 51, *Navim ad eum applicaverunt*. Alio certe sensu *applicavi* ap. Ciceronem frequentius est.

40) *Explicui* in *expediendi* significatione usitatius fuisse docet Gell. I. 7. cuius locum perperam in contrariam sententiam detorserunt Voss. et Methodi Auctor. V. Ursin.

41) Legimus etiam *circumplicassnet* ap. Cic. Div. II. 62. et *circumplicatus* ap. eund. Ibid. I. 36. *dupicatus* ap. Varr. R. R. III. 16. *perplicatus* ap. Lucret. II. 394.

42) *Refricatura* Ciceronis est ad Attic. XII. 19. *defricatus* Catull. XXXV. 20. Plin. XXVIII. 12. Colum. XI. 2. med. *confricatus* Plinii XXVIII. 9. §. 37. XXIX. 2. sub init. et XXXI. 10. §. 46. Varr. R. R. I. 60. *infricatus* Plin. XXVI. 8. §. 58. et alibi saepius; *perfricatus* Plin. VIII. 27. XXVIII. 12. §. 51. Petron. c. 138. *Affricatus* ex Apuleio, sed loco non indicato, proferunt. Contra *frictus* habent Cato R. R. 166. Iuven. VI. 577. *affrictu* Plin. XXXI. 6. §. 38. Senec. N. Quaest. V. 14. *defrictus* Apul. Met. III. p. 92. Col. R. R. VI. 18. et VII. 5. med. *infrictus* Marc. Empir. c. 10. item Plin. XX. 18. al. *infractus*, melioribus *infriatus*. * *Perfricasti os* ap. Cic. Tusc. III. 18. legit Victorius, Var. VIII. 6; at libb. emendatiores *perfricuisti* habent: eodem quoque sensu Plin. 1. Praef. *Perfricui faciem*, et Martial. XI. 28. *Perfricuit frontem*, dixere.

43) *Secaturus* legitur ap. Columellam, IV. 9. *praesecatus* ap. Apuleium, Met. 1. p. 21.

44) Exolevisse *necui* censent Vossius, aliique. Atqui non Ennius modo, cuius testimonium ex Prisciano, col. 681. proferunt, sed Phaedrus etiam V. 6. dixit IV. 18. *Nectum*, quamvis in simplici non legitur, est tamen ap. Grammaticos veteres, v. Diomed. col. 362. et Priscianum, col. 681. qui *necatum* ferro proprie dici, *nectum* alia via peremptum, tradunt.

45) *Enecavi* usus Calph. Flacc. Declam. 118. *enecasso* pro *enecavero* Plaut. Most. I. 3. 66. *enecui* Sueton. de illust. Gramm. III. 2. *Enectus* habet Plin. XI. 29. XVIII. 30. et XXX. 12. *Enectus* tamen frequentius est, Ciceroni Divin. II. 35. Tusc. I. 5. ad Attic. VI. 1. sub init. Horat. Epist. I. 7. 87. Livio XXI. 40. Suetonio Ner. XXXVI. 6. Iul. LXXV. 5. Ovidio Met. IV. 248. Val. Maximo, IX. 12. 3. aliisque usitatum.

46) *Internectus* Plaut. Amph. I. 1. 34. *internectus* Cic. Phil. XIV. 3. Sed hic quidam *internecinus*, illic *internectus* legunt.

Digitized by Google

Secunda Coniugatio.

10. Altera praeterito dat UI, dat ITUMque supino.

Verba Secundae Coniugationis faciunt praeteritum in UI, supinum in ITUM: ut, *habeo*, *habui* [50]), *habitum*; *prohibeo*, *prohibui*, *prohibitum*.

11. Dat *doceo doctum*; a *teneo* deducito *tentum*.
Mistum vel *mixtum* dat *misceo*; *censeo*, *censum*;
*Torreo*que et *tostum* capient; et *sorbeo sorptum*.

Haec verba sequentia praeteritum iuxta regulam, supinum vero contra eam faciunt.

Doceo, *docui*, *doctum*. Sic *ad-*, *con-*, *de-*, *e-*, *per-*, *sub- doceo*.

Teneo, *tenui*, *tentum*. Sic *con-*, *de-*, *dis-*, *ob-*, *re-*, *sus- tineo*. At *attineo*, *pertineo* [51]) nullum supinum admittunt; raro etiam *abstineo* [52]).

Misceo, *miscui*, *mistum* vel *mixtum* [53]). Sic *ad-*, *com-*, *im-*, *inter-*, *per-*, *re- misceo*.

---

47) Ita docent Rhenius, Schmidius, Chytraeus, Verepaeus, Vossius, Methodi auctor, Finckius et Helvicus, Farnabius, Deixius, Prateus et Ursinus, quorum auctoritatem nos sumus secuti; at invenitur *labasse* ap. Plin. XIV, 22.

48) *Nexo* (quod est frequentativum a *necto*, de quo reg. 39.) *nexui*, *nexum* facere volunt: sed haec a primitivo venire illis ostendemus.

49) De verbis hisce anomalis in universum notandum, pleraque eorum praeterita et supina, non olim modo, sed etiam posterius nonnunquam, ab auctoribus anologice per *avi* et *atum* fuisse formata; praecipue frequentia in iis esse participia in *atus* et *aturus* ex notulis singulorum recensioni supra adiectis satis constat. Idem probant Verballa in *atus*, *atio* et *ator*, a supinis in *atum* deducta: ut, *cubatus*, *accubatio*, *fricatio*, *tenatio*, *domator*. Quibus deceptus Valla canonem format universalem Eleg. I, 2. verbalibus primae *a* vocalem ante *io* deberi. Sed id perpetuum non esse docent Verepaeus, p. 282. et Vossius Anal. III. 20. sub finem: ubi et *sectio*, *frictio* et *perfrictio* dici commonstrant. Addunt iidem *cubitio*, *accubitio*, *incubitio*; quae non nisi apud Scriptores codicesve minus probatos (sed *cubatio*, *accubatio*, *incubatio*) reperio.

50) *Habuvi* vel *habivi* pro *habui* positum existimant quidam ap. Plaut. Asin. III. 3, 32. et IV. 1, 62.

51) Ne consentiant (opinor) cum supinis ab *attendo*, *pertendo*.

52) *Abstentus* ICtis in usu est.

53) *Mistum* an *mixtum* sit dicendum vid. disputantem Dausquium, p. 199. et Voss. Anal. III. 22. Pro hoc veteres libri et Inscriptiones, pro illo Analogia stare videtur.

54) Vel *census sum*; ut in illo Ovid. Fast. V. 25, *Hinc sata Maiestas; hos est Dea censu parentes*: et ap. eund. Pont. I. 2, 139; *Hanc*

Digitized by Google

Censeo, censui [54]), *censum* [55]). Sic *ac-, per-, re-, suc- censeo.*

Torreo, torrui, tostum. Sic *ex- torreo.*

Sorbeo, sorbui [56]), *sorptum.* Sic *ab-, ex-, re- sorbeo.* Supina tamen *exsorptum* et *resorptum* non exstant.

12. Quod dat UI neutrum, *timeo, sileo*que supina
Nulla dabunt. *Valeo, placeo, caret,* et *licet* aufer,
Parat, item *iaceo, calea, noceo, doleo*que;
Queis *coalet, latet* atque *meret* sociabis, *olet*que.

Neutra secundae coniugationis, quae praeterito faciunt UI, supino carent; ut, *splendeo, splendui* [57]); *madeo, madui.* Sic *albeo, areo, calleo, candeo, egeo, indigeo, floreo, frondeo, horreo, niteo, palleo, pateo* [58]), *rigeo, sordeo, tepeo, vigeo* [59]).

His adde duo verba activa, *timeo, timui;* unde *per-, sub- timeo.* Et *sileo, silui* [60]).

---

probat, et primo dilectam semper ab aevo Est inter comites Marcia censa suas: et ap. Cic. pro Flacc. c. 32, *Census es mancipia Amyntae:* et mox, *Cum te audisset servos suos esse censum.* At *census* locis hisce omnibus passive esse interpretandum docent Gronovius Observ. IV. 3. extr. et Perizon. ad Sanct. p. 285.

55) Est et supinum *censitum* a *censio* quartae, penultima producta: unde *censitus* participium, *censitor* et *censitio,* pro *census, censor* et *censio,* in libris iuris aliisque non semel occurrunt. Sic *recensitus* utitur Claud. XX. 60. Front. de Colon. p. 332. Prudent. π. στεφ. XI. 147. et in melioribus libris Sueton. Iul. 41. et Vesp. IX. 2. quanquam quidam MSS. *recensus* habeant; unde ap. eund. ibid. et Liv. Epit. 115, est verbale *recensus.*

56) Vulgo addunt et *sorpsi,* quod, ut et *sorptum,* sunt qui verbo tertiae *sorbo, sorbis,* tribuunt. At *sorpsi* barbarismi damnat Val. Probus, col. 1480. Caper 2240, et Velius Longus, 2233. Agnoscit tamen Charis. col. 217. *Absorpsit* quoque dixit Lucanus, IV. 100. *Sorbitum,* etiam in supino ceteros dixisse arguit verbale *sorbitio* ap. Pers. IV. 2. et alios.

57) In his et similibus hoc generaliter tenendum; quibus verbis supina desinunt, iisdem quoque omnia a supinis formata deficere; qualia sunt Participia in *tus* et *rus,* et Verbalia in *io, or, ix* et *us.*

58) Despanterius aliique Priscianum secuti, supinum huic verbo dant *pasum.* Sed Phocas, col. 1719. Diomedes, col. 373. itemque Gellius, XV. 15. *pasum* a *pando* aut *patior* deducunt.

59) Adde, *Aceo, aegreo, caneo, elareo, flacceo, foetco, humeo, liqueo* (unde *liquesco,* et *deliqueo, delicui* ap. Ovid. Met. IV. 262. et *colliquesco, collicui* ap. Varronem, teste Nonio, IV. 275.) *maceo, mucreo, madeo, marceo, mineo* (quo usus Lucretius, VI. 562 et 1198.) eiusque composita *emineo, promineo, immineo: muceo, nigreo, putco, putreo, rauceo, rubeo, tumeo, studeo, stupeo, tabeo, torpeo, tumeo, vegeo,* (unde *vegetus*) *vileo, vireo.*

60) *Sileo* saepissime neutraliter accipitur, ut in illo Ciceronis pro Mil. c. 4. *Inter arma silent leges.*

Digitized by Google

Exc. Haec autem neutra supinum retinent: *Valeo, valui, valitum:* et *aequi-, con-, e-, in-, prae- valeo. Placeo, -ui, -itum:* et *com-, per- placeo, dis- pliceo. Careo, -ui, itum* [61]). *Liceo, -ui, -itum* [62]). Sic *Pareo:* et *ap-, com- pareo. Iaceo* [63]*):* et *ad-, circum-, inter-, ob-, prae-, sub-, super- iaceo. Caleo* [64]*):* et *con-, in-, ob-, per-, re- caleo. Noceo. Doleo* [65]*):* et *con-, de-, in-, per- doleo. Coaleo. Lateo* [66]*):* unde *de- liteo, inter-, sub- lateo. Mereo* [67]*):* unde *com-, de-, e-, per-, pro- mereo,* aut *mereor. Oleo* [68]*),* [69]).

13. *Arceo* quod simplex nescit, dant nata supinum: Quod retinent *taceo, lateo,* sobolique recusant.

Arceo arcui facit, supinum vero *arcitum* in usu non est [70]). Eius tamen composita supinum retinent: *coerceo, -ercui, -ercitum; exerceo, -ercui, ercitum.*

Contra, *taceo tacui* facit et *tacitum* [71]); *lateo, latui* et *latitum*, (ut modo dictum). Eorum tamen composita supino carent; *con-, ob-, re- ticeo:* et *de- liteo,* etc.

14. Dant DI SUM *prandet, videt* et *sedet;* at geminabit S *sessum: stridet stridi* facit absque supino.

Prandeo dat *prandi, pransum* [72]).

---

61) *Cassus* nomen est, ut *fessus, lassus, moestus:* unde nec participia in RUS a talibus deduci possunt. Quod et Priscianus ipse agnoscit, col. 926, quamvis supra verbo *careo* supinum *caritum* et *cassum* tribuerit.

62) De hoc verbo vid. post cap. 3. sub init.

63) Unde *iaciturus* ap. Stat. Theb. VII. 777.

64) Hinc *caliturus* ap. Ovid. Met. XIII. 590.

65) *Doleo* etiam habet *dolitus sum* in vett. Inscripp.

66) Hinc *latiturus* et *latito.* Composita autem supinum vix habent, ut mox dicetur.

67) Eodem sensu dicimus et *mereor, meritus sum.*

68) De hoc verbo eiusque compositis videas mox reg. 17.

69) Addit Despauterius *Taceo* (de quo reg. seq.) quod activum verius quam neutrum videtur. Magis vero mirandum est Auctorem Methodi *praebeo* neutris accensere, quod nusquam (nisi active sumitur, corruptumque est ex *praehibeo*, ut *debeo* ex *dehibeo.*

70) Priscianus tamen supinum ei dat *arcitum*, col. 1265. olim etiam per Syncopen *arctum:* unde *arctus* nomen et *arceto* frequentativum sunt derivata.

71) *Tacitus*, inde deductum, interdum nomen est, active scil. acceptum; ut, *homo tacitus*, i. e. *qui tacet:* interdum Participium sensu passivo; ut, *tacitae cogitationes*, i. e. *quae tacentur.*

72) An et *pransus sum*, vid. post cap. 4.

Digitized by Google

Video, vidi, visum. Sic *in-, per-, prae-, pro-, revideo.*

Sedeo, sedi, sessum. Sic *as-, con-, de-, dis-, in-, ob-, pos-, prae-, re-, sub- sideo, circumsideo* vel *circumsedeo, supersedeo* [73]). Ex his tamen *desideo, dissideo, persideo, praesideo, resideo, subsideo,* supino carere videntur.

Strideo, stridi, sine supino [74]), [75]).

15. DI SUM praeterito geminato *mordeo* donat: *Spondeo* lege pari, *pendet, tondet*que iugantur.

Haec quatuor faciunt DI, principio praeteriti geminato, et supino SUM:

Mordeo, momordi, morsum. Sic *ad-, com-, de-, ob-. prae-, re- mordeo* [76]).

Pendeo, pependi, pensum. Sic *de-, im-, pro-, superpendeo.*

Spondeo, spopondi, sponsum. Sic *de-, re- spondeo.*

Tondeo, totondi, tonsum. Sic *at-, circum-, de- tondeo.*

At composita omnium reduplicationem abiiciunt.

16. Ex VEO fit **VI, TUM**: *faveo* sed dicito *fautum,* Et *caveo cautum.* Mutilantur neutra supinis: *Ferbuit* at *fervet;* **VI, XI** *conniveo* donat.

Verba activa in VEO terminata, praeterito VI, supino TUM accipiunt: ut, *Moveo, movi, motum:* unde *a-, ad-, com-, de-, di-, e-, per-, pro-, re-, se-, sub-, trans- moveo. Foveo, fovi, fotum:* unde *con-, re- foveo. Voveo, vovi, votum:* unde *de- voveo.*

Duo in supino recipiunt *u* ante TUM, *Faveo, favi, fautum* [77]); *Caveo, cavi cautum* [78]): unde *prae- caveo.*

---

73) Quanquam in his *e* simplicis in *i* in praesenti mutetur, *e* tamen in praeterito et supino servatur: *assideo, assedi, assessum,* etc. Id quod in omnibus aliis, ubi eadem fit mutatio, accidit, praeterquam in compositis a *teneo;* ut, *retineo, retinui,* etc.

74) Dicitur etiam *stridor, stridis* in tertia.

75) Huc adde *frendeo,* quod praeterito *frendui* vel *frendi,* supino *fressum* habuisse videtur: unde *faba fressa* ap. Martial. IV. 46. *cicera fressa* vel *fresa* ap. Columel. II. 11. extr. Vid. Fest. in voc.

76) *Memordi, spepondi, pepposci, cecurri,* veteres dixisse, et in his Caesarem et Ciceronem notat Gellius, VII. 9. et Plautum in Trigeminis *ptaemorsisse.* Vid. supra reg. 2. n. 16.

77) Supina horum verborum in *tum* per Syncopen facta sunt ex obsoletis in *itum,* ex gr. *fotum* ex *fovitum, motum* ex *movitum.* Similiter *fautum* ex *favitum,* unde *favitor* ap. Plaut. Amph. Prol. v. 76. *cautum* ex *cavitum;* unde *cavitio* ap. Festum.

Digitized by Google

Neutra in VEO supino carent: ut, *Paveo, pavi* [79]): unde *ex- paveo.*

Ex his *Ferveo, ferbui* facit [80]): unde *de-, ef-, in-, per-, re- ferveo. Connïveo, connivi* et *connixi* [81]), sine supino.

17. *Deleo*, nata *pleo, flet, net, ciet*, EVIT et ETUM
Accipiunt, *cieo*que *citum: civi* dato quartae.
Nunc *oleo* per UI dat ITUM: sic pignora patris
Quae retinent sensum: EVI, ETUM vult caetera
proles.
Fert *abolevit* ITUM: sed dic *adolevit adultum.*

Praeterito EVI, supino ETUM formant verba sequentia: *Deleo, delevi, deletum* [82]).

Compleo, complevi, completum. Sic alia composita ab inusitato verbo *pleo* [83]): ut, *de-, ex-, im-, adim-, op-, re-, sup- pleo.*

Fleo, flevi, fletum. Sic *af-, de- fleo.*

Neo, nevi, netum [84]).

---

78) Forte etiam *catum* supino dixerunt, unde *catus* pro *prudente* seu *cauto* ap. Cic. Tusc. I. 9. ex Ennio; et Horat. Car. II. 10, 3. et *cate* pro *solerter* ap. Plaut. Poen. I. 1, 3.

79) His adde *langueo, langui*, sine supino, licet in eo u sit vocalis: Sic *relangueo, relangui* ap. Ovid. Met. VI. 291. *oblangueo, -gui*, Cic. Fam. XVI. 10. *elangueo, -gui*, Aur. Victor. in Hannib.

80) *Ferveo, fervui* dicendum erat; sed dicitur *ferbui*, a *ferbeo*, quod agnoscit Priscianus, col. 866. v consona in b mutata. Dicitur et *fervi* et *fervo* tertiae, quo non tantum Lucilius ap. eund. d. l. sed Virgilius etiam Aen. VIII. 677. Terent. Adel. IV. 1, 17. Propert. II. 7, 20. utuntur: quod tamen suo aevo Quinctilianus vitiosum putabat Inst. I. 6. Hinc *defervisse* ap. Terent. Adel. I. 2, 72. *Defervisset* etiam ex Plinii Epistolis citat Vossius Anal. III. 24. *Effervere* denique penultima correpta Virgilius utitur, Geo. I. 471.

81) *Connixi* a *connïveo* deducunt, *connivi* a *connïvo* tertiae: estque hoc usitatius. Vid. Voss. Anal. III. 24. Priscian. col. 866. Supinum *connïctum* analogia fulcitur *τοῦ nictus*, a simplice *niveo*; auctoritate autem destituitur.

82) Ab inusitato *leo*: a quo praeteritum *levi* ap. Horat. Car. I. 20, 3. ut et *relevi* ap. Terent. Heaut. III. 1, 51. a *releo*, potius quam a *lino* et *relino*, summi Grammatici formata putant.

83) *Plentur* quidem antiquos dixisse notat Festus in voc. Etiam *sanguine pleti* ap. Lucret. II. 681. et *pletis ex naribus* ap. eund. VI. 1201. legit Giphanius: at aliter, illic *laeti*, hic *plenis* vulgo habetur.

84) Supinum *netum* firmat Vossius ex Corippo Africano de laud. Iustin. Aug. I. 15. ubi *neto auro*, non *necto*, ut antea, legendum docet: at antiquior certiorque Ulpiani auctoritas, cuius est *lana neta*, et *linum netum*, l. 70. §. 2. et 11. ff. de legat. 3. etiam *pernetus* utitur Sidon. Apoll. Car. XV. 167.

Digitized by Google

Cieo, citum, absque praeterito in hac coniugatione: *civi* enim a *cio* est, et quartae [85]). Sic *ac-, con-, ex-, in-, per- cieo.*

Oleo, olui, olitum [86]) facit; olim etiam *olevi, oletum* [87]).

Eius composita dupliciter formantur. Nam

1. Quae servant sensum simplicis, sive *odorem* significant, UI habent et ITUM: ut, *aboleo, abolui* [88]), *abolitum; peroleo, -ui, -itum* [89]), *redoleo, -ui, -itum* [90]), *suboleo, -ui, -itum* [91]).

2. Quae vero a simplicis significatione recedunt, faciunt EVI, ETUM: ut, *exoleo, exolevi, exoletum*, [92]), [93]); *obsoleo, obsolevi* [94]), *obsoletum*, idem; *inoleo, inolevi, inoletum* vel *inolitum* [95]). *Aboleo* tamen *abolevi* [96]) facit et *abolitum*. *Adoleo* [97]), *adolevi* [98]), *adultum*.

---

85) *Citum* in secunda pen. correpta, in quarta producta, effertur. Composita quartam potius quam secundam sequi notat Methodi auctor, p. 225. quod mihi, extra praeteritum, haud satis exploratum videtur. Certe Participia *excitus, incitus, concitus, percitus*, mediam saepius; frequentativa *excito, incito, concito, recito, suscito*; et *exsuscito, resuscito*, semper corripiunt.

86) Supinum tamen *olitum*, indeque ductum participium *olitus*, nusquam reperiri putem. An *olitor* hinc formatum sit, an ab *olus*, alii viderint.

87) *Oletum* supinum, ex nomine *oletum* ap. Pers. I. 112. confirmat Priscianus, col. 872. quod tamen a praesente *oleo* Vossius dedusit Anal. III. 23.

88) *Obolevit* ap. Plaut. Casin. IV. 3, ult. exhibent quidam libri; ubi tamen recentiores Edd. *aboluit* praeferunt, quo alioquin utitur Plautus Most. I. 1, 38. et Menaech. II. 3, 33. et Sueton. Calig. XXIII. 7. et Vespas. VIII. 7.

89) *Perolesse* tamen, pro *perolevisse*, dixit Lucilius, teste Prisciano loc. cit.

90) *Redolevi* etiam ei tribuit Priscian. d. l. supinum extare negat Ursinus, p. 696.

91) Ita declinari Analogia postulat; quanquam neque praeteritum neque supinum usquam iam reperiatur: ut memoria lapsus sit magnus Vossius, qui *suboluí* Plauto saepius, ut et Suetonio dictum ait, perperam huc referens quod de *oboleo* prius et vere dixerat.

92) *Exoleo* et *obsoleo* utrum a *oleo* sint an ab *oleo* composita disputantem vid. Voss. l. supra laudato.

93) Iohnsonus Additt. p. 53. ex Plinio, XXXVII. 5. adfert *exoluerint* [*Carchedonii nescio an in totum exoluerint.*] At id vitio factum est Typographi Genevensis, anno 1681; aliis enim omnibus et melioris notae Editt. *exoleverint* constanter legitur.

94) Pro *expleo, obsoleo, inpleo*, frequentior est forma *exolesco, obsolesco, inolesco.*

95) *Inolevit* utitur Gellius, XII. 5. sed sensu activo, pro *inolefecit*. Supinum *inoletum*, seu *inolitum*, non est in usu, nisi quod *inolitus* apud Patres Ecclesiasticos frequens est; ut, *inolitae concupiscentiae vitium.*

Digitized by Google

18. Dant SI SUM *suadet, ridet, manet, haeret* et *ardet,*
Et *terget, mulcet, mulget:* sed et S geminato
Vult *iubeo, iussi, iussum*que. *Indulgeo* SI, TUM,
Torqueo dat *torsi tortum.* Viduata supinis
SI capiunt *urget,* cum *fulget, turget* et *alget.*

1. Quaedam habent SI, SUM: ut,
Suadeo, suasi, suasum. Sic *dis-, per- suadeo.*
Rideo, risi, risum. Sic *ar-, de-, ir-, sub- rideo.*
Maneo, mansi, mansum. Sic *per-, re- maneo* [99]).
Haereo, haesi, haesum. Sic *ad-, co-, in-, ob-, sub- haereo.*
Ardeo, arsi, arsum. Sic *ex-, in-, ob- ardeo.*
Tergeo, tersi, tersum [100]). Sic *abs-, circum-, de-, ex-, per- tergeo.*
Mulceo, mulsi, mulsum [1]). Sic *ad-, circum-, com-, de-, per-, re- mulceo.*
Mulgeo, mulsi, mulsum [2]) et *mulctum* [3]). Sic *e-, im- mulgeo.*

---

96) Dicitur et *aboleo*, seu *abolesco*, significatione passiva: ut Liv. III. 55, *Casus rei prope iam memoria aboleverat.* Caeterum Iohnsonus Additt. p. 53. Tacitum *aboluerat* dicentem notat, Hist. II. 5, 3. Verum et hic quoque mendosa libri editione deceptus est vir alioquin accuratissimus: in meis enim omnibus, *Titus prava certamina communi utilitate aboleverat* (non *aboluerat*) exhibetur.

97) In praesente *adolesco* fere dicimus, pro *cresco:* nonnunquam etiam et pro *incendor.*

98) *Adolui* in significatione *crescendi* dixit Varro, et in *incendendi* etiam Attius Cassius ap. Prisc. col. 872, qui et Valer. Antiatem posteriore hoc sensu *adultum* pro *adoletum* dicentem laudat.

99) Hinc excipiunt non modo Grammaticorum vulgus, sed ipse Vossius Anal. III. 24, init. *emineo, immineo, promineo*, quae UI sine supino habent. Sed haec non a *maneo*, sed *mineo*, composita supra ostendimus reg. 12. n. 59. Vid. Methodi auctor. p. 219. Ursin. p. 692. in primis vero Iohnson. Appar. p. 376. et Additt. p. 54.

100) Dicimus et in tertia coniugatione *tergo, tergis.* Sic *abs-, de-, ex- tergo.*

1) *Permulsit* utitur Livius, VII. 40, init. et XXXIX. 23. Virg. Aen. V. 816. Ovid. Fast. IV. 551. Silius, XIII. 344. Sueton. Ner. I. 2. *Permulsus* Auct. ad Herenn. III. 12. Cic. in concione Metelli, et Varro in Satyra ap. Priscian. col. 871. *permulctus* Sallust. ap. eund. ibid. et Gellius, I. 11. *demulctus* id. Gell. III. 13, extr.

2) *Mulgeo mulsi*, declinat Phocas, col. 1713. idque praefert Prisc. col. 870. roboratque auctoritate Ennii Annal. Virgilii Geo. III. 400. quibus adde Plinium, X. 40. et Catonem, R. R. c. 150. Diomedes tamen, col. 368. aliique *mulxi* huic verbo praeteritum tribuunt, differentiae (ut Priscianus statuit) causa; sed testem non adhibent. Apud Lucretium

Digitized by Google

Iubeo, cum gemino *s* utrobique, *iussi*, *iussum*. Sic *fide-iubeo*.

2. Duo faciunt SI, TUM:

Indulgeo, *indulsi*, *indultum* [4]).

Torqueo, *torsi*, *tortum* [5]). Sic *con-*, *de-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *ob-*, *re-* *torqueo*.

3. Quatuor praeterito SI habent, at supino deficiunt:

Urgeo, *ursi* [6]). Sic *ad-*, *ex-*, *in-*, *per-*, *sub-*, *super-urgeo*.

Fulgeo, *fulsi* [7]). Sic *af-*, *circum-*, *con-*, *ef-*, *inter-*, *prae-*, *re-*, *super-* *fulgeo*.

Turgeo, *tursi* [8]).

Algeo, *alsi* [9]).

19. *Lugeo* XI solum, cum *luceo*, *frigeo*, poscit:

Augeo sic *auxi*, comitabitur inde sed *auctum*.

1. Haec tria praeterito XI faciunt, absque supino:

Lugeo, *luxi* [10]). Sic *e-*, *pro-*, *sub-* *lugeo*.

Luceo, *luxi*. Sic *al-*, *circum-*, *col-*, *di-*, *e-*, *il-*, *inter-*, *per-*, vel *pel-*, *prae-*, *pro-*, *re-*, *sub-*, *trans-luceo* [11]).

---

quidem IV. 1208. *mulxit* vel *commulxit* quidam vett. codd. alii *mulsit* vel *immulsit* habent. Prius Ad. Turnebus, Lambinus et Crechius; posterius Giphanius, Parous aliique praetulerunt.

3) Supinum *mulsum* firmat Ursinus, p. 702, loco Varronis, R. R. II. 11, *A mulgendo atque ortu optimum est id* [lac] *quod neque emunctum longe abest a mulso, neque a partu continuo est sumptum*. At quidam forte de *hydromelite* hic *mulsum* intellexerint: id autem non a *mulgeo* sed a *melle* deductum ostendit Vossius Anal. III. 28. Certius *emulsus* ap. Catullum, LXVI. 110, *Siocari emulsa pingue palude solum*. Supinum vero *mulctum* tuentur derivata *mulctra*, *mulctrale* et *mulctus*. Vossius et Methodi auctor (ut notat Ursinus) Priscianum incaute sequuti, idem probant composito *permulctus*: id vero ex *permulceo* est.

4) Addit Priscianus, col. 870. *indulsum*, sed testem non profert. *Indultum* vero (quod Alvarus negat) confirmat idem Priscianus illo Marcellini, *Tanquam licentia crudelitate indulta*. *Indultus* quoque utitur Sidonius Epist. IV. 24. et *indultor* Tertullian. adv. Marc. IV. 9.

5) *Torsum* etiam antiqui dixerunt, ut *detorsum* ap. Catonem teste Prisciano, col. 871.

6) In antiquis codicibus saepe legitur *urgueo*.

7) Addit Ursinus ex Prisciano supinum *fulsum*: at deficit auctoritas.

8) An *tursi* usquam dicatur, multum dubito: *obtursi* autem ex Lucilio profert Priscianus, l. c.

9) A supino antiquo Cicero dixit *alsius* ad Attic. VIII. 8. Varro et Plinius *alsiosus*.

10) Addunt vulgo et supinum *luctum*, ob formatum inde verbale *luctus*. Quia tamen Participia *luctus* et *lucturus* non sunt in usu, ideo nec supinum *luctum* huic verbo tribuendum existimem.

11) Sed *pollucco*, quod idem est ac *sacrifico*, facit *polluxi*, *pollucturn*.

Digitized by Google

Frigeo, frixi[12]). Sic *per-, re- frigeo.*

2. *Augeo* facit *auxi, auctum.* Sic *ad-, ex- augeo.*

20. Nil formant *lactet, livet, scateoque, renidet, Moeret, avet, pollet, flavet,* cum *denseo, glabret.*

Praeterito ac proinde supino carent verba sequentia: *Lacteo: liveo; scateo; renideo*[13]), *maereo*[14]), *aveo*[15]), *polleo; flaveo; denseo; glabreo*[16]).

Tertia Coniugatio.

CIO.

21. Dat *facio, feci factum: iacio* quoque *ieci*
Accipit, et *iactum: specio lacio*que creata
Dant XI CTUM: verum *elicui* dic *elicitum*que.

1. *Facio, feci, factum.* Sic composita, tam ea quae *a* retinent: ut, *are-, cale-, made-, tepe-, bene-, male, satis- factio* etc. quam illa quae *a* in *i* mutant: ut, *af-, con-, de-, ef-, in-, inter-, of-, per-, prae-, pro-, re, suf- ficio*[17]).

Iacio, ieci, iactum. Sic *ab-, ad-, circum-, con-, de-, dif-, e-, in-, inter-, ob-, pro-, re-, sub-, super-, superin-, tra- iicio*[18]).

---

12) Perfectum *frigui*, et supinum *frictum*, quae quidam ex Prisciano adiiciunt, iamdudum exoleverunt.

13) Simplex *nideo* non est in usu, licet inde *nidor* sit derivatum.

14) Vulgo flectitur *maereo moestus sum:* at *moestus* non participium, sed nomen esse, alibi monstrabitur.

15) *Ave*, vel *have*, pro *salve*, verbum defectivum, ut diversam significationem, ita et originem habere Scaliger, Vossius aliique arbitrantur.

16) His addi possunt *calveo, caeveo, habeo, herbeo, lenteo, pubeo, vegeo, uveo:* a quorum plerisque deducta inceptiva in SCO magis sunt, quam ipsa primitiva frequentata. *Liqueo* quoque huc pertinet: neque enim cum Tertulliano adv. Gnostic. c. 6. *Liquuit* vel *licuit*, pro *manifestum est*, temere dixerim. Vid. supra ad reg. 12. n. 57.

17) Nullum est verbum aeque compositorum ferax, atque hoc verbum *facio*. Proderit autem de iis haec tria observare, 1. Quae cum praepositionibus componuntur *a* in *i* mutant, ac regulariter passivum formant in *ficior*: ut, *afficio, afficior*. 2. Quae cum verbis aut adverbiis, *a* semper retinent, ac proinde coniugatione simplicis servata, Imperativo activo *e* adiiciunt; voce autem passiva, exeunt in *fio, fiebam, fiam*, etc. ut, *calefacio, calefac* (non *calefacе*) *calefio; benefacio, benefac, benefio*. 3. Cum caeteris omnibus composita variant: partim enim *facio* eiusque inflexionem retinent; ut, *lucrifacio, magnifacio;* partim in *fico* aut *ficor*, adeoque in priorem coniugationem transeunt; ut, *amplifico, sacrifico; gratificor, lucrificor.*

Digitized by Google

2. Composita a *specio* [19]) et *lacio* [20]) (quae ipsa obsoleta sunt) faciunt *exi, ectum:* ut, *aspicio, aspexi, aspectum.* Sic *circum-, con-, de-, dis-, in-, intro-, per-, pro-, re-, retro-, su- spicio* [21]).

Allicio, allexi, allectum. Sic *il-, pel- licio* [22]).

At *elicio, elicui, elicitum* facit.

DIO, GIO, PIO.

22. Dic *fodio, fodi, fossum: fugio* dato *fugi*
Et *fugitum: capio cepi, captum*que requirit:
At *rapio, rapui, raptum:* viduumque supino
Dat *sapio, sapui: cupio* volet *ivit* et *itum.*

1. *Fodio, fodi, fossum* [23]). Sic *ad-, circum-, con-, ef-, in-, inter-, per-, prae-, re-, suf-, trans- fodio.*

2. *Fugio, fugi, fugitum.* Sic *au-,* (pro *ab-,*) *con-, de-, dif-, ef-, per-, pro-, re-, suf-, subter-, trans- fugio.*

3. *Capio, cepi, captum.* Sic *at-, con-, de-, ex-, in-, inter-, oc-, per-, prae-, re-, sus- cipio,* et *ante- capio.*

4. *Rapio, rapui, raptum.* Sic *ab-, ar-, cor-, de-, di-, e-, prae-, pro-, sur- ripio.*

5. *Sapio, sapui* [24]), sine supino. Sic *con-, de-, re- sipio.*

---

18) *Circumiicio* invenimus et *circumiacio.* Vid. Liv. XXXIII. 18. et XXXV. 4, extr. item *superiicio* et *superiacio,* et *superiectus* vel *superiactus.* Vid. Col. II. 1, extr. Tacit. Hist. V. 6, 6. et Horat. Car. I. 2, 11.

19) *Spicit* quidem Plautus Mil. III. 1, 100. *spexit* Ennius, *spiciunt* Cato ap. Festum dixere. *Spectio* Ciceronis est Phil. II. 32. *Spectus* quoque ex Apuleio Met. III. sub. init. Plin. II. 54, aliisque profertur: at haec omnia puriorum scriptorum usus repudiavit, ap. Apul. etiam et Plin. *aspectu* vel *respectu* meliores codd. habent: Hinc tamen remansit *specto, spectaculum, spectrum,* etc.

20) Simplex *lacio* habet Lucretius, IV. 1200, *Quae lacere in fraudem possent:* et Ibid. 1139, *Plagas in amoris ne laciamur.* Vocem ab antiquo *lax,* i. e. *fraus,* deducit Festus: unde et *lacesso, lacto, delecto,* etc.

21) A *specio* etiam sunt *conspicor, suspicor,* sed mutata coniugatione et genere.

22) Leguntur quidem ap. vetustiores etiam *allicui, illicui, pellicui,* verum nunc inusitata. Vid. Prisc. col. 877.

23) *Fodiri* in quarta utitur Colum. XI. 2. et de arborib. c. ult. item *circumfodiri,* V. 9.

24) Vel etiam *sapivi* aut *sapii. Sapui* Probo placere, Aspro *sapivi* et *sapii,* secundum Varronem, ait Priscianus, col. 879. Charisius, col. 218, et Diomedes, col. 366, utrumque *sapivi* et *sapui* approbant. *Sapivi* dixit Naevius ap. Prisc. l. c. *sapisti* Martial. IX. 6. *resipisse* Terent. Heaut. IV. 7, [al. 8.] 8. *resipivi* etiam melioribus libris Cic. Attic. IV. 5. et *resipisset,* pro Sext. c. 38, init. pro quibus al. *resipui* et *resipuisset* legitur. *Sapuisset* autem ap. Plaut. Rud. IV. 1, 9. (pro quo vulgo *sapiset*) et *resipui* ap. Afranium legit Priscian. l. c. Nempe hoc verbum, ut et

Digitized by Google

6. *Cupio, cupivi, cupitum*[25]). Sic *con-, dis-, per- cupio.*

RIO, TIO.

23. Dat *pario peperi, partum*, vel ITUM: *quatio*que *Quassum*, vix *quassi: cussi* at *cussum* bene proles.

1. *Pario* habet *peperi, paritum*, et contracte *partum*[26]). Eius composita sunt quartae, *aperio, operio, comperio, reperio.* Vid. Reg. 44.

2. *Quatio, quassi* et *quassum;* at praeteritum inusitatum[27]). Eius composita in *cutio* exeunt, faciuntque *cussi, cussum: concutio, concussi, concussum.* Sic *de-, dis-, ex-, inper-, re-, reper-, suc- cutio.*

UO.

24. Queis UO dat finem, per UI labuntur et UTUM. At *fluo* vult *fluxi, fluxum: struxi, struo, structum.* Vultque *ruo, ruitum:* dat UTUM proles tibi solum. Nulla supina dabunt *metuo, pluo, congruo,* sicut *Annuo,* cum sociis; quibus *ingruo, respuo* iunges.

1. Verba in UO faciunt praeteritum in UI, supinum in UTUM: ut, *Arguo, argui, argutum*[28]): unde *co-, red- arguo. Acuo, acui, acutum*: unde *exacuo.* Sic *exuo*[29]); *induo.* Composita a *lavo*, seu *luo* verbo inusitato[30]): *ab-, al-, circum-, col-, di-, e-, inter-, per-, pol-, pro-, sub- luo. Minuo*: unde *com-, de-, di-, im- minuo.*

---

cupio, olim quartae fuisse videtur: *resipire* etiam Diomedes agnoscit. Supinum autem *sapitum*, quod ei dat Despanterius, nusquam exstat.

25) *Cupio* olim et quartae fuit: unde *cupiret* ap. Lucret. I. 72. confirmante lectionem Prisciano, l. c. et Nonio, X. 16.

26) A *paritum* est *pariturus* ap. Cic. de Orat. II. 66. Ovid. Met. V. 304, et alios. A *partum* est *partus* participium et verbale. * Caeterum hoc verbum *parto* olim quartae fuisse suadent non tantum eius composita *aperio, operio*, etc. quae ea in coniugatione adhuc restiterunt, sed etiam praeteritum *parii* pro *parivi*, ap. Caton. R. R. c. 89, *Gallinas teneras quae primum parierint, concludat.* Nec est quod cum quibusdam *pariet* illic legamus. Nam *parire* in quarta dictum etiam confirmant Diomedes, col. 378. et Priscianus, col. 802, et col. 880, illo Ennii, *Ova parire solent genu' pennis condecoratum.*

27) Ita docet post Charis. col. 218. Priscianus, col. 880. Supinum tamen *quassum* firmat participium *quassus*, et frequentativum *quasso;* item *quassu*, quo usus Pacuvius ap. Cicer. Tusc. II. 20.

28) Olim *arguitum.* Ab hoc *arguiturus* ap. Sallust. teste Prisciano, col. 882: ab illo *argutus, argutor, argumentum.*

29) *Exuo* et *induo* a verbo *suo* deducit Aldus et Faber in Lexico. Rectius Vossius a Graecis ἐκδύειν, ἐνδύειν, a simplice δύω, olim forte Latinis *duo.*

Digitized by Google

Statuo: unde *con-*, *de-*, *in-*, *prae-*, *pro-*, *re-*, *sub- stituo*. *Suo*: unde *as-*, *circum-*, *con-*, *dis-*, *in-*, *prae-*, *re- suo*. *Tribuo*: unde *at-*, *con-*, *dis-*, *re- tribuo* [31]).

2. *Fluo*, *fluxi*, *fluxum* [32]). Sic *af-*, *circum-*, *con-*, *de-*, *dif-*, *ef-*, *in-*, *inter-*, *per-*, *praeter-*, *pro-*, *re-*, *subter*, *super-*, *trans- fluo*.

3. *Struo*, *strui*, *structum*. Sic *ad-*, *circum-*, *con-*, *de-*, *ex-*, *in-*, *ob-*, *prae-*, *super- struo*.

4. *Ruo*, *rui*, *ruitum* [33]). Composito in supino faciunt UTUM, penultima brevi: ut, *diruo*, *dirui*, *dirutum* [34]). Sic *e-*, *ob-*, *pro-*, *sub- ruo*. *Corruo* tamen et *irruo* supina, quod sciam, non admittunt.

5. Supino carent verba sequentia: *Metuo*, *metui*: unde *praemetuo*. *Pluo*, *plui* [35]): unde *ap-*, *com-*, *de-*, *im-*, *per- pluo*. *Congruo* [36]), *congrui*: *Ingruo*, *ingrui*: *Annuo*, *annui*. Sic alia composita ab inusitato *nuo*: *abnuo*; *innuo*: *renuo* [37]). *Respuo*, *respui* [38]), [39]).

---

30) At *luo*, cum dicimus *luere aes alienum*, *delicta*, *poenas*, a Graeco λύω, i. e. *solvo*, deduxit Vossius in Etymol. Vid. tamen Perizon. ad Sanct. p. 281. Praeterito *lui* facit (olim *luvi*; sic enim Vossio legitur illud Lucilii ap. Nonium VIII. 47, *Tantalu' qui poenas ob facta nefanda luvit*: at in meis pro *luvit pendit* habetur.) Supino-*luitum*, unde *luiturus* ap. Claudianum, XXVIII. 140. et *luitio* ap. Ulpian. l. 1. §. 4. ff. de suis et legit. hacred. At a *luo*, pro *lavo*, compositis Participia sunt *abluitus*, *diluitus*, *eluitus*, *illuitus*, *polluitus*, etc.

31) His adde *sterno*, *sterni*, *sternutum*, unde *sternuto*, quod magis in usu est. Videntur et olim dixisse *delibuo*, *delibui*, *delibutum*; unde remansit *delibutus*.

32) Videtur *fluo* et supinum *fluctum* habuisse: unde Verbale *fluctus*, ut a *fluxum fluxus*.

33) Inde Participium *ruiturus* ap. Lucan. II. 499. *Rutum* quoque supino fuisse probant *ruta caesa* ap. ICtos.

34) *Diruitus* legitur in antiqua Inscriptione ap. Gruterum, p. 1071. n. 6. *Eruiturus* quoque dici notat Vossius, quamvis supinum *erutum*, participiumque *erutus* usu solum frequententur.

35) Olim *pluvi*, quemadmodum Prisciani aetate aliquot Livii locis legebatur, ubi hodie castigatiores libri *plui* exhibent. Addunt quidam et supinum *plutum*, nixi Participio *complutus* ap. Solinum, c. 10: at is parum probatus Latinitatis auctor.

36) *Congruo* et *ingruo* ab antiquo *gruo*, et hoc a *gruibus*, veteres deducunt: Vossius a *ruo*, *g* adscito, derivata existimat.

37) Simplex *nuo* non est in usu, licet inde sint *nutus*, *nuto*, et *numen*; quod primum pro *nutu* ipso acceptum, ut in illo Lucretii, II. 632, *Terrificas capitum quatientes numine cristas*, postea pro *nutu* seu *voluntate Divina*, vel *Deo ipso* usurpari consuevit. * Supina *annutum*, *renutum*, memorat quidem Priscianus, col. 882. sed non probat. *Renutus* quidem verbale est ap. Plin. Epist. I. 7. et *renuto* frequentativum ap. Lucret. IV. 601. et Prudent. Hamart. 774. *Abnuiturus* in correctissimis Sallustii, Frag. I. 20, exemplaribus legi testatur Dausquius Orthogr. Vol. II. p. 3. quamvis *nutus* et *nuto*, *abnuturus* postulent. Firmat illud et

Digitized by Google

BO.

25. BI BO BITUMque facit. *Scabo*, *lambo* carento supinis:

Orta *cubo*, ternum quibus *m* dedit indita flexum,
Dant *cubui*, *cubitum*. Vult *scribo nubo*qne PSI, PTUM.

1. Verbum desinens in BO facit in praeterito BI, in supino BITUM: ut,

Bibo, *bibi*, *bibitum*. Sic *ad-*, *com-*, *e-*, *im-*, *per-*, *prae- bibo* [40]).

2. *Scabo* facit *scabi*, sine supino [41]): item,

Lambo, *lambi* [42]. Sic *ad-*, *circum-*, *de-*, *prae- lambo*.

3. Composita a *cubo*, quae in hac coniugatione *m* in praesenti assumunt, praeterito et supino formam simplicis sequuntur: ut, *accubo*, *accubui*, *accubitum*. Sic *con-*, *de-*, *dis-*, *in-*, *oc-*, *pro-*, *re-*, *suc-*, *superin- cumbo* [43]).

4. *Scribo*, *scripsi*, *scriptum*. Sic *ad-*, *circum-*, *con-*, *de-*, *ex-*, *in-*, *inter-*, *per-*, *post-*, *prae-*, *pro-*, *re-*, *sub-*, *super-*, *supra*, *tran- scribo*.

Nubo, *nupsi*, *nuptum*; olim pro *velo* [44]). Sic *de-*, *e-*, *in-*, *ob- nubo*.

---

abnuitio ap. Festum voc. *In*. * Apud Ennium vero *annuit* invenitur penultima longa, teste Prisciano, l. c. nisi potius *annuvit* is scripserit, ab *abnuvo*.

38) A simplice *spuo*, *spui*, *sputum*: cuius et alia composita supinum vix agnoscunt, *conspuo*, *exspuo*, *inspuo*.

39) Adde *batuo*, *batui*, h. e. *percutio*, rarioris usus verbum. Addunt Despauterius et alii *cluo*. Sed hoc, quanquam mediae et recentioris aetatis Scriptoribus satis usitatum, apud Classicos illos vix reperitur. Nam quod Auctor Methodi participium *cluentes* proferat ex illo Ciceronis de duobus Caepionibus loquentis, Brut. c. 25, extr. *Multum cluentes consilio et lingua, plus tamen auctoritate et gratia sublevabant*: quis non videat *clientes* hic, ut optimae quaeque Editt. habent, esse legendum?

40) Addunt *glubo*, *glubi*, *glubitum*, et compositum *deglubo*, *-bi*, *-bitum*. Sed horum praeterita et supina nusquam iam comparent. Sane *glubo gluptum* potius quam *glubitum* supino habuisse, indicat *deglupta Maenas* ap. Plaut. Poen. V. 5, 33. et *mus deglupta* ap. Marc. Empir. c. 16.

41) Addit Ursinus *scabitum* nullo auctore. Sed neque firmo satis tibicine nititur et ipsum praeteritum *scabi*: *scaberat* enim ap. Lucilium, quo id Priscianus probat, col. 884. a *scabeo* deducit Ios. Scaliger. Vid. Voss. Anal. III. 25.

42) Inferioris aetatis Scriptores *lambui* et *lambivi* dixisse notat Voss. l. c. * Supinum ei *lambitum* tribuunt nonnulli; praeter auctoritatem Vossius ait. Ab eo tamen verbali *lambitus* utitur Aur. Vict. de orig. gent. Rom. *Lupum primo lambitu pueros deterruisse*.

43) Olim dixerunt *cumbo* pro *cubo*, quemadmodum et nunc *iungo*, pro *iugo*, *iugas*, frequentius dicimus.

Digitized by Google

CO.

26. Dant XI, CTUM *dico*, *duco* simul; N que remota
Vult *vinco*, *vici*, *victum*: geminato *peperci*
A *parco*, *pársum* adiiciens; quod SI dat ITUMque
Rarius. *Ico* sibi formavit et *icit* et *ictum*.

1. Ex verbis in CO, duo faciunt XI, CTUM:
Dico, *dixi*, *dictum*. Sic *ab-*, *ad-*, *con-*, *contra-*, *e-*, *in-*, *inter-*, *prae-*, *pro-* *dico*.
Duco, *duxi*, *ductum*. Sic *ab-*, *ad-*, *circum-*, *con-*, *de-*, *di-*, *e-*, *in-*, *intro-*, *ob-*, *per-*, *prae-*, *pro-*, *re-*, *se-*, *sub-*, *tra-* vel *trans-* *duco*.
2. *Vinco*, *n* amisso, *vici*, *victum*. Sic *con-*, *de-*, *e-*, *per-*, *re-* *vinco*.
3. *Parco*, *peperci*[45]), *parsum*[46]), raro *parsi*, *parcitum*[47]). Sic *com-* *parco*[48]) vel *com-* *perco*.
4. *Ico*, *ici*, *ictum*.

---

44) Pro *nupsi* etiam *nupta sum* dicimus, sensu quidem eodem, sed modo significandi diverso; nam *nupta sum*, passivum est, *nupsi* activum. *Nubere* autem primaria verbi notione est *nubis instar tegere*; ad coniugium ideo translatum, quod nova *nupta* flammeo *nuberetur* seu *velaretur*.

45) Methodi auctor Cor. Frontonem et Verepaeum reprehendit, eo quod *parsi* rarius dicant quam *peperci* usurpari. Verepaeus id quidem et verissime affirmat. *parsi* enim Plautus Curc. III. v. 10. Poen. V. 2, 33. Trin. H. 2, 85. Pseud. I. 1, 3. Pers. IV. 4, 23. et Truc. II. 4, 24. Terentius Hec. III. 1, 2. Suetonius de illustr. Gram. 23, 4. et Gellius, V. 14. soli et (praeter Plautum) singularibus fere locis utuntur: qui omnes et *peperci* proferunt. Contra Cicero, Virgilius, Horatius, Ovidius, Sallustius, Caesar, Nepos, Tacitus, Val. Maximus, Statius, Martialis, Valer. Flaccus, Manilius, Phaedrus, Claudianus, Iustinus, etc. *peperci* tantum adhibuerunt. Caeterum Methodi auctor male intellexit Frontonis verba: is enim varium pro vario praeterito significandi usum commentus, *parsi* inquit, semel, *peperci* saepius: ut prius de eo cui unius peccati, posterius cui multorum veniam dederis, sit dicendum. Ac vanam quidem esse eam distinctionem monet Voss. Anal. III. 25, ut et alteram Donati, qui *parco* pro *conservo*, *parsi*, pro *veniam do*, *peperci*, facere existimat. Vero propior Servius, qui ad Virg. Aen. I. 148. *parsi* antiquos, *peperci* recentiores ait dixisse. Sed et vetustissimos *parcui* protulisse, ut Naevium in Quadrigeminis, testatur Nonius, II. 658. unde supinum fuerit *parcitum*.

46) *Parsurus* a *parsum* dixere Varro ap. Priscian. col. 887, *Parsurus pecuniis bene partis*. Livius, XXVI. 18, sub. fin. *Nedum eos Capuae parsuros credam*. Id. XXXV. 44, *Nec impensae, nec labori, nec periculo parsurum*. Sueton. Tiber. c. 62, 4, *Ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur*. Id. Ner. XXXVII. 6, *Ne reliquis quidem se parsurum Senatoribus*.

47) Supinum *parcitum* (quod huic verbo etiam tribuunt omnes fere Grammatici) nusquam iam invenitur. Quidam, et in his Ant. Nebrissensis, Alvarus et Danesius, probare nituntur illo Plinii, XXIII. 4. §. 21. extr. *Italiae parcitum est vetere interdicto patrum, ut diximus*. Sed libri emendatiores habent: *Italiae parci vetere interdicto patrum diximus*.

Digitized by Google

SCO.

27. Vertitur in VI, TUM, SCO. *Pasco* dat tibi *pastum*: *Agnosco* sed ITUM capiet *cognoscoque*. *Disco* Vult *didici* primam geminans; sic *posco, poposci*; *Dispescit, compescit* UI dant: cuncta supinis Orba. Nihil *glisco*, nihil inceptiva crearunt.

1. SCO mutatur in VI et TUM: ut,

Cresco, crevi, cretum. Sic *con-, de-, ex-*[49] *re-*, et sine supino, *ac-, in-, per-, pro-, suc-, super- cresco.*

Nosco, novi, notum[50]. Sic *dig-, ig, inter-, per-, prae- nosco.*

Quiesco, quievi, quietum. Sic *ac-, con-, inter-, requiesco.*

Scisco, scivi, scitum. Sic *ad-, con-, de-, prae-, rescisco.*

Suesco, suevi, suetum. Sic *as-, con-, de-, in- suesco.*

Parcitus quoque ex Apulei Met. I. VIII. profert Lowaeus. At nuspiam, quod sciam, ea voce (certe non eo libro) Apuleius utitur. Viro eruditissimo imposuisse videtur *parcitus* pro *percitus* (quod semel iterumque eo in libro occurrit) mendoso aliquo codice excusum. Nihilo melius argumentatur Alvarus (quem et Vossius et Methodi auctor incauti sequuntur) qui id supinum stabiliri putat nomine *parcitas* ap. Senec. de Clem. I. 21. *parcitas* enim non a supino, sed a nomine *parcus*, eodem modo quo a *bonus, bonitas*, a *clarus, claritas*, et infinito eiusmodi, derivatur. Vid. Ursin. p. 709.

48) Apud Terent. Phorm. I. 1, 9. *comparsit* vulgo legitur; Faërnus ex Bembino codice *compersit* edidit. *Comperco* etiam utitur Plautus Poen. I. 2, 137, *Comperce, amabo, mi attrectare, Agorastocles:* quam vocem et restituendam putat Dacierius ap. eund. Bacch. III, 3, 59, *Cave malum et comperce in illum dicere iniuste:* vulgo *compesce*. Confirmat quod Festus antiquos ait *comperce* pro *compesce* dixisse: quanquam Ursinus in diversum abiens *comparce* non pro *compesce*, sed pro simplice *parce* dictum contendat. V. eum p. 709. * Porro *imperco* pro *parco* utitur idem Plaut. Amph. I. 3, 2. Casin. IV. 4, 12: item *reparco* idem Truc. II. 4, 25. et Lucret. I. 668, sed sensu diverso, hic pro *non parco*, ille pro *vicissim parco*.

49) In illo Virgilii Geo. III. 398, *Multi iam exeretos prohibent a matribus haedos*, Servius, Methodi auctor et alii, *exeretos* de hoedis validioribus qui iam *excreverint*, accipiunt, ab *excresco:* Ursinus vero, p. 715, et Ruaeus de hoedis *segregatis* intelligunt, ab *excerno*. Philargyrius inter utrumque ambiguus haeret. Mihi, propter adiectam vocalem *iam*, prior placet sententia.

50) Supinum antiquis *nositum* fuit, unde frequentativum *nosito*, et *ignositurus* ap. Pisonem Frugi, teste Prisciano, col. 887. At Terent. Adelph. III. 4, 23, *ignotum* est, pro *ignovimus*, dixit, eodemque sensu Cic. de Harusp. Resp. c. 18, *Nisi forte tibi ignotum putas:* et *ignoturus* ex Ciceronis Cat. mai. et Catonis lib. V. Orig. profert idem Prisc. col. 886.

Digitized by Google

2. *Pasco, pavi, pastum.* Sic *com-, de- pasco.*

3. Duo a *nosco* composita faciunt in supino ITUM: *Agnosco, agnovi, agnitum*[51]); *cognosco, cognovi, cognitum.* Sic *recog. nosco.*

4. Duae principium praeteriti geminant, supinoque carent.

Disco, didici[52]). Sic *ad-, con-, de-, e-, per-, praedisco.*

Posco, poposci[53]). Sic *ap-, de-, ex- re- posco.*

5. *Compesco, compescui*[54]), sine supino. Sic *Dispesco, dispescui.*

6. Praeterito ac supino carent, *glisco*: item verba inceptiva: ut, *madesco; aresco.* Eiusmodi autem verba suorum primitivorum praeteritum, et (si quod habeant) supinum assumunt: ut, *ardesco, arsi, arsum*, ab *ardeo; aboleseo, evi-, -itum*, ab *aboleo; delitesco, delitui; resipisco, resipui*, vel *revivisco, revixi*[55]), a *deliteo, resipio, revivo*[56]).

---

51) *Ignotus* tamen Pacuvius et *ignoturus* Sallustius ap. Prisc. l. c. dixere. Caeterum ab hoc paulo diversum est *adnotus*, pro *valde notus* ap. Suetom. de illustr. Gram. I. 2. ut *ignotus* pro *non notus.*

52) Supinum ei datur a Prisciano *discitum*, cuius rei indicium facit *discitorus* ap. Apuleium, col. 887. Sed levior eius Scriptoris habetur auctoritas.

53) Priscianus, l. c. huic etiam verbo supinum tribuit *poscitum*: et *exposcitum cupus* ap. Senecam memorat Vossius Anal. III. 25.

54) Id. Priscian. d. l. supina admittit *compescitum, dispescitum*: at col. 921, revocata sententia, haec, ut et *disco* et *posco*, supino docet carere. Caeterum *compesco* et *dispesco*, composita sunt a *paseo*: proprie enim *compescere* est pecus iisdem pascuis continere, sive in unum cogere: *dispescere* est gregem separare, ita ut pars seorsum pascat. Ex eodem fonte est *impesco* ap. Festum, i. e. in laetam segetem pascendi gratia immittere.

55) Sic *adolesco, adolevi* (rarius *ui*) *adultum*, ab *adoleo; coalesco, coalui*, et *coalitus sum*, a *coaleo; concupisco, -ivi, -itum*, a *cupio; convalesco, -ui, -itum*, a *valeo; edormisco, obdormisco, -ivi, -itum*, a *dormio; exolesco, -evi, -etum*, ab *exoleo*; et *scisco* eiusque composita (de quibus dictum) *scivi, scitum*, a *scio; obsolesco, -evi, -etum*, ab *obsoleo; inveterasco, -avi, -atum*, ab *invetero; senesco, senui, senectum* (unde *senectus, -utis, senecta aetas* ap. Platt. Amph. IV. 2, 13. *senectum corpus* ap. Sallust. Hist. Frag. IV. 1.) Sic et *cresco, crevi, cretum*, a *creo*, per Syncopen, pro *creasco* [ut *hisco*, ab *hio* pro *hiasco*] et sine supino *acesco, acui, tepesco, tepui.* Sic *canicesco, erubesco, exanclesco, frondesco, horresco, ingemisco, putresco, refrigesco, stupesco, tabesco*, etc. Item a primitivis inusitatis, *crebesco, -ui; dulcesco, -ui*, et *duresco, macresco, manuesco, nitesco* et *innotesco, obmutesco, obsurdesco, vilesco.* Quibus addo in textu memorata *quiesco* ab inusitato *quieo*, et *suesco* a *sueo*, quo utitur Lucretius, I. 55, et 802. Item sine praeterito et supino, *calvesco, hebesco, herbesco, labasco, lactesco, renidesco*, et *hisco* eiusque composita *dehisco*, et *fatisco* (quod est a *fatim* et *hisco*) et *integrasco*; quamvis primitiva *hio* et *integro* utrumque habeant. Sunt quaedam denique in *sco*

Digitized by Google

DO.

28. DO finita petunt DI, SUM. Sed *divido*, *rado*,
Dant SI, SUM, *claudo*, *plaudo*, cum *ludere*, *trudo*,
Et *laedo*, *rodo*, compostaque *vado* (quod ipsum
Praeteritum vix dat,) geminans ac S quoque *cedo*.
At *pando*, *pandi*, *passum*, *pansum*que: *comedi*
Estum saepe capit; N perdens *fundo*que *fudi*,
Et *fusum*: sic *scindo*, *scidi*, sic *findo fidi*que,
At *scissum*, *fissum*, duplicans S, redde supinis.

1. DO syllaba terminata formant praeteritum in DI, supinum in SUM: ut,

Cudo, *cudi* [57]), *cusum*. Sic *ex-*, *in-*, *per-*, *pro-*, *re- cudo*.

Mando, *mandi*, *mansum*. Sic *prae-*, *re- mando*.

Scando, *scandi*, *scansum*. Sic *a-*, *con-*, *de-* [58]), *e-*, *ex-*, *in*, *tran- scendo*.

Prehendo, *prehendi*, *prehensum* [59]). Sic *ap-*, *com-*, *de-*, *re- prehendo*.

Accendo, *accendi*, *accensum*. Sic *in-*, *suc- cendo*, ab obsoleto *cando* composita.

defendo, *defendi*, *defensum*. Sic *of- fendo*, ab inusitato *fendo*.

2. Sequentia habent SI, SUM:

Divido, *divisi*, *divisum* [60]).

---

a nominibus derivata: ut, *mollesco*, *mitesco*, *plumesco*, *sterilesco*, etc. quibus forte adde *brusco* et *obbrutesco*, *crudesco* et *recrudesco*, *maturesco*, *senesco* et *consenesco*, *vanesco*; sive a verbis obsoletis *bruteo*, *crudeo*, *matureo*, *saneo*, *vaneo*, sive a nominibus, *brutum*, *crudus*, *maturus*, *sanus*, *vanus*, proxima exorta. Ex his priora praeterito et supino; posteriora supino tantum deficiunt.

56) Huc pertinet *exquinisco*, antiquum verbum, cui praeteritum *conquexi* dat Caper, teste Prisciano, col. 885. Dictum et *oequinisco*, ut est ap. Nonium, II. 600. Utrumque inceptivum, atque a *cunia* derivatum videtur. V. Voss. Etym. voce *coenum*.

57) *Cudo*, *cusi* declinant Charisius, Diomedes et Phocas teste Prisciano, col. 889. ipse *cudi* probat ex illo Virg. Aen. I. 178, *Ac primum silicis scintillam excudit Achates*, *Suscepitque ignem foliis*. At validius rem firmat Vossius, qui Anal. III. 26, ex Varrone R. R. (non ut ille habet, Columella) III. 9. adfert — *Ova tollenda, et subiicienda aliis quae nondum exeuderint*: et ex Colum. VIII. 5, med. *Animadvertat an pulli rostellis ova percuderint*. [Phocas p. 1715. *cudi* probat. G. St.]

58) *Descendidi* veteres dixerunt, teste Gellio, VII. 9.

59) Contracto *prendo*, *prendi*, *prensum*: unde *prendidi* (quod vulgo legitur ap. Silium, XV. 685, *Feri letum cuicunque viro, quem prendidit ictus*) declinatum volunt Ursinus, p. 718. et Iohnsonus, p. 871. At *prenderit* illic legendum ostendunt Modius, Heinsius, et alii.

Digitized by Google

Cado, cecidi, casum. Sic *incido, incidi, incasum*[70]); *recido, recidi, recasum*[71]); *occido, occidi, occasum*[72]). Alia composita supinum non habent; *ac-, con-, de- ex-, inter-, pro-, suc- cido*[73]).

Caedo, cecidi, caesum. Composita *ae* in *i* longam mutant; *accido, accidi, accisum.* Sic *abs-*[74]), *con-, circum-, de-, ex-, in-, inter-, oc-, per-, prae-, re-, suc- cido,*

Tendo, tetendi[75]) *tensum* vel *tentum*[76]). In pleriaque compositorum *tentum* magis est usitatum; ut, *ad-,*

---

que imitantem Buchananum nostrum Psal. LXV. 7. a *tusum* vero *tusus*, quo utantur Plin. XIV. 20. XX. 2. et pluribus aliis locis, Vitruv. II. 5. VII. 1 et 8. Pallad. I. 9. extr. et 12. extr. et 35 prin. et Nov. t. 20 extr. et Pictius ap. Virg. Geo. III. 133, *Cum graviter tusis gemit area frugibus*, in antiquissimo codice Romano legi testatur. Contra, quamvis in compositis *tusus* sit usitatius, invenitur tamen *obtunsus* ap. Plaut. Casin. V. 1, 8. *retunsus* ap. eund. Pseud. I. 2, 26: et ibid. IV. 4, 8: et *detunsus* ap. Apul. Met. II. sub fin. *obtunsio* ap. Lamprid. in Commod. c. 10. Et ap. Virg. Geo. I, 262. *vomeris obtunsi*, et Geo. III. 135. *obtunsior usus*, et Geo. IV. 240. *contunsos animos*, et ap. Gell. XIII. 24. *Quis tam obtunso ingenio est?* In vett. codd. invehisse se tradunt, Pierius d. l. Parcus in Lexic. Crit. p. 880: et Gifanius Indic. Lucret. voc. *dispando*: etsi aliter fere hisce in locis iam legatur.

70) Inde *incasurus* ap. Plin. II. 27.

71) Hinc *recasurus* ap. Cic. Attic. IV. 16, sub fin. Sueton. Aug. XCVI. 4.

72) Inde etiam *occasurus* ap. Cic. pro Mil. 36. et Porc. Latr. Declam. t. 8. et *Sol occasus* ap. Plaut. Epid. I. 2, 41: et Menaechm. V. 7, 55: et Gell. III. 2, quod et ex legibus XII. tabb. et ex Cl. Quadrigario idem profert XVII. 2.

73) A *succido* etiam *succasum* veteres dixisse videntur: unde *succasu venti* dixit Varro ap. Nonium, VI. 21. Alii tamen hic *suo casu*, alii *occasu* legunt.

74) Distinguenda sunt *abscidi*, *conscidi*, penultima brevi, ab *abscidi*, *concidi*, penultima longa; itemque *abscisum*, *conscisum*, ab *abscisum*, *concisum*. Illa enim sunt ab *abscindo*, *conscindo*, haec ab *abscido*, *concido*. *Abscidit* media producta extulere Ovid. Met. XII. 362. Lucan. IV. 503. Martial. III. 66. Senec. Phoeniss. v. 194. eadem correpta Virg. Aen. III. 418. Ovid. Met. I. 22. Val. Flacc. I. 489. Stat. Theb. X. 863, etc. A priore est *abscisus* ap. Caesar. B. G. III. 14. Liv. IV. 19. et *abscisior* Val. Max. VI. 5, 4. a posteriore *abscisus*, passim. Confer Parei Lexic. Crit. p. 11, et Gronov. ad Liv. XLIV. 5.

75) Invenitur et sine reduplicatione *tendi*. Nam Seneca Herc. fur. v. 538. *Et qua plena rates carbasa tenderant*: et — *nostro tendisti retia lecto* Propertius, III. 6, 37, dixerunt. Quanquam in posteriore *tendisti* a recentioribus editoribus in *nexisti* mutatum queritur Vossius, Anal. III. 26. Broukhusius quidem omnibus libris scriptis *tendisti* exaratum fatetur: alterum tamen illud *nexisti*, auctoritate adductus Grammaticorum veterum, praesertim Prisciani, col. 903, et Diomedis, col. 866, praeferendum existimat.

76) A *tentum* est, *Pingui tentus omaso*, *tenta ubera*, *tenta praecordia*, ap. Horat. Sat. II. 5, 40. Epod. XVI. 50: et Epod. XVII. 26. *tentum cornu* ap. Ovid. Met. VI. 248. *tento poplite* ap. Val. Flacc. I. 185. *tenta tympana*, et *tenta frons* ap. Lucret. II. 618: et VI. 1193, ut alicam

Digitized by Google

con-, de-, dis-, ob-, prae-, pro- tendo[77]). *Extentum* vel *extentum* ab *extendo* promiscue dicitur. *Ostensum* vero ab *ostendo*, magis in usu est quam *ostentum*[78]).

Pedo, pepedi, peditum[79]). Sic *op- pedo.*

Pendo, pependi[80]), *pensum.* Sic *ap-, de-, dis-, ex-, im-, per-, re-, sus- pendo.*

---

spurcum nec castis nominandum vocis usum. A *tensum* rursus est *tenso arcu, tenso poplite, tensae pennae* ap. Stat. Sylv. III. 1, 51. Theb. IX. 473: et Sylv. IV. 3, 38. *tensis rudentibus*, et *tensis lacertis* ap. Lucan. II. 683: et VII. 469. *tensum iecur*, et *tenso folle* ap. Iuven. VII. 117: et XIV. 231: et *tensus cucumis* ap. Pallad. Mart. t. 9. Addit Vossius *tenso aere* ap. Lucan. I. 526, pro quo omnes quos viderim impressi *denso*. Confirmat tamen Vossii lectionem Priscianus, col. 892.

77) Ab *attendo* et *contendo, attentus* et *contentus* nunc solum leguntur [ap. Lucret. tamen II. 99. *contenso conciliatu* editum est a Gifanio, vulgo *condenso*.] item ab *intendo*, pro *operam do*, *intentus*. *Intendo* vero, cum contrarium est verbo *remitto*, *intensus* et *intentus* habet, et hoc paulo frequentius. Sic ex Cic. Nat. Deor. I. 19, *Mentem in imagines intensam:* et Orat. c. 86, *Principia verecunda, non elatis intensa verbis*, proferunt: at meliores illic *intentam*, hic *incensa* habent. Seneca autem de Ira, II. 35, *intensior impetus;* Nazar. in Paneg. Constant. c. 28, *modice intensior;* et D. Augustin. Epist. 56, *intensissimam aurem praebere;* P. Syrus, *Aeum intensio frangit, animum remissio;* Seneca N. Quaest. II. 6, 8, 9, *intensio aeris, intensio spiritus, intensio aquae*, dixerunt. At contra Cic. de Orat. III. 57, *chordae intentae;* Ovid. de Pont. I. 5, 60, *intentus labor;* Plin. VIII. 8, *intentus arcus;* Tacit. Hist. I. 89, 1, *intentis alimentorum pretiis.* Sic *intentior sermo* ap. Cic. de Orat. I. 60; *intentissima cura* ap. Liv. XXV. 22; *intentio vocis* Quintil. I. 17. * A *distendo* saepius *distentus*, nonnunquam etiam *distensus*, ut ap. Hirt. B. Alex. c. 45. * Ab *extendo, extentus* usitatius est; *extensis* tamen *digitis* Cicero dixit Acad. Q. IV. 47; *extensis cruribus* Plin. X. 64; *extensum corpus* Id. XXXVII. 5; *extensior manus* Quintil. XI. 3; *extensissima castra* Liv. XXI. 32. * *Detensus* a *detendo* tantum invenitur, Caes. B. C. III. 85. * *Praetentus, protentus* et *subtentus* fere solum sunt usitata. * A *portendo* quoque est substantivum *portentum*, * *Retensus* reperitur a *retendo* ap. Phaed. III. 14, 5; *retentus* ap. Ovid. Met. III. 166.

78) *Ostentus*, ab *ostendo*, non tantum ab antiquioribus, Pacuvio ap. Festum, Catone R. R. c. 6. Varrone R. R. I. 24 et 25: sed etiam Plin. XIV. 4 usurpatur; *ostenturus* ab eod. Catone ap. Priscian. col. 892: et Diomed. col. 372. [Vid. Voss. Anal. III. 26.] *Ostensus* vero frequentius est, Terentio Phorm. V. 4, 7. Lucano, II. 192. Statio Achill. II. 53. Claudian. XVIII. 511. Apul. Apol. p. 477: et de Mund. p. 711. Pallad. Mart. t. 14. Boetio lib. III. Pros. 9. Porc. Latroni Declam. c. 7; *ostensurus* Suetonio Ner. XIII. 2. Et ex Varrone *ostensus Sol*, et ex Apuleio in Phaedone, *Et causam gignendi ostensurum*, profert Priscianus, l. c. Ab *ostentum* tamen est *ostentare*, et dativus *ostentui*, ut *ostentui esse*, et neutrum *ostentum*. Caeterum ab *ostendo*, quod est ab *ob* (pro *ob* dicto, ut *abs* pro *ab*) et *tendo* conflatum, diversam significationem habet *obtendo:* unde *obtentus, -a, -um*, ap. Virg. Geo. I. 248: et Val. Flacc. III. 718: et verbale *obtentus*, ut *obtentu frondis* ap. eund. Virg. Aen. XI. 66; *obtentu togae* ap. Gell. XI. 18; *obtentui esse* ap. Sallust. de Rep. ord. II. 19.

79) Supinum *peditum*, quod multi Grammaticorum non agnoscunt, firmat verbale *peditum* ap. Catull. LII. 3.

Digitized by Google

7. Composita a verbo *Do* cum praepositionibus, sunt omnia fere tertiae[81]) coniugationis, praeter *circundo*, faciuntque praeterito *didi*, supino *ditum*: ut, *abdo, abdidi, abditum*. Sic *ad-, con-, de-, di-, e-, in-, ob-, per-, pro-, red-, sub-, tra- do*: item *decon-, recon- do*; et *coad-, superad- do*; et *deper-, disper- do*. Quibus adde *credo, credidi, creditum*[82]); *vendo, vendidi, venditum*[83]). *Abscondo* tamen *abscondi* (rarius *abscondidi*[84]), *absconditum*[85]) facit.

Tria carent supino, praeteritum vero iuxta regulam formant:

Strido, stridi[86]).

Rudo, rudi[87]).

---

80) *Pendo* praeterito quandoque *pendi* facere docet Alexander: quod et Alvarus, eumque incautius sequentes Vossius, Methodi auctor, Ursinus, Iohnsonus, Prateus, Lowaeus et alii, firmatum eunt illo Livii, XLV. 29, *Vectigal exercentibus dimidium eius impositum quod pendissent Regi*. At omnibus quas mihi videre contigit Editionibus, Mich. Vascosani 1543, Veneta P. Manutii 1566, Iani Gruteri 1625, Gronoviorum 1645 et 1679, Delphinensi 1679, Tho. Hearnii 1708, ut alias inferioris notae omittam, *pependissent* constanter legitur: ut et initio eiusdem capitis *Tributum dimidium eius quod pependissent Regibus*.

81) Vid. supra reg. 7. n. 20.

82) Inter varias de origine verbi *credo* opiniones, mihi maxime probatur Prisciani sententia, qui col. 890, a *cretum*, (i. e. *decretum* vel *certum*) et *do* compositum putat.

83) A nomine *venum* et *do* compositum: at *venundo* plene prolatum primae est, ut reg. 7. docuimus.

84) *Abscondidi* (quod probat Priscianus, col. 890.) soli quod sciam Plautus Merc. II. 3, 25: [et in Carbon. teste eod. Prisciano, l. c.] et Silius, VIII. 192 utuntur: addit Vossius Ovidium, quod non invenio. *Abscondi* caeteri omnes habent, Tacit. Hist. III. 68, 2. Curtius, IV. 14, 14: et VI. 6, 30. Lucan. X. 118. Senec. de Benef. III. 25. Florus, I. 13: et IV. 2. Claudian. XXXVI. 140. Gellius, XVII. 9.

85) A supino *absconditum* frequentissimum est *absconditus*; et *abscondite* adverbium ap. Cicer. de Invent. II. 23. pr. Addunt et aliud supinum *absconsum* (quod tamen reiicit Servius ad Virg. Geo. I. 185: et Caper, col. 2240.) unde *absconsus* ap. Fulgent. Mythol. I. 21. Hilarium in Psal. 54. Gennadium in Catal. Ven. Fortunat. de part. Virgin. v. 98. Vet. Interp. Eccles. I. 89: et IV. 21; *absconse* ap. Iul. Firmic. Astron. II. 2; *absconsor* ap. eund. notant Munckerus ad Hygin. Fab. 184, et Vossius Anal. III. 26. Addit et Vossius *absconsio* ap. Plinium VIII. 16, ubi olim quidem legebatur, *Idem* [leo] *ubi virgulta silvasque penetraverit, acerrimo cursu fertur, velut deputans absconsione turpitudinem*: at libris emendatis, *Idem, u. v. s. q. penetravit a. c. f. velut abscondente turpitudinem loco*. Rectius cum Iohnsono adiecissent ex Pseudo-Quinctiliano Declam. XVII. 15, *venenum quod tibi pararetur invenisses absconsum*. Sed haec omnia labentis aetatis esse, nec temere imitanda existimem.

86) Frequentius est *strideo, stridi*, secundae, de quo supra reg. 14.

87) *Rudivi* utitur Apuleius Met. VII. p. 218, a *rudo* quartae, unde *ruditus* ap. eund. Met. VIII. ut *hinnitus*.

Digitized by Google

Sido, *sidi* [88]). Eius compositа praeteritum et supinum mutuantur a *sedeo*: ut, *considо*, *consedi*, *consessum* [89]). Sic *as-*, *circum-*, *de-*, *in-*, *ob-*, *per-*, *re-*, *sub- sido*.

GO, GUO.

30. GO vel GUO XI CTUMque facit. Cum *surgere pergo*
Accipit at REXI, RECTUM. Sed et ista supinis
N tria deperdunt, *fingo*, cum *pingere*, *stringo*.
Dat *frango*, *fregi*, *fractum*, sicut *egit* et *actum*
Vult *ago*: sed soboles, *satago*, cum *prodigo*, *dego*,
Nulla supina dabunt; caret *ambigo* praeteritoque.
Tango facit *tetigi*, *tactum*; *legi*, *lego*, *lectum*:
Negligo sed poscunt, *intelligo*, *diligo*, XI, CTUM.
Pungo capit *pupugi punctum*, sed pignora *punxi*:
Praeteritum sed utrumque petit sibi rite *repungo*.
Vult *pango*, *panxi*, *pactum*, *pepigique* vetustum
Dat *pago*, quod *pegi* genitis de *pango* reservat.

1. Verbum in GO vel GUO desinens facit XI in praeterito, et CTUM in supino: ut,

Cingo, *cinxi*, *cinctum*. Sic *ac-*, *dis-*, *circum-*, *in-*, *prae-*, *re-*, *suc- cingo*.

Fligo, *flixi*, *flictum* [90]). Sic *af-*, *con-*, *in-*, *profligo* [91]).

Iungo, *iunxi*, *iunctum*. Sic *ab-*, *ad-*, *con-*, *de-*, *dis-*, *in-*, *inter-*, *se-*, *sub- iungo*.

Lingo, *linxi*, *linctum*. Sic *de-*, *e-*, *pol- lingo*.

Mungo, *munxi*, *munctum* [92]). Sic *e- mungo*.

Plango, *planctum*.

---

88) *Sido* praeterito carere aiunt Despanterius, Deixius, Kirkwodus; Priscianus quoque col. 893, negat in usu esse. Atqui Columella id diserte adhibuit XII. 24, *Deinde patiemur piscem considere, et cum siderit, aquam eliquabimus.*

89) Vid. supra reg. 14. ubi *desessum*, *persessum*, *recessum*, aut voces ab eis formatas, vix inveniri notavimus.

90) Longe usitatiora sunt composita: simplice tamen utitur Lucret. II. 85, *Obvia cum flixere* — ut taceam Livium Andron. et Accium ap. Nonium, II. 323, et *flictu* ap. Virg. Aen. IX. 667, et Silium, IX. 322.

91) Unde *proflictus* ap. Gell. XV. 5, *Res proflictae et perditae*: usu tamen longe receptius est *profligo*, *profligavi*, primae coniug.

92) Praeteritum et supinum simplicis vix usitata. Ab hoc tamen est *munctio* ap. Arnob. lib. 3.

Digitized by Google

Rego, rexi, rectum. Sic *ar-, cor-, di-, e-, pbr-*[93]*), sur- rigo*[94]).

Stinguo vel *stingo, stinxi, stinctum*[95]). Sic *di-, ex-, in-, inter-, prae-, re- stinguo.*

Tego, texi, tectum. Sic *circum-, con- de-, in-, ob-, per-, prae-, pro-, re-, sub-, super- tego.*

Tingo vel *tinguo*[96]), *tinxi*[97]), *tinctum.* Sic *con-, in- tingo.*

Ungo vel *unguo, unxi*[98]), *unctum.* Sic *ex-, in-, per-, super- ungo.*

2. Duo formant REXI et RECTUM;

Surgo, surrexi, surrectum. Sic *as-, circum-, con-, de-, ex-, in-, re- surgo.*

Pergo, perrexi, perrectum[99]).

3. Tria *n* in supino amittunt;

Stringo, strinxi, strictum. Sic *ad-, con-, de-, dis-, ob-, per-, prae-, re-, sub-stringo.*

Fingo, finxi, fictum. Sic *af-, con-, ef-, re- fingo.*

Pingo, pinxi, pictum. Sic *ap-, de- pingo* [100]).

4. *Frango, fregi, fractum.* Sic *con-, de-, dif-, ef-, in-, per-, prae-, re-, suf- fringo.*

Ago, egi, actum. Sic *ab, ad-, ex-, red-, sub-, trans-, transad- igo*: et *circum-, per- ago; cogo* pro *coago.*

---

93) Invenitur et *pergo, ri* per Syncopen extrito: ut Virg. Aen. VIII. 274, *porgite pocula dextris*; Silius, IX. 458, *porgebat protinus ensem.* Sic Terent. Adelph. V. 3, 58, *exporge frontem*, pro *exporrige.*

94) A *surrigo*, vel *subrigo*, quo Virg. Aen. IV. 183, et Plinius pluribus locis utuntur, significatione diversum est *surgo* (de quo mox) quanquam utrumque sit a *sub* (sive quod alii volunt, a *susum* vel *sursum*) et *rego* compositum.

95) Simplice bis utitur Lucretius, I. 667, et II. 827: totiesque Cic. in Arateis ap. Priscian. col. 882.

96) *Tinguo* habent plerique codd. antiqui, quod et Grammatici veteres etiam approbant, qui tamen *urgueo* et *unguo*, (quemadmodum in libris nonnullis, pro *urgeo, ungo* scribuntur) non admittunt; ut apud Velium Longum, col. 2225. invenimus; quamvis idem *u* in *unguen* et *unguentum* ita insertum agnoscat, ut evelli non possit.

97) Sic, *Contingunt mellis dulci flavoque liquore* Lucretius, IV. 12: et, *Tristi contingunt corpus amurca* Virg. Geo. III. 448. dixere. Aliam vero notionem habet *contingo* a *tango* compositum.

98) Nisus, Papyrianus et Probus ap. Priscian. col. 881, huic verbo *unxi* et *unguo* praeteritum tribuunt, at Charisius *unxi* tantum.

99) *Pergo* pro *perrigo* dictum, a *per* et *rego* (quod tum ratio Grammatica, tum praeteriti et supini formatio ostendit) non pro *perago*, quod Scioppius existimavit. Vid. Perizon. ad Sanct. III. 5. n. 105.

100) Addit Priscianus, col. 895, et ex eo Grammaticorum vulgus, *ringo, rictum.* Id autem hodie nusquam legitur, sed *ringor*, quod deponens est, ut et eius compositum *subringor.* Vid. Vossius Anal. III. 27.

Digitized by Google

Tria ab *ago* composita carent supino: *Satago*, *satagi*[1]); *Prodigo*[2]), *prodegi*; *Dego* (pro *deago*) *degi*. Unum praeterito etiam caret, *Ambigo*[3]).

5. *Tango*, *tetigi*, *tactum*. Sic *at-*, *con-*, *ob-*, *per- tingo*.

6. *Lego*, *legi*, *lectum*. Sic *al-*, *per-*, *prae-*, *re-*, *sublego*, quae *e* retinent: item *col-*, *de-*, *e-*, *recol-*, *se- ligo*, quae e mutant in *i*.

Tria a *lego* composita habent EXI, CTUM: *Diligo*, *dilexi*, *dilectum*; *Intelligo intellexi*, *intellectum*[4]); *Negligo neglexi*, *neglectum*[5]).

7. *Pungo*, *pupugi*[6]), *punctum*. Composita *punxi* faciunt: nt, *Compungo*, *compunxi*, *compunctum*. Sic *dis-*, *ex-*, *inter- pungo*.

Repungo vero *repugi* habet et *repunxi*[7]).

Pango, *panxi*, *pactum*[8]).

---

1) *Satisegi* agnoscunt Despauterius, Saturnius, etc. at id vix inveniri notat Vossius.

2) *Prodegeris* utitur Plautus, Aul. II. 9, 10. Sed et *prodactus* habet Tertullian. de Pud. c. 8, vix imitandus.

3) Legimus quidem *ambactus*, pro servo qui ad domini voluntatem circumageretur, a propria notione verbi *ambigere*, quae est *utrinque agere* vel *circumagere*: sed alioquin usus praeteriti et supini huius verbi exolevit.

4) Eiusdem compositionis, sed sensus diversi, est *interlego*: ut Pallad. Feb. t. 25, *Si spissa poma ramos onerabunt*, *interlegenda sunt quaeque vitiosa*, i. e. *hinc inde decerpenda*.

5) *Intellegerit* pro *intellexerit* non semel dixisse Ulpianum notat Vossius, d. l. *Neglegi* etiam, pro *neglexi*, ex Aemilio Macro proferunt Diomedes, col. 366, et Priscianus, col. 895: et ita legenda vult Ianus Gulielmius [Veriaim. II. 11.] verba M. Antonii ap. Cicer. Phil. XIII. 16, *Theopompum nudum*, *expulsum a Trebonio*, *confugere Alexandriam neglegisse*.

6) *Punxi*, quod ex Prisciano addunt Despauterius, Kirkwodus, etc. extra composita aegre invenies.

7) Haec ita distinguit Caper ap. Priscian. col. 894: cum aiat vicissim pungo, *repupugi* facit: cum vero ad rationes refertur, *repunxi*. Neutrum tamen apud Classicos nunc conspicitur.

8) *Pango* fuit prius *paco*, a quo *paciscor*, posterius *pago*, quod ex lege XII. Tabb. ostendit Quinctil. I. 6. *Pago* autem retinuit Auctor ad Herenn. II. 13, *Rem ubi pagunt*, *oratione pagunt*: quemadmodum et a Prisciano locus citatur, col. 894, quanquam in quibusdam MSS. et primis cusis *pangunt* invenerat Gruterus: ipse autem, *Rem ubi pagunt*, *orato*, *ni pagunt*, *in comitio*, etc. edidit. Ab eo certe est praeteritum, *pepigi*, usu vocis ad foedera, inducias, conventa et similia, per translationem inflexo. At *pegi*, tanquam esset a *pango*, ut *fregi* a *frango* (antiquis *pago* et *frago*) pro *panxi* (quo utitur Colum. XI. 2.) olim dictum; quod praeteritum in compositis restitit. Videtur et supino habuisse *punctum*: unde *radices punctae* ap. Pallad. Ian. t. 14; et *puncturus* ap. eund. Feb. t. 9; et *punctio* in lemmate Octob. t. 3.

Digitized by Google

Ab obsoleto *pago* (pro quo nunc *paciscor* dicimus [9]), est *pepigi*, *pactum*, olim *pegi* [10]).

Composita a *pango*, ea praesertim quae *a* in *i* mutant, praeterito *pegi* servant, ab antiquo verbo *pago:* ut, *compingo*, *compegi*, *compactum*. Sic *impingo*, *oppango* seu *oppingo*, *repango*, *suppingo* [11]).

31. Dant SI, SUM *spargo*, *mergo*, *tergo*que. Requirit
At XI, XUM *figo* cum *frigere*: nec male *frictum*
Invenis quandoque datum. Nil *vergo* capessit.
XI *clango*, *ningo* dat et *ango*, supinaque nulla.

9. Tria formant SI, SUM;
Spargo, *sparsi*, *sparsum*. Sic *ad-*, *circum-*, *con-*, *di-*, *in-*, *inter-*, *per-*, *pro-*, *re- spergo*.
Mergo, *mersi*, *mersum*. Sic *de-*, *e-*, *im-*, *sub- mergo*.
Tergo, *tersi*, *tersum* [12]). Sic *abs-*, *de-*, *ex-*, *per- tergo*.
10. Duo faciunt XI, XUM;
Figo, *fixi*, *fixum* [13]). Sic *af-*, *con-*, *de*, *in-*, *of-*, *per-*, *prae-*, *re-*, *suf-*, *trans- figo*.
Frigo, *frixi*, *frixum* et *frictum* [14]).

---

9) Vid. post reg. 49.

10) Ab antiquo *pago*, pro *defigo* (quae primaria vocis significatio est, utpote a Dorico πάγω, pro πήγω, unde πηγνύω, seu πήγνυμι, orta) Cicero *pegi* utitur de Leg. I. 21, *Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque parere.* Id. in Pison. c. 16, *Obtinuisti provinciam consularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pegerat.* Ita ex MSS. priorem locum restituit Turnebus, et posteriorem etiam (probante, si ipsi credendum sit, Prisciano) Pareus Lex. Crit. p. 880, qui addit et illud Pacuvii in Medo ap. Festum in voc. *Tonsilla*; et Priscian. col. 894, *Accessi ad eam, et tonsillam pegi laeto* [al. *laevo*] *in littore.*

11) Composita a *pango*, quae *a* retinent, *panxi* facere vult Ursinus, p. 729, ut *circumpango*, *depango*, *oppango*, *repango*. Vellem autem ut id exemplis veterum confirmasset: mihi sane nulla adhuc dum sunt eiusmodi conspecta. Pro *circumpango*, quod e Plinii l. XVII. 13. Lexica vulgaria adducunt, *Trajectis per vasa fictilia vel qualos ramis, terraque circumpactis; circumfartis* cum MSS. omnibus legendum monet Harduinus. *Oppegi* vero ab *oppango* extulit Plaut. Curc. I. 1, 60.

12) Dicitur et *tergeo* in secunda, sed rarius. Vid. reg. 18. *Tertus* autem pro *tersus* veteres dixisse testis est Nonius, II. 847.

13) *Fictum* etiam supinum est ap. Diomedem, col. 378, qui id probat ex hoc Scauri, *Sagittis confictus.* Idem auctoritate Ciceronis, Varronis et Lucretii confirmare nititur Gifanius in Indice Lucret. voc. *fictus*. Et *navis inficta*, pro *infixa* dixit Callistratus l. 7. ff. de incendio, ruina, naufragio, etc. Vid. Voss. Anal. III. 27.

14) A *frixum* est *res frixa* ap. Celsum, II. 18. A *frictum* est *cicer frictum* ap. Horat. Art. 249; *frictae nuces* ap. Plaut. Poen. I. 2,

Digitized by Google

11. *Vergo*, caret praeterito et supino [15]). Sic *in-, de-, e- vergo* [16]).

12. Tria praeterito XI habent, supino autem deficiunt.
Clango, *clanxi* [17]).
Ningo (vel *ninguo*) *ninxi*.
Ango, *anxi* [18]).

HO, IO.

32. Postulat HO, XI, CTUM. *Minxi*, *mictum* cape *meio*.

1. Duo verba in HO faciunt XI et CTUM:
Traho, *traxi*, *tractum*. Sic *abs-*, *at-*, *circum*, *con-de-*, *dis-*, *ex-*, *per-*, *pro-*, *re-*, *sub- traho*.
Veho, *vexi*, *vectum*. Sic *a-*, *ad-*, *con-*, *de-*, *e-*, *in-*, *per-*, *prae-*, *praeter-*, *pro-*, *re-*, *sub-*, *super-*, *trans- veho*.

2. Unicum in IO verbum, priore consonante, *Meio* [19]) facit *minxi* [20]), *mictum*. Sic *im- meio*.

118; *triticum frictum* ap. Varron. R. R. II. 4; *sal frictum* ap. Colum. VII. 5: *faba fricta* ap. Plin. XXII. 25. §. 69, et *ova fricta* ap. eund. XXIX. 3: adeo ut *frictum* non modo usu receptum (quod Kirkwodus et alii negant) sed magis quam *frixum* frequentatum videatur.

15) Diomedes, col. 366, praeteritum ei *vexi* tribuit: *versi* autem magis analogum videtur (ut a *mergo*, *mersi*); quemadmodum et legendum statuit accuratissimus Heinsius in illo Ovidii Pont. I. 9, 52, — *in gelidos versit amoma sinus*: pro quo *fudit* vulgo habetur.

16) *Sugo* etiam et *lingo* supinis privat Despautetius: at hoc *linctum* habere ostendit ablativus *linctu* ap. Plinium XXXI. 9, et XXXVI. 17. extr. et *linctum sulphur* ap. eund. XXXV. 15. illud vero *suctum*, itidem confirmat participium *suctus* ap. Pallad. Febr. t. 26: et verbale ap. Varron. (referente Nonio, II. 767.) et Plin. X. 40. XXVIII. 8, et multis aliis locis.

17) A *clango clangui* minus probate dixit vulgatus Interpres Numer. X. 4.

18) Ab *ango* Diomedes ap. Voss. Anal. III. 27, format supinum *anxum*, Priscianus, col. 895, *anctum*: sed neutrum apud Classicos iam invenitur. Supino autem carere innuunt Charisius, col. 221, et Diomedes, col. 376, qui passivo *angor* mutuatitium dant praeteritum *anxius sum*, non *anxus* aut *anctus*.

19) *Minxi* est a *mingo*, quod quamvis minus usitatum, haud recte tamen barbaris annumeratur; cum eo non tantum Vopiscus in Bonoso, c. 14, extr. Ammianus Marcellinus, XXIII. 6. p. 388. Vegetius Mulo-medicin. III. 12 et 15, vergentis Latinitatis auctores, utantur; sed purissimus, et Augustaeo aevo proximus scriptor, Cor. Celsus, IV. 20. §. 2, *Cum urina super potionum modum mingitur*. Vid. Borrichii Cogit. adversus Vossium, p. 165 et seqq. et Guntherum Latin. restit. Tom. 1. p. 383. *Mingo* porro agnoscunt veteres Grammatici, Diomedes, col. 366; Priscianus, col. 876, et Eutyches, col. 2177.

20) Diomedes, l. c. et Probus, col. 1483; *mixi* vel *mexi*, et in prima *meio*, *meiavi*, huic verbo attribuunt, sed nullum horum in usu est.

Digitized by Google

LO.

33. LO, LUIT efformat: *colo*, *consulit*, *occulit*, ULTUM:

At *alo* dic *altum*, vel ITUM: *molitum molo* donat.
Nulla supina manent genitis de *cello*: sed unum
Excipe *percello*, quod *perculit* optat et ULSUM.
Pello facit *pepuli pulsum*; *falloque fefelli*,
Et *falsum*. *Velli* vel *vulsi*, *vello* reposcit,
Inde petens *vulsum*: *sallo*, *salli*, quoque *salsum*.
At *psallo*, *psalli* tantum: pariterque supinis
Deficiunt *malo*, *volo*, *nolo*, iunge *refello*.
More sed insolito dat *tollo sustulit*, atque
Sublatum: *attollo* proles sed nil sibi quaerit.

1. Verba in LO finita, praeterito LUI faciunt, supino variant, hoc modo:

Colo, *colui*, *cultum*. Sic *ac-*, *circum-*, *ex-*, *in-*, *per-*, *prae-*, *re- colo* [21]): item, *Occulo* (o in *u* mutato) *occului*, *occultum* [22]).

Consulo, *consului*, *consultum*.

Alo, *alui*, *alitum*, et per Syncopen *altum* [23]).

Molo, *molui*, *molitum*. Sic *com-*, *e-*, *per- molo*.

2. *Cello* simplex non est in usu. Eius autem composita sic coniugantur:

Antecello, *antecellui*; *excello* [24]), *excellui*; *praecello*, *praecellui*: haec tria sine supino [25]).

---

21) Ab *accolo* tamen et *circumcolo*, nulla supina exstare putem. *Incultus* quoque non ab *incolo* est, cui contrarium habet significationem, sed a participio *cultus*; ut, *indoctus*, *interritus* a *doctus*, *territus*: neque enim *indoceo*, *interreo* dicimus.

22) Vel. tamen Flaccus *occulerat* dixit, II. 280.

23) *Alitum* ad ambiguitatem vitandam praefert Diomedes, col. 371: unde *alitus* ap. Liv. XXX. 28. Curt. VIII. 10, 8. V. Max. VII. II. 7, extern. et III. 4, 4. et *alitura* ap. Gell. XII. 1, sub fin. Frequentius tamen *altus*, quo Cic. de Nat. Deor. II. 46; de Clar. Orat. c. 10, init. Epist. Fam. VI. 1, sub fin. et Varro, ap. Nonium, IV. 8, utuntur; undeque *altor*, *altrix* et *altilis* sunt deducta. In illo autem Ciceronis pro Planc. c. 38, *Locus ubi altus est*, variant tam ipsius quam Prisciani, col. 897, codices, aliis *altus*, aliis *alitus* exhibentibus. Profert et Diomedes, col. 371, illud Sallustii, Ing. 63, *Arpini altus*: sed et ibi *alitus* quoque in libris nonnullis se invenisse testatur Priscianus, l. c. Nequeo tamen assentiri Cl. Daciero, qui ap. Horat. Car. III. 4, 37, *Caesarem altum*, non *excelsum*, sed *alumnum* interpretatur.

24) Dictum et *praecelleo*, *excelleo*: unde ex Prisciani sententia l. c. venit praeteritum *excellui*, cum *excello* alioqui debuisset facere *exculi*,

Digitized by Google

Percello, perculi, perculsum [26], [27].

Recello, (parum usitatum verbum) nullum praeteritum aut supinum habere invenitur.

5. Duo principium praeteriti geminant:

Pello, pepuli [28] *pulsum*. Sic *ap-, as-, com-, de-, dis-, ex-, im-, per-, pro-, re- pello*.

fallo, fefelli, falsum. At *refello, refelli*, sine supino.

Vello, velli, vel *vulsi* [29] *vulsum*. Sic *a-, con-, e-, inter-, prae-, re- vello*. In reliquis vero, *de-, di-, pervello*, terminatione ELLI rectius uteris.

5. *Sallo, salli, salsum* [30].

---

ut *percello, perculi*. Sed neutrum horum mihi adhuc videre contigit, multoque minus *excellui*, quod Probum praeferre aiunt Vossius et Ursinus. Vellem autem Probi locum indicassent. Aliter certe eum scripsisse invenio, col. 1487. LO, inquit, tertiae correptae facient aut LUI, ut, *excello, excellis, excellui*: aut LI, ut *tollo*, etc.

25) *Celsus, excelsus, praecelsus*, nomina sunt, non participia.

26) Sunt qui verbo *percello* addunt praeteritum *perculsi*. Sed ubicunque hoc legi obtendunt, docti substituunt *percussi*. Vid. Vossius Anal. III. 28.

27) Sic declinari *procello* (unde *procellam* deducit Servius) pro *percello*, a Plinio iuniore in Paneg. c. 66, notat Ursinus et alii; sed et ibi in melioribus libris, *percularat*, non *proculerat*, invenimus.

28) *Pulsi* etiam dictum fuisse colligitur ex loco Ulpiani, l. 1. §. 18. ff. de aqua quotid. et aestiv. *Si quis plura pecora adpulserit*. Sic enim in Pandectis Florentinis melioribusque editionibus legitur. Imo et *pelli* usitatum evincit locus Terentii Heaut. I. 1, 113, *Qui illum ad laborem impellerim*. Ita enim optimi codices, nec aliter metrum constat.

29) *Vellit* Virg. Ecl. VI. 4; *vellerat* Cicer. in Verr. IV. 24; *vulsit* Lucan. VI. 546 et 562; *vulserat* Id. IV. 414. Prudent. contra Symmach. Praef. II. 5; *avellit* Plin. II. 88. Claud. XXXVI. 150; *avellerat* Curt. V. 6, 5; *avulsit* Lucan. IX. 768; *convellisti* Cic. pro dom. c. 21; *convellit* Id. Ibid. c. 56, extr. et de Harusp. Resp. c. 19; *convellimus* Virg. Aen. II. 464; *convellerunt* Cic. ad Attic. VIII. 15; *convellerit* Eumen. in Paneg. Constant. c. 6, extr. *convulsit* Plaut. Amph. IV. 4, 1; *evellit* Curt. IV. 6, 17; *evellerat* Phaedr. II. 2, 9; *evellisset* Cicer. de Orat. I. 53. Plin. VIII. 42; *evellisse* Cic. pro Sext. c. 28, *evulsit* Flor. IV. 12; *evulsimus* Quinctil. Decl. XII. 8; *intervelli* Plaut. Amph. I. 1, 170; *intervulseris* Colum. R. R. V. 10; *praevulserat* Laberius ap. Diomed. col. 369; *revelli* Virgil. Aen. IV. 427 et 545; *revellit* Id. Aen. XII. 787, Ovid. Amor. III. 10, 14, Met. IX. 86, et Met. XII. 300, etc. A. Gell. V. 14, Cic. Verr. IV. 56; *revellistis* Id. Ibid. c. 11; *revulsit* Prudent. περὶ στεφ. X. 71; *revulserat* Ibid. v. 761; *revulsi* etiam et *revulsit* habent quidam codices ap. Ovid. Met. VIII. 584, et Heroid. VI. 104, at meliores (ut notat Heinsius) *revelli* et *revellit*; * *devellisse* Plaut. Poen. IV. 2, 50; *divellit* Hirt. B. Afric. c. 88, Gell. XV. 16; *pervellit* Cic. de Orat. I. 62, extr. V. Max. I. 5, 8; *pervellerit* Cic. Tusc. II. 19.

30) Dicitur et in quarta *salio, salivi, salitum, salire*, vel *l* geminato *sallio*, etc. Vid. Voss. Anal. III. 35. Ab hoc est *salitus* ap. Colum. VI. 32. Pallad. Octob. t. 10, itemque ap. Severum et Fabianum, teste Diomede, col. 372, et *sallitus* ap. Cor. Severum, et *salliturus* ap. Nae-

Digitized by Google

6. *Psallo*, *psalli* [31]), sine supino.

7. Supino etiam carent haec verba alioquin irregularia: *volo*, *volui*; *malo*, *malui*; *nolo*, *nolui* [32]).

8. *Tollo*, modo inusitato et sibi peculiari, *sustuli* [33]) et *sublatum* facit. Compositum *attollo*, nullum praeteritum aut supinum habet [34]).

MO.

34. MO per UI dat ITUM. *Tremo* flectitur absque supino.

Dant PSI, PTUM, *demo*, *promo*, cum *sumere*, *como*:

Emi, *emptum* sed *emo* capiet; *pressi*, *premo*, *pressum*.

1. In MO terminata praeterito UI, supino ITUM habent: ut,

Fremo, *fremui*, *fremitum*. Sic *af-*, *circum-*, *con-*, *in-*, *per- fremo*.

Gemo, *gemui*, *gemitum*. Sic *ag-*, *circum-*, *con-*, *in-*, *re- gemo*.

2. *Tremo*, *tremui* facit, absque supino. Sic *at-*, *circum-*, *con-*, *in- tremo*.

---

vium, referente Prisciano, col. 910, ab illo *salsus* quod satis frequens, et *salaurus* quod ex Mummio adfert idem Priscianus, l. d.

31) Praeteritum *psalli* confirmat Priscianus, col. 897, versu Bassi, II. Lyric. *Calliope princeps sapienti psallerat ore.*

32) De his vid. lib. seq.

33) *Sustuli* et *sublatum* proprie sunt a *sustollo*, sive (ut olim loquebantur) *sustolo*. Antiqui enim simplex *tolo* (postea *tollo*) idem significans quod *tolero*, *tetuli* declinabant. Unde et ipsi *tollo* praeteritum *tetuli* tribuit Charisius, col. 222. At ab eo potius esset *tetolli*, ut probe ab Auctore Methodi animadversum, velut a *fallo*, *fefelli*. Videtur tamen habuisse etiam *tolli*, unde *tollisse* ap. Ulpianum, referente Scaligero ad Varron. R. R. 1, ult. Vid. inferius reg. 37, et confer Voss. Anal. III. 37. Quod autem Priscianus, col. 817, eumque secutus Bangius et Methodi auctor, idem praeteritum *sustuli* tribus verbis *tollo*, *sustollo* et *sufffero* attribuant, de postremo falsi videntur. Nusquam enim *suffero* pro *aufero*, *submoveo*, *attollo* (sive, ut Methodi auctor, p. 291, Gallice reddit, *ôter*, *enlever*, *elever*) acceptum invenitur: neque *sustuli patiendi* aut *sustinendi* (Gallice *endurer*) notionem habet. In illo enim Cicer. pro Rosc. Amer. c. 4, *Plus oneris sustuli, quam ferre possum*, quod huc referunt, *sustuli* non ad *suffero*, sed ad *tollo* vel *sustollo* pertinet. V. Ursin. p. 741 et 748.

34) *Attuli* enim et *allatum* transierunt in significationem verbi *affero*, cui et tribuuntur. *Extollo* vero et *effero*, cum eandem fere significationem habeant, *extuli* et *elatum* utrique ex aequo convenire possunt.

Digitized by Google

3. Quatuor PSI, PTUM [35]), vel SI, TUM habent:
Demo dempsi, demptum [36]).
Promo, prompsi, promptum. Sic *de-, ex- promo.*
Sumo, sumpsi, sumptum. Sic *ab-, as-, con-, de-, in-, prae-, re-, tran- sumo.*
Como, compsi, comptum.
4. *Emo, emi, emptum.* Sic *adimo* [37]); *dirimo; eximo; interimo* et *perimo; redimo; coëmo.*
5. *Premo, pressi, pressum,* duplice *ss.* Sic *ap-, com-, de-, ex-, im-, op-, per-, re-, sup-, prime.*

NO.

35. *Pono* facit *posui, positum*: *genui, genitum*que
Gigno creat: *cecini cantum cano* poscit; habeto
Sed CINUI, CENTUM proles. Prope nil sibi servans,
Temno dedit nato PSI, PTUM. Vult *sperno*que *sprevi,*
Et *spretum*; *sterno, stravi, stratum; sino, sivi,*
Atque *situm*; *livi, levive, litum, lino; cerno*
Dat *crevi, cretum*que, magis quae nata frequentant.

Verba in NO praeteritum et supinum varie formant:
1. *Pono, posui* [38]), *positum.* Sic *ap-, ante-, circum-, com-, de-, dis-, ex-, im-, inter-, op- post-, prae-, pro-, re-, se-, sup-, super-, superim-, trans- pono.*
2. *Gigno, genui, genitum* [39]). Sic *con-, e-, in-, per-, pro-, re- gigno.*

---

35) An *p* in hisce servanda sit, vel abiicienda, acriter contendunt orthographiae emendationis magistri. Hinc stant Victorinus, Sanctius, Lambinus, Dausquius, Methodi auctor et alii: illinc Priscianus, Probus, Lipsius, Ios. Castalio, Bangius, Cluverius, Ursinus et pleraque marmora antiqua.

36) *Demo*, quamvis praeterito variet, pro *deemo* tamen dictum, adeoque ab *emo* compositum videtur: itidemque *promo*, pro *proemo*.

37) *Adimo* non est, quod quidam existimant, a *demo* compositum; repugnat enim non tam praeteriti quam penultimae syllabae disparilitas.

38) Olim *posivi*, quod ex Plauti Vidular. et Apuleio in primo Hermag. probat Priscian. col. 898. Addit Vossius *reposivi* ex eod. Plaut. Asin. III. 1, 16; *deposivi* Curc. IV. 3, 4. et Catull. XXXII. 8; *exposivi* Plaut. Casin. IV. 27. Sic *imposivit* ap. eund. Rud. II. 3, 27. Hinc etiam per Syncopen dixisse videntur *posii*: unde *imposisse* ap. Plaut. Most. II. 2, 4, et *deposisse* ap. Marcnem in Parodia: quemadmodum post Scaligerum legit Vossius.

39) *Genui* et *genitum*, sunt a *gano*, quod quamvis nunc antiquatum, non tamen refugerunt Lucretius, Varro, Severus in Aetna, Apuleius, Cen-

Digitized by Google

3. *Cano, cecini, cantum.* At composita CINUI et CENTUM faciunt: ut, *accino, accinui, accentum.* Sic *con-, in-, prae-, suc- cino*; *oc- cino* et *occano* [40]), *re- cino* et *re- cano* [41]).

4. *Temno* olim *tempsi* et *temptum*, quae iam vix in usu sunt [42]) praeterquam in composito *contemno, contempsi, contemptum.*

5. Sequentia praeteritum formant in VI, supinum in TUM:

Sperno, sprevi, spretum. Sic *de- sperno* [43]).

Sterno, stravi, stratum. Sic *ad-, con-* [44]), *in-, prae-, pro-, sub- sterno.*

Sino, sivi, vel *sii* [45]), *situm* [46]). Sic *desino, desivi* (saepius *desii*) *desitum.*

---

sorinus de die Nat. ut et ICti Paulus, Ulpianus aliique, docente Vossio Anal. III, 29.

40) Tacit. Anal. II. 81, 2, *Sentius occanere cornua tubasque iussit*: unde *occanui* dixit Sallust. 1. Hist. ap. Priscianum, col. 898, *Iussu Metelli cornicines occanuere.* Servius etiam, qui ad Virg. Geo. II. 384, *canui* olim pro *cecini* notat dictum, ex eod. Sallustio adducit, *Cornua occanuerint.* Contra *alites vecinentes* ex Catull. XXIII. 5, citat Stephanus in Thes. L. L. et in libris melioribus *aves oscitantes* reperio. Livii autem est, VI. 41, *Si occinuerit avis*: Unde *occentus* ap. V. Max. I. 1, 5; et *occento* ap. Plaut. Merc. II. 3, 75; et *occentassint* ap. Fest. in voc. Sed et more simplicis *occini* facere volant Diomedes, col. 370, et Probus ap. Priscian. l. c.

41) *Recino* habet Horat. Car. III. 28, 11; et Epist. I. 1, 55, *Recano* Plin. X. 33. In Virgilii etiam Culice, v. 18 et 71; *recanente* ex antiquo MSto reponendum, pro quo vulgo *recinente*, monet Scaliger. *Praecano* quoque pro *praecino* utitur Tertullianus adv. Iudaeos, c. 10, *Moyses praecanebat.*

42) Inde est *temptor* ap. Senec. Agam. v. 606, al. *contemptor.*

43) *Aspernor* autem, mutato et genere et coniugatione, deponens est et primae.

44) *Consterno*, cum ad animum refertur, in primam coniugationem transit, ut et *exsterno.*

45) Sic Terent. Andr. I. 2, 17, *Sivi animum ut explerat suum.* Plaut. Mil. IV. 2, 8, *Sivisti exorare a te*: Et Terent. Adelph. I. 2, 24, *Non siit egestas.* Varro Epist. Quaest. VI. ap. Diomed. col. 371, *Ad mortem perduceres non sii.* Confer et Priscian. col. 907. Hinc *siris* pro *sieris* Ennius ap. Cic. Tusc. I. 44; *sirit* pro *sierit* Liv. XXVIII. 28, et XXXIV. 24; *sissent* pro *visisent* vel *sivissent* Cic. pro Sext. c. 19, extr. Liv. III. 18, et XXVII. 5. dixere. Sed et *sini* quoque praeterito veteres usurpasse probat Diomedes, l. c. illo P. Rutilii, *Quod si me invitum abire sinisset*; item hoc Aemil. Scauri, *Praetium non sini fieri.* Idem tamen *sit* melius ait dici.

46) Hinc *situs*, pro *permissus*, ap. Cic. pro Sext. c. 44, *Accusare eum per Senatus auctoritatem non est situs*: et *siturus* ap. eund. ad Quint. Fr. Epist. II. 6, sub fin. *Cato concionatus est, comitia haberi non siturum.* Ab eodem etiam *situs* pro *positus*, manare vult Vossius in Etym.

Digitized by Google

Lino, *livi* [47]), vel *levi*, *litum* [48]). Sic *al-*, *circum-*, *col-*, *de-*, *il-*, *inter-*, *ob-*, *per-*, *prae-*, *re-*, *sub-*, *subler-*, *super-*, *superil- lino*.

Cerno, *crevi*, *cretum*. Sic *de-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *secerno* [49]). Supinum autem simplicis, *cretum*, vix in usu est [50]), rarius etiam praeteritum *crevi*, nisi cum pro *adeunda haereditate* accipitur [51]).

---

47) *Livi* confirmatur hoc Columellae, XII. 50, *Dolia vel seriae erasa gummi liverunt*.

48) *Levi* habet Horat. Car. I. 20, 8; et *relevi* Terent. Heaut. III. 1, 51, nisi haec ab antiquis *leo* et *releo* potius fuerint. Vid. supra reg. 17. Addunt porro et praeteritum *lini* ex Quinctiliani Declamatione Caeri, c. 15, *Ne quid impio sceleri deesset, mariti tui cruore liniisti*. Verum in optima P. Burmanni editione *lusisti* legitur, quemadmodum et Colinaeus aliique antea exhiberant: ut non opus sit cum Ursino, p. 745, *liniisti* ex *livisti* (quod quidem diserte praefert Editio Valcosani A. 1580) corruptum, vel ex *liniviisti* contractum esse existimare. Caeterum et illud ipsum *linio*, *linivi*, seu *linii*, quartae coniugationis (quod ex Varrone, Columella, Propertio, profertur) veteribus illis incognitum, atque pro *lenio* vel *lino*, vel alio quoquam non multum dissimilis scripturae, ab indoctis Librariis substitutum, indeque ab inferioris aevi Scriptoribus acceptum, haud spernendis rationibus adductus, existimat accuratissimus Burmannus ad Quinctil. Declam. XIII. 5; ubi pro *linivit flores maleficis succis*, idem Burmannus *livit* reposuit.

49) Compositum *concerno*, pro *συγκρίνω*, seu *simul video*, memorant veteres Glossae: pro *cribro secerno* utitur Augustinus Confess. VI. 10. At *concernit rem*, pro *attinet ad rem*, quae trita hodie et vulgaris notio est, auctoritate veterum destituitur. V. Cellar. tur. poster. p. 350, et Voss. de vit. serm. IV. 4. * *Incerno* praeterito et supino vix usitatum videtur. * Caeterum de verbi *cerno* origine, variisque ipsius et compositorum significationibus, acutissime, ut solet, disputantem vid. Cl. Perizonium, p. 770 et seqq.

50) Ab hoc tamen est per metathesin frequentativum *certo*, pro *creto*: item adiectivum *certus*, pro *indubitatus*, *manifestus*: *Cretus* quoque participio usos veteres probat Vossius illo Plauti Cistell. II. 1, 33, *Satin' tibi isthuc in corde cretum est*: ita enim ille legendum vult pro *decretum*. At *certum* meis omnibus illic invenio. Apertius, sed diversa significatione, Palladius, Novemb. t. 22, *Cineris bene creti quantum utraque manus gestabit*, i. e. *cribrati*. Unde *furfures increti*, i. e. *non cribratos*, dixit Apuleius Met. VII. p. 220.

51) Priscianus, col. 898, duo profert antiquorum loca, in quibus *crevi* videndi significatione accipitur, unum Titinnii in Geminis, *Simul ut puerae has noctu suspirare crevi*, i. e. *vidi*: alterum Plauti Cistell. I. 1, 1, *Cum ego antidhac te amavi, et mihi amicam esse crevi*, i. e. *vidi*, inquit Priscianus; sed potior Varronis sententia videtur, qui L. L. VI. 5, *crevi* illic *constitui* interpretatur: quo utique sensu manifeste utitur Cicero de Leg. XIII. 8, *Quodcunque Senatus creverit, aguntо*: Et, *Quicunque Senatus creverit, populusque iusserit, tot sunto*. *Crevi* autem *haereditatem*, pro *eam adivi*, solennis est auctoribus, praesertim ICtis formula: unde verbale *cretio* Cic. Attic. XI. 12, extr. *Galeonis haereditatem crevi*: *puto enim cretionem simplicem fuisse*.

Digitized by Google

PO, QUO.

36. PO, PSI, PTUMque facit. *Strepo* vult *strepui*, *strepitum*que: At *rumpo*, *rupi*, *ruptum*. *Coquo* flectito XI, CTUM. *Linquo* tenet *liqui* tantum, compostaque *lictum*.

1. In PO finita faciunt PSI et PTUM: ut, *Carpo*, *carpsi*, *carptum*. Sic *con-*, *de-*, *dis-*, *ex-*, *prae- carpo*.

Clepo, *clepsi*[52]), *cleptum*.

Repo, *repsi*, *reptum*. Sic *ad-*, *cor-*, *de-*, *di-*, *e-*, *ir-*, *intro-*, *ob-*. *per-*, *pro-*, *sub- repo*.

Scalpo, *scalpsi*, *scalptum*. Sic *circum-*, *ex- scalpo*.

Sculpo, *sculpsi*, *sculptum*. Sic *ex-*, *in- sculpo*.

2. *Strepo*, *strepui*, *strepitum* facit[53]). Sic *ad-*, *circum-*, *in-*, *inter-*, *ob-*, *per- strepo*.

3. *Rumpo*, *rupi*, *ruptum*. Sic *ab-*, *cor-*, *di-*, *e-*, *inter-*, *intro-*, *ir-*, *ob-*, *per-*, *prae-*, *pro- rumpo*.

4. Duo sunt in QUO verba desinentia; quorum *Coquo*, *coxi*, *coctum* facit. Sic *con-*, *de-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *per-*, *re coquo*.

Linquo, *liqui*. Supinum *lictum* in simplice inusitatum, in compositis satis frequens: ut, *relinquo*, *reliqui*, *relictum*. Sic *de-* et *dere-*, *linquo*.

---

52) *Clepsi* est ap. Liv. XXII. 10, *Si quis clepsit, ne populo scelus esto, neve cui cleptum fuerit:* et Manil. I. 26, *Quis enim condentibus illum Clepsisset furto mundum?* et Cic. Tusc. II. 9, *Ignem clepsisse dolo*. Antique *clepi* dictum probant nonnulli ex Cic. de Leg. II. 9, *Qui cleperit, rapsseritque, parricida esto*, quemadmodum Turnebus et Scaliger ex vett. codd. legunt, pro quo vulgati *clepserit*.

53) Addit Despauterius *crepo*, quod nusquam extra primam iam invenitur.

54) A *tero* esse etiam *terii*, iuxta Apuleium, ait Charisius, col. 220, vel ut Vossius Anal. III. 80, ibi legendum existimat, *terui*: et ita scriptum idem contendit ap. Plaut. Pseud. III. 2, 29, *Priusquam teruerunt* [sinapim scil.] *oculi ut exstillent facit*, vulgo *triverunt*. Apud Tibullum quoque optimis tam editis quam scriptis codicibus habetur, I. 4, 40, *Aut opere inuetas alteruisse manus*. Et ap. eund. I. 7, 70, — *Propios ego secum, Sit modo fas, annos conteruisse velim*, praeunte Nic. Heinsio, emendat Broukhusius, pro vulgato *contribuisse*. *Terui* etiam (quamvis *trivi* longe praeferat) agnoscit Vel. Longus de Orthogr. col. 2234. Sed et *teritum* supino dictum fuisse, confirmat *atteritis opibus*, pro *attritis* ap. Tac. I. 10, 2, quemadmodum ex praestantissimo codice Vaticano Lipsius, ex Florentino Pichena, eosque secuti Berneggerus, Gronovius aliique edidere.

Digitized by Google

RO.

37. *Quaero*, *quaesivi*, *quaesitum* dat: *tero*, *trivi*,
Et *tritum*: *verro*, *verri*, *versum*que requirit:
Uro, *ussi* ac *ustum*: *cursum* vult *curro*, *cucurri*:
Flecte *gero*, *gessi*, *gestum*: *latum*que *tuli*que
Dat *fero*: praeteritum nullum *furo*, *suffero*, norunt.
A *sero* fit *sevi*que *satum*: sic EVIT ITUMque
Dant composta quibus plantandi significatus
Inditur; at SERUI, SERTUM vult caetera proles.

Verba in RO varia habent praeterita et supina:

1. *Quaero* facit *quaesivi*, *quaesitum*. Sic *ac-*, *an-*, *con-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *per-*, *re- quiro*.

2. *Tero*, *trivi* [54]), *tritum*. Sic *at-*, *con-*, *de-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *ob-*, *per-*, *pro-*, *sub- tero*.

3. *Verro*, *verri* [55]), *versum*. Sic *a-*, *con-*, *de-*, *e-*, *prae-*, *re- verro*.

4. *Uro*, *ussi*, *ustum*. Sic *ad-*, *amb-*, *comb-*, *de-*, *ex-*, *in-*, *oc-*, *per-*, *prae-*, *pro- curro*, quae reduplicationem simplicis nonnunquam admittunt, nonnunquam abiiciunt, *accurri* vel *accucurri*, etc. item *circum-*, *re-*, *suc-*, *transcurro*, quae principium raro aut nunquam geminant [56]).

6. *Gero*, *gessi*, *gestum*. Sic *ag-*, *con-*, *di-*, *in-*, *pro-*, *re-*, *sug- gero*.

7. *Fero*, *tuli*, *latum* [58]), [59]). Sic *af-*, *ante-*, *au-*,

---

55) *Verro*, secundum Servium, teste Prisciano, col. 900, *versi* facit, secundum Charisium autem, *verri*; quod et usus, ut idem addit, comprobat. Licinius enim Macer (eodem citante) *Hisce etiam reliquias averterunt*: et Publius in Muro Mutone, *Cellas servorum converri* Quibus adde ap. Plaut. Stich. II. 2, 64, *Reverram hercle hoc, quod converri modo*. Supinum *versum* confirmat participium *versus* ap. Plautum et Senecam, referente Diomede, col. 875, qui et col. 878, in illo Virgilii Aen. I. 482, — *Versa pulvis inscribitur hasta*; *versa* melius, ait, *tracta* intellige, quam *inversa*, quae et Servii interpretatio est. Ap. eund. vero Virg. Aen. V. 141, — *Adductis spumant freta versa lacertis*; *versa* a *verro* dici fidem fere facit simile loquendi genus ap. Catull. LXII. 7, *Caerula verrentes abiegnis aequora palmis*. Ab eodem denique verbo sunt *conversus* ap. Caton. R. R. c. 143, et *eversus* ap. Cicer. Verr. II. 21, fin. Quin et *verritum* supinum fuisse, haud veri absimile credit Vossius, ex verbali *converritor* quo usus Apuleius in Apol. p. 409.

56) *Curristi*, pro *cucurristi*, ap. Tertullianum de Fug. c. 12, imitandum non est.

57) De huius verbi compositis vid. supra reg. 2.

58) Praeteritum *tuli* est ex antiquo *tolo*, seu *tulo*, pro quo dictum et *tetuli*; supinum *latum* est ex *tolatum*. Vid. Vossium Anal. III. 37, et confer Priscian. col. 896, et supra reg. 2. n. 16, et reg. 38. n. 27.

59) Hoc verbum inter anomala refertur. Vid. hui. lib. cap. II. reg. 1.

Digitized by Google

circum-, con-, de-, dif-, ef-, in-, intro-, of-, per-. post-, prae-, praeter-, pro-, re-, super-, trans- fero.

Suffero autem praeterito et supino caret [60]).

8. *Furo* [61]), nullum praeteritum [62]) aut supinum habet [63]).

9. *Sero, sevi, setum* [64]).

Eius composita, quae *seminandi* seu *plantandi* significationem habent, faciunt SEVI et SITUM: ut, *assero, assevi, assitum; consero, consevi, consitum.* Sic *circum-, de-, dis-, in-, inter-, pro-* [65]), *re-, sub-, tran- sero.*

---

60) Vid. supra reg. 33. n. 27.

61) *Furo* primae personae insolens esse docent Diomedes, col. 375 et alii: usus tamen ea Varro, teste Prisciano, col. 817.

62) Praeteritum *furui*, quod huic verbo dant Servius, Sedulius, Philelphus, et cum iis Kirkwodus noster, neutiquam probandum videtur. Vid. Diomed. col. 376, et Priscian. l. cit. (qui ei mutuatitium dant praeteritum *insanivi* ab *insanio*) in primis vero Voss. Anal. III. 30, extr.

63) Praeterito itidem ac supino destituitur antiquum verbum *caro, carere*, i. e. *lanam per pollicem trahendo purgare.* Plaut. Menaech. V. 2, 49, *Inter ancillas sedere iubeas, lanam carere.* Vid. Voss. Etym. in voc.

64) Fluctuat Vossius (eumque, ut fere solet, secutus Methodi auctor), circa significationes huius verbi. Modo enim tres ei diversas, atque a tribus diversis capitibus oriundas notiones tribuit; ut primo significarit *necto, ordino*, ab *εἴρω* eiusdem significationis, futuro *ἐρῶ*; deinde *dico*, ab *ἐρῶ*, unde *sermo*; ac tandem *semino* a *σπείρω*, fut. *σπερῶ*: modo primam ac tertiam significationem coniungit, quoniam et *σπείρω* Graecis *nectendi* vim habuisse videatur: modo omnes tres ad unum caput revocat, ut significatio *seminandi* sit propria, reliquae translatae. Vid. eum Anal. III. 30, et Etymol. in voc. Ursino vero, p. 751, *nectendi* seu *iungendi* significatio huic verbo *sero* propria videtur, reliquae omnes inde traductae: quod ex eo praesertim evinci existimat, quod a *sero*, qua *semino* notat, non *sevi* modo, sed *serui* etiam dixisse veteres Ennii testimonio probat Priscianus, col. 900. Sic *desertus stipes*, pro *desitus*, dixit Tibullus, I. 1, 15, notante ipso Vossio; *transertos ramos* Statius, Sylv. II. 1, 101. Addere potuit et illud Livii X. 24, *Quam arborem conseruisset, sub illa legere alium fructum, indignum esse.* Item Columellae, III. 4, *Cum sit incertum an is qui conseruerit ea* [vitium semina] *diligenter exploratum probatumque genus surculi deposuerit.* Et paulo post, *Non minore cura vitem conserat, et cum seruerit, summa sedulitate culturae serviat.* Et Cato II. Origin. ap. Priscian. col. 903, *Seruit ibi hordeum.* * A *sero* autem *nectendi* significatione est *sertum* vel *serta*, pro *corona e floribus*, substantive positum. Lucanus etiam X. 164, adiective et plene, *Accipiunt sertas nardo florente coronas*, extulit.

65) A nonnullis excipiuntur *resero, persero, prosero, subsero*, quae a simplicis in supino retineant, *resatum, persatum, prosatum, subsatum. Persero* nusquam invenio; *resero* quoque hoc significatu in praesente aut praeterito raro, in supino nunquam, quod sciam, occurrit. *Prosatus* quidem apud Solinum in Pontico, Nemesianum Ecl. III. 63. Prudent. περὶ σεφ. VI. 46. Auson. Idyll. VII. 1. In Solini quoque Polyhist. et Tertullian. de Anim. *consatus* legas. Addit porro Sol. Lowaeus, Stephan. ex Colum. III. 11, *resatus*; Burles. ex Colum. IV. 15, *subsatus* proferre.

Digitized by Google

Quae vero *ordinandi* seu *nectendi* significationem sunt adepta, SERUI habent et SERTUM: ut, *assero, asserui, assertum.* Sic *con-, de-, dis-, edis-, ex-, in-, inter- sero.*

SO.

38. SO, SIVI, SITUMque capit: sed trunca supinis SI *viso, incesso* retinent: at *depso* reposcit *Depsuit* et *depstum. Pinso* dat *pinsuit* atque *Pinsit*, et hinc *pinsum, pistum*, formabit ITUMque.

1. In SO exeuntia faciunt SIVI et SITUM [66]): ut,
Arcesso, arcessivi, arcessitum.
Capesso, capessivi, capessitum.
Lacesso, lacessivi, lacessitum.
Facesso, facessivi, facessitum [67]).

2. Duo supinis carentia praeterito SI habent:
Viso, visi [68]). Sic *in-, re- viso.*
Incesso, incessi [69]).

Sed quae illi de verbis *resero*, et *subsero* testimonia in genere adhibuerunt, de participiis dicta vir doctissimus accepisse videtur. Iis enim locis, *Si resarere velimus:* et *Vineam tum subseri;* non vero *resatus* aut *subsatus* invenio. Quare purioris styli amatoribus rectius hisce omnibus abstinendum puto.

66) Haec verba *arcesso, capesso*, etc. olim quartae fuisse, ostendunt non praeteritum modo et supinum in *ivi* et *itum*, sed *arcessiri* etiam ap. Caes. B. G. V. 11, et Hygin. Fab. 88: et *lacessiri* ap. Columell. IX. 8 et 15.

67) Veteres Grammatici quidam, quos et plerique recentiorum incauti sequuntur, duplex his verbis praeteritum tribuunt SIVI et SI: qua in re multum falluntur. Quamvis enim in secundis tertiisque personis inveniantur *lacessiere, facessieris, capessiit*, per Syncopen; itemque *lacessisset, capessisset, facessisset*, eodem pacto quo *dupiere, petieris, periit;* et *cupisset, petisset, perisset*, dicimus: non tamen inde *facessi, capessi, lacessi* exculpseris, aut *facesserim, capesserim, lacesserim*, magis quam *cupi, peti, peri;* aut *cuperim, peterim, pererim.* Confer hac de re Ursin. p. 758, et Priscian. col. 902. Unus profertur locus Ciceronis ex Divin. in Q. Caecil. c. 14, *Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris.* Verum iam suo tempore in quibusdam codd. *facesseris* invenit Priscianus: quam et veram lectionem cum Ursino existimem. At *arcessi*, quod a quibusdam obtruditur, ne veteres quidem Grammatici meminere.

68) Male Despauterius, Kirkwodus et alii huic verbo supinum tribuunt *visum:* id enim a *video* est, unde et ipsum *viso*, ut a *pulsum, pulso*, derivatur.

69) Vossius eandem rationem putat esse huius verbi *incesso*, quae priorum est *arcesso, capesso*, etc. et ita quidem antiquitus fuisse non abnuerim: at *incessivi* nunc non legitur, nisi ap. Gell. I. 2, dubia lectione; ibi enim recentiores *incessivit*, vett. editiones *incessuit* habent. Contra *arcessi, capessi, facessi, lacessi*, nusquam adhuc inveniuntur, neque (ut diximus) *arcesseram, arcesserim*, etc. *incessi* autem et *incesseram, incesserim* frequentia sunt.

Digitized by Google

3. *Depso, depsui, depstum* [70]). Sic *con-, per- depso.*
4. *Pinso, pinsui,* vel *pinsi, pinsum, pistum,* vel *pinsitum* [71]).

TO.

39. *Flecto* XI, XUM vult: sic *plecto, nectoque, pecto:*
Quae XUIT et pariter formant. *Meto* sed geminans S
Messuit et *messum; peto* suscipit IVIT et ITUM:
At *mitto, misi, missum* dat; *vertoque verti*
Et *versum*: *sterto* vult *stertuit* absque supino.
*Sisto sisti*que *statum* dat agens: neutrale sequetur
Sto verbum, unde STITI, atque STITUM composta tulerant.

Verba in TO diversimode praeteritum et supinum formant:

1. *Flecto, flexi, flexum.* Sic *circum-, de-, in-, re-, retro- flecto.*
2. *Plecto, plexi,* et *plexui* [72]) *plexum.* Sic *implecto* [73]).

---

70) Auctor Methodi ex Varrone adiicit praeteritum *depsi*, sed vellem locum indicasset. In illo certe Varronis ap. Nonium, II. 234, *Sed tibi furtasse alius molit et depsit*, manifestum est non praeteriti, sed praesentis esse. *Depsui* autem confirmant, *depsueris* ap. Caton. R. R. c. 76; *perdepsui* ap. Catull. LXII. 8, et *condepsui* quod e Pomponio citat Nonius, I. 181. Supinum etiam *depstum* (quod ei adimit Ursinus) suffulcit participium *depstus* ap. eund. Caton. c. 40 et 185. Antiquius *depsitum* (quod ei supinum faciunt Kirkwodus et alii) videtur habuisse: unde *depsititium panem* idem Cato dixit, c. 74.

71) *Pinsui* utitur Pomponius ap. Probum, referente Prisciano, col. 902, et ap. Diomedem, col. 870, *Neque molis molui, neque pilis pinsui. Pinsi* dixit Persius, I. 58; (ita enim iam legimus, quamvis idem Diomedes, d. l. ambiguum esse scribat *pisat* an *pisit* sit legendum) *pinserunt* Varro R. R. III. 16. Ex *pinsitum* est *pinsitus* ap. Columell. II. 9. VI. 6. VIII. 4. IX. 13. XI. 3. XII. 27, et pluribus aliis locis. A *pinsum* est *pinsus*, quo utitur Plaut. Merc. II. 3, 81, et Vitruv. VII. 1. A *pistum* denique est *pistus* ap. Plin. XVIII. 10, et XX. 5, extr. unde *pistor, pistura, pistrinum*, etc. Veteres sine *n* dixerunt *piso, pisas*, et *piso, pisis*, quod et Plinius retinuit. Vid. eum XVIII. 10. §. 28, 28 et 29.

72) *Plecto plexi* antique dici Priscianus observat, col. 903, quod non de praeterito solo accipere debuerat Vossius. Nam et de praesenti intellectum id voluisse Priscianum evincunt verba eius quae sequuntur: *Nunc enim* plector *et* amplector *dicitur. Sed* plector *passivum esse Terentius ostendit in Phor. Ego plectar pendens.* Sane *plecto* in *implicandi* seu *nectendi* significatione active raro usurpatum invenitur: pro *punio* nunquam [nam pro *Ne plectas pugnis*, et *Plecte pugnis*, quae a Lexicographis nonnullis e Plauti Poen. I. 2, 145, et Menaechm. V. 7, 28 adferuntur, *pectas* et *pecte* habent emendatiores:] *Plector* autem passivum

Digitized by Google

Necto, *nexi*, et *nexui* [74]), *nexum* [75]). Sic *an-*, *con-*, *circum-*, *in-*, *sub-* necto.

Pecto, *pexi* et *pexui* [76]), *pexum* [77]). Sic *de-*, *ex-*, *re-* pecto.

---

pro *punior* frequentissimum est: ut haec quidem ex parte non de nihilo videatur Prisciani observatio. Caeterum in *implicandi* sensu, *plexi* praeteritum ex Levii 6. Erotopaegn. laudat Priscianus: pro quo *plexui* dixit Hieronymus, sive vet. Interpres Iudic. XVI. 15, *Si septem crines capitis mei licio plexueris*: antiquior enim testis non exstat: ut mirandum plane sit Methodi auctorem praeteritis *plexui* et *plexi* utramque significationem *implicandi* simul et *puniendi* tribuere, illudque hoc multo usitatius affirmare. Vid. Ursin. p. 756.

73) Activo vix reperitur: sed ab eo est *implector* ap. Apuleium, Apol. p. 412, et *implexus* ap. Lucret. III. 332, Virg. Geor. IV. 482 et alios. Ab inusitato *perplecto* aut *perplector* frequentissimum est *perplexus*. Eiusdem quoque originis sunt *amplector* et *complector*, quae nunc quidem active, primitus vero passive pro *brachiis circumplicor*, aut *complicor*, accepta videntur.

74) *Nexui* habet Sallust. 1. Hist. ap. Priscian. col. 903; *innexui* Virg. loco mox memorando; *nexi* vero Lucil. in V. et Propert. ap. eund. ibid. et Diomed. col. 366.

75) Pro *nexum* olim etiam *nectum* dicebant: unde *connectus* ap. Lucret. II. 100, quemadmodum ex vet. cod. edidit Gifanius: ut et ap. eund. III. 555, *connectius*, pro quibus vulg. *connexus* et *coniunctius*. A *nexum* autem est frequentativum *nexo*, quo (quanquam apud probatum auctorem id invenisse se neget Goclenius Probl. Gramm. IV. 32.) utitur Lucretius, II. 98, ut et participio *nexans* Virg. Aen. V. 279. Veteres etiam *nexere* dixisse docet idem Priscianus, col. 904, qui huic aeque ac verbo *necto* praeteritum *nexui* tribuit, quomodo a *texo* est *texui*, sententiam suam confirmans illo Livii Andron. *Nexebant multa inter se flexu nodorum dubio.* [Ita enim legendum, cum antiquissima Edit. Veneta Boneti Locatelli Anno 1496. non ut in Ascensiana et Putschiana *nexabant*, ostendit idem locus ab eodem antea adductus, col. 861.] Item, illo Accii in Deiphobo, *Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus.* At haec vetusta et iam inusitata sunt. Nam quod porro addit illud Virg. Aen. V. 425. *Et paribus palmas amborum innexuit armis*, nihil impedit, quo minus, ut a *pecto* est *pexui* et *pexi*, sic a *necto* sit *nexui* et *nexi*: id quod diserte tradit Diomedes, col. 366: nec aliter fere ipse Priscianus, col. 861 et 903.

76) Huius verbi praeteritum vix iam invenitur. De eo sic Priscianus, col. 902. *Peeto*, cuius praeteritum plerique *pexui*, Asper tamen *pectivi*, Charisius *pexi* protulerunt. Maecenas in Octavia, *Pexisti capillum naturae muneribus gratum.*

77) Supinum *pexum* stabilitur participio *pexus*: ut *pexa tunica* ap. Horat. Epist. I. 1, 95; *pexae vestes* ap. Plin. VIII. 48. Sed et *pectitum* quoque in usu fuisse argumento est participium *pectitus*: ut *pectita tellus* ap. Colum. X. 94, et *pectitae lanae* ap. eund. XII. 3. Fortasse et *pectum* dixerunt: unde est *circumpectus*, quod habent duo Codd. MSS. ap. Petron. c. 112, teste I. Boschio, al. *circumspectus* aut *circumscriptus*. Ab eodem est *impectare*, prout in vett. codd. legi scribit Victorius ap. Varron. R. R. III. 16, paulo post init. *Itaque impectantes a se eiiciunt fucos.* Confer Gifan. Ind. Lucret. voc. *connectus*, et Voss. Anal. III. 31.

Digitized by Google

3. *Meto, messui*[78]), *messum*. Sic *de-, e-, prae- meto.*

4. *Peto, petivi, petitum*. Sic *ap-, com-, ex-, im-, op-, re-, sup- peto*[79]).

5. *Mitto, misi, missum*. Sic *a-, ad-, com-, circum-, de-, di-, e-, im-, inter-, intro-, o-, per-, prae-, praeter-, pro-, re-, sub-, super-, trans-, mitto.*

6. *Verto, verti, versum*. Sic *a-, ad-, animad-, ante-, circum-, con-, de-, di-, e-, in-, inter-, ob-, per-, prae-, praeter-, re-, sub-, trans- verto*[80]).

7. *Sterto, stertui*[81]) absque supino. Sic *de- sterto.*

8. *Sisto* activum facit *stiti*[82]), *statum*[83]). At *sisto* neutrum, praeterito et supino caret[84]). Composita vero *stiti* et *stitum* habent: ut, *assisto, astiti, astitum*. Sic *circum-, con-, de-, ex-, in-, inter-, ob-, per-, re-, subsisto*. Sed *absisto* supino destituitur[85]), nec caetera facile illud admittunt.

---

78) Hoc verbum praeterito privat Diomedes, col. 375: itemque Charisius, col. 222, qui circumlocutione usus, *messem feci, messem fecerum*, etc. declinat. At *messui* ei restituit Priscianus, col. 903, auctoribus Catone, et Cassio Hemina. Ex illo enim profert, *In campo Tiburti ubi hordeum demessuit*: et, *In montibus seruit ibi hordeum; idem iterum messuit*. Ex hoc vero, *In campo Tiburti, ubi hordeum demessuerunt*. Supinum *messum* confirmant *messus, messis, messor, messorius, demessus*, etc.

79) De huius verbi origine, variaque ipsius et compositorum significatione acutissime disputantem vid. Perizon. ad Sanct. IV. 4, 46.

80) De *divertor, pratuertor* et *revertor*, Vid. post reg. 51.

81) Veteres Grammatici, Charisius, col. 217; Priscianus, col. 903; Probus, c. 1487; eosque secuta tota fere recentiorum cohors, Despauterius, Alvarus, Verepaeus, Vossius, etc. nullum aliud huius verbi praeteritum, praeter *stertui*, agnoscunt; quod et composito *destertuit* ap. Pers. VI. 10 suffulciunt. Schmidius quidem, et Methodi auctor, meminere et praeteriti *sterti*: at nullo id auctore stabiliunt. Ursinus quoque diserte reiicit. Sed (quod omnes fugisse videtur) locupletissimum huius praeteriti exemplum suppeditat Ovid. Heroid. VIII. 21, *Si socer ignavus vidua stertisset in aula; Nupta foret Parilli mater, ut ante fuit*. Eodemque tempore dictum accipio illud eiusdem Persii, III. 3, *Stertimus indomitum quod despumare Falernum Sufficiat*.

82) Id non modo ex Gellio, II. 14 discimus, qui falsos illos et audaces emendatores reprehendit, qui *stitisses* ap. Catonem in *stetisses* mutarant; sed ex ICtis etiam, qui *stiti* et *statum* a *sisto* saepius utuntur. Vid. Voss. Anal. III. 31.

83) *Statum* a *sisto* primam semper corripere, adversus Priscianum, col. 863, Alvarum, p. 462, Vossium Art. Gram. II. 22, aliosque (qui eam syllabam aut longam faciunt aut communem) ostendit doctissimus Io. Petr. Titius in Comment. 2. Manuductioni suae ad excerpendum subnexo, p. 164 et seqq. Ab eo autem est *Iupiter Stator*, et *stati dies, stata tempora, sacrificia*, etc.

84) Sive (ut alii volunt) a *sto, steti* et *statum* mutuatur: ut, *Antea illic stetit, nunc hic stitit*. Sed neque hic *stitit*, pro *stetit*, dicere se dubitaturum ait Vossius Gram. min. p. 122.

Digitized by Google

VO, XO.

40. Dat *vivo* XI, CTUM: *solvo* VI format et UTUM, Ut *volvo*. *Texo* vult *texuit*, indeque *textum*.

Tria in VO verba hoc pacto coniugantur:

1. *Vivo, vixi, victum.* Sic *ad-, con-, per-, pro-, re-super- vivo.*

2. *Solvo, solvi, solutum.* Sic *ab-, dis-, ex-, per-, re- solvo.*

Volvo, volvi, volutum. Sic *ad-, circum-, con-, de-, e-, in-, ob-, per-, pro-, re-, sub- volvo* [85]).

Unicum in XO verbum *texo* facit *texui*, *textum* [87]). Sic *at-, circum-, con-, de-, in-, inter-, ob-, per-, re-, sub- texo.*

Quarta Coniugatio.

41. IVI praeterito dat, et ITUM quarta supino.

Verba Quartae Coniugationis faciunt praeterito IVI, supino ITUM, penultima longa [88]): ut,

Munio, munivi, munitum.
Polio, polivi, politum.
Vestio, vestivi, vestitum.

42. *Singultit* vult *singultum*, *sepelit*que *sepultum*: Dat *venio, veni, ventum*: sed *veneo* solum *Veniit* efficiet: *salio, salui, saliique*, Extulit, et *saltum*: capiunt at pignora *sultum.*

---

85) Notat Priscianus, col. 862, eumque secutus idem Vossius Anal. III. 31; Gifanius in Ind. Lucret. et alii, in illo Ovid. Met. XI. 473, — *Renovat lectusque locusque Halcyones lacrymas, et quae para admonet absit, abstit* per Syncopen pro *abstitit* dictum. At Nic. Heinsius (quanquam fateatur in pluribus codd. ita exaratum) id ineptum pronunciat, ac praeter veterum exemplum, veramque esse lectionem vulgo receptam — *Et quae para admonet, absit.*

86) Adde *fervo, fervi*, sine supino: at *ferveo, ferbui* in secunda longe usitatius dici supra notavimus ad reg. 16. Adiiciunt vulgo *calvo, calvi*, idem sine supino: quod quidem ap. Priscianum exstat, col. 883, sed et illud non nisi forma in *or* tanquam commune legitur, et hac ipsa deinde exoleyit. Urain. p. 757.

87) Illis vulgo addunt, auctoribus Probo, col. 1487, et Prisciano, col. 904, *nexo, nexui, nexui, nexum, nexere.* At *nexo* hac coniugatione antiquatum. Vid. paulo ante reg. 39, n. 68: et confer Alvar. p. 236 et 251.

88) Duo tamen verba anomala, *eo* et *queo*, cum suis compositis, ITUM, in supino corripiunt: *eo, ivi, itum; queo, quivi, quitum.* Sic *abeo, abivi*, vel *abii, abitum; nequeo, nequivi*, vel *nequii, nequitum.* At *ambio* (quod *e* in *i* mutat) regulare est: unde participium *ambitus, -a, -um*, penultima producta; licet *ambitus* substantivum eandem corripiat.

Digitized by Google

1. Haec duo praeteritum iuxta regulam, supinum vero in ULTUM faciunt:

Singultio, singultivi, singultum [89]).

Sepelio, sepelivi, sepultum [90]).

2. *Venio*, facit *veni, ventum.* Sic *ad-, ante-, circum-, con-, contra-, de-, e-, inter-, intro-, ob-, per-, post-, prae-, pro-, re-, sub-, super- venio.*

3. *Veneo, venii*, sine supino [91]).

4. *Salio* [92]), *salui*, et *salii*, *saltum* [93]). Eius composita praeterito saepius quidem *silui*, interdum *silii*, vete-

---

89) Non satis convenit, an supinum sit *singultum*, an *singultitum*: illud tamen praefertur ob verbale *singultus*, adverbium *singultim*, et frequentativum *singulto*. Interim haec omnia per Syncopen facta, pro *singultitum, singultitus, singultitim* et *singultito*.

90) *Sepultum* quoque per Syncopen dictum est pro *sepelitum*, quod veteribus in usu fuisse testatur Priscianus, col. 909.

91) Verbo *veneo* vulgo assignant supinum *venum*: at hoc nomen esse, non supinum, docet Vossius, Anal. III. 33, unde et ipsum *veneo*, i. e. *venum* [sive *ad venum*] *eo*, et *venundo*, i. e. *venum do*, contracte *vendo*, deducta sunt. Supina autem fiunt a verbis, non verba a supinis. Idem porro ostendit dativus *veno* ap. Tac. Annal. XIV. 5, 2, *Posita veno irritamenta luxus*: et ablativus ap. eund. Annal. XIII. 51, 5, *Militibus immunitas servaretur, nisi in iis quae veno exercerent. Venui* autem pro *veno* usus Apuleius Met. IX, *Venui subiiciunt*; et Met. VIII, *Habeatne venui lac.* Confer supra lib. 1, c. 3, reg. 10, n. 55. Sciopp. Gram. Philosoph. p. m. 42, et Perizon. ad Sanct. III. 3, 139. * Participium *venitus* ap. Sedul. Hym. I. 21, tanquam a supino *venitum*, imitandum non est.

92) Ab hoc diversum est *salio*, pro *sale condio*, quod regulariter *salivi* et *salitum* format. Vid. supra reg. 38, n. 30.

93) *Salui* ex variis Virgilii, Ciceronis et Livii locis probat Diomedes, col. 371: utrumque *salui* et *salii* agnoscit Priscianus, col. 905. Ac prius praeteritum probat ex loco Ovid. Fast. IV. 805, *Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos.* In illo autem Maronis Geo. II. 384, *Mollibus in pratis unctos saluere per utres* (sive, ut alii, *saliere*) variam iam suo aevo scripturam obtinuisse idem testatur. Lectioni *saluere* hoc loco favet, praeter Diomedem, d. l. et Cledonium, col. 1918, Servius; ne quis hic Pierio credat aliter docenti, qui et Vossium in errorem induxit. *Saliit* autem protulit Claudian. VI. 3: *salierunt* Stat. Theb. IX. 132, et Sylv. I. 2, 210: *saliere* Propert. IV. 5, 52, et Stat. Theb. VI. 502. In compositis *silui* quam *silii* paulo usitatius est. Sic *assiluit* Ovid. Met. XI. 526, Senec. Thyest. v. 706: *assiluere* Tac. Hist. IV. 77, 1. *Desiluit* Plaut. Rud. I. 2, 84; Virg. X. 458, et Aen. XI. 500: Ovid. Met. III. 681, etc. Val. Flacc. IV. 855, Lucan. II. 156, Stat. Theb. I. 309, etc. Curt. IX. 8, 18, et X. 2, 30; Prudent. Psych. 824, Claudian. V. 339: *desiluerunt* Plaut. Rud. Prol. 75: *desiluisset* Cic. Mil. c. 10: *desiluisse* Propert. III. 15, 26; Ovid. Heroid. XV. 172, et Fast. VI. 422. *Dissiluit* Lucr. IV. 609, Virg. Aen. XII. 741, Horat. Epist. I. 18, 42; Ovid. Met. V. 178, etc. Claudian. XXXV. 183: *dissiluere* Lucret. I. 892, Stat. Theb. VII. 69: *dissiluisse* Lucret. VI. 122, Virg. Aen. III. 416, Propert. I. 15, 50; Stat. Theb. VIII. 19, Apul. de Mund. p. 747. *Exsilui* Cic. Fam. XVI. 16: *exsiluisti* Id. in Verr. V. 29, pr. *exsiluit* Id. ibid. c. 64, pr. Ovid. Met. V. 35, etc. Suet. Aug. XCVI. 5, Lucan. V. 791, Plaut. Cas.

Digitized by Google

ribus etiam *silivi*, supino autem *sultum* ceperunt: ut, *transilio*, *transilui*, *transilii*, et *transiliui*, *transultum*. Sic *ab-*, *as-*, *circum-*, *con-*, *de-*, *dis-*, *ex-*, *in-*, *pro-*, *re-*, *sub-*, *super- silio*. Superiorum *absultum*, *circumsultum* et *prosultum* auctoritas desideratur.

43. Vult *amicit* vel UI, vel XI, CTUM: *vincio*, XI, CTUM.

Sancio iungatur, quod et IVI formet et ITUM.

1. *Amicio* facit *amicui*, rarius *amixi* [94]), *amictum*.

2. *Vincio*, *vinxi*, *vinctum*. Sic *circum-*, *de-*, *e-*, *revincio*.

3. *Sancio*, *sanxi* et *sancivi*, *sanctum* et *sancitum* [95]).

III. 5, 8; Plin. iun. Epist. III. 16, Stat. Th. I. 98, etc. Apul. Met. V. et IX: *exiluistis* Ovid. Fast. V. 16: *exiluere* Id. Met. III. 670, etc. Catull. LX. 8, 9; Stat. Th. VII. 122: *exiluisset* Liv. XLIV. 6: *exiluisse* Stat. Th. VI. 597. *Insilui* Martial. IV. 22: *insiluit* Liv. VIII. 9, Horat. Art. 466, Ovid. Met. VIII. 367, Lucan. III. 626, et IX. 252; Stat. Achill. II. 306, V. Flacc. II. 513, Claudian. III. 349, Eumen. Paneg. Constant. c. 7: *insiluimus* Plaut. Rud. II. 3, 36: *insiluere* Stat. Th. IX. 230: *insiluerit* Iustin. XXV. 4, 8. *Prosilui* Plaut. Trin. I. 2, 179; *prosiluit* Liv. XXVIII. 14, Horat. Epist. I. 19, 8, Ovid. Met. XII. 390, Val. Max. I. 7, 10 extern. Curt. VIII. 1, 43; Sueton. Iul. XXXII. 1, etc. Stat. Theb. XI. 227, et Achill. I. 28; Val. Flacc. I. 310; Iustin. XI. 5, 10; Prudent. Apoth. 499; *prosiluerunt* Cic. pro Coel. c. 26: *prosiluere* Virg. Aen. V. 140, Prudent. π. στεφ. XIII. 83: *prosiluisset* Liv. II. 12: *prosiluissent* Hirt. B. Afr. c. 58: *prosiluisse* Cic. pro Coel. c. 26; Ovid. Fast. III. 452, etc. *Resiluerunt* Flor. III. 6. *Transilui* Ovid. Fast. IV. 727: *transiluit* Id. Fast. IV. 843: *transiluere* Flor. III. 8: *transiluisse* Liv. I. 7, Ovid. Trist. IV. 3, 8, Pont. I. 5, 76. * Contra *Desilii* habet Curt. V. 6, 14, et VI. 5, 26: *desilierunt* Caes. B. G. IV. 12 et 25: *desiliere* Curt. IV. 3, 3: *desilierant* Id. IV. 3, 4: *desilierint* Iustin. I. 10, 9. *Exilii* Ter. Heaut. IV. 1, 44, al. *exilui*: *exiliit* Manil. I. 166, Plin. IX. 16. pr. Martial. Spectac. 12. *exiliere* Lucan. I. 483. *Prosiliit* Ovid. Met. VI. 658, Petron. c. 106. Claudian. III. 129, et XXVIII. 359. *Resiliit* Quadrigar. ap. Priscian. col. 906. *Transiliit* Hirt. B. Hisp. c. 19, Senec. Epist. 98, Flor. IV. 2. * Inveniuntur et *Prosilivit* ap. Curt. VII. 4, 19, et Hygin. Fab. 88. *Transilivit* ap. Plaut. Truc. II. 1, 38; Plin. XXIX. 1, §. 5; Sueton. Iul. c. 68, extr. Plin. Iun. Paneg. c. 66, pr. Aur. Vict. orig. gent. Rom. item in Proca, et Gell. V. 6, al. *transiluit*. Addit Iohnsonus, p. 374 *desilivit* ap. Plaut. Rud. I. 2, 84, at ibi libri meliores *desiluit* habent.

94) *Amicui* ex Bruti laudatione App. Claudii, *amixi* ex Varronis Cinnorhetore profert Diomedes, col. 364. Addunt quidam *amicivi*, sed non probant.

95) *Sanxivi*, seu *sancii*, ex Pomponii loco adfert Priscianus, col. 904. *Sanxi* alii (quod sciam) omnes utuntur; Cic. Tusc. II. 13; Liv. X. 9; Tac. Annal. XV. 32, 2; Caes. B. G. I. 30; C. Nep. XXIV. 19; Plin. XIV. 12; Suet. Iul. 42; Curt. VIII. 14, 12; Propert. IV. 9, 73; Stat. Theb. XI. 344, etc. *Sancitum* confirmat participium *sancitus*, quo usi

Digitized by Google

44. *Cambio* vult PSI, PSUM: sed *sepsi*, *sepio*, *septum*:
Haurio SI, STUM dat; SUM rarius effer. Habebit
Sentio sed *sensi*, *sensum*: sic *raucio*, *rausi*,
Et *rausum*: *sarcit*, *farcit*, cum *fulcio*, SI, TUM.
At PERUI, PERTUMque sibi composta iugarunt
Ex *pario* ternae: RI *comperit* et *reperit* vult.

1. *Cambio* habet *campsi*, *campsum* [96]).

2. *Sepio*, *sepsi*, *septum* [97]). Sic *circum-*, *dis-*, *inter-*, *ob-*, *prae-* *sepio*.

3. *Haurio*, *hausi* [98]), *haustum*, raro *hausum* [99]). Sic *de-*, *ex-* *haurio*.

4. *Sentio*, *sensi*, *sensum*. Sic *as-* [100]), *con-*, *dis-*, *per-*, *prae-*, *sub-* *sentio*.

Raucio, *rausi*, *rausum* [1]).

Cassius Severus, et Lucret. I. 581, testibus Diomede, col. 368, et Prisciano, col. 907. Addere poterant, nec uno in loco, Ciceronem: ut, pro Sext. c. 30, de Harusp. resp. c. 14, extr. pro Balb. c. 15, extr. Offic. III. 17, et Auct. ad Herenn. II. 10; Liv. XLIV. 28, quos imitatus est Boeth. de Cons. Phil. 1. Pros. 5. Ab hoc *κατὰ συγκοπὴν* est participium *sanctus*: ut Caes. B. G. VI. 19, *Habent legibus sanctum*. Liv. X. 9, *Legem tulit diligentius sanctam*: et Quinctil. Inst. II. 13, *Neque enim rogationibus plebivae scitis sancta sunt haec praecepta*. Apud Cic. quoque Offic. III. 13, *Quod Athenis execrationibus publicis sanctum est*, in quinque MSS. invenit Manutius, quomodo et Graevius edendum voluit: quanquam Graterus Gronoviusque *sancitum* praetulerint. *Sanctus* autem et *sanctura* Cledonius in Arte, col. 1928, magis probat, quam *sancitus* et *sancitura*: et *sanctor*, *sanctio* dicitur, non *sancitor*, *sancitio*. Denique *sanctus* nomen, pro religioso, sacro, moribus incorrupto: ut, *vir sanctus*, *sancta domus*, *sanctum concilium*, etc. usus solum admisit.

96) Hoc verbum ex Charisio citat Priscianus, col. 906, cuius praesente quidem utitur Apuleius in Apol. p. 480, *An ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, neque scio, neque laboro*. Praeteriti vero *campsi*, quod ei tribuit Charisius, col. 219, exemplum non exstat. Supinum *campsum* quomodocunque fulcitur verbo frequentativo *campso*, quod ex Ennio adfert idem Priscianus, d. l. unde et *campsor* recentiores formarunt.

97) *Sepiisent* tamen Livium, XLIV. 39, et *sepivit* vulg. Interpretem Esa. V. 2 dixisse, notant Alvarus et Vossius, et ita quidem libris plerisque editum. At posterioris vilior auctoritas; apud priorem et *sepsissent* legendum coniicit Gronovius.

98) *Haurii* etiam ap. Varronem legi notat Priscianus, col. 905, unde *hauritus*, et *hauritu* utitur Apuleius Met. 2, 8 et 6, *hauriturus* Iuvencus Hist. Evang. II. 253.

99) Unde *hausurus* ap. Virg. Aen. IV. 388, Sil. XVI. 11, Stat. Achill. I. 667, et Claudian. XXXVI. 267: at *haustarus* Cic. Fam. VI. 6, utitur.

100) Magis usitatum est deponens *assentior*.

1) Ita hoc verbum inflectit Priscianus, col. 904 et 907, confirmatque ex Lucilio in XIX, *Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste*: et ex

Digitized by Google

5. Haec tria faciunt SI, TUM:

Sarcio, sarsi, sartum. Sic *ex-*, *re- sarcio.*

Farcio, farsi, fartum [2]). Sic *con- fertio*, *ef- fercio* vel *ef- farcio*, *in- fercio* vel *in- farcio*, *re- fercio.*

Fulcio, fulsi [3]), *fultum.* Sic *con-*, *ef-*, *in-*, *per-*, *suf- fulcio.*

6. Composita a *pario* tertiae coniugationis [4]) praeteritum formant in PERUI, supinum in PERTUM: ut, *Aperio, aperui, apertum* [5]); *operio, operui, opertum.*

Ex his tamen duo praeterito RI faciunt, *Comperio, comperi, compertum* [6]); *reperio, reperi, repertum* [7]).

45. *Aio* praeterito careat, pariterque supino:
Cum *ferio* iunges meditantia verba; sed inde
Parturio, esurio, cum *nupturio* volo tolli.

Cicerone de Orat. I. 61, *Aesopum, si paulum irraucuerit, explodi.* Ita enim ille legit, ubi nunc meliores libri *irraucuerit* habent; ut sit a *rauceo* secundae, unde *rauceseo.*

2) *Fartum* est ex *farctum:* unde ap. Cicer. Verr. V. 11, *Pulvinus Melitensi rosa farctus;* ut est in emendationibus. *Farsum* vero contractum est ex *farcitum.* In Hygino, Apicio et Petronii fragmento legere est et *farsum*, unde *farsura* et *farsilis.* Vid. Borrich. Analecta in *farsura*, et Muncker. ad Hyg. Fab. 126. Caeterum *fartus* utitur Cic. Tusc. II. 9, Plin. XXIX. 4, Martial. VIII. 44, Plin. iun. Epist. X. 48: *fartor* Terent. Eun. II. 2, 26, et Cic. Offic. I. 42: *fartura* vel *farctura* Columella, VIII. 7, extr. et Vitruv. II. 8: *fartilis* Plin. X. 22: *circumfartus* Id. XVII. 15, extr. *Confertus, differtus, effertus, refertus*, satis frequentia sunt.

3) Hoc praeteritum *fulsi* commune habent duo verba *fulcio* et *fulgeo.* Huius exempla suppeditant Cic. Divin. II. 72, Virg. Aen. IV. 167, Ovid. Art. III. 56; illius iidem Cic. pro Rabir. Post. 6. 16; Ovid. Epist. Heroid. IX. 18, et Plin. XXXVIII. 13, et alii.

4) *Pario* quartae olim fuisse supra ostendimus reg. 23, n. 26.

5) Notatum a Iohnsono est Additt. p. 56, inveniri etiam participium *aperitus;* ut, *Aperitis foribus* ap. Plin. XV. 19, quod quidem habet Editio, qua ille utebatur, Genevensis Anni 1631; sed manifesto typothetarum errore: aliis enim omnibus quas ultra sedecim lustravi, *apertis*, Hardaini autem *adapertis*, illic legitur.

6) Verbum *comperio* (fortasse etiam *reperio*) non a *pario* ducendum, sed ab antiquo verbo *perio*, seu *perior*, unde *peritus, periculum, experior*, existimat, nec praeter rationem, Ursinus, p. 526. Dicimus etiam eadem significatione *comperior*, quamvis praeterito tantum sit *comperi*, non *compertus sum.*

7) Notant hic quidam Grammatici, verbum *sarrio* duplex habere praeteritum, *sarrivi*, et *sarrui* vel *sarui.* Prioris quidem exemplum habet Columella, XI. 2, *Fabam sarrivisse nimium teneram non expedit.* Pro posteriore adferunt illud Catonis R. R. c. 161. *Ne ante sarueris, quam asparagus natus erit.* At in meis *sarreris* invenio. Caeterum ab hoc verbo supinum formasse videntur *sarritum* et *sartum:* ab illo est *sarritura* ap. eund. Colum. d. l. ab hoc *sartura* ap. Plin. XVIII. 27.

Digitized by Google

Praeterito ac proinde supino careat verba sequentia:
1. *Aio*, verbum aliis etiam partibus deficiens [8]).
Ferio [9]).
2. Item verba meditativa seu desiderativa: ut, *coenaturio; scripturio.*
† Ex his tamen tria excipiuntur: *Parturio, parturivi; esurio, esurivi, esuritum; nupturio, nupturivi* [10]).

46. *Coecutit, gestit, glocit*, et *dementit, ineptit*,
Nulla supina dabunt, cum *prosilit* atque *ferocit.*

Haec verba praeteritum quidem habent, at supino deficiunt:
Caecutio, caecutivi. Gestio, gestivi. Glocio, glocivi. Ineptio, ineptivi. Prosilio, prosilui [11]). *Ferocio, ferocivi.*

De Verbis Deponentibus et Communibus.

47. Praeteritum verbis ut in OR residentibus aptum
Efficias, voces activas fingere oportet:
Ut, *vereor, vereo, veritum*; fluit hinc *veritus sum.*

Verborum deponentium ac communium praeterita hoc modo formabis. Finge primum vocem activam: deinde ex praeceptis supra traditis praeteritum ac supinum ei tribue: postremo UM supini in US vertito, adiungeque verbum *sum, fui*, etc. Exempli gratia, ex verbo *laetor* finge *laeto*; inde fiet *laetavi, laetatum*, et ex hoc *laetatus sum.* Sic ex *vereor*, secundae coniugationis, *vereo, verui, vertum*, et *veritum, et veritus sum.* Ex *fungor* tertiae, *fungo, funxi functum, et functus sum.* Ex *potio potivi, potitum*, et *potitus sum* [12]).

---

8) De quo postea cap. II. reg. 6.

9) *Ferii* tamen et *feritum* legas ap. Charisium, col. 222: unde *feriturum* inflexit Servius ad Virg. Aen. VII. Diomedes vero, col. 376, et Priscianus, 817, praeteritum habere negant. Et idem voluit Varro qui de L. L. VIII. 55, mutuatitium dat ei praeteritum *percussi.* Quin et ipse Charisius, l. c. passive *ferior, ictus sum*, declinet. Non igitur imitandi Petrarcha, Mantuanus, Turnebus et alii, qui *ferii* et *feritus* utuntur. Vid. Voss. Anal. III. 33.

10) *Nupturisse* utitur Apuleius in Apol. p. 516: *esuriturus* Terent. Heaut. V. 2, 28. De *parturivi* exemplum apud Classicos nondum inveni: quamquam *parturiit* Buchananus noster Psal. VII. 15, adhibeat.

11) Cui adde *subsilio*, et *circumsilio*, ut supra ad reg. 42 monitum.

12) Hoc verbum in tertia coniugatione nonnumquam reperitur; ut ap. Virg. Aen. III. 55, — *auro Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Et V. Flacc. VII. 54, *Scilicet Aeoliae pecudis poteretur ut auro.* Ovid. Met. XIII. 130, *Tuque tuis armis, nos te po-*

Digitized by Google

48. Hac de lege tamen deflectunt pauca secundae:
Nam *ratus* a *reor* est: *misereri* vultque *misertus*;
Et *fateor fassus*: FESSUS sed reddito proli.

). Excipiunt in secunda coniugatione,
Reor, ratus sum.
Misereor, misertus sum [13]).
Fateor, fassus sum.
Composita autem, quia *a* in *i* mutant, praeterito *e* [14]) habent: ut, *profiteor, professus sum; confiteor, confessus sum* [15]).

49. Insuper a *labor lapsus* sibi tertia formant:
Ultus ab *ulciscor* manat, venit *usus* ab *utor*;
Vult UTUS *loquor* atque *sequor*; *queror* accipe *questus*,
Nisus vel *nixus nitor*, *pactus*que *paciscor*;
Dat *gradior gressus*; *proficiscor* funde *profectus*;
Nanciscor nactus, *patior passus*que requirit;
Aptus apiscor habet, *commentus* comque*minisco*r
Accipit: at *fructus* pariter *fruitus*que iugari
Vult *fruor*: *oblitus* sed et *obliviscor* adoptat;
Et *expergiscor* cupit *experrectus* habere.
Mortuus aque *mori* est, *natus nasci*, *ortus oriri*:
Queis tribus extremis per ITURUS flecte futurum.

Excipiuntur in tertia coniugatione,
Labor, lapsus sum [16]). Sic *al-, col-, de-, di-, e-, il-, inter-, per-, praeter-, pro-, re-, sub-, subter-, super-, trans- labor.*

---

teremur, Achilles et Propert. II. 7, 62, *Quam capite hoc Stygiae iam poterentur aquae.* Ita enim his locis, non, ut vulgo, *potiretur, potirimur; potirentur* legendum, monuit Cl. Burmannus.

13) Contracte, pro *misericus sum*, quo utuntur Livius, XXII. 55; et Gellius, XX. 6; ut, *miseritum est* Plaut. Trin. II. 4, 29, et Terent. Heaut. III. 1, 54, impersonaliter a *miseret.*

14) Servata nimirum analogia reg. 8. *Difficeor* autem praeterito caret, ut mox dicetur.

15) His addit Despauterius *tuor, tutus* vel *tuitus sum.* At *tutus* (quod nomen potius quam participium videtur) est ab antiquo *tuor* tertiae, unde *contuor, contui; intuor, intui:* [Vid. Plaut. Pers. II. 2, 26; Asin. I. 1, 111, et Mostell. III. 2, 148, et Terent. Heaut. II. 4, 25:] *tuitus* vero a *tuor* secundae, quo solo nunc utimur. In utroque igitur retinetur regulae generalis analogia.

16) Vel *labeus*, quomodo in optimae notae Virgilii codd. invenit Pierius, edenditaque curavit Nic. Heinsius.

Digitized by Google

Ulciscor, ultus sum.

Utor, usus sum. Sic *ab-, de- utor.*

Loquor, loquutus vel *locutus sum.* Sic *al-, col-, circum-, e-, inter-, ob-, prae-, pro- loquor.*

Sequor, sequutus vel *secutus sum.* Sic *as-, con-, ex-, in-, ob-, per-, pro-, re-, sub- sequor.*

Queror, questus sum. Sic *con-, inter-, prae- queror.*

Nitor, nisus vel *nixus sum. Connitor, innitor, obnitor, irnitor, subnitor,* saepius XUS quam SUS habent. *Annitor, annixus* vel *annisus,* absque discrimine. *Enitor, enixa sum,* de partu; *enisus sum* de alio conatu dicitur[17].

Paciscor, pactus sum. Sic *de- peciscor.*

Gradior, gressus sum[18]. Sic *ag-, ante-, circum-, con-, de-, di-, e-, in-, intro-, prae-, praeter-, pro-, re-, retro-, sub-, super-, trans- gredior.*

Proficiscor, profectus sum.

Nanciscor, nactus sum[19].

Patior, passus sum. Sic *per- petior.*

Apiscor, aptus sum[20]. Sic *adipiscor, adeptus sum*[21]; et *indipiscor, indeptus sum*[22].

Commenticor, commentus sum.

Fruor, fruitus vel *fructus sum*[23]. Sic *per- fruor.*

---

17) Hoc tamen discrimen perpetuum non esse ostendit Voss. Anal. III. 81, extr. Confer et Drakenborchium ad Sil. Ital. II. 128.

18) Olim *grassus sum*; unde frequentativum *grassor.*

19) Etiam *nanctus sum*, ab antiquo *nancio*, teste Prisciano, col. 888. Itaque ap. Livium multis in locis, veluti XXIII. 2, XXIV. 31 et 36, XXV. 30, XXVII. 28, et XXVIII. 31, in optima Gronov. Edit. Amatel. 1679, legimus.

20) Hoc verbo utuntur non tantum Sisenna, Accius et Lucilius ap. Nonium, II. 2, et IV. 3: sed Lucretius etiam I. 449, Catullus, LXII. 145, et Tacitus Annal. IV. 1, 5, VI. 3, 1, etc. Quin et ipsi Ciceroni ad Attic. VIII. 14, eiusque aequali Serv. Sulpitio ap. eund. Fam. IV. 5, extr. vindicant Victorius, Gruterus, Graevius. Praeterito usus et Plautus Capt. IV. 1, 8, *Hereditatem eum aptus effertissumam.* Est autem ab antiquo *apio*, seu *apo*; i. e. *alligo*, Atque *vinculo comprehendo* (ut docet Festus voc. *apere*) unde *aptus* pro *coniunctus, connexus*, qua significatione adhibuit Cicero in Oratore, 5, ult. *Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere:* et Virg. Aen. IV. 481, — *Ubi maximus Atlas Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.* Hinc petita translatione, *aptus* pro *convenienti* ponitur, vulgatiore vocis usu; cui contrarium est *ineptus.* Vid. omnino Voss. Etym. voc. *apio.*

21) Ex analogia scil. reg. 8.

22) Apud Plautum in Trin. IV. 3, 15, legitur et *redipisci.*

23) *Fructus sum* habet Lucret. III. 953: item duae vett. Inscriptiones ap. Gruterum, p. 204, et p. 500, unde verbale *fructus: perfructus* quoque utitur Cicer. in Hortensio teste Prisciano, col. 883, ut et Lucret. III. 962. At *fruitus sum* Senec. Epist. 93, Vell. Patere. II. 104, 4, [al. *fructus.*] Ulpian. l. 27, pr. ff. quib. mod. usufr. vel usus amitt. *fruitus*

Obliviscor, *oblitus sum*.

Expergiscor, *experrectus sum* [24]).

Morior, *mortuus sum* [25]). Sic *com-*, *de-*, *e-*, *im-*, *inter-*, *prae- morior*.

Nascor, *nactus sum* [26]). Sic *ad-*, *circum-*, *de-*, *in-*, *inter-*, *re-*, *sub- nascor*.

Orior, *ortus sum*, *oriri* [27]). Sic *ab-*, *ad-*, *co-*, *ex-*, *ob-*, *sub- orior*.

* Haec tria proxime memorata participia futuri temporis in ITURUS faciunt, *morituras*, *nasciturus*: *oriturus* [28]).

---

rus Cic. Tusc. III. 17, et Apul. Apol. p. 519, dixere. Olim *fruiscor* vel *fruniscor*, *fruitus sum*, eadem significatione, utebantur. Vid. Nonium, II. 343, Gell. XVII. 2, et Festum in voc. Perottus in suo Cornucop. huic verbo *fruor* tertium praeteritum tribuit *fretus*: at hoc, ut diversae notionis, ita et originis esse ostendit Vossius Anal. III. 82, in fin.

24) Hoc verbum natura passivum videtur, i. e. *excitor*, natum forte ex activo *expergisco*, posito pro *expergefacio* (quo sensu ap. Plin. XXII. 13, *Urtica lethargicos expergiscit*, legit Perottus, quamvis aliter meliores libri) aut *expergo*, quo Accius et Santra ap. Nonium, II. 278, et Gell. VI. 10 utuntur: unde *expergitus*, pro *somno excitus*, apud veteres, Lucilium, teste Diomede, col. 372, Lucretium, III. 948, Apul. Met. II. et IV, aliosque invenimus. Caeterum has voces ita distinguit Diomedes, l. c. ut *expergitus* sit qui somno satiatus sponte evigilat; *experrectus* autem a quiete impeditus; *expergefactus* denique qui per alium somno excitatur. Contra Festo *expergitus* est qui per alium, *experrectus* qui per se vigilare coepit. Verum haec omnia indiscriminatim apud auctores accipi crediderim.

25) *Morior* olim et quartae fuit, unde infinitivus *morīri* ap. Plaut. Asin. I. 1, 108, et Ovid. Met. XIV. 214: *morimur* ap. Ennium, penult. longa, referente Prisciano, col. 880; et *emorīri* ap. Terent. Eun. III. 1, 42.

26) *Nascor* vero passivum esse significatio arguit, quamvis ipsius vox activa exoleverit.

27) *Orior* etiam quartae fuit, unde remansit infinitivus *oriri* (quod solum in usu est) interdumque *orirīs*, *oritur*, penult. producta; ut in illo Lucilii ap. Priscian. col. 880, *Conturbare animam potis est*, *quicunque adoritur*: in illo item Lucretii, III. 514, *Commutare animum quicunque adoritur*, *et infit*. Nunc tamen longe frequentius, si non unice, *oreris*, *oritur*, *orimur*, *adoritur*, *exoritur*, etc. penultima correpta dicimus. In subjunctivo autem, *oriretur*, *adoriretur*, *exoriretur*, etc. non *orerētur*, *adorerētur*, etc. in quarta coniugatione haesisse videtur. Davisius quidem ap. Cicer. Tusc. V. 4, *orerentur*, (an casu, anne consilio, incertum) edidit; alii vero *orirentur* habent. * Sunt qui pro *abortus*, *adortus*, *aborsus* etiam et *adorsus* dici putant; hoc ex Ovid. Pont. II. 2, 16, et Gell. IV. 2, illud ex Paulo Sentent. IV. tit. 9, §. 6 confirmantes. Verum hisce omnibus in locis per *i* literam legi debere recte statuere videtur Methodi auctor, cùm *orsus* ab *ordior* sit, non ab *orior*.

28) *Oriturus* Horat. Epist. II. 1. 17: *nasciturus* Palladius R. R. Iun. t. 7, sub fin. et Porcius Latro Declam. contr. Catil. c. 8 utuntur. *Moriturus* satis crebro occurrit.

Digitized by Google

50. *Metior* in quarta *mensus* dabit, *ordior orsus;*
Experior PERTUS, simul *opperior*que tenebunt.

5. Excipiuntur in quarta coniugatione,
Metior, mensus sum [29]). Sic *ad-, com-, di-, e-, prae-, re- metior.*
Ordior, orsus sum [30]). Sic *ex-, red- ordior.*
Experior, expertus sum [31])-
Opperior, oppertus sum [32]).

51. Nil formant *vescor, liquor, medeor, reminiscor,*
*Irascor, ringor, praevertor, diffiteor*que:
Queis demum adiungas *divertor, dequefetiscor.*

4. Nullum praeteriti temporis participium habent verba sequentia:
Vescor, vesci [33]). *Liquor, liqui* [34]). *Medeor, mederi.*

---

29) Sunt qui huic verbo *metitus* participium tribuunt, legantque ex Cicerone Nat. Deor. II. 48, *dimetitâ signa:* et ibid. c. 62, *dimetiti cursus.* Verum hic *dimetati*, illic *demetata* meliores codices exhibent, a *meto, metavi. Metitus* quidem usi sunt inferioris aetatis scriptores: ut Paulinus ad Gestidium, p. m. 2, *Quae sunt parva modo, magno metitus amore.* Et Ulpian. l. 52, §. 1, ff. de legat. 3, *Quae quis ingenio suo metitus est.* Addunt quidam illud Lactantii Div. Inst. VII. 14, *Quae in usum hominis metitus est Deus*, sed ibi *molitus est* libris castigatioribus legitur. Confer Voss. de Vit. Serm. I. 24, extr. et Goelen. Probl. Gram. II. 2, qui Scaligerum patrem *metitus* pro *mensus* non semel adhibuisse observant.

30) *Orditus* Diomedis (quo in praefatione usus est) aliorumque recentiorum, Sidonii Epist. II. 9, Fortunati lib. 1, vulg. Interp. Esa. XXV. 7, cave imiteris. Certe Diomed. ipse col. 372, non nisi *orsus sum* huic verbo tribuit. Confer Vossium Vit. Serm. I. 24, extr. et Goelen. Probl. Gramm. II. 2, qui Iul. Scaligerum et Bap. Mantuanum *orditus* usurpantes merito reprehendunt.

31) *Experior* (ut et *comperio* vel *comperior*) ab antiquo *perio* vel *perior*, unde *peritus* et *periculum*, omniaque a Gr. πειράω, i. e. *tento*, non sine magna veri similitudine deducit Ursinus, p. 526. Quod si *experior* et *opperior* cum Prisciano aliisque a *pario*, (quod olim quartae fuit) derivari censenda sunt, analogiam sequuntur reg. 45.

32) *Oppertus sum* utitur Terent. Phorm. III. 2, 80: *opperitus sum* Plaut. Most. III. 2, 101.

33) *Vescor* natura passivum, ut *pascor*, videtur; a quo mutuo acceptum *pastus sum*, quidam huic verbo praeteritum tribuunt.

34) Eiusdem originis sunt *liquo, liqueo* et *liquor*. Primum activum est et primae coniugationis, i. e. *liquidum facere;* alterum neutrum et secundae, i. e. *liquidum esse* (unde *liquet* impersonale, proprie *defecatum est*, figurate *manifestum est*, significans): postremum denique deponens, vel potius passivum, et tertiae, pro *liquescere*, seu *liquidum fieri*. Diversa tamen in his est primae syllabae mensura; *liquo* enim et *liqueo*, unde nomina *liquor* et *liquidus*, etc. ea correpta; *liquor* vero verbum producta efferri solet. Ab utroque autem *liquo* et *liquor* est participium

Digitized by Google

Reminiscor, reminisci. Irascor, irasci[35]). *Ringor, ringi*[36]): sic *sub-ringor. Praevertor, praeverti*[37]). *Diffiteor, diffiteri. Divertor, diverti*[38]). *Defetiscor, defetisci*[39]).

CAP. II.

De Verbis Irregularibus.

Verba Irregularia[1]) triplicia sunt, *Anomalia, Defectiva* et *Abundantia.*

1. *Verba* Anomala.

Verba *Anomala* sunt, quae non sequuntur analogiam quatuor superiorum Coniugationum.

1. A soliti flexus normis haec verba recedunt:
Sum, volo, fio, queo, fero, queis *eo* nataque iunge.

---

liquens; ut *viva liquentia* ap. Virg. Aen. V. 238 et 776, prima brevi; et *liquentia mella, liquentia flumina*, ap. eund. Aen. I. 436, et Aen. IX. 679, prima longa. Caeterum verbum *liquor* extra praesens indicativi et subiunctivi vix iam invenitur. Confer. Vossium Etym. voc. *liquo*, qui haec omnia a *lix* sive *liquis*, quod veteri lingua *aquam* significat, derivata arbitratur.

35) *Iratus*, quod huic verbo participium vulgo assignant, cum nullam habeat temporis adsignificationem, nomen esse, non participium, Ursinus contra Rangium evincit, p. 763.

36) Olim *ringo*, unde verbale *rictus*. Vid. supra ad reg. 30.

37) Hoc verbum vere passivum est, ab activo *praeverto, praeverti*, satis frequenter usitato: at *praeversus sum* non dicimus. Contra (ut hoc quoque obiter notemus) in praesenti *revertor* crebrius, *reverto* rarius, et apud vetustos auctores, Lucretium, III. 1074, et V. 1152, Pomponium in Maiali ap. Nonium, VII. 68, (nam Apuleium, Symmachum et similes aequioris aetatis eo usos non moramur) usurpatum invenimus. At in perfecto aeque *reverti* ac *reversus sum* legitur; illud quidem longe frequentius; sed non tamen ut hoc sit cum Vossio damnandum, a cuius censura id vindicavit Cl. Berrichius, p. 223. Adde Cellarii Cur. poster. p. 166, et eiusd. Antibarb. p. 151, et duo Hirtii loca B. Hisp. c. 18 et 18, ab illis omissa. [Cfr. Oudendorp. ad Caes. B. G. VII. 5, 4. G. St.]

38) *Divertor* itidem passivum est, cum quo activa significatione convenit *diverto*; quia actio et passio in eo, ut in *praevertor, revertor*, reciproca est. Quamvis autem praeterito non *diversus sum*, sed *diverti* dicamus, ap. Caesarem tamen B. G. II. 24, *diversos* legimus, pro *distractos*, sive *in aliam aliamque partem versos.*

39) A *fatisco*, vel *fatiscor*, et *defetiscor*, participia format Priscian. col. 825 et 888, *fessus* et *defessus*: quae rectius a Diomede, col. 372, nominibus accensentur.

1) Irregularia verba hic intelligimus, non ea tantum quae contra aliorum morem inflectuntur; sed laxiore vocis usu ea etiam, quibus, partium suarum respectu, aliquid vel deficit vel redundat.

Digitized by Google

Haec verba, cum eorum compositis, contra receptam in quatuor coniugationibus formam partes suas inflexerunt, *Sum*, *volo*, *fero*, *fio*, *eo*, *queo* [2]): quorum coniugatio e Rudimentis petenda est.

2. Voce sub activa passivum praeteritum dant Haec: *soleo*, *solitus*; *gavisus*, *gaudeo*; *factus*. *Fio* petens; *ausus* sic *audeo*, *fido*que *fisus*.

Haec verba, *soleo*, *gaudeo*, *audeo*, *fido*, quae vulgo *neutro-passiva* appellantur; item *fio*, quod inter *neutralia passiva* numeratur, praeteritum formant quasi in OR desinerent, hoc modo;

Soleo, *solitus sum* [3]).
Gaudeo, *gavisus sum* [4]),
Audeo, *ausus sum*,
Fido, *fisus sum* [5])
Fio, *factus sum* [6]).

3. Imperitantis habet *dic*, *duc*, persona secunda; *Fer*, *fac* adde: tamen *fice*, non *fic*, dicitur apte.

Haec quatuor verba, *dica*, *duco*, *fero*, *facio*, in secunda persona imperativi *e* abiiciunt [7]). Dicimus enim, *dic*, *duc*, *fer*, *fac*; non *dice*, *duce*, *fere*, *face*.

Sic eorum Composita *praedic*, *edic* [8]); *abduc*, *adduc* [9]); *adfer*, *aufer*; *benefac*, *calefac* [10]), etc.

---

2) Addunt vulgo et verbum *edo*, pro *manduco*, quod nos potius inter abundantia referendum duximus.

3) *Solueras* utitur Sallust. ap. Priscian. col. 872.

4) *Gavisi* pro *gavisus sum*, et *ausi* pro *ausus sum* veteres dixisse, notat Priscianus, col. 868.

5) Sic *confido*, *confisus sum*; *diffido*, *diffisus sum*. At *confidi* usus est Livius, XLIV. 18, *Agros etiam confiderunt se a populationibus tueri posse*. Item *diffidi* Quinctil. Declam. 287, *Cum causae patriae diffidissent vir fortis*. Vid. Borrich. advers. Sciopp. p. 288.

6) Addunt vulgo *moereo*, *moestus sum*: at *moestus* nomen, non participium esse, ostendit Vossius Anal. III. 24, et ante eum Priscianus, qui hoc verbum praeteritum habere negat, col. 817. Vid. supra hui. lib. cap. 1, reg. 20.

7) *Dice*, *duce*, tamen apud Comicos reperias: *face* et apud alios Poetas; item C. Nepot. IV. 2, 4, *Certum hominem ad eum mittas face*. Catullus contra *inger* pro *ingere* dixit, XXV. 2.

8) At Virgil. Aen. XI. 468, *edice* utitur; *addice* et *indice* Plaut. Poen. II, 50, et Pseud. I, 5, 133; atque haud scio an rectius quam *edic*, *addic*, *indic*.

9) *Abduce* et *adduce* habet Plautus Poen. V. 3, 54; Asin. II, 2, 88, et multis aliis locis; alibi autem *abduc*, *adduc*, ut Menaech. II. 3, 81; Pseud. I. 3, 155, etc.

Digitized by Google

At composita a *facio*, quae *a* in *i* mutant, *e* retinent: ut, *affice*, *infice*, *perfice*; non *affic*, *infic*, *perfic*.

2. *Verba* Defectiva.

Verba *Defectiva* sunt, quae ceteris temporibus numeris et personis deficiunt [11]).

4. Haec praesente carent, *odi*, *coepi*, *memini*que,
Partibus ac illo genitis, sub praeteritiva
Voce tamen (*coepi* dempto) signantia tempus
Praeteritum praesensque simul: sic *novit* utrumque
Significat, pleno licet usu *nosco* remansit.
Imperitante modo *memini* TO TOTEque servat.

Haec tria verba *odi*, *coepi*, *memini*, carent praesenti temporibusque ab eo formatis: ex his tamen duo, *odi* et *memini*, sub voce praeteriti, non illius modo, sed praesentis etiam temporis significationem habent.

Odi, [12]) *oderam*, *oderim*, *odissem*, *odero* [13]), *odisse* Partic. *osurus*.

Coepi [14]), *coeperam*, *erim*, *issem*, *ero*, *isse*. Supin. *coeptu*. Partic. *coeptus*, *coepturus*.

---

10) Frequentiora sunt *benefacito*, *calefacito*, et similia.

11) Defectiva sunt triplicia, 1. Quae destituuntur vel praterito et supino, vel supino solo, et temporibus aliisque inde formatis; qualia multa in singulis coniugationibus memoravimus. 2. Quibus desunt primae secundaeque personae, atque hinc dicuntur Impersonalia; de quibus paulo post videbimus. 3. Quae certis modis, temporibus, etc. deficiunt, nec tamen ad duas superiores classes pertinent; cuiusmodi sunt ea quae mox tradentur.

12) Dicimus etiam *osus sum*, unde *exosus* et *perosus*, quibus solis, non vero *exodi*, *perodi*, utimur. Antiquos *odio*, *odie*, dixisse notat Festus: quorum imitatione *odiet*, *odient*, *odivi*, *odite*, *odientes*, etc. utitur vulgatus Interpres, *oditur* Tertullianus, *odiaris* Seneca, *odiendi* Apuleius. Vid. Vossium Anal. III. 89. Idem ap. Petronium, c. 132, *odientes* vult legendum, pro quo vulgo *audientes*, quod tamen retinendum censet Burmannus. Sed et *odivit* dixit Antonius ap. Cic. Philipp. XIII. 19: at haec omnia consuetudo melior abolevit.

13) Hoc futuro subiunctivi pro futuro etiam indicativi utimur; perque ratio in *coepero* et *meminero*. *Oderit* quoque et *oderint* imperativi interdum locum supplent: ut in illo tyranni ap. Cic. Offic. I. 28, et Senec. de Ira, I. 16, *Oderint, dum metuant*.

14) Ab antiquo *coepio*, quo utitur Plautus Menaech. V. 5, 57, *Neque pugnas, neque ego lites coepio*: et Terent. Adelph. III. 3, 48, *Prius olfecissem, quam ille quidquam coeperet*. Porro a *coepi* est *occoepi*; ut in illis, Plaut. Amph. II. 2, 92, *Animo si male esse occoeperit*; Terent. Andr. III. 2, 24, *Si quid tibi narrare occoepi*; Tacit. Hist. II. 16, 4, *Ubi delectum agere Pacarius occoepit*; ita enim libris emendationibus

Memini [15]), *memineram*, *erim*, *issem*, *ero*, *isse*: *et* imperativo, *memento*, *mementote*.

His addi potest *novi*, quod significationem habet utriusque temporis [16]): quamvis et *nosco*, *noscebam*, etc. usu frequentia sunt [17]).

5. *Dor*, *furo*, *for*, *der*, *fer*, vix unquam suscipit usus.

Furo, in prima persona vix dicitur, sed *furis*, *furit*, etc. [18]).

Dor, et *for*, in usu non sunt, sed *daris*, *faris*, *datur*, *fatur*, etc. Nec in subiunctivo dicimus, *der* aut *fer* [19]). In compositione tamen usitata sunt *addor*, *condor*, *reddor*, etc. *Effor* vero et *affor* [20]) vix utimur [21]).

6. Haec quoque truncatis videas deformia membris:

Ausim, *quaeso*, *forem*, *faxim*, *cedo*; *capsis* et *inquam*,

Atque *apage*, *salve*, *sodes*, *sis*, *sultis* et *aio*:

Infit, *ave*, *defit*, *confit* socientur, *ovat*que.

Multis magnisque sui partibus destituuntur verba sequentia:

---

scriptum: at ap. Terent. Eun. I. 2, 45, *Qui me amare coeperat*, e simplice, ut sit ab *coepio*, quo Lucret. V. 887, Liv. III. 19, Tacit. Annal. I. 39, 8, aliique utuntur; nempe a *capio* compositum, ut *incipio*, cuius praeteritum *incepi*, non *incoepi*.

15) A prisco *meno*, per reduplicationem: quanquam et *memino* veteres dixisse colligi possit ex participio antiquo *meminens*, quo non Plautus modo ap. Sergium in Donati Edit. II. col. 1853, et Liv. Andron. ap. Priscian. col. 922, sed et recentiores, Ausonius de Profess. Burdig. I. 40, et Sidonius Epist. II. 20, IV. 8, etc. utuntur. Vid. Voss. Anal. III. 39.

16) Caeteras fere huius verbi partes longe frequentius per Syncopen efferimus, *nosti*, *nostis*, *nerunt*, *noram*, *norim*, *nossem*, *nosse*. Imo et *nomus* pro *novimus* dixisse veteres, auctor est Diomedes, col. 382.

17) Addit Phocas, col. 1720, et Despauterius, p. 178, *pepigi* ab antiquo verbo *pago*, de quo cap. superiore reg. 30: at praesentis significatione nusquam illud acceptum legitur.

18) Prima tamen persona usus Varro, teste Prisciano. [Cur raro dicatur, ratio in promtu est: cur dici plane nequeat, non apparet. G. St.]

19) *Deris* quoque et *demur* rarioris sunt usus: quanquam prius adhibuit Castellio in versione Matth. V. 25. Et caeterae partes verbi *faris* (praeter *fatur* Indicativi, *fare* Imperativi, Participia *fans*, *fatus* et *fandus*, et Gerundia *fandi* et *fando*) exolevisse videntur: nusquam enim *famur*, *famini*, *fantur*, *fabar*, *fabaris*, etc. *feris*, *fetur*, etc. *farer*, *feris*, etc. legisse me memini. *Fabor* tamen usus Virg. Aen. I. 261.

20) *Effor* tamen ex Caio profert Diomedes, col. 375.

21) Multae sunt et aliorum verborum partes, quas forte iam tuto haud liceat usurpare: cuiusmodi sunt *oci* a *scio*, *cupe* a *cupio*, *polle* a *polleo*. Sic rero in usu vix esse notat Diomedes, col. 375: *solebo* a *so-*

Digitized by Google

1. *Aio* [22]); *inquam* [23]); *quaeso* [24]); *confit* [25]); *defit* [26]); *infit* [27]); *ovat* [28]); modi fere indicativi.

2. *Apage* [29]); *ave* [30]); *salve* [31]); *cedo* [32]); modi plerumque imperativi.

---

ipsa verbi significatio excludit. Idem de multis passivis existimandum, quorum ea est natura, ut primam aut secundam personam non admittant; ut *aror*, *mator*, etc. nisi personae fictione terra aut aqua de se loquentes inducantur, aut figurate ad eas sermo dirigatur.

22) De hoc aliisque eiusmodi verbis vid. Rudim. p. 59, *Aiebamus* tamen excludit Alvarus, ut et totum perfectum; quanquam *ai*, *aisti*, agnoscat Probus, col. 1482, et *aierunt* Tertullianus dixerit de Fuga, c. 6. Veteres etiam *aitis*, *aite* et alia quaedam usurpasse putat Vossius Gramm. min. p. 132.

23) *Inquio* dici negant Diomedes, col. 375, et Phocas, col. 1718. Quod autem ex Cicerone de Orat. II. 68, *Attendere et aucupari verba oportebit*, *inquio*, Priscianus, col. 876; ex Catullo, X. 27, *Mane inquio puellae*, alii proferant; non est quod eorum testimonio satis fidamus, cum optimis codicibus, illic *in quo*, hic *inquii* legatur. Vid. Voss. Anal. III. 40: item Ursin. p. 796, qui *inquiens*, quod recentiores nonnunquam usurpant, auctoritate destitui notat. Caeterum ipsum *inquam* ex *inquiebam* per Syncopen factum, praeteriti imperfecti primitus fuisse censet Vossius, l. c. quod et Ursinus confirmat ex eo, quod hoc verbo in repetitione eius quod dictum erat, et orationis coeptae continuatione, tantum utamur.

24) Priscianus, col. 902, primitivum huius verbi facit *quaero*. Melius Gruterus ad Plaut. Menaechm. V. 1, 36, eumque secutus Vossius remansisse id coniiciunt ex veteri lingua, quae *e* pro *r* usurpabat, atque olim idem esse *quaeso* quod *quaero*; unde et praeteritum restat *quaesivi*. Sane *quaesit* pro *invocat* utitur Lucretius, V. 1228: *quaesere* pro *rogare* Plautus Bacch. II. 2, 1: *quaesens* pro *implorans* Apuleius Met. IV. p. 118: *quaesivit* pro *rogavit* Sallust. ap. Priscian. l. c. *quaesivere* Deos, pro *invocavere*, Manilius, I. 418. Vid. Vossius Anal. III. 41, et Ursin. p. 798.

25) Sic *confieret* et *confieri*. Adde etiam *effieri* ap. Plaut. Pers. V. 1, 9: *interfiat* et *interfieri* ap. Lucret. III. 885, et Plaut. Trin. II. 4, 131, *Superfit*, *superfiat*, *superfieri* ap. Auson. Epigr. 81, Plaut. Stich. IV. 2, 12, et Colum. XII. 1.

26) Item *defiet* et *defiat*, et *defieri*.

27) *Infio*, quo Varro usus ap. Priscian. col. 848, exolevit.

28) Phocas, col. 1718, hanc solam personam et participium *ovans* agnoscit: at *ovas* quoque Diomedes, col. 375; qui nec primam personam omnino repudiat, sed raro tantum reperiri affirmat. *Ovet* autem habet Stat. Sylv. IV. 1, 8: *ovaret* idem Theb. I. 153: ut praeteream participium *ovatus* ap. Pers. II. 55, et gerundium *ovandi* ap. Sueton. Claud. l. 5.

29) Ex Graeco ἄπαγε. Addunt quidam et plurale *apagete* ex Cicerone, Plauto, Terentio et Apuleio: sed in his editiones variant; in quibus saepius divisim *apage te* legitur. Vid. Ursin. p. 799.

30) Hoc significatu *ave*, *aveto* et *avete* tantum dicimus. *Aveo* autem pro *cupio* plura habet tempora: quo etiam pro *salvus sum* utitur Mamertinus in Paneg. Iuliani, c. 29, *Cum hic avere iubeat, qui iam fecit ut averem.*

31) *Salve*, *salveto*, *salvete* et *salvere*, nunc fere utimur. *Salvebis*,

Digitized by Google

3. *Ausim* [32]); *faxim* et *faxo* [34]), modi subiunctivi: ut et *forem* [35]), cuius infinitivus *fore*.

4. Cum coniunctio *si* composita, *sis*, *sultis*, *sodes*; pro *si vis*, *si vultis*, *si audes* [36]): item, praemisso alio verbo, *capsis* [37]), pro *cape si vis* [38]).

De Verbis Impersonalibus.

7. His super expositis Impersonalia iunge,
Sola quibus primi numeri persona remansit
Tertia: nempe *decet*, cum *poenitet*, adde et *oportet*:
Nactaque praeteritum duplex, *miseret*que, *piget*que,
Et *pudet*, atque *licet*, *libet* aut *lubet*, abiice *taedet*,
Praeteritumque *liquet* spernens. Imitantur et horum
Plurima, permaneant alias licet integra, sensum.
Qualia, *delectat*, *placet*, *evenit*, *accidit* et *fit*,

---

etiam Cicer. ad Attic. VI. 2, extr. sed et *salveo* Plautus Truc. II. 2, 4. Caeterum duobus hisce *ave* et *salve* tertium *vale* adiungunt Schmidius aliique: praeter rationem, cum eadem quae in *valeo*, *vales*, *valebis*, etc. in imperativo *vale*, *valeto* et *valete*, maneat significatio. Vid. Ursinum, p. 800.

32) Hoc verbum non uni tantum, sed et pluribus etiam dicitur, ut in hoc Ciceronis de Senect. c. 6, *Cello qui rempub. tantam amicitiis tam cito*. Quod idem et verbo *age* evenit, quod pluralibus saepe accommodari ostendit Maior de var. orat. p. 572, et ante eum Valla Eleg. II. 16, quamvis longe frequentius de multis *agite* pluraliter dicatur. Vetustiores etiam *cette* pro *cedite*, ut ex Ennio et Plauto observat Nonius, II. 122, utebantur.

33) *Ausim*, *ausis*, *ausit*, plur. *ausint*, per Syncopen ex obsoleto *auserim*, et hoc ab *ausi*, quod olim pro *ausus sum*, ut *soleo solui* pro *solitus sum*, usurpatum. Vid. Voss. Anal. III. 41.

34) Similiter *faxim* et *faxo* supersunt ex coniugatione prisca, pro *facerim*, *facero*, sive, ut nunc loquimur, *fecerim*, *fecero*. Ita enim et olim *axo*, *taxo*, *iniexo*, *respexo*, pro *agero*, *tagero*, sive (ut nunc efferimus) *egero*, *tetigero*, *iniecero*, *respexero*. Caeterum *faxis*, *faxit*, etc. non a *faxo* sed *faxim* declinant Alvarus, Frischlinus et Giessenses.

35) *Forem* est ex *fuerem*, ab obsoleto *fuo*; unde *fui* et *futurus* supersunt: *fore* itidem ex *fuere* contractum. Est autem in ratione Grammatica praesentis temporis, quamvis usus dicendi arbiter ad futuri significationem id fere revocavit: quo solo tempore eius composita, *abfore*, *affore*, *defore*, *profore*, usus admisit. [Cfr. Struve l. c. §. 15.]

36) Integre protulit Plautus Aulul. II. 1, 48, *Dic mihi, si audes, quae est quam ducere vis uxorem*. Ita enim legit, id docens, vet. Schol. Pers. III. 89; quanquam in vulgatis, pro *si audes*, *quaeso* scriptum sit, quod ex glossemate irrepsisse Vossius putat, Anal. IV. 28.

37) Vid. Cic. Orat. c. 45.

38) Sic et alia, *abisis*, *videsis*, *cavesis*, *apagesis*. Caeterum hisce omnibus *sis* adiunctum, ad imperativi rigorem molliendum.

Digitized by Google

Conducit, *patet*, atque *iuvat*, *stat*, *sufficit interest*, *vacat*, et *prodest*, *refert*, *constat*que, *fugit*que,
Attinet, et *restat*, *spectat*, cum *pertinet* adde,
Cum multis aliis quae sit mora longa referre.

Verbum Impersonale vulgo dicitur, cui nominativus certae personae praeponi non potest [39]): aut, ut alii definiunt, quod duabus primis et primariis personis destituitur.

Impersonalia activae vocis in *t* exeunt, suntque haec decem:

Decet; *poenitet*; *oportet*; *miseret*; *piget*; *pudet*; *licet*; *libet* vel *lubet* [40]); *taedet*; *liquet*.

Impersonalia vocis passivae desinunt in *tur*. Eorum maximus est numerus: veniunt enim ab activis omnibus, multisque etiam neutris [41]); ut a *lego*, *legitur*; a *curro*, *curritur*.

Coniugantur autem Impersonalia per tertias omnium fere modorum et temporum personas singulares [42]): ut, *decet*, *decebat*, *decuit*, etc. *curritur*, *currebatur*, *cursum est vel fuit*, etc.

---

39) Intellige iuxta vulgi opinionem et communem loquendi consuetudinem: re enim vera in plerisque huius generis verbis, personae sive suppositi vicem sustinet infinita locutio, vel oratio integra: ut in illis Ciceronis, *Oratorem irasci non decet. Ex rerum cognitione efflorescat et redundet oratio oportet.* In his vero, *Poenitet me peccati*; *Miseret me tui*; *negotium*, *respectus*, aut simile quid intelligitur. Caeterum impersonalibus passivis, *statur*, *curritur*, *legitur*, etc. quibus simplex verbi actio absque ulla Ellipsi denotatur, optime haec definitio convenire videtur. Vid. Perizon. I. 12, 7.

40) Nempe haec non aliter differunt, quam *optimus* et *optumus*, *faciendus* et *faciundus*.

41) Interdum etiam a deponentibus, sed raro et passivo fere sensu: ut Plaut. Asin. I. 1, 62, *Volo amori obsecutum illius.* Sallust. Iug. c. 27, *Summa ope enisum est.* Terent. Adel. III. 4, 62, *Utinam hic sit modo defunctum.* Caes. B. G. VII. 61, *Hostibus nunciatur in castris Romanorum tumultuari.* Apul. Met. IV. p. 137, *Moeretur*, *fletur*, *lamentatur diebus plusculis.* At sensu activo, *Quos non est veritum in voluptate summum bonum ponere*, dixit Cicero de Fin. II. 13, Confer et Gell. XV. 13. Nimirum quia olim, ut Nonius testatur, IX. 3, *vereturte*, pro *vereris*, dicebant.

42) Nonnunquam etiam in tertia plurali, sed personaliter inveniuntur, 1. Activae vocis: ut Horat. Epist. I. 7, 44, *Parvum parva decent.* Sueton. Iul. XX. 8, *Caetera item quae cuique libuissent.* Catull. LIX. 147, *Marito ista non eadem licent.* Terent. IV. 7, 36, *Non te haec pudent.* Lucan. VIII. 495, *Semper metuet, quem saeva pudebunt.* Val. Flacc. II. 92, *Acclinem scopulo inveniunt, miserentque foventque.* Gell.

Digitized by Google

Porro ex decem illis quae vocis activae sunt, tria regulariter praeteritum formant; *Decet, decuit; poenituit; oportet, oportuit.* Sex duplex habent praeteritum alterum activae, alterum passivae vocis: *Miseret, miseruit* [43]) et *misertum est* [44]); *piget, piguit*, vel *pigitum est: pudet, puduit, puduit*, vel *puditum est; licet, licuit*, vel *licitum est; libet, libuit*, vel *libitum est; taedet, taeduit* [45]), vel *pertaesum est* [46]). At *liquet* in praeterito vix reperitur [47]).

Impersonalia carent imperativo: sed pro eo utimur praesente subiunctivi: ut, *poeniteat, pugnetur* [48]).

Nec in supinis, participiis aut gerundiis inveniuntur, paucis exceptis [49]),

---

I. 2, *Cum omnes verbis eius defatigati pertaeduissent.* Ter. Heaut. III. 2, 25, *Haec facta ab illo oportebant*, al. *oportebat.* 2. Passivae vocis: ut, Martial. IV. 30, *Sacris piscibus hae natantur undae.* Cic. Offic. I. 10, *Quo in genere multa peccantur.* Tacit. Hist. I. 16, 7, *In caeteris gentibus quae regnantur.* Ovid. Heroid. XII. 169, *Noctes vigilantur amarae.*

43) *Miseruit* vix usquam iam legitur.

44) Olim *miseritum*, Vid. supra hui. lib. c. 1, reg. 47, n. 18.

45) *Taeduit* aut *taesum est* vix usquam occurrunt.

46) *Pertaesum est* utitur Cic. ad. Q. Fratr. I. 2, Virg. Aen. IV. 18, et alii. Pro eo *pertisum* veteres dixisse notat Festus. At id non probare consuetudinem Cicero ait Orat. c. 48. Est autem a composito *pertaedet*, quo impersonaliter Gellius, XV. 20, personaliter vero, ut modo diximus, 1, 2, idem utitur.

47) A praeterito tamen *liqui* vel *liquui*, personaliter dixit Cic. Nat. Deor. I. 42, *Ego ne Protagoram quidem, cui neutrum liquerit*, sive, ut Lambinus legit *Liquuerit*, aut etiam *licuerit.* Sic enim a *deliqueo delicui format* Ovid. Met. IV. 253, et VII. 831; et a *colliqueo, collicui*, Varro ap. Non. IV. 275. Sed et impersonaliter usus Tertullian. adv. Gnosticos, c. 6, *Liquuit Africae.*

48) Invenitur tamen imperativus *licete*, in nobilissima Inscriptione, ipsa Tullii aetate tabulae aeneae incisa, ap. Aldum in Orthograph. p. 407 et seqq. accurate descripta: e qua et haec apponere visum est. Quae. thermensium. maiorum. pisidarum. publica. preivatave. praeter. loca. agros. aedificia. sunt. fueruntue. ante. bellum. mitridatis. quod. preimum. factum. est. quodque. earum. rerum. iei. antea. habuerunt. possederunt. usei. fructeive. sunt. quod. eius. ipsei. sua. voluntate. ab. se. non. abalienarunt. ea. omnia. thermensium. maiorum. pisidarum. uti. sunt. fueruntue. ita. sunto. itidemque. ieis. ea. omnia. habere. possidere. utei. frueique. liceto.

49) Ut, *poenitendi causa*, ap. Cic. Fin. II. 32. *Corrigere errorem poenitendo* Id. Acad. III. in Fragm. *Poenitendum puto* Id. Attic. VII. 8. *Non pudendo* Id. de Orat. I. 26. *Inducitur ad pudendum, ad pigendum*, Id. de Clar. c. 50. *Magis esset pudendum* Id. Tusc. II. 5. *Cum puderet vivos, tanquam puditurum esset exstinctos* Plin. XXXVI. 15. *Neminem eorum per Italiam ire liciturum* Liv. XLII. 36. *Poeniturus* etiam (sive, ut legendum vult Voss. Anal. IV. 13, *poenititurus*) dixit Sallustius, pro *poenitentiam acturus*, (teste Quinctil. IX. 3,) et ante eum

Digitized by Google

Participia autem, per quae circumloquimur praeterita passiva, non hic variantur per genera, ut fit impersonalibus; sed quia substantive ponuntur, semper sunt generis neutri: ut, *pugnatum est*, *misertum est* [50]).

¶ Impersonalibus vulgo accensentur multa verba personalia, quia ad modum impersonalium absolute inveniuntur in tertia persona singulari, absque nominativo, sequente mox infinitivo [51]).

Huiusmodi e prima coniugatione sunt, *Delectat*, *iuvat*, *spectat*, *vacat*, *stat*; cum compositis, *constat*, *praestat*, *restat*.

Accius, quod iam exolevit. *Poenitens* usitatum est; item *pertaesus*, quod active significat; et *pudendus*, *pigendus*, *poenitendus*. *Libens*, *pudens*, *decens*, nomina potius quam participia videntur.

50) Atque ab huiusmodi participiis impersonaliter acceptis venire videntur ablativi, qui sine substantivo absolute positi vulgo dicuntur: ut Tac. Ann. IV. 36, 3, *Absolvitur, comperto ficta in eum crimina*. Interdum et nominativi, ut Liv. VII. 8, *Diu non perlitatum tenuerat Dictatorem*: Et I. 53, *Ni degeneratum in aliis huic quoque decori offecisset*. Item et accusativi: ut Liv. XXVIII. 12, *Post Asdrubalis exercitum deletum, cedendoque in angulum Brutium, caetera Italiae concessum, cui non videatur mirabile?* Vid. Perizon. ad Sanct. p. 439.

51) Haec Impersonalia per accidens vocat Ursinus, p. 815. Ceterum et decem illa *Impersonalia*, quae *per se* talia appellat, olim et personalia fuisse docet ex Capro Priscianus, col. 922. Sic Lucret. III. 894, *Ipse sui miseret*. Plaut. Amph. II. 2, 188, *Isthuc facimus, quod te insimulas, nostro generi non decet*. Ovid. Amor. I. 8, 85, *Decet alba quidem pudor ora*. Plaut. Stich. I. 1, 50, *Et me quidem haec conditio nunc non poenitet*. Id. Casin. V. 2, 3, *Ita mine pudeo, atque itu nunc paveo*. Ennius in Hecuba ap. Non. VII. 58, *Miserete mei anuit*. Stat. Th. X. 884, *Si non dedecui tua iussa*. Praeeunte autem voce generali, *id*, *quid*, *quod*, *nihil*, *quicquam*, et similibus; apud optimos etiam auctores saepe personaliter accipiuntur: ut, Ovid. Heroid. IV. 154, *Quid deceat non videt ullus amans*. Cic. Tusc. V. 18, *Sequitur ut nihil poeniteat, nihil desit, nihil obstet*. Id. de Orat. II. 4, *Sin tibi id minus libebit, non te urgebo*. Ovid. Amor. II. 19, 3, *Quod licet ingratum est, quod non licet acrius urit*. Cic. pro Caecin. c. 11, *Cum quid liqueret, non habuistis*. Ter. Phorm. III. 3, 21, *Ne quid plus minusve faxis, quod nos post pigeat*. Plaut. Pseud. I. 3. 47, *Nimio id quod pudet facilius fertur, quam illud quod piget*. Martial. IV. 12, *Nulli, Thai, negas: sed si te non pudet istud, Hoc saltem pudeat; Thai, negare nihil*. Terent. Adelph. I. 2, 4; *Quem neque pudet quicquam, nec meluit quemquam*. Cic. pro Corn. Balbo, c. 3, *Est enim aliquid quod non oportet, etiam si licet: Quicquid vero non licet, certe non oportet*. Plaut. Pseud. I. 3, 74, *Nihilne te mei miseret?* Nisi forte postremis hisce exemplis, *quicquam*, *quod* et *nihil* in accusativum potius resolvenda sunt? quae de re fusius in Syntaxi dicetur. * Itidem in passivis: ut Ovid. Met. XII. 188, *Iam tertia vivitur aetas*. Martial. VI. 43, *Canaque sulphureis nympha natatur aquis*: et Id. XIII. 59, *Tota mihi dormitur hyems*. Confer Voss. Anal. III. 1 et 42; Sanct. III. 1, p. 266 et 267, et III. 3, p. 374 et 374; Ursin. p. 812, Johnson. App. p. 260 et seqq. et Addit. p. 47, etc. et adde plurialia supra memorata Not. 42.

Digitized by Google

E secunda coniugatione, *Apparet, attinet, pertinet, debet, dolet, nocet, latet, patet, placet, displicet, sedet, solet, assolet* [52]).

E tertia, *Accidit, contingit, coepit, incipit, conducit, desinit, excidit, fugit, officit, sufficit, succurrit, suppetit.*

E quarta, *convenit, evenit, expedit.*

Ex anomalis, *Est* [53]), cum compositis, *obest, prodest, potest* [54]), *interest, superest; fit, praeterit, nequit, subit, conferi, refert* [55]).

---

52) An *assolee* dicatur, et an *assolet* semper sit impersonale, disquirentem vid. in utramque partem Goclen. Probl. Gramm. V. 7.

53) Ut, *cernere est, videre est.* Virg. Ecl. X. 46, *Nec sit mihi credere.* Vid. Perizon. ad Sanct. IV. 4. n. 52. Huc referunt et has locutiones *certum est, aequum est, par est,* etc.

54) Ex his octo Famularia appellantur, scil. *Possum, queo, nequeo, coepi, incipio, desino, debeo, soleo:* sic dicta, quod pro natura verborum infinitorum quibus ancillantur, nunc personalem, nunc impersonalem significationem induunt. Et impersonaliter quidem acceptorum haec exempla suggerit Saturnius, Merc. mai. III. 27: Plin. iun. Epist. IV. 18, *Huic vitio occurri uno remedio potest.* Cicer. de Harusp. resp. c. 21, *Cuius auctoritatis neminem posset poenitere.* Iustin. XII. 6, 5, *Pigere eum facti coepit.* Ovid. Remed. v. 710, *Incipiet dominae quemque pudere suae.* Senec. Epist. 40, *Si te pudere desierit.* Caes. B. G. II. 33, *Pugnatum ab hostibus ita acriter est, ut a viris fortibus pugnari debuit.* Cic. ad Attic. VIII. 5, *Etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit, poenitere.* De *queo* (quod Saturnius intactum praeteriit) exemplum sit illud Cic. anteq. iret in exil. c. 2, *Ut iis sine magna sollicitudine, industria, virtute non queat resisti.* Parque est verbi *nequeo* ratio. ¶ Observat porro idem Saturnius, III. 28. ex his verbis tria esse, nimirum *coepi, desino* et *queo*, quae iuncta cum infinitis passivae terminationis, possunt arbitratu nostro et vocem servare activam, aut formam subire passivam: ut Liv. II. 21, *Plebi iniuriae a primoribus fieri coepere.* Cic. de Divin. II. 2, extr. *De republ. consuli coepti sumus.* Plin. II. 55, extr. *Turres bellicis temporibus desiere fieri.* Cic. de clar. o. 32, *Veterum orationes post nostras a plerisque legi sunt desitae.* Tac. Annal. XIII. 17, 2, *Ut iam non praematura mors videri queat.* Terent. Hec. IV. 1, 57, *Forma in tenebris noscri non quita est:* item Gell. XX. 1, extr. *Saevitia contemni non quita est.* Lucret. I. 1044, *Suppleri summa queatur.* Sic Sallust. Ing. c. 34, *Quicquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, iure factum sit:* et Apul. Apol. p. 547, *Sola virginitas, cum semel accepta est, reddi nequitur.* * Quod vero verbo *possum* similiter usi sint vetustiores; ut Ennius ap. Diomed. col. 381, *Nec retrahi poterat imperiis.* Lucret. III. 1023, *Quod tamen expleri nulla ratione potestur.* Caelius ap. Non. X. 38, *Cum sine periculo bellum geri poterat*

Ad Impersonalium denique naturam quodammodo accedunt Verba exemptae actionis, hoc est, actionem significantia, quae ut fiat, neutiquam sit humanae potestatis: ut, *Fulgurat, fulminat, tonat, grandinat, gelat, pluit, ningit, lucescit, advesperascit, noctescit* [56]), *et* similia.

3. *Verba* Abundantia.

Verba *Abundantia* sunt, quae varie ab auctoribus usurpantur. Eorum autem triplex est differentia: 1. Etenim, quaedam *Genus*, 2. Quaedam *Terminationem*, 3. Quaedam denique *Coniugationem*, variam seu multiplicem habent.

De Verbis genere abundantibus.

Genere abundant Verba duplicia:

1. Quae interdum Neutra, interdum Activa sunt: ut, *aboleo, duro, maneo*, etc. [57]). Sic Liv. III. 55, *Cuius rei prope iam memoria aboleverat* [58]). Velleius, II. 58, 2, *Abolere testamentum.* Plaut. Amph. III. 2, 1, *Durare nequeo in edibus.* Ovid. ad Liv. V. 198, *Duravit animum.* Cic. Nat. Deor. I. 12, *Nihil semper suo statu manet.* Virg. Aen. VII. 596, *Te triste manebit supplicium.*

2. Quae Communia, i. e. quae modo *activa*, modo *passiva* sunt: ut, *adipiscor, criminor, dignor*, etc. [59]). Sic Cic. Epist. Fam. XII. 22, *Maximam laudem adeptus esses.* Plaut. Trin. II. 2, 88, *Non aetate, verum ingenio adipiscitur sapientia.* Terent. Eun. V. 2, 16, *Hanc me-*

---

quamvis Romani ob significationem in speciem diversam, diversa tandem ea verba credentes, huic productam, illi correptam *re* syllabam, discriminis gratia tribuendam consuerint. Vid. eum III. 5, n. 8.

56) In his verbis, Scaligeri observatio de Causis L. L. V. 110, p. 284, locum habet, quod nimirum primis duabus personis ea careant, non tam ipsorum, quam rerum quibus applicari possunt, defectu. Alioquin sane nihil impediat quo minus, si per Prosopopoeiam Deus loquens introducatur, *tono, fulmino*; si coelum, sive aër, *pluo, ningo*: aut si per Apostrophen ad ipsum Deum dirigatur oratio, *tonas, fulminas*; ad coelum, *pluis, ningis*, dicatur. Alii in his nominativum cognatae significationis latere volunt; ut *fulmen fulminat, pluvia pluit*, etc. alii (quod mihi praecipue probatur) nihil his aliud quam actionem sive rem ipsam significari existimant; ut *grandinat, lucescit*, sit idem quod *grando est, lux est.*

57) Satis amplam eiusmodi verborum sylvam exhibent Voss. Anal. III. 4, Methodi anct. p. 459, Gram. Oxon. p. 48, Urim. p. 443. Videsis etiam doctissimum Perizon. ad Sanctii III. 3, de iis acutissime, ut solet, dissertantem.

58) At hoc potius est ab *abolesco*. Vid. supra lib. III. r. 17, n. 96.

59) De his vid. postea, cap. III.

Digitized by Google

tui, ne me criminaretur tibi. Cic. contr. Rull. III. 4, *Sullanas res defendere criminor*, i. e. *accusor*. Ovid. Trist. III. 14, 51, *Venia dignare libellum.* Cic. de Invent. II. 53, *Homines cultu quodam et honore dignantur*, i. e. *digni existimantur.*

De Verbis terminatione abundantibus.

Talia sunt, *Assentio* et *assentior*; *fabrico, fabricor*; *impertio, impertior*; *lacrimo, lacrymor*; *mereo, mereor*; *munero, muneror*, etc. [60]), eadem significatione [61]). Sic, *comperio, punio, luxurio*; rarius *comperior, punior, luxurior* [62]); et *populor, comitor*; raro *populo* [63]), *comito* [64]).

---

60) Sic Cic. Offic. I. 6, *Ne his temere assentiamur.* Id. Fam. I. 1, *Hinc assentiuntur reliqui consulares.* [*Adsentior* apud Ciceronem innumeris locis, *adsentio* pauciis legitur, variantibus semper libris mann. scriptis. Epist. ad Fam. I. 1, editur quidem: *Nam advertebantur Pompeii familiares adsentire Valeatio:* sed in quibusdam exemplaribus est *adsentiri.* De Offic. I. c. 6. vulgo legebatur *Ne incognita pro cognitis habeamus hisque temere adsentiamus;* sed codd. plerique *adsentiamur.* Epist. ad Attic. VII. ep. 8, Graevius edidit, *Etsi ex parte magna tibi adsentio;* sed ante eum plures *adsentior.* In praeterito Ciceronem *adsensi* maluisse quam *adsensus sum*, ut *reverti* potius quam *reversus sum*, exploretum habemus. Cfr. Heusingeri Obss. antibarb. p. 450. C. St.] Horat. Sat. I. 3, 102, *Quae post fabricaverat usus.* Cic. Offic. I. 41, *Pictores et ii qui signa fabricantur.* Id. in Verr. II. 34, *Dolorem suum nemini impertiebat.* Id. ad Brut. Epist. 12, *Ut misericordiam liberis eius impertiamur.* Ovid. Amor. I. 8, 83, *Discant oculi lacrymare coacti.* Cicer. in Vert. V. 46, pr. *Aequis fuit, quin lacrymaretur?* Ovid. Heroid. XIV. 84, *Haec meruit pietas praemia.* Cic. de Leg. III. 14, *Perniciose de rep. merentur vitiosi Principes.* Senec. Epist. 119, *Inani me lance muneras.* Cic. ad Attic. VII. 2, *Opipare me muneratus est.*

61) Nempe activa. Quamvis et horum quaedam, praesertim in participiis perfectis, passive accepta legunture ut Cic. Acad. IV. 31, *Sapiens multa sequitur probabilia, non comprehensa, neque assensa.* Virg. Aen. II. 46, *Fabricata est machina.* Sueton. Claud. IV. 13, *Nullo honore impertitus.* Ovid. Fast. I. 339, *Lacrymatae cortice myrrhae.* Id. Ibid. IV. 239, *Meritas dem sanguine poenas.* Spartian. in Hadr. c. 3, *Locupletissime muneratus.*

62) Sic Sallust. Iug. 45, pr. *Sapientem virum fuisse comperior.* Cic. pro Mil. c. 18, *Cujus inimicissimum punitus es.* Colum. de arbor. c. 13, *Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato.* Adde Quinctil. IX. 3, et Non. VII. 27 et 109.

63) Sic Virg. Aen. XII. 262, *Littora vestra Vi populat.* Propert. II. 6, 15, *Quod mea si teneras comitarent castra puellae:* et ita saepius Ovidius. * Sed et horum participia haud raro passive accipiuntur: ut Sallust. Catil. c. 37, *Haec ubi Romae comperta sunt.* Tac. Anal. XIV. 24, 3, *Conjecti et puniti sunt;* [et extra participium Ovid. Met. IX. 776, *Quod non ego punior ipsa.*] Cicer. in Verr. III. 52, extr. *Populata provincia.* Virg. Aen. I. 312, *Uno graditur comitatus Achate;* [et extra participium Ovid. Trist. III. 7, 47, *Ingenio tamen ipse meo comiteque fruorque.*]

Digitized by Google

De Verbis coniugatione abundantibus.

Coniugationem variant verba triplicia:

Quaedam usitate Primae, et raro Tertiae: ut, *Lavo, lavas, lavas, lavare*: et, *Lavo, lavis, lavere* [65]).

2. Quaedam usitate Secundae, et raro Tertiae: ut,

Ferveo, ferves:
Fulgeo, fulges;
Strideo, strides:
Tueor, tueris [69]):

et

Fervo, fervis [66]).
Fulgo, fulgis [67]).
Strido, stridis [68]).
Tuor, tuĕris [70]).

---

64) His adde, *adulo, auguro, cachinno, demolio, frustro, iaculo, insidio, medico, meto, palpo, partio, stabulo, velifico;* pro quibus (quamvis probis fere auctoribus usitatis) frequentiora sunt, *adulor, auguror, cachinnor*, etc. * Et contra, *Bellor, communicor, elucubror, foeneror*, pro *foenori expensare, mulctor, nutrior, docitor, pascor* et *depascor, peragror, quiritor, suppeditor*, significatione activa bonis itidem auctoribus usurpata; licet *bello, communico*, etc. usitatius dicantur. * *Fluctuo* autem et *fluctuor, frustico, fruticor, nutrico, nutricor; nicto, nictor; ructo, ructor; vermino, verminor;* pari fere auctoritate nituntur. * Mitto haec vetustissimis scriptoribus in o terminata, *Abomino, adipisco* et *indipisco, admiraculo, aggredio, congredio, progredio, alterco, amplecto, complecto, arbitro, aucupo, auspico, commento, consola, contemplo, convivo, -are, crimino, cuncto, digno, exsecro, horto, cohorto, imito, insecto, intermino, ioco, irascо, largio, lucto, deluctо, ludifico, mentio, mino, minito, miro, misero, misereo, modero, modulo, molio, demolio, morio, more, mutuo*, pro *mutuum accipio, omino, opino, opitulo, osculo, parisco, patio, percunto, pollisco, praedo, praelio, praestolo, praevarico, precо, refrago, suffrago, revereo, rhetorico, rimo, ringo, rixo, scruto, perscruto, secto, sequo, sortio, suavio, suspico, testo, tumultuo, tuto, vago, velito, venero, vicisco, vacifero, uto*, Gellio XVIII. 12, Nonio, cap. VII. de contrag. verb. Diomedi lib. I. col. 394, Prisciano lib. VIII. col. 797 et seq. Vossio Anal. III. 7, Ursino, p. 470, etc. observata: quorum omnium loco terminationem in *or* usus meliorum recepit. * Item haec in *or*, *Adiutor, affector, calcor, caveor, desperor, dilapidor, dispenseor, excalceor, focillor, fatiscor, gliscor, ingrescor, labascor, lustror, manducor, mendicor, pacificor, perficior, pigneror*, pro *pignori dare, praesagior, quaeritor, sacrificor, sciscor, significor, spector, spolior, vector, urinor:* pro quibus verba in o purior aetas duntaxat admisit.

65) Olim etiam et *boere* pro *boare, sonere* pro *sonare, tonere* pro *tonare, crepere* pro *crepare*, dixerunt. Poterunt et his addi, *convivere* et *convivari, dissecare* et *dissicere, educare* et *educere, nictare* et *nictare*, in quibus eadem est, aut non multum diversa significatio. Huc referunt et priscum *nexere* pro *nexare:* at illud pro *nectere* potius usitatum, hoc frequentativum esse, supra ostendimus, cap. I. reg. 9, n. 48; et reg. 89, n. 75.

66) Vid. cap. I. reg. 16, n. 80.

67) *Fulgo* et *effulgo* in tertia dixere non solum Lucilius, Pomponius, Lucretius ap. Non. X. 12: sed ipse Virg. Aen. VI. 827, et VIII. 677. Confer Senec. N. Quaest. II. 56.

68) *Stridunt* pro *strident*, utitur Plin. iun. Epist. IX. 26: *stridit* pro *stridet* Virg. Geo. IV. 262: *stridĕre*, pro *stridĕre*, Horat. Sat. II. 8, 78.

Digitized by Google

Sed utraque coniugatione frequentatur *tergeo*, *terges*; et *tergo*, *tergis*: ut et composita, *detergeo*, et *detergo*; *abstergeo*, et *abstergo* [71]).

5. Quaedam Tertiae usitatius, ac rarius Quartae: ut,

Fodio, fodis, fodere: } et { *Fodio, fodis, fodire* [72]).
Salio, sallis, sallere [73]). } et { *Sallio, sallis, sallire* [74]).
Morior, moreris, mori: } et { *Morior, moriris, moriri* [75]).

Sic *orior*, *oreris*; et *orior*, *oriris* [76]).

Potior, *poteris*; et *potior*, *potiris* [77]).

Est verbum quod usitatius sit Secundae, rarius Quartae; nempe *cieo*, *cies*, *ciere*; et *cio*, *cis*, *cire* [78]), unde *accire* et *accitus* [79]).

---

69) Sic composita *contueor*, *contuor*; *intueor*, *intuor*; *obtueor*, *obtuor*; unde verbale *obtutus*, ut a simplice *tuor* participium *tutus*, quod amissa temporis adsignificatione in nomen degeneravit. Vid. supra c. I. reg. 48. n. 15.

70) Sic *abauco*, *augeo*, *congruco*, *excelleo*, *scabeo*, *sugeo*, etc. pro *abuco*, *ugo*, etc. veteres dixerunt. Et pro *connivēre*, *olēre*, *ridēre*, *scatēre*, *respondēre*, penultima producta, *connivēre*, *olĕre*, *ridĕre*, *scatĕre*, *respondĕre*, penultima correpta. Vid. Popmam de usu antiq. locut. I. 11; Voss. Anal. III. 85, Ursin. p. 775 et seqq.

71) Vid. supra cap. I. reg. 18 et 31.

72) De quo vid. ibid. reg. 22, n. 23.

73) Vid. ibid. reg. 33, n. 30.

74) Olim etiam *cupire*, *parire*, *sapire*, pro *cupere*, *parere*, *sapere*, dicebant. Addunt vulgo *lino*, *linere*; et *linio*, *linire*: at posterius meritò reiicit Burmannus, ut supra monitum ad c. I. r. 35, n. 48. [Sic etiam *arcessire* pro *arcessere* ipsis Ciceronis aequalibus familiare est. Caes. B. G. V. 11, *Ex legionibus fabros deligit et ex continenti alios arcessiri iubet*. Corn. Nep. Attic. c. 21, 4, *Agrippam generum ad se arcessiri iussit*. Dion. c. 2, *Adolescenti negare non potuit, quin eum arcessiret*, ut est in codd. quibusdam optimis. Infinitivus *arcessiri* legitur etiam Sallust. Iug. c. 62, 4. Curt. VI. 11, 28. VII. 6, 14. Iustin. XVIII. 2, 4. Frontin. Strateg. I. 9, 3. Cfr. Oudendorp. ad Caesar. B. G. I. 31, 4. Drakenb. ad Liv. III. c. 45, 3. G. St.]

75) De quo dictum reg. 49, n. 25.

76) Vid. supra eod. cap. r. 49, n. 27. Inveniuntur et *aggrediri* et *progrediri* ap. Plaut. Truc. II. 5, 7, et Cas. V. I. 9.

77) Sed haec in infinitivo semper sunt quartae, *oriri*, *potiri*; non *ori*, *poti*. In indicativo autem *orior* nunc quidem semper tertiae, in imperfecto subiunctivi semper quartae est: *potior* vero in utraque coniugatione apud Poetas invenitur; sed ita ut *potitur* in tertia iis sit usitatius. Confer supra c. I. r. 47, n. 12.

78) Veteres etiam pro *censere*, dicebant *censire*, unde *censitus* et *censitor* (ut supra animadversum ad reg. 11, n. 55.) Sic et *raucere*, unde *rauqui*; et *raucire*, unde *rausi*, *rausum*: item *viere* et *vire*, unde *victor* ap. Plaut. Rud. IV. 3, 51, pro *victor*, quomodo in MSS. et vetustioribus editt. invenit Taubmannus.

79) Sunt et quaedam Primae et Secundae, ut *denso*, *densas*; et *denseo*, *denses*, quo Lucretius, I. 662 et alibi, et ipse Maro Aen. XI.

Digitized by Google

¶ Huc etiam referri potest verbum *edo*, quod nonnullas sui partes dupliciter format, hoc modo:

Ind. Praes. *Edo*, *edis* vel *es*; *edit* vel *est* —— *editis* vel *estis* ——

Imp. *Ede* vel *es*; *edito* vel *esto*; *edite* vel *este*; *editote* vel *estote*.

Subj. Imperf. *Ederem* vel *essem*; *ederet* vel *esset*, etc.

Inf. praes. *Edere* vel *esse*.

Passiv. Ind. Praes. *Editur* vel *estur* [80].

APPENDIX I.

De Verbis quae sub eadem voce significationem variant.

Inter *Abundantia* [81]) a quibusdam recensentur Verba haud pauca, quae in nonnullis sui partibus voces quidem eandem, significationem vero, plerumque et coniugationem, diversam habent. Eorum triplex est differentia;

1. Quaedam *themate* seu Praesente congruunt: ut,

Aggero, *-as*.	*Aggero*, *-is* [82]).
Appello, *-as*.	*Appello*, *-is*.
Compello, *-as*.	*Compello*, *-is*.
Colligo, *-as* [83]).	*Colligo*, *-is*.
Consterno, *-as*.	*Consterno*, *-is*.

650, utuntur. * In prima quoque et quarta olim variatum; ut *unare* (unde *adunare*), pro *unire*; *bullare*, pro *bullire*. Sic *artire* ex Catone; *dementire* ex Lucretio, *dolitus* ex Varrone ap. Non. *impetritus* ex Plauto; pro *artare*, *dementare*, *dolatus*, *impetratus* probat Aus. Popma, loc. supra laudato. Quaedam trium simul coniugationum fuere, primae, tertiae et quartae: *fodare*, *fodere*, *fodire*; *pinsare*, *pinsere*, *pinsire*: secundae, tertiae et quartae, *claudēre*, *claudĕre*, *claudire*, pro *claudicare*. Vid. eund.

80) Quo non solum Plaut. Most. I. 3, 78, et Apul. Met. IV. sed Cels. II. 25. med. et IV. 19. sub fin. Ovid. Pont. I. 1, 69, et Senec. de Ira, III. 15, utuntur. * Apud eund. etiam Plaut. Most. IV. 2, 42 et 43, *essi* et *bibi*, pro *edi* et *bibi*, in infinit. passivo, legit Lambinus, pro quo vulgo *esse*. * *Ambens* quoque pro *ambedens* utitur Lucret. V. 397.

81) Improprie haec verba abundare dicuntur: quamvis enim in finitione sive syllabae consentiant, (quod fortuito accidisse censendum est); diversa tamen significatio, qua voces a se invicem potissimum distinguuntur, diversa ea prorsus verba constituit.

82) Hoc ab *ad* et *gero*, illud ab *agger* compositum.

83) Sic *deligo*, *-as*; et *deligo*, *-is*: alia autem a *ligo* et *lego* composita diversa quam retinent vocali internoscuntur; ut *allĭgo*, et *allĕgo*; *interligo*, et *interlĕgo*; *praeligo*, et *praelĕgo*; *religo*, et *relĕgo*.

Digitized by Google

Effero, -as.	*Effero, -fers.*
Fundo, -as.	*Fundo, -is.*
Mando, -as,	*Mando, -is.*
Obsero, -as [84]).	*Obsero, -is.*
Volo, -as.	*Volo, vis.*

* Ex his quaedam, simul cum coniugatione et significatione, mutant etiam accentum:

Cŏlo, -as.	*Cŏlo, -is.*
Dico, -as [85]).	*Dico, -is.*
Edŭco, -as [86]).	*Edŭco, -is.*
Lĕgo, -as [87]).	*Lĕgo, -is.*
Vădo, -as.	*Vădo, -is* [88]).

Quaedam Praeterito consentiunt: ut,

Aceo, acui,	*Acuo, acui.*
Cresco, crevi.	*Cerno, crevi.*
Frigeo, frixi.	*Frigo, frixi.*
Fulgeo, fulsi.	*Fulcio, fulsi.*
Luceo, luxi.	*Lugeo, luxi.*
Paveo, pavi.	*Pasco, pavi.*
Pendeo, pependi.	*Pendo, pependi* [89]).

3. Quaedam denique idem habent Supinum: ut,

Cresco, cretum.	*Cerno, cretum.*
Maneo, mansum.	*Mando, mansum.*
Sto, statum.	*Sisto, statum.*
Succenseo, censum.	*Succendo, censum.*
Teneo, tentum.	*Tendo, tentum.*
Verro, versum.	*Verto, versum.*
Vinco, victum.	*Vivo, victum* [90]). —

84) Sic *resero, -as*, et *resero, -is*: hoc a verbo *sero*, illud a nomine *sera*, compositum.

85) Sic alia a *dico, -as*, et *dico, -is*, composita: ut, *abdico, -as*, et *abdico, -is; indico, -as*, et *indico, -is; praedico, -as*, et *praedico, -is*.

86) Interdum *edŭco* idem significat quod *edŭco*, eoque nomine vere abundans est.

87) Sic alia horum verborum composita: ut, *allego, -as*, et *allego, -is; relego, -as*, et *relego, -is*.

88) Adde *pedo, -as*, prima brevi a *pes*; et *pedo, -is*, prima longa.

89) Huc adde composita a *sto* et *sisto*: ut, *consto, constiti; constito, constiti; insto, institi; insisto, institi*, etc. Adiiciunt alii composita a *fero* et *tollo*: ut, *confero, contuli; contollo, contuli: effero, extuli; extollo, extuli: profero, protuli; protollo, protuli*. Sed haec omnia ad *fero* potius quam ad *tollo* referenda videntur. *Sustuli* vero, quod a *sufffero* etiam ductum volunt, tantum a *tollo* vel *sustollo* est, ut alibi ostensum cap. I. n. 83, n. 8[illegible].

90) Huc etiam pertinent *pando, passum*, et *patior, passus sum*: *pango, pactum*, et *paciscor, pactus sum*.

Digitized by Google

APPENDIX II.

De Coniugatione prisca sive obsoleta.

1. Imperfecta quartae olim in IBAM, citra vocalem *e*, terminabantur: ut, *audibam*, *scibam*, *lenibam*; pro *audiebam*, *sciebam*, *leniebam*: qualia etiam apud Poetas optimi aevi nonnunquam reperire est [91]).

2. Futurum quartae, activae formae in IBO, passivae in IBOR [92]) veteres finiebant: ut, *dormibo*, *esuribo*, *scibo*;

---

91) Sic *saevibat*, *scibat* habet Lucretius, V. 1001 et 982: *audibant*, *custodibant*, Catullus, LXXXII. 8, et LXII. 319: *insignibat*, *lenibat*, *lenibant*, *nutribat*, *nutribant*, *polibant*, *redimibat*, *vestibat*, Virgilius Aen. VII. 790, VI. 468, IV. 528, XI. 572, VII. 485, VIII. 486, X. 538, et VIII. 160: *largibar*, *operibat*, Propertius, I. 3, 25, et III. 11, 35: *audibam*, *audibat*, Ovidius Heroid. XIV. 86, et Fast. III. 508: *parturibat* Phaedrus, IV. 22, 1. Vid. Charis. col. 157, Aus. Popmam de usu antiq. locut. I. 12, Voss. Anal. III. 34, et Ursin. p. 673, qui postremus licitam docet esse in carmine hanc formam, non item in prosa; nisi quis cum Apuleio, Fulgentio aut Capella praeter rem ἀφαίτησιν velit.

92) Sic *aperibo*, *convenibo*, *dormibo*, *subvenibo*, utitur Plautus Truc. IV. 2, 50; Casin. III. 2, 18; Trin. III. 2, 100, et Menaech. V. 7, 20: *audibo* Ennius, *esuribo* Pomponius, *expedibo* Pacuvius, *obedibo* Afranius, *paribit* rursus Pomponius aliique ap. Non. VII. 90, et X. 5, 11, 24, etc. *scibo*, *scibis*, *scibit*, Terentius Adelph. III. 3, 8; Andr. IV. 7, 35; Phor. V. 1, ult. *servibo* Id. Hec. III. 5, 45, ipse etiam Horatius Car. III. 28, 21, *mollibit*, et Pallad. Feb. t. 31, *linibis*. Similiter *amicibor*, *custodibitur*, *demolibar*, *largibere*, *mentibitur*, *opperibor*, *reperibitur*; idem Plautus Pers. II. 5, 6; Capt. III. 5, 71; Bacch. III. 1, 16; Ibid. IV. 7, 30; Mil. I. 1, 35; Pseud. I. 3, 89, et Epid. I. 2, 48: *experibere* Terent. Heaut. IV. 6, 20. Confer Popmam, Vossium et Ursinum locc. citt. ¶ Hanc imperfecti et futuri formam retinuerunt *eo* et *queo* (quae quartae etiam sunt) eorumque composita. Reperitur tamen in iis nonnunquam forma in *iam*, *transiam*, *praeteriam*, *-ies*, *-iet*, etc. Sic Tibull. I. 4, 23, *At si tardus eris, errabis, transiet aetas*: et Cicero contra Rull. II. 25, extr. *Inietur ratio quaestus* (pro *transibit*, *inibitur*.) Prius quidem in *transiit* mutavit Broukhusius: pro posteriore *inibitur* reposuit Manutius, *invenietur* Lambinus: at reclamantibus melioribus libris; ut hino doctissimus Graevius, illinc Ach. Statius, Canterus, aliique observant. Porro *exiet* pro *exibit* habet vetus interpres Matth. II. 6, et ita Tertullianum aliosque eius aetatis locutos notat Vossius Anal. III. 38. * *Ambio* regulariter habere *ambiebam* et *ambiam*; *ueneo* vero *venibam* et *venibo*, docet Ursinus, p. 788 et 789: sed altera utrinque forma aeque fere in usu esse videtur: nam ut *ambiebat* habet Curt. IV. 2, 9: *ambiebant* Apul. Met. IV. p. 107: *ambiebatur* Tac. Hist. V. 12, 1: sic *ambibat* Ovid. Met. V. 361, et id. Tac. Annal. II. 19, 2: *ambibunt* Plin. VIII. 35. Et, ut *venibat* Plin. IX. 39: *venibunt* Cic. Attic. XII. 38. Sic, *Singulis veniebant immunitates* id. Cic. Phil. II. 36, sub fin. et, *Veniet sub praecone tota Propontis atque Hellespontus* (citante ex orat. de leg. Agrar. Aquila) Fragm. p. m. 4201 dixere. Apud eund. vero Cic. ad Attic. V. 20, med. variant codd. quibusdam *Mancipia venibant*, aliis *veniebant* exhibentibus. Neque morari nos debet hic Plauti auctoritas, qui sui aevi consuetudinem secutus, ve-

Digitized by Google

pro *dormiam*, *esuriam*, *sciam*; et *amicibor*, *demolibor*, *opperibor*; pro *amiciar*, *demoliar*, *opperiar* [93]).

3. Subiunctivi praesens olim in IM terminatum: ut, *edim* pro *edam*, *duim* pro *dem*, *perduim* pro *perdam* [94]).

4. Inveniuntur apud veteres perfecta subiunctivi in SSIM: ut, *fortunassim*, *negassim*; pro *fortunaverim*, *negaverim* [95]).

---

nibit, *venibit* et *venibunt* adhibuit Pers. III. 1, 8, et Menaech. V. 9. 96, 97 et 98, eodem pacto scil. quo *venibo* a *venio*, utitur Pomponius ap. Non. X. 32.

93) Nec tantum verbo quarto futurum in BO antique finiebant: sed et in verbis tertiae idem nonnunquam usitatum deprehendimus; ut *reddibo* et *reddibitur* ap. Plaut. Casin. I. 41, Menaech. V. 7, 49, et Epid. I. 1, 22, pro *reddam*, *reddetur*: nisi mavis cum Scioppio Suspect. lect. IV. 18, *reddebo* et *reddebitur* illis in locis esse legendum: quomodo *fidebo*, *sugebo*, *vivebo*, similisque dixere, ab antiquis *fideo*, *sugeo*, *viveo* in secunda tum coniugatione inflexis. Confer et Voss. Anal. III. 34. Ursinus autem p. 674, *reddibo* et *reddibitur* retinenda censet, coniicitque *reddire* olim ἐτεροκλίτως, ut alia tertiae simul et quartae, apud veteres dictum. ¶ Observat porro idem Vossius d. l. recentioris aevi scriptores verba secundae, quae per BO exeunt, interdum extulisse per AM: ut ap. Symmach. Epist. I. 90, *Studium quod scribendis orationibus exhibeam*, pro *exhibebo*: et Sidon. Carm. V. 277, *Mortem mandare valebo Inconstis? taceam vestri*, pro *tacebo*: et ita aliis in locis. Addit Vossius idem fortasse factum in coniugatione prima: ut ap. eund. Sidon. Carm. XIII. 12, *Quod si contuleris tuo poetae, Mandem perpetuis legenda fastis*; pro *mandabo*. At mihi hisce in locis *exhibeam*, *taceam*, *mandem*, non futuri indicativi, quamvis illius significationem prae se ferant, sed praesentis subiunctivi esse videntur. Nec est quod hoc loquendi genus tanquam illuviem sequioris aevi cum Vossio damnemus, quum eo optimi nonnunquam scriptores utantur: ut Cic. de Senect. c. 23, *Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam, et in cunis vagiam; valde recuset.* Ovid. Met. III. 465, *Quid faciam? rogor, anne rogem? quid deinde rogabo?* Horat. Car. I. 24, 13, *Quod si Threicio blandius Orpheo Auditam moderere arboribus fidem, Non vanae redeat sanguis imagini.* Terent. Eun. I. 1, 1, *Quid faciam? non eam, ne nunc quidem Cum accerseor ultro? an potius ita me comparem Non perpeti meretricum contumelias*: nec audiendus Cledonius, qui col. 1914 *eam* hic futuri indicativi esse somniavit. Sunt enim haec omnia praesentia subiunctivi; atque per *oportet ut*, *necesse est ut*, *fieri debet vel potest ut*, aut alia his similia, interpretanda. [Cave hanc interpretationem veram putes. G. St.]

94) *Edim* pro *edam* habet non tantum Plautus Aul. III. 2, 16, et Trin. II. 4, 73, 74; Caecilius, Novius et Pomponius ap. Non. X. 18: sed etiam, melioribus libris, Horat. Epod. III. 3. *Duim* autem et *perduim* apud Comicos illos frequentissima sunt. Similiter *carint*, pro *carrant*, ab antiquo *caro*; *effodint*, pro *effodiant*: *sinit*, pro *sinat*; *temperint*, pro *temperent*, utitur idem Plaut. Most. IV. 1, 1; Capt. III. 5, 66; Poen. III. 4, 12, et Truc. I. 1, 41. Ab hac denique forma nobis restiterunt *velim*, *nolim*. Pro *velim* autem *velim* antiquos protulisse testis est Priscianus, col. 848, adducto in eam rem illo Cic. Nat. Deor. II. 32, *Quo facilius id quod docere volumus, intelligi possit*: pro quo tamen nunc *volumus* constanter legitur.

Digitized by Google

5. Frequentiora apud eosdem sunt futura subiunctivi in SSO: ut, *levasso*, *prohibesso*; pro *levavero*, *prohibuero* [96]).

6. Ab eodem futuro subiunctivi veteres formarunt futurum infinitivi in ASSERE: ut, *expugnassere*, *impetrassere*; pro *expugnaturum esse*, *impetraturum esse* [97]).

---

95) *Negassim* utitur Plaut. Asin. II. 4, ult. Sic *ne aegrotassim* ap. Cic. Tusc. III. 6, legunt Victorius, Gronovius et Davisius.

96) Sic *levasso* dixit Ennius ap. Cic. de Senect. c. 1, *amasso*, *abiurasso*, *coenasso*, *curasso*, *invitasso*, *irritasso*, *mutasso*, *orasso*, *servasso*, etc. Plautus, *excantasso* Leg. 12 tabb. *adclarassis* Liv. I. 18: *coeptassint* Id. III. 64: *creassit*, *imperassit*, *inrogassit*, *iudicassit*, *locassint*, *migrassit*, *rogassit*, Cic. de Leg. III. 3, 4: *licessit* Plaut. Asin. III. 3, 18: *prohibessis* Cato R. R. c. 141, Plaut. Aul. IV. 2, 4: *prohibessit* Id. Pseud. I. 1, 12, et Cic. de Leg. III. 3: *cohibessit* Lucret. III. 445. Huc referunt et *iusso*, pro *iussero*, in illo Virgilii, XI. 467, *Caetera*, *qua iusso*, *mecum manus inferat arma*; quod imitatur Silius, XII. 175, *Aut ubi iusso*; ad quem vid. Drakenborchium. Inveniuntur et passive, *iussitur* ap. Caton. R. R. c. 14 pr. et *turbassitur* ap. Cicer. de Leg. III. 4, pro *iussus* et *turbatus fuerit*. * Exempla autem tertiae in SSIM vel SSO rarissima sunt; ut ap. Plaut. Bacch. V. 2, 70, *Cave culpa tua amiesis*, pro *amiseris*: et Caesa. II. 6, 39, *Non emissim titivillitio*, pro *emerim*; sed hic alii *emsim*, sive *empsim*, substituunt. Festus hunc Plauti locum in voc. *titivillitium* proferens, *empsitem* legit. Caeterum in hac coniugatione veteribus frequentiores erant terminationes PSIM et PSO, vel XIM et XO: ut, *adempsit*, pro *ademerit*; *capso*, *capsit*, *capsimus*; pro *cepero*, *ceperit*, *ceperimus*; *occepso*, pro *occepero*, ap. Plaut. Epid. III. 2, 27; Bacch. IV. 4, 61; Pseud. IV. 3, 6; Rud. II. 1, 15, et Amph. II. 2, 41: sic *rapsit*, *elapsit*; pro *rapuerit*, *elapserit* ap. Cic. de Leg. II. 9; legit Turnebus. Porro et *axim*, pro *egerim*, Pacuvius ap. Non. X. 7: *adaxint*, *dixis*, *effexis*, *iniexit*, *obiexim*; pro *adegerint*: *dixeris*, *effeceris*, *iniecerit*, *obiecerim*, Plaut. Aul. I. 1, 11; Mil. III. 2, 29; Cas. III. 5, 68; Pers. I. 2, 18; Poen. I. 3, 37: *taxis*, pro *tetigeris*, Varro ap. Non. II. 856. Ab hac forma adhuc restiterunt *ausim*, pro *ausserim*, sive *ausus fuerim*; et *faxim*, *faxo*, pro *fecerim*, *fecero*. His affinia sunt praeterita plusquamperfecta Subiunctivi in XEM vel SEM: item praeterita Infinitivi in XE vel SE, a praeteritis Indicativi in XI vel SI, per Syncopen decurtata: ut *faxem*, pro *fecissem*, ap. Plaut. Pseud. I. 5, 84: *recesset*, pro *recessisset* ap. eund. Merc. Prol. 73; *illexe*, pro *illexisse*, Ibid. Prol. 53: *advexe*, pro *advexisse*, Ibid. II. 2, 61: *fluxe*, pro *fluxisse*, Varr. R. R. II. 11, pr. *produxe*, pro *produxisse*, Terent. Adelph. IV. 2, 22. Sic *adduxe*, *dixe*, ap. Plaut. Rud. IV. 4, 3; et Amph. III. 3, 8: *subduxe* ap. Varr. R. R. II. 1: *clepse* ap. Cic. Tusc. II. 9, legit Davisius Orthog. Vol. I. p. 129 et seqq. pro quibus in vulgg. *adduxisse*, *dixisse*, *subduxisse*, *clepsisse*, reperimus. Sed et hac forma nonnunquam usi sunt poetae praestantissimae aetatis; ut, *extinxem*, *vixet*, Virg. Aen. XI. 118, et Aen. IV. 606: pro *exstinxissem*, *vixisset*: *abscessem* Sil. VIII. 109; pro *abscessissem*: *affixet* Id. XIV. 586: pro *affixisset*: *traxe* Virg. Aen. V. 786; pro *traxisse*: *surrexe* Horat. Sat. I. 9, 78; pro *surrexisse*: *promisse*, Catull. CVII. 5; pro *promisisse*: eorumque imitatione Auson. in Lud. Sapient. *scripse* et *dixe*, pro *scripsisse*, *dixisse*.

97) Huiusmodi futura exstant ap. Plautum: *expugnassere* Amph. I. 1, 55: *impetrassere* Aul. IV. 7, 6; Cas. II. 3, 58; et Stich. I. 2, 23: re-

Digitized by Google

7. In imperativis passivae formae veteres secundam singularem in MINO, secundam pluralem in MINOR, interdum terminabant: ut, *attestamino*, *famino*; pro *attestare*, *fare*; *arbitraminor*, *progrediminor* pro *arbitramini*, *progredimini* [98]).

8. Praesens infinitivi passivi recipit additionem syllabae ER, non solum apud Plautum, et Terentium [99]); sed

---

conciliassere Capt. I. 2, 65. * Caeterum de harum terminationum in ASSIM, ASSO, et ASSERE apud antiquos origine non adeo inter se Grammatici consentiunt. Vossius enim Anal. III. 41, *impetrasso*, *levasso* format ex *impetravero*, *levavero*, unde fuerint *impetravesso*, *levaveso*, et hinc extrita syllaba, et ad compensationem eius geminata consona, *impetrasso*, *levasso*. Eademque eius de praeteritis in ASSIM sententia est. At superius Anal. III. 15, hanc derivandi rationem instituerat, *impetravero*, *impetraro*, *impetrasso*, etc. quae antiquissimi simplici *s*, posteriores eo geminato extulerint. Quod ad terminationes XIM vel XO attinet, idem Vossius Anal. III. 41, init. Latinos existimat Graecorum hac in re consuetudinem secutos. Nam ut illi dixerint, ἄγω, ἄξω; πλέκω, πλέξω: sic hos dixisse *facio*, *facto*, *faxo*; *ago*, *acto*, *axo*. Addit enim, Latinos videri hanc terminationem in solis usurpasse frequentativis. Mihi magis arridet Ursini horum omnium derivandorum ratio: is autem p. 675, ea arcessit a perfectis antiquis, quae simpliciter a praesentibus suis formabantur. Hinc igitur a *facio* fuit olim *faci*, et indo *facesso* pro *facero*, hinc *facso*, *faxo*; *facessim*, *facsim*, *faxim*: *capio*, *capi*, *capessim*, *capesso*, *capsim*, *capso*, etc. Quod si meae quoque coniecturae in hia sit locus, ego haec omnia a praesente Indicativi deduxerim: ut, *amo*, *amas*, *amassim*, *amasso*, *amassere*; *prohibeo*, *prohibes*, *prohibessim*, *prohibesso*; *emo*, *emis*, *emissim*, *emisso*; *capio*, *capis*, *capissim*, *capisso*, et per Syncopen, *capsim*, *capso*; *inicio*, *inicis*, *iniicissim*, *iniicisso*, et vocali mutata, *iniecsim*, *iniesso*, aut *iniexim*, *iniexo*.

98) Rara admodum sunt harum terminationum exempla. *Famino*, pro *dicito*, notat Festus: *praefamino* utitur Cato R. R. 135 et 140: *attestamino* in legg. 12 tabb. ap. Porphyrionem legit Rutgersius. Rursus Plauti est Epid. V. 2, 30, *Facto opere arbitraminor*: et Pseud. III. 2, 70, *Pariter progrediminor*, sive ut in MS. Camerarii habetur, *progredimino*. Vid. Voss. Anal. III. 14, et Sol. Lowaetum in Notis, p. 11.

99) Talia sunt, *adversarier*, *aggredirier*, *argutarier*, *credier*, *contemplarier*, *curarier*, *funditarier*, *impingier*, *opperirier*, *parasitarier*, *provicarier*, *reperirier*, *sectarier*, *stipularier*, *suspicarier*, *tradier*, *versarier*, *viderier*, ap. Plautum. *Auxiliarier*, *arcessier*, *claudier*, *convivarier*, *deludier*, *experirier*, *fabularier*, *immutarier*, *labefactarier*, *laudarier*, *mirarier*, *pervenirier*, *sollicitarier*, ap. Terent. *Accendier*, *convertier*, *corrumpier*, *cunctarier*, *densarier*, *explerier*, *gignier*, *iactarier*, *impellier*, *labier*, *largirier*, *misererier*, *mittier*, *moderarier*, *nitier*, *obnitier*, *pulsarier*, *secernier*, *vertier*, ap. Lucret. *faterier*, *auellier*, *spargier*, ap. Horat. Epist. II. 2, 148; Sat. I. 2, 104, et Car. IV. 11, 8: *adiungier* ap. V. Flacc. II. 421: *defendier* ap. Iuv. XV. 157, etc. Et ita olim prosa loquutos ostendit solenpis illa, totiesque a Cicerone repetita fiduciae formula, *Inter bonos bene agier*, Offic. III. 15 et 17; Epist. Fam. VII. 12, et Topic. c. 17: et *viderier* ap. Catonem in Orig. referente Gellio, III. 7. Vatinius quoque ap. Cic. Fam. V. 9, pr. *Qui pro se causam dicier vult*, ἀρχαΐζων, pro *dici*, adhibuit. Ut omittam *figier*, *gnascier*, in vet. Inscrip. a Gronovio Historiae Ciceronianae praemissa, etc.

Digitized by Google

etiam apud melioris aetatis Poetas nonnunquam: ut, *farier*, *immiscerier*, ap. Virgilium; *scitarier*, ap. Ovidium; *dicier*, ap. Persium, pro *fari*, *immisceri*, *scitari*, *dici*.

9. Olim denique Participia praeterita passiva, itemque futura activa, quae in circumlocutione infinitivi cum verbo *esse* adhibentur, habita erant pro indeclinabilibus, et proinde nominibus substantivis cuiuscunque numeri ac generis promiscue iuncta: ut, C. Gracchus, *Credo ego inimicos meos hoc dicturum*. Cic. Verr. V. 65, *Hanc sibi rem praesidio sperant futurum*, supple *esse* [100]). Et Plaut. Amph. Prol. v. 33, *Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo*. Cic. ad Attic. VIII. 12, *Ut cohortes ad me missum facias* [1]).

CAP. III.

De Genere, Specie et Figura Verborum.

Supersunt tria verbi Accidentia, Genus, Species et Figura: de quibus hoc capite et sigillatim agemus.

---

100) Eiusmodi sunt haec ab A. Gellio, I. 7, allata: ex Cl. Quadrigario, *Dum ii conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum*: ex eod. *Est quod speremus Deos bonis bene facturum*: ex Valerio Antiate, *Haruspices dixerunt omnia ex sententia processurum esse*: ex Plauto, de puella loquente, Casin. III. 5, 50, *Etiamne habet Casina gladium? Habet, sed duos, Quibus altero te occisurum ait, altero villicum*; ex Laberio, *Non putavi hoc eam facturum*. Item a Prisciano lib. X. col. 864: ex Catone, *Illi polliciti se facturum omnia*: ex Lucilio, *Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulyssem speras*: ex Sylla, *Ad summam perniciem rempublicam perventurum esse*. Adde Cic. Fam. XIV. 1, *Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum venditurum*. Scioppius quoque ad Sanctii Minerv. III. 11, sub fin. adfert hoc Varronis R. R. I. 68, *Penelia, ut uvae, mala et sorba, si non demperis ad edendum, ad abiiciendum ea descensurum minitantur*: at in meis omnibus *descensura* invenio. Ceterum de hac locutione vid. Gellium et Priscianum locc. citt. Voss. Anal. III. 16, in primis vero Cl. Perizon. ad Sanct. I. 14, 1, et III. 11, 1.

1) In his *oratum* et *missum* supina esse voluit Saturnius Merc. mai. VIII. 7; at Gcclenius Probl. Gram. I. 52, nec supina, nec participia, sed singularia esse, et quasi pro uno verbo usurpata, tanquam dictum esset *missifaciasi* uterque praeter rationem. Rectius Ursinus, p. 599, et Perizonius ad Sanct. I. 15, p. 125, item p. 448 et 462, qui vera participia haec esse ostendunt: et Perizonius quidem per Ellipsin vocis *negotium* sententiam explicat, hoc pacto, *Volo oratum esse a vobis negotium quod ad iustam rem et facilem attinet*: et, *Facias negotium, quod ad cohortes attinet, ad me missum esse*. Ursinus vero incuriae ac negligentiae veterum tribuit, qui in passiva hac perfecti infinitivi circumlocutione *amatum esse, oratum esse*, etc. *amatum* et *oratum* pro indeclinabilibus acceperunt; quod in illis futuri activi, *Credo inimicos meos hoc dicturum*, *Hostium copias ibi occupatas futurum*, etc. ipse Perizonius evenisse agnoscit.

Digitized by Google

§. 1. De Generibus Verborum.

Genera [1]) Verborum vulgo recensentur quinque, *Activum*, *Passivum*, *Neutrum*, *Deponens* et *Commune*.

1. Activum est quod in O [2]) desinens, actionem transeuntem notat, et accepto R fit passivum; ut, *amo*, *doceo* [3]).

2. Passivum est quae in R desinens [4]), passionem significat, et R abiecto fit rursus activum [5]): ut, *amor*, *doceor*.

---

1) Diplicet haec appellatio Vossio, qui formas potius dicendas mavult. At cum haec quoque ambigua vox sit, non est quod a recepto Grammaticis fere omnibus nomine discedamus. Caeterum in hac verborum divisione, non significationis modo, sed terminationis etiam ratio habetur. Aliter enim, si significatio tantum respicitur, tria solum verborum sunt genera; Activum, quod ante se nominativum agentem, post se accusativum patientem recipit, ut *amo*, *veneror*: Passivum, quod ante se nominativum patientem, post se ablativum agentem habet, ut *amor*, *fio*: et Neutrum, quod nominativi sui existentiam, ut *sum*: vel statum sive conditionem; ut, *iaceo*, *moror*: aut actionem in se ortam et absolutam; ut, *curro*, *nugor*; vel passionem denique internam et in se manentem, ut *madesco*, *morior*, denotat.

2) Intellige, si integrum sit: secus enim impersonalia quaedam vere activa sunt; ut *poenitet*, *decet*, *taedet*, quamvis non terminentur in O, utpote prima secundaque persona destituta.

3) Interdum accusativus, sive obiectum in quod transit actio, omittitur: nimirum ubi simpliciter actio ipsa significatur, et obiectum eius, quod nosse nihil refert, in incerto relinquitur; sic tamen ut esse aliquod ex ipsa verbi natura colligere liceat: ut cum Ovidius canit Rem. v. 7, *Saepe tepent alii iuvenes, ego semper amavi: Et si quid faciam nunc quoque quaeris, amo.* Simile et illud Livii, I. 56, *Hoc exterritus vicus, statuit mittere Delphos.*

4) Nimirum in OR, si omnibus suis personis perfectum sit, ut *amor*: in UR si tertiam modo agnoscat, sive utramque, ut *ager aratur*, *agri arantur*, vel singularem tantum, ut impersonalia, *statur*, *valetur*.

5) Nullum esse verbum activum, quod non habeat passivum, et contra, vulgo statuunt; ita ut accusativus a verbo activo rectus, in nominativum mutatus fiat verbi passivi suppositum; et e converso ablativus cum praepositione a tergo verbi passivi positus, in nominativum mutatus suppositum fiat verbi activi: ut, *Virgilius laudat Caesarem*, *Caesar laudatur a Virgilio*; *Legati a rege missi sunt*, *Rex misit legatos*. Id tamen perpetuum non est: nam *poenitet*, *decet* et *taedet*, verba impersonalia, vere (uti diximus) activa sunt; non tamen, ut *poenitet me*, sic *poenitetur a me*, dicere liceat. Rursus *nascor* et *lavor* vere passiva sunt, quamvis *nasco* et *laeto* in usu non sint. Sic multis aliis, quae deponentia vulgo habentur, passivam significationem asserit acutissimus Perizonius, p. 280 et seqq. Huc adde et verba quaedam neutra, quae accusativum non a se proprie rectum, sed per Ellipsin praepositionis appositum habent: ut, *Dormio totam hiemem*; *vigilo noctem*; *nato aquam*; *navigo mare*: quae tamen auctores per ὑπάλλαγήν quandam, tanquam suapte natura accusativum vere regerent, in verba passiva, accusativosque adeo in nominativos converterunt: ut, *Tota mihi dormitur hiems*; *Noctes vigilantur amarae*; *Natantur aquae*; *Navigantur maria*. Vid. eund. p. 297 et 308; et Ursin. p. 418, et confer infra de Particip. Reg. III.

Digitized by Google

5. Neutrum est, quod in O vel M desinens, rei existentiam vel statum, vel actionem aut passionem immanentem notat, nec R admittit ut fiat passivum: ut, *sum*, *valeo*, *ambulo*, *calesco*.

Ex his, quatuor, quia simpliciter rem esse significant, Substantiva a Grammaticis vocantur, *sum*, *forem*, *fio*, *existo*.

Quaedam appellantur Neutro-passiva, quae cum in O desinant, praeteritum formant more passivorum: ut, *audeo*, *ausus sum*; *gaudeo*, *gavisus sum*, etc. de quibus supra cap. II. reg. 2.

Quaedam Neutralia Passiva, quae in O finita significationem et casum passivorum habent: qualia sunt haec tria, *vapulo* [6]); *veneo*; *fio* [7]).

Reliqua fere Absoluta, seu Intransitiva vocantur: sive accidentalem rei statum significent: ut, *albeo*; *sedeo*, *valeo* [8]): sive in se absolutam rei actionem: ut, *surgo*; *eo* [9]); seu passionem in subiecto immanentem: ut, *ardeo*; *pereo*; *senesco* [10]), etc. [11]).

4. Deponens est quod sub terminatione passiva sig-

---

6) Negat Sanctius, I. 2, et III. 8, Latine dici, *Vapulo a praeceptore*: at contrarium monstrarunt Perizon. ibid. et Ursin. Tom. II. p. 318.

7) His addunt et alia tria, *exulo*, *nubo* et *liceo*. Sed haec non admittunt ablativum causae efficientis cum praepositione *a* vel *ab*. Porro et *nubo* manifeste activum est, idem significans quod *tego*, *velo*. *Exulo* quoque et *liceo* statum potius rei accidentalem, quam passionem notare existimat Ursin. p. 422. De priore non contenderim: at de posteriore haud paulo obscurior res est, cum *liceo* verbum sit incertae originis, et (quod magis mirum) sub terminatione activa passive, sub passiva active significet. Caeterum et alia verba neutra, quae et passionem significent, et passivorum more cum ablativo construantur, *neutralia* itidem *passiva* appellare possis: ut, *ardeo*, *ferveo*, *intereo*, *madesco*, etc. Sic Ovid. Met. VIII. 514, *Invitis correptus ab ignibus arsit*. Id. Met. II. 602, *Animus tumida fervebat ab ira*. Lucret. III. 708, *Interiisse a morbo*. Ovid. Met. I. 66, *Pluvio madescit ab Austro*.

8) Quo pertinent et *cesso*, *quiesco*, *sto*, *sedeo*, *iaceo*, *cubo*, *maneo*, *duro*: item, *sordeo*, *squaleo*, *stupeo*, *torpeo*, *vigeo*, et id genus alia.

9) Talia sunt, *Clamo*, *erro*, *hio*, *litigo*, *mano*, *migro*, *meo*, *murmuro*, *peceo*, *pugno*, *titubo*, *luceo*, *niteo*, *hoceo*, *prandeo*, *studeo*, *cedo*, *repo*, *serpo*, *vado*, *vergo*, *servio*, *salio*, *venio*, et similia. Haec autem Neutro-Activa quidam appellant, Graecis ὁλοσυνεργητικὰ, seu αὐτοσυνεργητικά.

10) Huiusmodi sunt et *Aegroto*, *aestuo*, *flagro*, *algeo*, *cado*, *esurio*, *sitio*, et plurima inceptiva in *esco*; ut, *adolesco*, *aresco*, *candesco*, *clareseo*, *calesco*, *innotesco*, *languesco*, *liquesco*, *macresco*, *obtorpesco*, *pallesco*, *rubesco*, *surdesco*, *tepesco*, *vanesco*, etc. Haec autem αὐτοπαθητικὰ Graecis nominantur.

11) Sunt et quaedam *mixta* ex actione immanente et passione interna: ut, *gaudeo*, *doleo*, *horreo*, *moereo*, *paveo*.

Digitized by Google

nificationem habet activam: ut, *loquor*; vel neutralem: ut, *glorior* [12]).

5. Commune [13]) denique est quod in OR finitum, modo active, modo passive significat: qualia sunt, *adipiscor*; *aspernor*; *criminor*; *dignor*; *fateor*; *sector*; *stipulor*; *tueor* [14]). Verum in his passiva significatio rarissima est.

---

12) De origine ac fonte verborum deponentium disputantes vid. Perizon. p. 280, et Ursin. p. 426.

13) Sunt qui hoc genus verborum ex Grammatica totum proscribunt: at eos probe refellit Vossius Anal. III. 6, qui non apud cascos modo, sed optimi quoque aevi scriptores sic usurpata inveniri, proindeque et recte Communia appellari docet.

14) Haec recenset, et bonorum auctorum exemplis confirmat Iohnsonus, p. 269. Quibus postea adiecit Addit. p. 48, *Aggredior*, *antestor*, *arbitror*, *assequor*, *consequor*, *consolor*, *periclitor*, *polliceor*, *fatur*, *ulciscor*. His interserit *dominor* et *hortor*. At utrumque vetusto nimis tibicine fultum videtur: nam quod de posteriore adfert illud Taciti Annal. XII. 9, 1, *Pollionem inducunt sententiam expromere, qua hortaretur Claudium despondere Octaviam Domitio*, castigatioribus *oraretur* est editum. Idem addit, *Potiri hostium* passive de eo *qui ab hostibus capitur*, acceptum; quod forte et etiamnum dicere liceat; at id non tam exemplo Plauti Capt. I. 2, 41, et III. 5, 104, quod allegat Iohnsonus (is enim et *potio*, *potivi*, voce activa utitur) quam ICtorum Tryphonini, Papiniani, Iuliani et Ulpiani ita saepius loquentium. Nec dissimilia, *potiri mortis* ap. Lucret. IV. 770: *potiri quid mali* ap. Terent. Phorm. III. 1, 5; et *potiri letho* ap. Cic. Tusc. I. 48. Confer Parei Lexic. Crit. p. 960, et Voss. l. supra cit. Minus tamen recte ab eodem Iohnsono inter Communia recenseri videntur *comitor* et *dispertior*, cum utrumque activum habeat satis frequens *comito* et *dispertio*, hoc Ciceroni Offic. II. 11; C. Nepoti, XIV. 10, 2; Livio, XXIX. 1; Lactantio de Opif. Dei, c. 11, sub init. illud Propertio, II. 6, 15, et Ovid. de Pont. II. 3, 43, et alibi saepius, usitatum. Ab his his autem activis passiva significatione restiterunt *comitor* et *dispertior*. Priore utitur, non Iustinus modo XXX. 2, 4, *Iam in publico visuntur, iam salutantur, iam comitantur*, quod Iohnsono notatum, sed etiam, ut supra monuimus, ipse Ovid. Trist. III. 7, 47, *Ingenio tamen ipse me comitorque fruorque*. Pro posteriore adiert Iohnsonus illud Lucret. III. 702, *Dispertitur enim per caulas corporis omnes*; scil. *animae*. Adde C. Nep. XVIII. 2, 1, *Cum regna singulis familiaribus dispartirentur*: et (ut ego coniicio) ipsum Cic. Catil. IV. 4, *Municipiis dispertiri iubet*. Quanquam non ignoro *comitor* longe frequentius deponens esse: ut, Virg. Aen. IV. 543, *Nautas comitabor ovantes*: quomodo nonnunquam et *dispertior* accipitur: ut, Cic. de Leg. II. 9, *Iureconsulti quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur*, sive, ut in melioribus legitur, *dispartiuntur*: et Liv. III. 10, *Consules belli administrationem inter se dispertiri iussi*. Unde et Bangius (ut id obiter moneam) qui *dispertior* pro *dispertio* dici affirmarat, a censura Ursini, id exemplo carere dicentis, vindicatur. ¶ Caeterum Communibus adiiciunt, veterumque auctoritate confirmant, Priscianus, col. 791, et seqq. Gellius, XV. 18, Ramus Schol. Gram. p. 255, etc. Vossius Anal. III. 6, Methodi Auctor. p. 462, et Ursinus, p. 480, *Abominor*, *adminiculor*, *admiror*, *adulor*, *amplector*, *aggredior*, *auguror*, *calumnior*, *complector*, *consector*, *conspicor*, *contestor*, *demolior*, *depeculor*, *delargior*, *despicor*, *detestor*, *dominor*, *exsequor*, *fru-*

Digitized by Google

¶ Communia olim fuerunt, *Amplector, adulor, blandior, complector, consolor, frustror, experior, hortor, interpretor, largior; machinor, meditor, mentior, moderor, modulor, obliviscor, osculor, testor, veneror, vereor,* et caetera fere omnia quae nunc sunt deponentia: quorum participia nonnnulla praeteriti temporis, passivam significationem adhuc interdum retinent: ut, *expertus, meditatus, mentitus, modulatus, oblitus, testatus, veneratus* [15]).

§ 2. De Specie Verborum.

Species Verborum est duplex, Primitiva, ut, *lego, video;* Derivativa ut, *lectito, viso.*

Derivantur fere verba, vel a *nominibus*, vel ab aliis *verbis* [16]).

1. A *nominibus* derivantur verba duplicia [17]), *Imitativa* et *Denominativa.*

Imitativa vocantur, quae imitationem significant:

---

stror, intuor, largior, meditor, metior, molior, moror, osculor, pollicor, precor, queror, remoror, reor, solor, vador, venor, verzor, vociferor, utor: Item, *Abutor, adhortor, adorior, architector, argumentor, auxilior, blandior, cavillor, cohortor, commentor, confiteor, dilargior, ementior, exhortor, enitor, exsecror, exorior, experior, furor, iaculor, immolior, machinor, metor, moderor, modulor, nanciscor, obliviscor, ordior, paciscor, percontor, testor, velificor:* quorum priora, extra participia praeteriti temporis, non nisi apud antiquissimos aut minus probatos scriptores; posteriora solis participiis passive usurpata inveniuntur. Atqui ex passivo participii praeteriti usu, non valide satis et passivus verbi ipsius usus adstruitur. Neque enim si Virgilius Ecl. IX. 53, *Nunc oblita mihi tot carmina* dixerit; *Carmina mihi obliviscuntur* dicere ausim. Multoque minus ex participiis in DUS, quod a Prisciano nonnusquam factum, id colligas; cum ea semper passiva sint: ut, *gloriandus, sequendus, fruendus,* etc. formenturque interdum etiam a verbis in O: ut, *pereunda puppis, placenda dea,* ap. Plaut. Epid. I. 1, 70; Trin. V. 2, 35; *vir carendus, poena dolenda,* ap. Ovid. Heroid. I. 50, et V. 8. * Porro deponentibus passive acceptis adnumerant Methodista et Ursinus verbum *imitor*, probantque illo Ciceronis, *Si natura non feret, ut quaedam imitari possint:* sed locum non ostendunt. *Loquor* quoque in illo Caelii ad Cicer. Fam. VIII. 8, *De damnatione ferventer loqui est coeptum*, passive itidem, sed ἀρχαϊκῶς, adhibitum notat post P. Manutium Vossius. * *Remetior* denique passive, sed impersonaliter, accipit vulg. Interp. Matth. VII. 2, *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis:* quod etiam in Latinissima sua versione retinuit Seb. Castellio. Ipsum quoque simplex *metior*, non Arnobius tantum, cuius testimonium adducit Vossius, sed purioris styli auctor Lactant. de mort. Persec. XXIII. 2, *Agri glebatim metiebantur*, passive adhibuit.

15) De his vid. post in Participio.

16) Pauca excipiuntur; ut *satio*, ab adverbio *satis; supero, intro* a praepositionibus *super* et *intra*, derivata.

17) Varias verborum a nominibus derivatorum classes videsis ap. Ursinum, p. 477 et seqq.

Digitized by Google

ut, *patrisso* [18]), *Graecor*, *vulpinor*, *cornicor*, i. e. *imitor patrem*, *Graecum*, *vulpem*, *cornicem*.

Denominativa [19]) dicuntur, quae a nominibus veniunt, et propriam appellationem non habent: ut, *coeno*, *calco*, *frumentor*, *lignor*, etc. a *coena*, *calx*, *frumentum*, *lignum*.

2. Ab aliis *verbis* derivantur praecipue verba quadruplicia, *Frequentativa*, *Inceptiva*, *Desiderativa*, et *Deminutiva* [20]).

De his autem, quod latius pateat eorum usus, paulo accuratius est nobis agendum.

FREQUENTATIVA.

1. Sic Iterativum formes: ITO fiat ab ATU:
U per O mutabunt bene caetera verba supini.
Si fuit OR, manet OR. Sunt cuncta frequentia primae.
Praetereunt legem, *nato*, *quaerito*, *fundito*, *scitor*, *Sciscitor* atque *agito*, *sector*, *loquitor*, *pavito*que.
Scrutando libros doctorum plura notabis.

Verba Frequentativa, quae Iterativa etiam vocantur, sunt quae frequentem actionem significant [21]).

---

18) Terminatione in ISSO, quae Graecis debetur, minus delectantur Latini? ideoque pro *Graecisso*, *rhetorisso*, etc. *Graecor*, *rhetoricor* potius dicunt.

19) *Denominativa* hic strictius accipimus, prout diversam constituunt speciem ab *Imitativis*, et nonnullis etiam *Inchoativis*, imo et *desiderativis* (quorum quaedam a nominibus etiam descendere mox ostendetur:) aliter enim vox laxiore sensu omnia verba a nominibus venientia complectitur.

20) Sunt et alia a verbis derivata, quae ad has species revocari nequeunt; qualia sunt *blatero*, a *blatio*; *genero*, *tolero*, ab obsoletis *geno*, *tolo*; *recĭpero* seu *recupero*, a *recipio*; *farcino*, a *farcio*; *lurcinor*, a *lurcor*, etc. in primis vero verba a se invicem deducta, in ERE secundae, et ĀRE primae, et ERE tertiae: quorum illa statum vel qualitatem, haec actionem sive effectum notant: ut, *candeo*, *candēre*; *cando*, *candĕre* obsoletum, (unde *accendo*, *incendo*;) *pendeo*, *pendēre*, et *pendo*, *pendĕre*;

Digitized by Google

Desinunt in TO, SO, XO, et a verbis deponentibus, in OR: ut *clamito*, *pulso*, *nexo*, *minitor* [22]).

Formantur a supino posteriore, idque bifariam: a verbis primae coniugationis, mutando ATU in ITO; ut, *volo*, *volatu*, *volito*: a verbis aliarum coniugationum, mutando U tantum in O: ut, *terreo*, *territu*, *territo*: *verto*, *versu*; *verso*; *dormio*, *dormitu*, *dormito*.

Excipiuntur, *No*, *natu*, *nato*; *scio*, *scitu*, *scitor*, et crebrius *sciscitor*. Sic *pavito*, a *paveo*; *sector*, a *sequor*; *loquitor*, a *loquor*; tanquam supina haberent *pavitu*, *sectu*, *loquitu*. Item, *quaerito*, *fundito*, *agito*; quae formantur a secunda persona praesentis indicativi, *quaeris*, *fundis*, *agis* [23]).

Quaedam a supino posteriore formari videntur, mutando U in ITO: ut, ab *actu*, *actito*; *haesu*, *haesito*; *lectu*, *lectito*; *missu*, *missito*; *scriptu*, *scriptito*; *victu*, *victito* [24]).

A Frequentativis formantur et alia frequentativa: ut, *cano*, *canto*, *cantito*; *capio*, *capto*, *captito*; *curro*, *curso*, *cursito*; *defendo*, *defenso*, *defensito*; *dico*, *dicto*, *dictito*; *duco*, *ducto*, *ductito*; *pello*, *pulso*, *pulsito*, et per Syncopen *pulto* [25]).

---

advento, *dicto*, *domito*, *factito*, *grassor*, *imperito*, *presso*, *quasso*, *rapto*, *territo*. 2. Quaedam idem fere quod primitiva sua significant, plenioris tantum soni, aut metri gratia adhibita: qualia, apud vetustiores praesertim, Plautum, Terentium, Lucretium, horumque imitatorem Gellium, innumera reperias. Neque Cicero prorsus abstinuit, qui *Arete et graviter dormitare coepit*, Divin. I. 28: item *defensitare*, *devotare*, *observitare*, *praesagitare*; pro *dormire*, *defendere*, *devovere*, *observare*, *praesagire*, dixit. 3. Quaedam a primitivorum sensu longius receserunt: ut, *vexo*, *capto*, *ostento*, *iacto*, et *iactito*, *noto*, *habito*, *cogito*, *tento*, *tracto*, *vendito*, etc. quanquam et in his frequentia quaedam actionis significetur.

22) Addunt quidam et terminationem CO: ut, *fodico*, *vellico*; item *albico*, *candico*, *nigrico*. At, ut duobus prioribus crebrum quasi fodiendi vellendique conatum significari concesserim; certo alia illa non frequentiam sed inchoationem et apparentiam quandam coloris designant, unde nec male a quibusdam verba Apparitiva vocantur.

23) Adde *fluito*, a *fluo*, *fluis*.

24) Nisi malis haec ab aliis frequentativis, quae iam exoleverunt, esse formata: ut ab *acto*, *actito*; *haesu*, *haesito*, *lecto*, *scripto*, (quibus utitur Horat. Sat. I. 6, 122,) *lectito*, *scriptito*. Sic *sumptito*, ab obsoleto *sumpto*; *unctito*, ab *uncto*.

25) Sic *gero*, *gesto*, *gestito*; *iacio*, *iacto*, *iactito*; *pendo*, *penso*, *pensito*; *respondeo*, *respondo*, *responsito*; *salio*, *salto*, *saltito*; *veho*, *vecto*, *vectito*; *venio*, *vento*, *ventito*; *mutio*, *musso*, (irregulariter pro *mutito*;) *mussito*. Porro perpauca sunt, quae a praesente simul et supino, ac geminum adeo formant frequentativum: ut, ab *ago*, *agis*, *agito*, et *actu*, *actito*; a *nosco*, *noscis*, *noscito*, et a *notu*, *noto*. Sic a *legis legito* format Priscianus, pro quo frequentius *lectito*.

Digitized by Google

Frequentativa sunt omnia coniugationis primae [26]).

INCEPTIVA.

2. Praesentis primique modi CO iunge secundae
Personae, si vis verba Inceptiva creare.
Sic *ferves fervesco* facit. Sed tollitur *hisco*.

Verba Inceptiva seu Inchoativa sunt quae rei initium vel assiduum incrementum notant [27]).

Desinunt in SCO: ut, *calesco*, *frigesco* [28]).

Dupliciter derivantur; vel a *nominibus*, vel a *verbis*.

A *nominibus* derivata ultimam genitivi vocalem in ASCO, sed longe usitatius in ESCO commutant: ut, *puerasco* [29]), *puellasco* [30]), *ignesco*, *lapidesco*; a substantivis *puer*, *puella*, *ignis*, *lapis*; *dulcesco*, *iuvenesco*, *vanesco*, *ditesco*, ab adiectivis, *dulcis*, *iuvenis*, *vanus*, et *dis* [31]).

---

26) Praeter *viso*, quod tertiae est: nisi velis potius hoc verbum cum Prisciano desiderativum appellare, aut cum aliis Inchoativum itionis: qualia fere vocantur verba in SSO, *facesso*, *capesso*, *lacesso*, *incesso*; quae quibusdam inter frequentativa referuntur. At vid. post p. 296.

27) Unde et quibusdam Augmentativa dicuntur.

28) Et, a verbis deponentibus, in OR: ut a *fruor*, *fruiscor*. Sic *irascor* est ab inusitato *iro*, *iras*, unde *iratus*; *pacisco* ab antiquo *pago* vel *paco*, olim *paciseo*; *expergiscor*, ab *expergo*, *expergis*, olim *expergiseo*. Sic ab *apio*, *apiscor*, unde *adipiscor* et *indipiscor*; a *nancio*, *nanciscor*; a *gnare*, pro *genare*, *nascor*, prius *gnascor*; a *minere*, vel potius *menere*, *meniscor*, unde *reminiscor* Vossius deducit. * A verbis etiam impersonalibus finnt inceptiva in ESCIT: ut, *dumescit*, *nivescit*, *noctescit*, *lucescit*, *silvescit*. Sic *miseresco* utitur Terent. Heaut. V. 4, 8, *Inopis te nunc miserescat mei*: Virgilius vero personaliter, Aen. II. 145, *Miserescimus ultro*; quia nimirum *misereo* antiquitus, teste Prisciano, col. 797, dicebant.

29) Quo utitur Sueton. Calig. VII. 1: unde *repuerasco* ap. Cic. de Senect. c. 23, et Plaut. Merc. II. 2, 25.

30) Quo usus Varro ap. Nonium, II. 657.

31) Sunt qui haec et similia non a nominibus, sed a verbis iam inusitatis derivare malunt, v. g. *brutesco*, a *bruteo*; *ditesco*, a *diteo*; *maturesco*, a *matureo*; *repuerasco*, a *repuero*; *senesco*, a *seneo*; *vanesco*, a *vaneo*; *sanesco*, a *saneo*; *canesco*, a *caneo*; *calvesco*, a *calveo*; *crudesco*, a *crudeo*. Et quidem, *bruteo*, *crudeo*, *matureo*, *saneo*, *vaneo*, olim in usu fuisse credere liceat: quoniam *oblrutui*, *crudui*, *maturui*, *consami*, *evanui*, adhuc legimus: *calveo* quoque utitur Plinius, XI. 37, §. 47: *caneo* Virgil. Geo. III. 325; *seneo* Catull. IV. 26: unde propterea *calvesco*, *canesco*, *senesco*, rectius quam a *calvus*, *canus*, *senex*, derivari censenda sunt. At in multis aliter se res habere videtur: nusquam enim *ditui*, *ignui*, *lapidui*, *iuvenui*, *dulcui*, etc. dicta inveniuntur; nec Romanos sic unquam locutos crediderim: multoque minus sententiae subscripserim Cl. Daumii, qui in libello de causs. amiss. quarundum L. L. radicum, non ea modo, sed et nomina ipsa universa a verbis primitus orta contendit, vocesque adeo nobis confingit, non solum antiquis omnibus incognitas,

Digitized by Google

A verbis derivata formantur a secunda persona praesentis indicativi, addendo CO, idque in quavis coniugatione: ut, *labascò*, a *labas*; *fervesco*, a *fervès*; *tremisco*, a *tremis*; *obdormisco*, ab *obdormis*. Sed per Syncopen dicitur, *hisco*, pro *hiascò*, ab *hias* [32]).

Omnia *Inceptiva* sunt neutra [33]) et tertiae coniugationis.

Quae a nominibus derivantur, praeteritis adeoque et supinis omnino carent: quae a verbis veniunt, praeterita a primitivis suis mutuantur: ut, *coalesco*, *coalui*; *resipisco*, *resipui* [34]).

DESIDERATIVA.

3. In meditativis quod in U fit, iunge supino (U semper brevians) RIO; sic dabit *esurit esu.*

Verba **Desiderativa** seu **Meditativa** sunt quae desiderium, studium aut conatum rei alicuius faciendae significant [35]).

Desinunt in RIO: ut, *coenaturio.*

Formantur a supino posteriore [36]), correpta U, et adiecto RIO: ut, *edo*, *esu*, *esurio*, *esuris*; *parie*, *partu*, *parturio*, *parturis* [37]).

---

sed cunctarum fere linguarum genio repugnantes: qualia sunt, *arbere*, *culmare*, *germare*, *laurare*, *mammare*, *talere*, *tergnere*, *vitrare*, etc. unde *arbor*, *culmus*, *germen*, *laurus*, *mamma*, *talus*, *tergum*, *vitrum*, etc. vult esse derivata.

32) Integro *hiasco* usus est Cato R. R. c. 17. A *fatim* autem et *hisco* descendere videtur *fatisco*. Caeterum *cresco* (quod primae vocalis elisione, pro *creasco*, a *creo* deductum volunt) vix inter inceptiva censeri iam debet, uti nec *nosco*, *pasco*, *quiesco*, quae ab antiquis *noëre*, *paëre*, *quiere* quidam deducunt, unde praeterita *novi*, *pavi* et *quievi*.

33) Et a neutris plerumque secundae coniugationis orta: quanquam nonnulla sunt a verbis activis et aliarum coniugationum: ut, *amasco*, ab *amo*, ap. Diomed. col. 334: *cupisco*, *concupisco*, a *cupio*; *sentisco*, a *sentio*, unde *persentisco* et *praesentisco*; *edormisco*, ab *edormio*.

34) Rarissime tamen (ut notat Vossius) in eiusmodi praeteritis inchoandi significatio invenitur.

35) Non enim sola et otiosa his verbis cupiditas, sed efficax et ad consequendam rem cupitam impellens fere significatur. Sic *coenaturio* non modo *cupio coenare*, sed etiam *paro* vel *conor coenare* notat: *dicturio*, *facturio*, *lecturio*, *proscripturio*; i. e. *dicere*, *facere*, *legere*, *proscribere*, *molior*, *studeo*, vel *paro*. A cupiditate igitur, tanquam causa, Desiderativa; a conatu et studio, tanquam effectu, Meditativa, nec male, haec verba dicuntur. Vid. Saturn. Merc. mai. IV. 19.

36) Sunt et quaedam a nominibus derivata ad horum formam conficta: ut, *adolescenturio* ap. Laberium citante Nonio, II. 46. *Syllaturio* ap. Ciceronem ad Attic. IX. 10.

37) *Ligurio* igitur, *scaturio*, *prurio*, *cucurio*, et si quae sint similia,

Digitized by Google

Sunt omnia coniugationis quartae, carentque praeterito et supino, praeter haec tria, *esurio*, *parturio* et *nupturio*. [38]).

DEMINUTIVA.

Deminutiva sunt, quae deminutionem sui primitivi significant [39]).

Desinunt in LLO: ut, *cantillo*, *sorbillo*, i. e. *parum canto*, vel *sorbeo* [40]).

Suntque coniugationis primae [41]).

¶ Sunt denique quaedam verba in SSO, ab aliis verbis derivata, de quorum vi significandique natura haud satis inter Grammaticos convenit: qualia sunt, *capesso*, *facesso*, *petesso*, *arcesso*, *incesso*, *lacesso*.

Ex his duo priora, *capesso* et *facesso*, vulgo Inchoativa itionis appellantur; tanquam idem fere ea significarent, quod *eo ad capiendum*, *eo ad faciendum*: quibus addunt et *viso*, i. e. *eo ad videndum*. Rectius tamen cum Ursino ea Intensiva dixeris; ut, *capesso*, *facesso*, idem fere sunt quod *studiose et cum affectu aliquid capio* vel *facio* [42]). Sic etiam *petesso* vel *petisso* i. e. *valde peto*.

Inceaso autem et *lacesso* [43]) eidem frequentativa cum emphasi existimantur.

Arcesso, *incipisso*, *vibrisso*, idem pene quod primitiva sua significant [44]).

Desiderativa non sunt, non tantum ex eo, quod neque horum significationem, neque formandi rationem sequantur, sed etiam quod *u* antepenultimae producte efferant.

38) Vid. supra cap. I. reg. 45.

39) Non imminutionem tantum, sed etiam cum ea frequentationem sive iterationem actus his verbis significari existimant Vossius Anal. III. 45; et Ursinus, p. 516.

40) Huc quoque refert Ursinus dict. loc. verba in CO, *albico*, *candico*, *nigrico*; in primis vero *fodico* et *vellico*, de quibus supra not. 22.

41) Paucissima sunt huius formae verba: neque enim alia, praeter dicta, quam *murmurillo*, *occillo*, ap. Plaut. in Rudent. referente Nonio, II. 572, et in Amphit. I. 1, 28, a *murmuro*, *occo*: *conscribillo* ap. Catull. XXIII. 11, et Varron. ex Non. II. 108: a *conscribo*: *satullo* ap. eund. Varr. ex Non. II. 786, a *satura*; a Grammaticis observata reperio. Ad eorum similitudinem *haustillo* ab *haurio* confinxit Iov. Pontanus in Aegidio, fol. 155. De *focillo*, *refocillo*, *sugillo* et *vacillo*, an huc pertineant dubitatur. *Oscillo* autem, i. e. *per funem me iacto*, ab *oscillo*, lusus genere, in quo fune altrinsecus de tigno arboreve religato, in aere quis libratus subvectatur, inter denominativa referendum est.

42) Vid. Ursin. p. 511.

43) *Laceaso* est ab insitato *lacio*. *Incesso* vulgo formant ab *incessum* supino verbi *incedo*: Ursinus vero ab *incio*; ut *arcesso* est ab antiquo *arcio*, pro *accio*.

Digitized by Google

§. 3. De Figura Verborum.

Figura verborum duplex est, Simplex, ut, *lego, linquo;* Composita ut, *relego, relinquo, derelinquo* [45]).

1. Componuntur autem verba, 1. Cum *nominibus*: ut *aedifico*, ab *aedes* et *facio*. 2. Cum *verbis*: ut *patefacio*, ex *pateo* et *facio*. 3. Cum *adverbiis*: ut *introduco*, ab *intro* et *duco*. 4. Cum *praepositionibus*: ut, *perdoceo, edisco, consolor* [46]).

2. Quaedam sunt composita a simplicibus inusitatis: ut, *accendo, incendo*, a *candeo; defendo, offendo*, a *fendo; inspicio, conspicio*, a *specio*, etc. [47]).

3. Partes componentes interdum integrae manent: ut, *lego, perlego*. Interdum litera additur: ut, *prodeo, re-*

---

44) *Pitisso* quidam forte huc retulerint, tanquam a *poto* derivatum, pro *potisso*: at illud a Graeco est πιτίζω, i. e. *degustando bibo*, vel, ut, alii volunt, πτυίζω, i. e. *sputo*. Vid. Voss. Etym. et Ursin. p. 619.

45) Sic *adinvenio, repercutio, superintono*, etc. ex tribus vocibus conflata. Neque tamen propterea est, ut cum quibusdam Grammaticis figuram Decompositam comminiscamur.

46) Sunt porro et verba composita ex praepositione et nomine in verbi notionem terminationemque inflexo: ut, *procrastino, decollo, contemplor*, etc. Neque enim *crastino, collo, templor* dicitur, aut usquam dictum invenitur. Denique secundae singulari imperativi activi in *a* vel *e*, iungitur Emphaseos causa, haud raro, praesertim apud Comicos, particula *dum*: ut, *iteradum, memoradum, manedum, agedum*. Sic *adesdum* ap. Ter. Andr. I. 1, 2: *dicdum, facdum, assisdum*, ap. Plaut. Truc. V. 49, Rud. IV. 3, 84, et Stich. I. 1, 9, vel disiunctis vocibus, *mane dum, age dum, dic dum, fac dum*, etc. Confer Parei Lex. Crit. p. 892, et Mantiss. eiusd. p. 66.

47) Sic *renideo*, a *nideo; experior, comperio*, vel *compërior*, a *perio*, seu *perior; compello, appello, -as*, a *pello, pellas; refragor, suffragor*, a *frago* vel *fragor; confuto, refuto*, a *futo; congruo, ingruo*, a *gruo; compleo, repleo*, etc. a *pleo*. Sic *excello, antecello, percello, recello*, a *cello; induo, exuo*, a *duo; instigo*, a *stigo; compilo*, a *pilo*, priore producta: vel a Gr. κέλλω, δύω, στιγῶ, πιλῶ. Sic *obliviscor*, a *liviscor* (vel ut alii malunt, *oblino*,) *attamino, contamino*, a *tamino; divido*, a *dī*, sive *dis*, et Hetrusco verbo *iduo*, i. e. *partior*, unde et *Idus*, docente Vossio. *Impedio, expedio, praepedio*, an ab inusitato *pedio* sint, an ab antiquis, *impes, expes, praepes*, ambigitur. *Promulgo, irrito, prorito*, incertae originis sunt. Sunt et quaedam quorum simplicia, quanquam rarissima, adhuc tamen inveniuntur: ut, *clinare* (unde *inclino, declino*) quo utitur Lucretius, II. 243, et Cic. in Arat. v. 259. *Fligere* (unde *affligo, confligo*, etc.) quod non solum Liv. Andronicus et Attius ap. Non. II. 328: sed etiam Lucretius retinuit, II. 85, ut verbale *flictus* usurpavit Virgilius Aen. IX. 667. *Mineo* (unde *emineo, immineo*, etc.) ap. eund. Lucret. IV. 562, habetur. *Lacio* (unde *allicio, elicio*, etc.) idem adhibuit IV. 1200. *Sagire* (unde *praesagio*) Cic. de Divin. I. 31, *acute sentire* interpretatur. *Solare* (unde *desolo*) pro *desertum facere*, Stat. Theb. V. 149. *Stinguere* (unde *distinguo, exstinguo*, etc.) Lucret. I. 667, et Cic. in Arat. ap. Priscian. col. 882, utuntur.

Digitized by Google

deo; pro *proeo*, *reeo*: vel detrahitur; ut, *asporto*, *omitto*, *trado*; pro *absporto*, *obmitto*, *transdo* [48]).
Saepissime autem vocalis vel diphthongus verbi simplicis mutatur, 1. A in E: ut, *damno*, *condemno*; *arceo*, *coerceo*; *carpo decerpo*; *gradior*, *congredior*; *partio* vel *partior*, *impertior*. 2. A in I: ut, *habeo*, *prohibeo*; *cado*, *occido*; *salio*, *insilio*; *fateor*, *confiteor*. 3. A in U: ut, *calco*, *conculco*; *quatio*, *concutio*. 4. E in I: ut, *teneo*, *contineo*; *premo*, *comprimo*. 5. AE in I: ut *laedo*, *collido*; *quaero*, *acquiro*. 6. AU in E: ut, *audio*, *obedio*. 7. AU in O: ut, *plaudo*, *displodo*. 8. AU in U: ut, *claudo*, *concludo*.

4. Ultima praepositionis consonans in primam verbi simplicis frequentissime convertitur: ut, *accipio*, *affero*, *agglomero*, *allido*, *appello*, *arripio*, *assigno*, *attero*; *collaudo*, *commuto*, *corrodo*; *illino*, *immorior*, *irrigo*; *intelligo*, *occino*, *oppeto*, *pellicio*, etc. pro *adcipio*, *adfero*, *adglomero*, *adlido*, *adpello*, *adripio*, *adsigno*, *adtero*; *conlaudo*, *conmuto*, *conrodo*; *inlino*, *inmorior*, *inrigo*; *interliga*, *obcano*, *obpeto*, *perlicio*, etc. [49]). Nonnunquam et soni gratia in aliam literam mutatur: ut, *aufero*, *imbibo*, *implico*, etc. pro *abfero*, *inbibo*, *inplico*, etc. [50]).

---

48) Sic *peiero*, pro *periuro*; *pergo*, pro *perrego*: item *debeo*, pro *dehibeo*; *praebeo*, pro *praehibeo*; *dego*, pro *deago*; ab *habeo*, et *ago*: et *demo*, *promo*, *sumo*, ex *de*, *pro*, *sub*, et *emo*, quatenus hoc olim pro *capio* aut *tollo* accipiebatur; quae significatio in aliis compositis, *dirimo*, *perimo*, *interimo*, adhuc restat.

49) Verum hae literarum permutationes inferiorum aetatum consuetudine magna ex parte invectae sunt. Augusteo enim seculo praepositiones plerumque integras (id quod ex Inscriptionibus, nummis, vetustioribusque membranis constat) scribebant, hoc pacto, *adcresco*, *adfligo*, *adgredior*, *adlabor*, *adpello*, *adripio*, *adsurgo*, *conloco*, *conmitto*, *inlustro*, *inmisceo*, *inrigo*, *perluceo*, etc. non *accresco*, *affligo*, etc. quam normam Heinsius in Virgilio suo, Bentleius in Horatio, Davisius in Cicerone, alii in aliis secuti sunt.

50) De verbis compositis haec praeterea notanda sunt, 1. Interdum composita mutant genus aut coniugationem simplicis. Genus, ut *sacro*, *exsecror*; *sentio*, *assentior*; *verto*, *revertor*. Coniugationem vero, ut *facere*, *aedificare*; *fligere*, *profligare*; *capere*, *occupare*; *sternere*, *consternare*. Sic composita a *do*, cum praepositione, *dare*, *abdere*, *condere*: et a *cubo*, cum recipiunt *m*, *cubare*, *accumbere* et *incumbere*. Quaedam simul genus et coniugationem: ut, a *facio*, *gratificor*, *velificor*; a *fero*, *[illegible]*; a *specio*, *[illegible]*.

LIBER QUARTUS.

De Participio.

Participium est pars orationis, a verbo derivata, variabilis per casus, ac rem cum tempore significans [1]).

1. *Participium* ita vocatur, quia partem capit a nomine, partem a verbo: nam, ut nomen, variatur per genera, et declinatur per casus: atque ut verbum (unde derivatur) cum tempore significat actionem [2]), passionem, existentiam sive statum rei; pro natura verbi unde descendit.

1. A verbis *activis* veniunt duo participia; *Praesens*, et *Futurum* in RUS: ut, *amans*, et *amaturus* ab *amo*.

2. A *passivis* veniunt duo participia; *Praeteritum* et *Futurum* in DUS: ut, *amatus*, et *amandus*, ab *amor*.

3. A *neutris* veniunt item duo participia, ut ab activis; *Praesens* et *Futurum* in RUS: ut, *stans* et *staturus*, a *sto*.

℣ A neutris saepe etiam veniunt participia praeteriti temporis in TUS vel SUS [3]): ut, *erratus*, *festinatus*, *iu-*

---

etum, *enectus*, *internectus*, consuetudo admisit: at, *iutum*, *vasum*, *trusum*, *temptum*, *lictum*, *nectus*, raro aut nunquam inveniuntur. 4. Contra quaedam composita praeterita aut supina amiserunt, quae in simplicibus sunt satis usitata. Sic *steti*, a *sto*; *fefelli*, a *fallo*: non autem *distiti* aut *refelli* dicimus. Sic *tacitum* et *taciturus*; non autem *reticitum* et *reticiturus* usurpantur. 5. Simplicia interdum pro compositis, et contra composita pro simplicibus adhibentur. Priorum exempla sunt, *Ferre conditionem alicui*, pro *offerre*; *Mitte curam*, pro *omitte*; *Risi hominem*, pro *irrisi* vel *derisi*; *Quaerere divitias*, pro *acquirere*. Posteriorum, *Retine me*, pro *tene*; *conficere flagitium*, pro *facere*: sic *denego*, *deputo*, ap. Terent. Heaut. III. 1, 78, et Ibid. I. 1, 83, pro *nego*, *puto*; *deprecor* ap. Val. Max. IV. 8, et Gell. VI. 16, pro *precor*: item, *adbibo*, *apposco*, *collaudo*, *commemini*, *commereor*, *conduplico*, et plurima alia; in quibus praepositio nihil verbo addit.

1) Hoc est, propriae suae significationi *temporis adsignificationem* superaddens. Vid. supra lib. I. p. 2, n. 8. An autem haec temporis adsignificatio, qua sola a nomine participium distinguitur, idonea satis causa habenda sit, cur hoc diversa ab illo orationis pars constitui debeat, Grammaticis disceptandum relinquo.

2) Participium a verbo quidem accipit significationem, vel *activam*, vel *passivam*, vel *absolutam*: at ea ex parte non distinguitur a nomine: nam et nomina verbalia activam, passivam vel absolutam significandi vim a verbis suis capiunt: ex gr. *amator* agentem, *amatio* actionem, *amabilis* passionem notant.

3) Eaque partim active sive absolute, partim passive accepta. De his vid. not. seq. de illis not. 8.

Digitized by Google

ratus, *laboratus*, *vigilatus* [4]). Quaedam etiam futuri in DUS: ut, *iurandus*, *vigilandus*, *regnandus*, *dormiendus*, *erubescendus* [5]).

4. A *deponentibus* activae quidem significationis quatuor veniunt participia: ut, *sequens*, *secuturus*, *sequendus*, a *sequor*. A deponentibus autem neutralis significationis tria plerumque participia descendunt: ut, *labens*, *lapsus*, *lapsurus*, a *labor*: rarius vero futuri in DUS; ut, *gloriandus*, *fruendus* [6]); a *glorior*, *fruor*.

---

4) Sic Virg. Aen. III. 690, *Errata littora*. Lucan. VIII. 24, *Festinati honores*. Ovid. Heroid. II. 23, *Iurata numina*. Virg. Aen. I. 689, *Arte laboratae vestes*. Ovid. Art. Am. I. 735, *Vigilatae noctes*. Omnia sensu passivo. Similiterque *certatus*, *cessatus*, *clamatus*, *conclamatus*, *ovatus*, *sudatus*, *triumphatus*, *ululatus*: ut, Ovid. Met. XIII. 718, *Vident certatam lite Deorum Ambraciam*. Id. Fast. IV. 617, *Largaque provenit cessatis messis in arvis*. Id. Met. VI. 525, *Frustra clamato saepe parente*. Lucan. II. 22, *Corpora nondum Conclamata iacent*. Pers. II. 55, *Ovatum aurum*. Virg. Aen. III. 14, *Terra — quondam regnata Lycurgo*. Id. Geor. III. 88, *Triumphatas utroque ab litore gentes*. Quinctil. II. 3, *In sudata veste durandum*. Stat. Theb. X. 561, *Atria femineis trepidant ululata querelis*. Eademque significatione dicta existimem, *coenatus*, *prandus*, *potus*: de quibus an participia, et activane an passiva sint, disputantes vide Voss. Anal. III. 21, et de vit. serm. I. 34; Sciopp. advers. eund. p. m. 28; Borrich. defens. Voss. p. 279; Methodi auct. p. 505, in primis vero Ursin. p. 651.

5) Ut, Horat. Epist. II. 1, 16, *Iurandaeque tuum per numen ponimus aras*. Tibull. I. 1, 64, *Quum fletu nox vigilanda venit*. Virg. Aen. VI. 770, *Si unquam regnandam acceperit Albam*. Catull. V. 6, *Nox est perpetua una dormienda*. Horat. Car. I. 27, 15, *Non erubescendis adurit ignibus*. Sic *adolescendus*, *inolescendus*, *desinendus*, *exeundus*, *hiandus*, *horrendus*, *laborandus*, *navigandus*, *reviviscendus*, *senescendus*, *supersedendus*, *tremendus*, *ululandus*: ut, Gell. III. 10, *Modum esse dicit summum adolescendi humani corporis septem pedes*. Id. XII. 1, *In moribus inolescendis*. Id. II. 10, *Ad desinendam seditionem*. Tac. Annal. XI. 25, 3, *Ius exeundi ordinis*. Pers. V. 8, *Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo*. Virg. Aen. II. 222, *Horrendi clamores*: et alii passim. Tertull. adv. Marcion. II. 2, *In ergastulum laborandae terrae* [homo] *relegatus*. Ulpian. l. 1. §. 2. ff. de exercit. act. *Qui navis navigandae causa in nave sunt*. Plin. VII. 55, *Similis de asservandis corporibus hominum, ac reviviscendis promissa a Democrito vanitas*. Varr. de L. L. V. 2, *Seculum longissimum spatium senescendorum hominum*. Auct. ad Herenn. II. 17, *Haec causa non visa est supersedanda*. Ovid. Met. III. 575, *Oculi quos ira tremendos fecerat*; et ap. alios passim. Prudent. π. στεφ. III. 119, *Flebiliterque ululanda tuis, In vineres resoluta fluca*. Adde (de quibus supra lib. III. cap. 3. n. 14, in fin.) *perendus*, *placendus*, *carendus*, *dolendus*. Vid. Voss. Anal. IV. 18, extr. et Ursin. p. 895, et seqq.

6) Haec fiunt a deponentibus, quae neutralis significationis videntur, quia dativo vel ablativo nunc iunguntur; qualia observantur haec pauca, *fruendus*, *fungendus*, *gloriandus*, *medendus*, *potiundus*, *vescendus*, *utendus*. Nempe olim haec accusativum adscivorunt, primitusque activa, vel pro activis saltem habita, fuerunt.

Digitized by Google

5. A *communibus* denique veniunt quatuor plerumque participia: ut, *dignans*, *dignatus*, *dignaturus*, *dignandus*; a *dignor* [7]).

II. Participia plerumque imitantur significationem verborum unde descendunt: hoc est, quae ab activis, active; quae a passivis, passive; quae a neutralibus, neutraliter; et ita deinceps, significant.

¶ At Participia in DUS, undecunque veniant, passive semper accipiuntur: ut, *amandus*, *vigilandus*, *loquendus*, *criminandus*.

* Multa etiam praeteriti temporis participia, a verbis deponentibus, quae olim communia fuerunt, orta, communem, i. e. activam et passivam significationem retinuerunt: qualia sunt, *abominatus*, *adortus*, *amplexus*, *blanditus*, *largitus*, *mentitus*, *oblitus*, *testatus*, *veneratus*, etc. [8]). [Cfr. Schelleri Obss. p. 86. seqq.]

---

7) Porro a verbis neutro-passivis veniunt participia tria: ut, *gaudens*, *gavisus* et *gavisurus*; *audens*, *ausus* et *ausurus*, a *gaudeo* et *audeo*, retenta fere suorum verborum significatione. A *fido* autem *fidens* et *fisus*; a *soleo*, *solens* et *solitus*, tantum dicimus; non vero *fisurus* vel *soliturus*: *solens* etiam nomen potius quam participium esse videtur, ut *insolens*. Invenitur et *ausus* passive acceptum: ut ap. Tacit. Anal. III. 67, 5, *Ausis ad Caesarem codicillis*: unde *ausum* et *ausa*, ut ap. Virg. Aen. VI. 624, *Ausi omnes immane nefas*, *ausoque potiti*; et Ovid. Met. II. 323, *Magnis excidit ausis*. Participio etiam in DUS utitur Livius, XXXV. 35, *Agenda res est*, *iuvenes*, *audendaque*: eadem ratione scil. qua C. Nepos, I. 4, 5, *auderi* passive adhibuit. ¶ A *vapulo* est *vapulans* et *vapulaturus*, passiva notione: *vapulatus* et *vapulandus* barbara sunt. A *fio* agnoscit Diomedes, col. 377, *fiens*; at id nulli idoneo scriptori usitatum puto: *factus* autem et *faciendus* sunt ab antiquo *facior*. A *veneo* nulla sunt participia; nam *venitus*, quo utitur Sedulius Hymn. I. 21, imitandum non est. * De participiis verborum impersonalium dictum superius pag. 275.

8) Inveniuntur et quaedam participia praeterita a verbis neutris venientia, activa (sive neutrali), saltem in speciem, significatione accepta: ut, *adultus*, *coalitus*, *concretus*, *conflagratus*, *deflagratus*, *conspiratus*, *dolitus*, *defectus*, *emersus*, *exitus*, *exoletus*, *interitus*, *iuratus*, *obsoletus*, *obitus*, *occasus*, *penetratus*, *placitus*, *complacitus*, *praeteritus*, *rebellatus*, *redundatus*, *requietus*, *senectus*, *suetus*, *assuetus*, *consuetus*, *titubatus*. Sic Livius XXVI. 50, *adulta virgo*, i. e. *quae adolevit*. Gell. XII. 1, *Interest cuius ex sanguine concretus homo atque coalitus sit*, i. e. *concreverit atque coaluerit*. Auct. ad Herenn. IV. 8, *Urbs conflagrata*. Cic. Tusc. III. 19, *Fana flamma deflagrata*, i. e. *quae conflagravit*, *quae deflagrarunt*. [quidam tamen haec passive pro *combusta* dici volunt.] Sueton. Iul. LXXXII. 1, *Conspirati circumsteterunt*, i. e. *qui conspiravere*. *Dolitus* est in vett. Inscripit. pro *doluit*. Martial. XIII. 77, *Defecta lingua*, i. e. *deficiente*. Plin. XXII. 22, *Defectu corpora*, i. e. *macie consumpta*. Aliter et saepius ablativo iungitur: ut, Quinctil. III. 8, *Defectus cibo*; Senec. Hippol. v. 575, *Defectu viribus*. Verbo autem utentes, *Deficit animus*, *consilium*, *ratio*, et *deficio* vel *deficior animo*,

Digitized by Google

III. Participio accidunt octo; *Genus*, *casus*, *numerus*, *declinatio*, *motio*, *comparatio*, *tempus* et *figura*[9]).

---

consilio, *ratione*, dicimus. Vid. Horat. Epist. I. 11, ult. Cic. pro Resc. Amer. c. 4, et pro Cluent. c. 65. Cic. in Vatin. c. 7, *Emersus e coeno*, i. e. *qui emersit*. Festus, *Ad exitam aetatem*, i. e. *quae exiit*. Livius XXVII. 15, *Exoleta exempla*, i. e. *quae exoleverunt*. Quadrig. ap. Priscian. col. 869, *Multis utrinque interitis*, i. e. *cum multi interiissent*. Cicero et alii passim *Iuratus*, pro *qui iuravit*: item Plaut. Pers. III. 2, 2, *Iuratus est mihi*, pro *iuravit mihi* at contra passive, id. Cic. Offic. III. 29, *Quod iuratum est*, et Ovid. (ut supra notatum) Heroid. II. 23, *Iurata numina*; quomodo et Statius Theb. VII. 108, *iurabere* dixit, pro *per te homines iurabunt*. Sic Curt. VI. 9, 25, *Obsoletum amiculum*, i. e. *quod obsolevit*. Apul. de Mund. p. 736, *Obitorum loco*, i. e. *qui obiere*: aliter tamen *Morte obita* Lucret. I. 136, Virg. Aen. X. 641, Cicer. pro Sext. c. 33, et Gell. XV. 20, sensu passivo dixere. Plaut. Epid. I. 2, 41, *Ante solem occasum*, i. e. *antequam occiderit*. Tibull. II. 5, 101, *Potus iuvenis*, i. e. *qui multum potavit*: at passive Ovid. Fast. I. 216, *potae aquae*; et Cic. de clar. orat. c. 11, *tauri sanguine poto*. Lucret. IV. 674, *Corpora penetrata*, pro *quae penetrant*: aliter tamen passive; ut, Vell. Pat. II. 5, 1, *Penetratis gentibus*: et Stat. Sylv. IV. 6, 104, *Penetrata limina mortis*. Ovid. Heroid. XVII. 98, *Placita bona*, i. e. *quae placuerunt*. Terent. Heaut. IV. 5, 25, *Forma complacita est*, i. e. *complacuit*. Gell. I. 21, *Cum ei displicita esset insolentia illius*, pro *displicuisset*. Virg. Aen. VIII. 560, *Praeteriti anni*, i. e. *qui praeterierunt*. Val. Max. IX. 10, *Quod eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellatos diceret*: ita enim legunt post Vorstium Perizonius, p. 136, et Ursinus, p. 1126: pro quo vulg. *rebellaturos*. Ovid. Trist. III. 10, 52, *Redundatae aquae*, i. e. *quae redundarunt*. Colum. II. 9, *Arvum requietum*, i. e. *quod requievit*. Sallust. Hist. IV, *Senecto corpore*, i. e. *quod senuit*. Tacit. Annal. II. 52, 1, *Suetus latrociniis*. Colum. I. 8, pr. *Consuetus otio*. Liv. X. 17, *Assuetus praedae miles*. Id. ibid. 48, *Ita a pueris insueti*, pro *qui suevit*, *consuevit*, etc. at eadem passive usurpantur: ut, Tacit. XV. 12, 2, *Praeter alia sueta bello*. Ter. I. 1, 108, *Consuetus amor*. Ulpian. l. 15. §. 2. ff. de locat. *Solis fervor non adsuetus*: item, sed contraria significatione, *insuetus*; ut, *labor insuetus*, *onus insuetum*, etc. pro *insolitus*, etc. Virg. Aen. V. 332, *Titubata vestigia*, i. e. *quae titubaverant*. Confer Maior. de var. orat. p. 448 et seqq. Ursinus, p. 891, et (qui alia quaedam addit) Voss. Anal. IV. 3. Male autem his annexuit *evasus*, confirmans illo Livii, XXII. 56, *Exercitum caesum*, *evasumque se esse*: in melioribus enim, *Exercitum caesum*, *esse Canusii esse*, habetur. Caeterum (quod probe ab Ursino hic monitum) cavendum ne recensitis promiscue utamur. Distinguendae enim auctoritates; nec quae semel, vel a Poetis dicta, temere ad imitationem traducenda sunt.

¶ Quod ad participiorum eiusmodi, sive praeteriti, sive futuri in DUS, originem attinet, tres diversas invenio Grammaticorum sententias. Vossius enim ea deducit ab impersonalibus in TUR; ut, *erratus*, *festi-*

1. Omnia participia sunt adiectiva, adeoque et Generis *omnis* [10]). Quae in NS desinunt, una efferuntur

---

tium originem ex eo repetendum putat, quod haec verba neutra, mutata paulum significatione, in activa migraverint; vel quod per Catachresin, ob accusativum sibi iunctum (qui tamen non ab ipsis, sed a suppressa quadam praepositione pendet), pro talibus haberentur. Ex. gr. *Hiandi fabula* dicitur a Persio, V. 3, ea significatione, qua *hiare* est *hiando agere* vel *pronunciare*; *Laboratae vestes*, a *laborare* pro *elaborare*, seu *laborando efficere*. *Nox est dormienda* eadem ratione Catullo dicitur, *qua tota mihi dormitur hiems* Martiali; quamvis *dormire hyemem* sit dictum, pro *per hyemem*. Par ratio horum *vigilatus*, *vigilandus*, *desitus*, *desinendus*, *regnatus*, *regnandus*, etc. quia Ovid. dixit, Heroid. XII. 169, *Noctes vigilantur amarae*. Cic. Fam. VII. 1, *Artem desinerem*. Tacit. Anal. XIII. 54, 1, *Germani regnantur*. Idem porro Ursinus, p. 891 et seqq. *adultus*, *coalitus*, *concretus*, caeteraque quae active usurpari modo docuimus, vel ab antiquatis deponentibus formata, vel ex actionis passionisve reciprocatione (ut *emersus*, *penetratus*, a *se*, scil. pro *qui emersit*, *penetravit*) vel aliqua anomalia contra regulas artis usurpata existimat. Accuratissimus denique Perizonius huius rei inde causam arcessit, quod participia in *tus*, *sus* et *xus* exeuntia, olim utramque significationem et activam et passivam habebant; licet in singulis verbis iam non sint utrobique in usu, cum in quibusdam nunc activae duntaxat vel neutrius sint significationis, in quibusdam passivae, in aliis utriusque. Vid. eum pag. 134 et seqq.

¶ Praedictis participiis active significantibus addi itidem possunt, *Cautus*, *circumspectus*, *consideratus*, *desperatus*, *effusus*, *profusus*, *tacitus*, *consultus*, *promptus*, *argutus*, *disertus*, *notus*, qui *novit*, *ignotus*, qui *ignorat*: item, *fluxus*, *falsus*, *scitus*, unde *inscitus*, quae in nominum naturam transiisse putantur.

¶ Sunt denique nonnulla in *ns* participia terminata, quae passionem significare videntur: qualia sunt *vehens*, pro eo *qui vehitur*; *vertens*, pro eo *qui vertitur*; *volvens*, pro eo *qui volvitur*: ut, Cic. de clar. orat. c. 97, *Quadrigis vehens*: et Buchanan. Psal. XVIII. 11, *Ille vehens curru volueri*, pro *vectus*. Ovid. Fast. I. 141, *Ora vides Hecates in tres vertentia partes*, i. e. *versa*, al. *vergentia*: et *annus vertens* ap. Cicer. pro Quinctil. c. 12, et Nepot. XVII. 4, 4, et alios, pro *versus*, sive plene *circumactus*. Virg. Aen. I. 284, *Volventibus annis*, i. e. *dum voluuntur*. Sic *Pascentes capellae* ap. eund. Ecl. III. 96, i. e. *quae pascuntur*; et Aen. VI. 851, *Praecipitans traxi mecum*, i. e. *dum praecipitor*: et Aen. III. 607, *Genibusque volutans haerebat*, i. e. *dum volvitur*. In quibus, Pronomina *me* et *se*, ut in verbis a quibus haec participia descendunt, intelliguntur. Vid. Voss. Anal. IV. 14, et Ursin. p. 887, et conf. eund. p. 448, etc.

9) *Species* non est participii accidens, cum ex eius natura, sive (ut cum Philosophis loquar) essentia sit, ut a verbo sit derivatum. Perperam autem, meo sententia, inter participii accidentia *personam* recenset Ursinus; utpote quae non participiis ipsis, sed substantivis insit nominibus, quibuscum cohaerent.

10) Sunt quaedam, ut nomina adiectiva, ita participia, quae cum uni, vel paucissimis certe substantivis applicari possint, propterea masculini tantum aut feminini generis esse videantur: qualia sunt *latrans*, *rugiens*, *hinniens*, *grunniens*, etc. Atqui hoc non ex ratione Grammatica, sed peculiari vocum significatione oritur. Caeterum nihil impedit, quo

Digitized by Google

nominativi singularis terminatione: ut, *hic, haec, hoc amans;* caetera omnia tribus; ut, *amatus, -a, -um; amaturus, -a, um; amandus, -a, -um.*

2. Participiorum Casus sunt sex, quemadmodum nominum: *Nominativus, Genitivus*, etc. [11]).

3. Numeri itidem, ut in nomine, sunt duo: *Singularis*, ut, *amans; Pluralis*, ut, *amantes* [12]).

4. Participia in NS sunt tertiae Declinationis; caetera omnia primae et secundae: ut, *amans, amantis; amatus, -a, -um; amati, -ae, -i*, etc.

5. Quae in US desinunt, Mobilia sunt; quae in NS *Immobilia.* Haec in omni genere eandem servant nominativi singularis terminationem; illa cum genere terminationem immutant [13]).

6. Participia praesentis et praeteriti temporis Comparationem admittunt: ut, *amans, amantior, amantissimus; paratus, paratior, paratissimus*: futuri vero in RUS et DUS raro vel nunquam comparata inveniuntur [14]).

7. Tempora participiorum sunt tria, *Praesens, Praeteritum* et *Futurum* [15]). *Praesentis* temporis sunt, quae desinunt in NS [16]). *Praeteriti*, quae in TUS, SUS, XUS [17]). *Futuri*, quae in RUS et DUS [18]).

---

minus ut *leo* vel *lesena*, ita *animal rugiens* dicamus. Quin et ea per tropum vel aliter, pluribus etiam substantivis, et omnium quidem generum, apposita invenimus. Sic *rudentem proram* Virg. Aen. III. 561, *latrantem stomachum* Horat. Sat. II. 2, 18, *latrantibus monstris* Virg. Ecl. VI. 75, *latrantia colla* Propert. III. 16, 23, *latrantibus bellis* Claudian. XX. 486, dixerunt. * Hic tamen observandum, participia praeterita neutra verborum impersonalium neutrum fere tantum genus admittere; ut, *itum est, ventum erat, persuasum esse*, etc. Vid. supra lib. III. cap. 2. reg. 7. n. 50.

11) Participia neutra verborum impersonalium passivae vocis, tres tantum habent casus, nominativum, accusativum et ablativum, adeoque triptota sunt: ut, *statum est, statum esse dicit, opus est stato.* Vid. reg. modo cit. n. esd.

12) Praeteritis hisce neutris a verbis impersonalibus passivae vocis, deest itidem totus pluralis.

13) Non ignoramus omnia adiectiva laxiore sensu *Mobilia* dici, quatenus scil. de genere in genus moventur. At strictius loquendo ea tantum *mobilia* sunt, quae simul cum genere terminationem variant.

14) De his vid. supra in comparatione nominum reg. 9.

15) Sanctius et Scioppius, eosque secutus Methodi auctor, p. 496 et seqq. Participia omnia omnium esse temporum contendunt. At contra disputantes, et propria quibusque tempora asserentes. Vid. Voss. Anal. IV. 10, Perizon. p. 190 et seqq. et Ursin. p. 847.

16) Interdum participia in NS praeteriti aut futuri temporis significationem habere videntur: ut, Martial. X. 78, *Vilior haec nobis, alio mittente, fuisset*; pro *si alius misisset*. Terent. And. I. 1, 49, *Post-*

Digitized by Google

8. Figura participiorum est duplex, *Simplex*; ut, *spirans*, *dictus*: *Composita*; ut *respirans*, *addictus*.

Multa sunt participia, cum praepositione IN, negandi vim habente [19]), composita; quorum verba talem compo-

---

quam amare necesse, *pretium pollicens*; pro *et pollicitus est*. Plaut. Bacch. II. 3, 127, *Credo herele adveniens nomen mutabit mihi*; pro *cum advenerit*. At in hisce et similibus animadvertendum est, duo diversa tempora significari, alterum verbo, alterum participio connotatum. Ubique autem participium, unum, i. e. praesens tempus, retinet: nam in re praeterita praesens fuit, et in futura item praesens erit. Idemque de aliis aliorum temporum participiis existimandum, ut Perizon. loc. cit. ostendit.

17) Quibus unum adde in UUS, puta *mortuus*: quod nonnulli nomen esse malunt.

18) De hoc in DUS participio, non levis est inter doctos controversia, aliis omnium, aliis nullius temporis esse, aliis futuri, aliis praesentis, affirmantibus. Quorum tam diversas sententias cum nec otii nostri, nec instituti sit, sigillatim persequi, petat qui velit apud Priscian. lib. XI. p. 927; Vallam Eleg. I. 27; Linac. p. 26, 27; Voss. Anal. IV. 11; Sanct. I. 15; Periton. ad eum ibid. Nov. Meth. p. 499; Urain. p. 878 et seqq. Id sane inter omnes fere convenire videtur, Participiis hisce, non tam aliquod tempus, quam officium aut necessitatem significari.

19) Quaedam sunt cum IN composita, quae affirmative pariter ac negative sumuntur: ut, *indictus*, *infectus*, *infrenatus*, *insertus*, *impensus*, *inquisitus*, *invocatus*, *immutatus*, *inhumatus*, *intentatus*, *intritus*. Sic Cic. Offic. I. 11, *Indictum bellum*, i. e. *denunciatum*. Id. pro Rabir. c. 4, *Indicta causa condemnari*, i. e. *non dicta*. Stat. Theb. IX. 187, *Infecta sanguine tela*, i. e. *tincta*. Id. Theb. III. 480, *Facta*, *infecta loqui*, i. e. *non facta*. Liv. XXXVII. 20, *Non stratos*, *non infrenatos magna pars habebant equos*, i. e. *frenatos*. Id. XXI. 44, pr. *Video genorosissimarum gentium equites frenatos et infrenatos*, i. e. *non frenatos*. [De *insetus* vid. paulo ante not. 8.] Cicer. in Verr. V. 19, pr. *Quod tu de tua pecunia dicis impensum*, i. e. *collatum*. Et Festus in voc. *Impensam stipem* memorat, i. e. *non pensum*. Liv. X. 40, *Rem inquisitam ad consulem detulit*, i. e. *compertam*. Plaut. Amph. II. 2, 217, *Istam rem inquisitam certum est non amittere*, i. e. *inexploratam*. Justin. XVIII. 6, 5, *Viri nomine diu invocato*, i. e. *vocato*. Plaut. Capt. I. 1, 2, *Invocatus in convivio*, i. e. *non vocatus*. Cic. Fam. I. 9, *Bonorum voluntatibus immutatis*, i. e. *mutatis*. Terent. And. I. 5, 7, *Id mutavit*, *quia me immutatum videt*, i. e. *non mutatum*. *Inhumare taleas* Plinius dixit, XVII. 18, pro *humare*; unde *inhumatus*, pro *terra conditus*, dici possit. At Virg. Aen. VI. 325, *Inhumata turba*, i. e. *non humata*. Liv. IX. 27, *Gladii plerisque intentati*, i. e. *strieti et in pectora obversi*. Sepec. ad Marciam. c. 18, *Nihil humanae audaciae intentatum*, i. e. *non tentatum*. Varro, R. R. II. 9, *Panis in lacte intritus*, i. e. *tritus* seu *infrictus*. Caes. B. G. III. 26, *Cohortes quae intritae ab labore*, i. e. *non tritae*: ita enim ex Andinis Florentinisque membranis legit Gronovius ad Liv. XXII. 39, pr. Confer Urain p. 858. * Recentiores etiam, *immistus*, *infractus*, *infuratus*, sensu negativo; at vetustiores solo affirmativo usi sunt. Sic Virg. Aen. II. 396, *Vadimus immisti Danais*, i. e. *mixti*. Auson. Epig. XX. 12, *Potare immixtum merum*, i. e. *non mixtum*. Virg. Aen. IX. 499, *Torpent infractae ad praelia*

Digitized by Google

sitionem non admittunt: ut, *illaesus*, *inauditus*, *impransus*, *incustoditus* [20]), *insciens* [21]), *intolerandus* [22]) etc. [23]).

Sunt quaedam ex duabus praepositionibus conflata: ut, *imperterritus*, *incompositus*, *superanteactus*, etc.

Quaedam composita passive capiuntur, quorum simplicia activam fere sive neutralem significationem habent: ut, *inausus*, *inopinatus*, *inultus*. *Inexpertus* utroque sensu, activo simul et passivo, legitur [24]).

IV. De Participiis haec observanda sunt:

1. Participia praesentis temporis formantur a praeterito imperfecto: ut, *amans* ab *amabam* [25]): praeteriti, a supino posteriore: ut, *amatus*, ab *amatu* [26]): futuri in

---

vires, i. e. *valde fractae*. Symmach. Epist. T. 8, *Fractas opes infractos animos repererunt*. Servius quoque, ad illud Virg. Aen. XII. 1, *Infractos adverso Marte Latinos, non fractos*, sive *invictos* interpretatur: sed aliis potior videtur Donati auctoritas, qui sensu affirmativo exponit. [Vid. Vorst. de Latin. merito suspecta, p. 40; Cellarii cur. poster. p. 246.] Cic. de Orat. III. 25, extr. *Infucata vitia*, i. e. *valde fucata* vel *simulata*. Arnob. II. p. 75, *Si infucata vultis audire*, i. e. *non fucata*, sive *vera*.

20) Sic *illaboratus*, *immetatus*, *impunitus*, *incastigatus*, *incensus* (pro *non censo*), *incoenatus*, *incomitatus*, *incomptus*, *incontentus* (pro *non contento*), *inconsultus*, *indemnatus*, *indotatus*, *insalutatus*, *invisus* (pro *non viso*, nam aliud ab *invideo* est) *invisitatus*, etc. item, *incommendatus*, *inconcussus*, *inconsumptus*, *incorruptus*, *indefensus*, *ineditus*, *inexercitatus*, *inobservatus*, etc. * Alia porro sunt, quae cum facultatem sive potentiam rei faciendae negant, temporis adeo adsignificatione amissa, nomina facta sunt: ut, *illaudatus*, pro *illaudabili*; *immensus*, pro *immensurabili*; *immotus*, pro *immobili*: item, *indomitus*, *inexhaustus*, *invictus*: pro eo *quod domari*, *exhauriri*, *vinci*, *non possit*. Sic *immutatus* in illo Terentii supra cit. *immutabilis* interpretatur Anna Tanaquilli Fabri filia, quam vide.

21) Ut, Cic. Fam. III. 12, *Me ineciente*. Terent. Andr. III. 4, 24, *Insperante Pamphilo*. Liv. XXII. 39, pr. *Etiam mè indicente*, pro *non dicente*. Varro R. R. II. 16, de apibus, *Neque ipsae sunt inficientes, nec non oderunt inertes*; pro *nihil facientes*. Vid. omnino Gronov. ad modo cit. Livii locum. Sic *immerens*, *inopinans*, pro quo dicimus et *necopinans*, etc. item, *incogitans*, *innocens*, *intemperens*, quae in nomina migrarunt.

22) Sic *intemerandus*, *infandus*, quod et *nefandus*: pro *non temerando*, *non fando*.

23) Nulla sunt eiusmodi participia in RUS, negandi sensu accepta.

24) Ut, Horat. Epist. I. 18, 86, *Dulcis inexpertis cultura potentis amici*: *Expertus metuit*, i. e. *iis qui periculum non fecerunt*. Curt. III. 6, 15, *Inexperta remedia*, i. e. *non tentata*.

25) At *iens* ab *ibam*, assumit *e*, quod in obliquis, ut alibi dictum, habet *euntis*, *eunti*, etc.

26) Alii a supino priore; Perisonius vero, p. 187, a praeterito activo deduxit, veluti *amatus* ab *amavi*, quasi *amavitus*, et sic in caeteris.

Digitized by Google

RUS ab eodem supino [27]): ut, *amaturus*, ab *amatu*: futuri in DUS a participio praesenti; ut, *amandus*, ab *amans* [28]).

2. Circumlocutio per verbum SUM, non tantum cum participio praeteriti temporis, sed etiam cum aliis locum habet: ut, Cic. *Socrates est apud Platonem loquens*, pro *loquitur*. Plaut. *Fui te carens*, pro *carui* [29]). Sic *amaturus* et *amandus sum*, *eram*, *fui*, *fueram*, *ero* [30]), etc.

---

27) Quaedam tamen non sequuntur analogiam; ut, *sonaturus*, *pariturus*, *eruiturus*, *nasciturus*, *moriturus*, *orituru*.

28) *Eiiciundus*, *faciundus*, *gerundus*, *recipiundus*, *fugiundus*, *eripiundus*; et similia per Antithesin dicuntur, pro *eiiciendus*, *faciendus*, *gerendus*, etc. Sic tritae illae ap. Iurisconsultos loquendi formulae, *Finium regundorum*, *Familiae herciscandae*, [ab *herciscor*, i. e. *divido*,] *Communi dividundo*. In huiusmodi autem participiis et gerundiis videndum est quid usus ferat. Itaque dicam *repetenda urbs*, *verba*, *lectio*: at *crimen repetundarum*, et *postulare aliquem repetundis*; et *Carmina sunt dicenda*: at *iuri dicundo* potius, quam *dicendo*. Sic *egrediundi*, *accipiundo*, *referundo*, *Ratio veri reperiundi*, *In aegritudine leniunda*, *Ad conspiciundas voluptates*; et, *Numidiae potiundae*, *Rei experiundae causa*, *Facultatem perficiundi*, etc. cum Cicerone et Livio; vel cum aliis, *egrediendi*, *accipiendo*, *referendo*, etc. promiscue utar. *Tollundus* vero, *fallundus*, *spargundus*; *ludundo*, *bibundo*, *cadundo*, etc. quamvis antiquiores ita locuti sunt, vix iam adhibuerim. Ab *eo* tamen eiusque compositis *u* perpetuum est: ut, *eundum*, *abeundum*, *praetereundus*, *adeundus*, etc. praeterquam in *ambiendus* ab *ambio*. Etiam ab *orior* solum dicitur *oriundus*: at id non habet futuri, sed praeteriti potius significationem.

29) Sic Terent. And. III. 2, 28, *Ut sis sciens*. Ovid. Pont. IV. 3, 35, *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo*, pro, *ut scias*, *Omnia pendent*.

30) Negant nonnulli, et in his Laur. Valla Eleg. I. 26, et Barth. Advers. XLV. 15, verbum futurum, *ero* et *fuero*, vel *forem* et *fore*, cum participio futuro iungi posse. At Ciceronis est ad Attic. XII. 35, *Ipso die, quo ad Sicam venturus ero*. Martial. XIV. 181, *Mergite me, fluctus, cum rediturus ero*. Ovid. Met. IX. 256, *Si quis tamen Herculi, ut quis Furte Deo doliturus erit*. Id. Art. Am. II. 56, *Ensiger Orion conspiciendus erit*. Id. Remed. v. 630, *Alter, si possis, orbis habendus erit*. * Item Cic. ad Attic. V. 21, *Deinde addis, si quid secus, te ad me fore venturum*. Gell. XII. 11, *Ignoraturi forent*. Liv. X. 14, *Qua venturum bellum foret*. Id. XXXV. 13, *Si quid adversi casurum foret*. Id. XXXVII. 10, *Naves quae subducturus certamini foret*. Id. XXXVII. 15, *Utrum libera sua classe abscessuri inde forent*. Id. Ibid. c. 51, *Sub pellibus habendos milites fore*. Id. XLIV. 7, *Incertus quid agendum foret*. Propert. I. 10, 19, *Cynthia me docuit semper quaecunque petenda, Quaeque cavenda forent*. Ovid. Fast. VI. 221, — *Tempora taedis Apta requirebam, quaeque cavenda forent*. At dicat hic quis pro Valla, haec nomina potius esse quam participia; aut cum Aug. Saturnio, IV. 14, hinc colligat *fore* praesentis, non futuri esse temporis. Verum (ut Vossius docet Anal. III. 16, extr.) nulla ratio prohibet, quo minus futura copulentur futuris; quum et praeteritis etiam misceantur: ut, Cicer. de Divin. II. 68, *An in cenere ullam unquam tam deliram futuram fuisse*. Et

Digitized by Google

5. Participia sunt nomina, (1) *Amissione temporis*: ut, *sapiens*, *serpens*; *sponsa*, *nata*; *dictum*, *votum*, etc. cum substantive sumuntur [31]). Sic *doctus*, *indoctus*, pro *homine doctrina praedito* vel *experte*, etc. [32]). (2.) *Mutata constructione*, seu *regimine* verbi: ut, *amans pecuniae*, *patiens frigoris* [33]): nam constructio verbi exigeret, *amans pecuniam*, *patiens frigus*.

4. Multae sunt voces in ATUS, ITUS et UTUS desinentes, quae quamvis participiorum speciem prae se ferre videantur; quia tamen a nominibus potius, quam a verbis sunt derivatae, ex numero eorum merito excluduntur: ut, *cordatus*, *cristatus*; *auritus*, *pellitus*, *turritus*; *astutus*, *cornutus*, *nasutus*, etc. [34]).

Fam. XI. 8, extr. *Quos spero brevi tempore societate victoriae locum copulatos fore.* Caes. B. Civ. III. 101, *Existimabant plerique futurum fuisse, ut oppidum amitteretur.* Cic. de Orat. II. 56, *Videmur quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti.* Confer Alvar. p. 359, Linac. p. 485, Sanct. p. 114 et 469, Gifanii Observ. in L. L. p. 98, Nov. Meth. p. 472, Danesii Paralip. p. 88, Ursin. p. 604, Goclen. Probl. Gram. V. 19.

31) Sic, *Adolescens*, *animans*, *consonans*, *continens*, *confluens*, *oriens*, *occidens*, *rudens*, *torrens*; etc. *Advocatus*, *praefectus*, *sponsus*, *legatus*; et *delictum*, *erratum*, *peccatum*, *debitum*, *fatum*, *pactum*, *propositum*, *scriptum*, *textum*, *tributum*, etc. et pluralia, *Ausa*, *coepta*, *cogitata*, *conata*, etc.

32) Sic, *Abditus*, *occultus*, *secretus*, *apertus*, *aptus*, *aretus*, *situs*, *subitus*, *cultus*, *politus*, *tersus*, *consultus*, *contentus*, *lautus*, *obtusus*, *promptus*, *rectus*, *sanctus*, *tritus*, *vulgatus*, etc. Item, *potens*, *gratus*, *moestus*, *cassus*, *fessus*, *argutus*, *falsus*, *propensus*, etc. Vid. Ursin. p. 90 et 853.

33) Praeter necessitatem a Vossio addi *amissionem constructionis* censet Ursinus, p. 90, hoc enim consequens potius et signum esse, quod participia in nomina iam degenerarint, quam rationem et causam ob quam degenerent. [Recte!] Caeterum et duas alias causas vulgo adiiciunt, ob quas participia transeant in nomina, *Compositionem* scil. et *Comparationem*: sed utramque confutatem vid. ap. Voss. Anal. IV. 10.

34) Sunt tamen eiusmodi quaedam a verbis forte derivata: ut, *auratus*, *veratus*, *argentatus*, *ferratus*, *plumbatus*, *gypsatus*; nam *auro* et *ĕro* agnoscit Priscianus, col. 828: *gypsare* Apicii est I. 17: *plumbare* Catonis R. R. c. 21: parique forsan ratione *ferro*, *argento*, antiquitus dixerint. Sic *bullare* Catonis est, c. 105, et Plinii, XVIII. 35, med. *calceare* Suetonii Vesp. c. 21, 2, et Plin. XXXVI. 5: *clypeare* Pacuvii ap. Non. II. 145: *cuneare* Melae, III. 6, et Quintil. IV. 3: *galeare* Hirt. B. Afr. c. 12, et Gannae ap. Non. II. 145: *loricare* Plin. VIII. 24, et Varr. R. R. I. 24: *lunare* Ovid. Amor. I. 1, 28: *lymphari* Plin. XXIV. 17: *palliare* Apulcii; *purpurare* Column. X. v. 101, et Gellii, XVIII. 11: *tunicare* Verr. ap. Non. II. 873: indeque *bullatus*, *calceatus*, *clypeatus*, *cuneatus*, *galeatus*, *loricatus*, *lunatus*, *lymphatus*, *palliatus*, *purpuratus*, *tunicatus*, participiis recte accensentur. Nec male *crinitus* a *crinire*, quo utitur Stat. Theb. IV. 217, et *ignitus* ab *ignio*, quo Prudent. π. στεφ. X. 1077, et *peritus* ab obsoleto *perio*, deduxeris. Eademque forte et aliorum quorundam ratio est. Non tamen propterea

Digitized by Google

Appendix de Gerundiis *et* Supinis.

I. Gerundium [35]) est nomen participiale [36]) neutrum, singularis tantum numeri, instar substantivi per omnes casus, praeter vocativum, declinabile [37]): ut, nom. *amandum*, gen. *amandi*, dat. *amando*, accus. *amandum*, abl. *amando*.

Veniunt a verbis activis, neutris et deponentibus, eorumque significationem fere semper sequuntur: ut, *docendum*, *currendum*, *loquendum* [38]); a *doceo*, *curro*, *loquor* [39]).

Daumio accesserim, qui eiusmodi omnia a verbis deducit, vocesque adeo, vel vetustissimis prorsus incognitas, ad hypothesin suam firmandam, ingeniose magis quam vere comminiscitur: quales sunt, *Alare*, *barbare*, *braccare*, *crepidare*, *fimbriare*, *lanare*, *larvare*, *laureare*, *laurare*, *nimbare*, *paludare*, *stolare*, *vittare*, etc. item *aurire*, *mellire*, *pellire*, *turrire*, etc. ¶ De *comans*, *flammans*, *inciens*, *lactens*, *nigrans*, *praegnans*, *quadrupedans*, *viridans*, (quae usu quidem nomina, olim et participia fuisse videntur), a verbis iam exoletis, aut parum usitatis deductis, Vid. Ursin. p. 848: ubi etiam de *decrepitus*, *fretus*, *praeditus*, *assus*, *elixus*, *laxus*, *lassus* (quorum nonnulla haud certae originis esse videntur) agit.

35) *Gerundia* ita dicuntur quod rei *gerundae* sive administrandae significationem habeant.

36) De *Gerundiorum* propria indole, quaeque in orationis partibus eis sedes assignanda esset, mirum in modum Grammatici certarunt. Vetustiores ferè *sextum* ea verbi *modum* constituunt, optativo nempe pro peculiari modo connumerato; nam potentialis tum incognitus, utpote a Linacro primum excogitatus. Recentiores plerique, et in his Alvarus, ad *verba modi infinitivi* ea referunt. Prisciano *nomina* sunt *participialia*, col. 808: Vossio Anal. III. 9, (quem sequitur Methodi auctor, p. 486), *nomina verbalia*, immediate a verbis descendentia. Saturnius Merc. mai. VII. 4, *peculiarem* ea, ut et supina, *orationis partem* facit. Scaligero denique de Caus. L. L. VII. 143, Scioppio Gram. Philos. p. 16, et veterum nonnullis, vera *participia* sunt passivae significationis: quae et Cl. Perizonii sententia est, qui quamvis diversa, sed et ingeniosissima, ratione rem explicat, p. 448 et seqq. Caeterum quamvis primigeniam Gerundiorum naturam et constitutionem fuisse vere passivam, non invitus agnoscam: quia tamen in casum suorum verborum plerumque feruntur, et genitivum (pluralem certe) post se nonnunquam recipiant, mihi vero admodum simile videtur, optimos quosque Latinae linguae auctores, ea quasi substantiva ac agendi vi praedita generaliter existimasse. Vid. Saturnius, VII. 6, Schmid. Gram. p. 126, Nov. Meth. p. 487.

37) Adeoque inter *Pentaptota*, ut alibi notatum, Gerundia referenda sunt.

38) *Gerundia* plerumque *active* exponenda esse vulgo Grammatici docent: ut, Lucret. I. 112, *Aeternas quoniam poenas in morte timendum*, i. e. *est cur timeant*. Liv. XXIX. 2, extr. *Quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat*, i. e. *ut conscenderent*. Plaut. Poen. I. 2, 13, *Eae nos lavando operam dederunt*, i. e. *ut lavarent*. Liv. II. 20, *Ipse inter spoliandum corpus hostis veruto percussus*, i. e. *dum spoliabat*. Virg. Aen. II. 6, *Quis talia fando Temperet a lacrymis*, i. e. *dum*

Digitized by Google

II. Supinum est nomen verbale substantivum, singularis numeri, quartae declinationis, in UM et U desinens, atque adeo accusativi aut ablativi casus [40]): ut, accus. *petitum*, abl. *petitu*. Illud *Supinum prius*, hoc *Supinum posterius*, vulgo appellatur.

Veniunt itidem a verbis activis, neutris et deponentibus. Et *Supinum* quidem *prius* active, *posterius* vero passive plerumque significat [41]), ut, *lectum*, *lectu*; *cubitum*, *cubitu*; *deprecatum*, *deprecatu*; a *lego*, *cubo*, *deprecor*.

---

fatur. * Passive autem accipi in his et similibus volunt: ut, Iustin. XVIII. 3, 11, *Athenae eruditi gratia missus*, i. e. *ut eruditetur*. Plin. XIII. 12, *Charta emporetica inutilis scribendo*, i. e. *ut in ea scribatur*. Cic. ad Attic. IX. 9, *Res ad iudicandum difficilis*, i. e. *quae difficulter iudicatur*. Virg. Geo. III. 454, *Alitur vitium, vivitque tegendo*, i. e. *dum tegitur*. Sed haec omnia active possis interpretari; vel (cum Ursin. p. 687) per infinitivum activum, cum vel sine praepositione: ut, *Athenaeus eruditi gratia missus sit*, *gratia vel eruditus inutilis scribendo sit inutilis vel scribere*, etc. vel (cum Erasmo Schmidio hypomn. p. 211) per verbum finitum et pronomen relativum, vel particulam: ut, *Athenaeus eruditi gratia missus*, sit, *ut eum aliquis eruditat; inutilis scribendo*, sit, *in qua quis scribat*: vel denique (cum Methodi auctore, p. 489) per verbalia in *io* vel *us*, ut *eruditi gratia*, sit, *gratia eruditionis; inutilis scribendo*, *inutilis scriptioni; tempus abeundi*, *tempus abitionis*, vel *abitus*, etc. Confer Saturnius, VII. 7, Vossius Anal. III. 9, Ursin. p. 626, etc.

39) De *Gerundiorum* in Gerundiva quae vocant, sive participia in DUS, mutatione, aliisque ad hanc rem spectantibus, convenientior erit in Syntaxi dicendi locus.

40) Quae *Supina* appellamus, vere sunt *nomina verbalia* quartae declinationis; inveniunturque in aliis casibus praeter accus. et ablat. (Vid. Voss. Anal. III. 11, et Ursin. p. 626) interdum et in plurali. At ea tum tantum *Supina* esse Grammatici volunt, cum prius verbo motus, posterius nomini adiectivo subiicitur.

41) Supinum in UM nonnunquam, licet rarissime, passive; in U vero (praesertim a verbis neutris et deponentibus) active accipi, observarunt Saturnius, VIII. 8, Voss. Anal. III. 12, Ursin. p. 688. Priorum exempla sunt Plaut. Aul. III. 3, 9, *Coctum ego, non vapulatum dudum vocatus fui*, i. e. *ut vapularem*, sive *verberaret*. Gell. III. 2, *Mulier quae usurpatum isset*, i. e. *quae usurpata fuisset*. Addit Saturnius et tertium ex Martial. XI. 8, sed quia vox ibi obscoena est, eam silentio involvendam censuit. Exempla posteriorum sunt, Liv. I. Praef. *Foedum inceptu, foedum exitu*: id est, *cum incipit, cum exit*. Plin. XIV. 3, *Forenses uvae celeres proventu*, i. e. *celeriter proveniunt*. Tacit. Annal.

¶ Sunt denique adiectiva quaedam in BUNDUS, ab imperfecto indicativi derivata: ut, *errabundus*, *gemebundus*; et *e* in *i* converso, ut, *ridibundus*, *ludibundus*; vel sublato: ut, *moribundus*, *lascivibundus*, etc. [42]) quae quoniam a participiis praesentibus et significatione et constructione nihil fere distant, Charisius Participiis annumerat, Donatus *quasi participia*; alii *Participialia* appellant [43]).

---

tent, vel *si petetur*. Et pari modo *oratum*, πρὸς τὸ παρακαλεῖν, καὶ πρὸς τὸ παρακαλεῖσθαι; *oratu*, ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν, καὶ ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖσθαι, interpretatur Priscianus, col. 811. Sic *auctor dignus lectu*, *dignus lectione*, *dignus legi*, *dignus quem legas*, et *dignus qui legatur*, promiscue dicuntur: et ea ratione *Plin. XXVIII. 1. Difficilia inventu*, Id. XIX. 4, *Facilia concoqui*. Cic. ad Brut. Epist. 4, *Facile est existimare*. Lucret. II. 1026, *Res difficilis ad credendum*. Plin. VII. 1, *Parvum dictu*, *sed immensum aestimatione*, protulerunt. Et hinc est quod, pro *Mihi ei nunciatum*, *Mihi ei nunciari*: et pro *Non est difficile cognitu*, *Non est difficile cognoscere*, dixisse ipsum Ciceronem notat Ursinus, p. 638. Haec igitur cum ita sint, non satis ex merito Priscianum oscitantiae damnat Vossius l. cit. quod supinis in UM utramque significationem, i. e. activam et passivam ex aequo assignet.

42) De horum significatione, quintuplex est doctorum sententia. Nam (1) Similitudinem quandam ea denotare vult Priscianus, col. 686, a quo non multum abit Scaurus ap. Gell. XI. 15, qui imitationem iis quandam aut simulationem tribuit: ut, *vitabundus*, *errabundus*, *ludibundus*, sit, *qui vitantem*, vel *errantem*, vel *ludentem agit*, vel *simulat*. (2) Eandem quae participiorum praesentium in NS est, significationem iis adscribit Caesellius Vindex ap. Gell. l. cit. et Servius ad Virg. Ecl. VI. 58, nec alienus ab hac sententia ipse Voss. Anal. II. 39. (3) Vim et copiam, et quasi abundantiam rei, cuius id verbum esset, illis demonstrari vult Sulp. Apollinaris ap. Gell. l. c. cui favet ipse Gellius. (4) In rebus voluntate praeditis, ostentationem, sive professionem, et, si voce uti liceat, satagentiam quandam iis significari docet Scaliger de caus. L. L. IV. 98, p. 244. (5) Denique eandem ea quam frequentativorum participia significationem habere statuit Laur. Valla Eleg. I. 9, ut *ludibundus*, *ridibundus*, etc. idem sint, quod *lusitans*, *risitans*; et quando haec deficiunt, ad illa decurri: ut, *populabundus*, *errabundus*; pro *populitans*, *erritans*. Cum eo autem consentire videtur Frischlinus, qui in Paralip. p. 305, continuationem actionis iis assignat. Caeterum, quod ab Ursino observatum est, p. 84, parum inter se differunt secunda, tertia et quinta sententia: facile etiam conciliari possent prima et quarta. Et quamvis primam Valla d. loc. repudiet, in nonnullis tamen eam aliquid ex vero trahere ostendit illud Cic. Verr. III. 67, *Si Vulteium habebis*, *omnia ludibundus conficies*, i. e. *ludenti similis*, seu *quasi per lusum*; et *moribunda* ap. Virg. Aen. X. 341, *morienti similis* Servius interpretatur.

43) Hanc eorum ex auctoribus sylvulam collegit Gunther. Latin. rest. part. II. p. 38 et seqq. *Auxiliabundus*, *bacchabundus*, *certabundus*, *cogitabundus*, *comessabundus*, *concionabundus*, *cunctabundus*, *deliberabundus*, *deprecabundus*, *dissertabundus*, *errabundus*, *excusabundus*, *festinabundus*, *fremebundus*, *furibundus*, *gemebundus*, *gloriabundus*, *gratulabundus*, *haesitabundus*, *iactabundus*, *imaginabundus*, *indigabundus*, *iocabundus*, *lucrymabundus*, *lapsabundus*, *lascivibundus*, *ludibundus*, *mi-*

Digitized by Google

LIBER QUINTUS.

De Partibus orationis indeclinabilibus.

CAP. I.

De Adverbio.

Adverbium est pars orationis invariabilis, quae verbo vel aliis vocibus [1]) adiicitur, ad earum circumstantiam quandam explicandam [2]).

P De variis Adverbiorum significationibus, quoad tironibus necessarium videbatur, in Rudimentis nostris alibi dictum est.

Adverbio accidunt tria, *Species*; *Figura* et *Comparatio*.

I. *Primitivae* speciei Adverbia pauca sunt: ut, *cras*, *iam*, *ubi*, *temere*, etc. *Derivatae* vero caetera fere omnia.

Adverbia autem derivantur, vel,

1. A *nomine*: ut, *viritim*, a *vir*; *docte*, a *doctus* [3]).

---

ditabundus, *minitabundus*, *mirabundus*, *moribundus*, *munerabundus*, *nauseabundus*, *nitibundus*, *noctuabundus*, *nosocitabundus*, *nutabundus*, *osculabundus*, *peregrinabundus*, *periclitabundus*, *populabundus*, *praedabundus*, *pudibundus*, *reptabundus*, *speculabundus*, *stomachabundus*, *testabundus*, *venerabundus*, *vitabundus*, *undabundus*, *volutabundus*. *Amorabundus* quoque ex Laberio profert Gellius l. cit. ab inusitato *amoror*; et Priscianus his accenset *rubicundus*, *b* in *c* alternitatis causa converso, pro *rubibundus*. Addere possis *cantabundus*, quo Petron. c. 62. *Laetabundus* et *saltabundus*, quibus Gell. loc. cit. et XX. 8: *aestuabundus*, quo Pallad. Octob. t. 17: *fluctuabundus*, quo Sidon. *ridibundus*, quo Plaut. Epid. III. 3, 32: *vagabundus*, quo Solinus, c. 11: *cruciabundus*, quo Cyprianus Epist. LV. 4, utuntur. Forte et alia his similia effingere licet: ut, *adorabundus*, *concitabundus*, *contemplabundus*, *propugnabundus*, *ructabundus*, *spectabundus*, *territabundus*, *venabundus*, etc. Tutius tamen his abstinere: *monibundus*, autem *legibundus*, *audibundus*, nisi praeeunte probo auctore, non adhibuerim.

1) *Adverbium* ut plurimum et praecipue adiungitur *verbo*, unde et nomen traxit: at non ei solum adiicitur, sed aliis etiam orationis partibus: et quidem *nominibus*; ut, *insigniter doctus*, *admodum puer*: *pronominibus*; ut, *plane noster*: *participiis*; ut, *Latine loquens*: aliis denique *adverbiis*; ut, *sat cito*, *tam negligenter*.

2) *Circumstantiae* vocabulo, laxiore quam Logicis solet sensu accepto, continentur etiam modi quicunque sive qualitates ad rem declarandam adiectae.

3) Quae a nominibus derivantur adverbia, longe plurima in E vel ER, multa in O, quaedam in IM, UM, ITUS et A exeunt: ut, *bene*,

Digitized by Google

1. A *pronomine*: ut, *hic*, *eo*, *qui*; ab *hic*, *is* et *quis* [4]).
3. A *verbo*: ut, *caesim*, *punctim*; a *caedo*, *pungo* [5]).
4. A *participio*: ut, *amanter*, *simulate*; ab *amans*, *simulatus* [6]).

---

fortiter, *tuto*, *oppidatim*, *solum*, *radicitus*, *una*, etc. Numeralia autem, a quatuor, in IES: ut, *quinquies*, *centies*, etc. Quae ab adjectivis primae et secundae veniunt, pleraque in E desinunt; ut, *libere*, *plene*; nonnulla in O, UM et TER; ut, *falso*, *tantum*, *gnaviter*: pauca in A, ITUS et IM; ut, *recta*, *antiquitus*, *summatim*. Quaedam bifariam efferuntur; ut, *primum*, *prima*; *pure*, *puriter*; *caute*, *cautim*. Ab adjectivis tertiae fere in TER, rarius in E terminantur; ut, *fortiter*, *elegantes*; *facile*, *repente*: unum in o, ut *omnino*. A substantivis deducta exeunt pleraque omnia in IM vel ITUS: ut, *astatim*, *generatim*; *funditus*, *medullitus*. Singularia sunt, *Pol*, *foris* et *foras*, *diu*, *noctu*, *fors* et *forte*, *olternis*, *gratis*, *ingratis*. Sed haec et plurima alia, quae vulgo adverbia existimantur, vere nomina sunt. Sic, 1. Plurima in UM et O; ut, *primum*, *primo*, *secundum*, *secundo*, *paulum*, *paulo*, *tantum*, *quantum*, *plurimum*, *commodum*, *aeternum*, *mutuo*, *crebro*, *perpetuo*, *raro*, *secreto*, *subito*, *falso*, *merito*, etc. nomina sunt adiectiva accusativi vel ablativi casus, quibus *ad* vel *in*, cum substantivo aliquo, intelligitur. 2. Omnia adverbia comparativi gradus; ut, *amplius*, *minus*, *plus*, etc. vere adiectiva sunt accusativi casus, in quibus *ad*, et *negotium*, *tempus*, *spatium*, aut simile quid, reticetur. 3. Sic *partim* est antiquus accusativus a *pars*; *tempori* (unde comparativus *temporius*) *luci*, *vesperi*, antiqui ablativi, pro *tempore*, *luce*, *vespere*: *rite* ablativus, pro *ritu*; ut, *impete*, pro *impetu*. Sic *diu*, *noctu*, pro *die*, *nocte*, ab antiquis nominativis *dius*, *noctus*. *Foris* ablat. *foras* accus. ab antiquo *fora*, *-ae*, pro quo nunc *foris*, *-is* dicimus. *Gratis*, *ingratis* abl. per Syncopen pro *gratiis*, *ingratiis*. *Fors* nom. *forte* ablat. *Alternis* ablat. supple *vicibus*. *Alias* accus. supple *res*. *Una* abl. supple *opera*. *Recta* abl. supple *via*, etc.

4) A Pronomine deriyata desinunt fere in C, A, vel O: ut, *hic*, *huc*, *hinc*, *hac*, *ea*, *qua*, *eo*, *quo*. Sed ex his multa vere pronomina esse supra ostendimus, lib. II. p. 203.

5) Haec fere omnia in IM desinunt: proxime autem a supinis veniunt vel participiis. *Abunde*, *propere*, *peregre*, quae quidem a verbis formant, *abundo*, *propero*, *peragro*, potius sunt ab *abundus* (quo utitur Gellius, I. 2;) *properus*, quod Catulli est, LXI. 34, et aliorum; et antiquo *pereger* seu *peregris*. *Mordicus* forte a *mordeo* est per Syncopen pro *mordicitus*. *Mox* a *moveo* deducit Vossius. * Verba *age* et *cedo*, cum ad plures dicuntur, in adverbiorum naturam migrare videntur; ut in illo Val. Flacc. III. 311, *Vos*, *age*, *funereas ad littora volvite silvas* et in isthoc Ciceronis de Senect. c. 6, *Cedo*, *qui vestram rempub. tantam amisistis tam cito*. *Amabo* autem (quod futurum est verbi *amo*) male adverbiis adnumeratur: dicitur enim *amabo te*; et cum absolute ponitur, hic casus necessario intelligitur. Vid. Voss. Anal. I. 2.

6) Quae a praesentibus veniunt, exeunt in TER; ut, *properanter*, *dubitanter*, a *properans*, *dubitans*: quae a praeteritis vero, in E; ut, *distincte*, *emendate*, a *distinctus*, *emendatus*: interdum in O; ut, *merito*, *sortito*, *inopinato*; a *meritus*, *sortitus*, *inopinatus*. Sed haec (ut modo diximus) veri ablativi sunt, intellecta praepositione *ex*; saepe etiam expressa: ut ap. Ovid. Heroid. V. 7, *Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est*; et ap. Cic. de Nat. Deor. II. 48, *Araneolae ex inopinato observant*.

Digitized by Google

5. A *praepositione*: ut, *intro*, *citro*, *ultro*, *clanculum*; ab *intra*, *citra*, *ultra*, *clam* [7]).

II. Plurima sunt adverbia figurae, tum *Simplicis*: ut, *hinc*, *sapienter*, *bene*, *magis*, etc. tum *Compositae*: ut, *quare*, *videlicet*, *quovis*, etc.

Componuntur autem adverbia variis modis:

1. Ex *nomine* praeeunte: et sequente (1.) Vel alio *nomine*; ut, *postridie* [8]), ex *postero die*. (2.) Vel *verbo*; ut, *pedetentim*, quasi *pedem tendendo*. (3.) Vel *ab adverbio*; ut *dextrorsum*, ex *dexter* et *versus* [9]). (4.) Vel *syllabica adiectione*; ut *parumper*, ex *parum* et *per*.

2. Ex *pronomine*: addito (1.) Vel *nomine*; ut, *hodie*, pro *hoc die* [10]). (2.) Vel *adverbio*: ut, *quin*; pro *qui ne*. (3.) Vel *praepositione*; ut, *hactenus*, pro *hac* [fine] *tenus*. (4.) Vel *coniunctione*; ut, *quasi*, ex *quis* et *si*. (5.) Vel *syllabica adiectione*; ut, *tuatim*, i. e. *tuo more*, ex *tuus* et *tim*.

3. Ex *duobus verbis*; ut, *ilicet*, *scilicet*, *videlicet*; ex *ire*, *scire*, *videre*, et *licet*.

4. Ex *participio et nomine*; ut, *perendie*, quasi *perempto die*.

5. Ex *adverbio*: sequente (1.) Vel *nomine*; ut, *nimirum*, ex *ne* (pro *non*) *mirum*; *edepol*, *ecastor*, *mecastor*, *mehercule*, ex *e* sive *me* [11]) iurandi vocula et *Pollux*, *Castor*, et *Hercules*. (2.) Vel *verbo*; ut, *ubivis*, *quovis*, *undelibet* [12]). (3.) Vel alio *adverbio*; ut, *quousque*, *sicuti*, *tantummodo* [13]). (4.) Vel *praepositione*; ut, *quoad*, *quorsum*, ex *quo versum*. (5.) Vel *coniunctione*; ut *etiam*,

---

7) Sic *retro* a *re*, *intus* ab *in*, *subtus* a *sub*, *iuxtim* a *iuxta*.

8) Sic *magnopere*, *maximopere*, *summopere*, *tantopere*, pro *magno*, *maximo*, *summo*, *tanto*, *opere*; *multimodis*, *omnimodis*, pro *multis modis*, *omnibus modis*.

9) Item *aliubi*, *alicubi*, ex *alius*, *aliquis* et *ubi*; *aliunde*, *alicunde*, ex iisdem et *unde*; *alioqui*, *caeteroqui*, ex *alius*, *caeterus*, et adverbio *qui*.

10) Sic *quare*, *quomodo*, pro divisis, *qua re*, *quo modo*; *cur* contracte, pro *cui re*.

11) Perperam vulgo scribunt *aedepol* et *aecastor*, quasi sint ab *aede Pollucis* vel *Castoris*: cum *me* et *e* sint ex Graeco μὰ et νὰ. Ut similia sint, *mecastor*, *ecastor*, *epol*, vel etiam *edepol*, quasi *me Deus Castor* vel *Pollux*, sive *per Castorem* aut *Pollucem*. Similia his sunt, *eiuno*, *equirine*, *ecere*; pro, *per Iunonem*, *per Quirinum*, *per Cererem*; et *mediusfidius*, quod est *me* Διὸς, i. e. *Iovis*, *fidius*, hoc est *filius*. Magis haec placent, quam ut *me* sit accusativus, et elliptice intelligatur *amet* vel *adiuvet*. Vid. Voss. Gram. min. p. 156, et Etym. in voc. *medius fidius*, et Ursin. p. 968.

12) Sic *deinceps*, quasi *dein capiendo*.

13) His adde *quam*, adverbiis intendendi ἐμφατικῶς iunctum, ut *admodumquam*, *nimisquam*, *oppidoquam*, *sanequam*.

Digitized by Google

ex *et* et *iam*. (6.) Vel *syllabica adiectione*; ut *siccine*, *ubicunque*, *ibidem*, *nondum*, *undique*, *ubinam*.

6. Ex *praepositione*: sequente (1.) Vel *nomine*; ut, *admodum*; *cominus*, ex *cum* vel *con* et *manus*; *eminus*, ex *e* et *manus*; *denuo*, ex *de novo*; *illico*, ex *in loco* [14]). (2.) Vel *pronomine*; ut, *antea*, *adeo*, *interea*, *postea*, *praeterea*, *posthac*. (3.) Vel *adverbio*; ut, *affabre*, *apprime*, *dehinc*, *perinde*, *praeterquam*, *inibi*, *interibi* [15]). (4.) Vel alia *praepositione*; ut, *desuper*, *propalam*, *praeterpropter* [16]).

7. Ex *coniunctione* et alio *adverbio*; ut, *etiamnum*, ex *etiam nunc*: *sicubi*, ex *si ubi*; *si quando* ex *si aliquando* [17]); *velut*, *veluti*, ex *vel* et *ut*, *uti*.

8. Ex pluribus *vocibus* promiscue *coniunctis*; *quamobrem*, *quemadmodum*, *nudiustertius*; *identidem*; pro divisis, *ob quam rem*, *ad quem modum*, *nunc dies tertius*, *idem et idem*.

III. Comparantur fere omnia adverbia, a nomini-

---

14) Sic *adamussim*, *examussim*, *extemplo*, *interdiu*, *obiter*, *obviam*, *praefiscini* (ex *prae* et *fascinum*) *profecto* (ex *pro* et *facto*.) Quae pleraque, nomina potius cum praepositione constructa, quam adverbia sunt. * Vocem *imprae sentiarum*, sive divisim, *in praesentiarum*, tanquam prorsus lutulentam reiicit Sciopp. de Styl. Hist. p. 59; Chr. Cellarius quoque in Proleg. ad cur. poster. p. 11, de bonitate eius dubitat: at genuinam indicat Perizon. ad Sanct. p. 171, utpote non Fannio tantum ap. Priscian. lib. 18, et Catoni R. R. 144, sed Nepoti, XXIII. 6, 2, Tacit. Annal. IV. 59, 4, et Apuleio, pluribus locis, usitatam; ut silesm Minutium, Symmachum, Cyprianum et alios. Vossius de vit. serm. I. 25, ex *in praesentia rerum* corruptam putat: rectius Ursinus, qui p. 928, *tempore* intelligit, ut *praesentiae* pluraliter, pro *praesentibus rebus* sit dictum, pari modo quo *fortitudines* ap. Cic. Offic. I. 22, pro *fortibus factis*, proindeque *in tempore praesentiarum* idem sit quod *in tempore rerum praesentium*. Eodemque ratione *depraesentiarum*, quo utitur Petronius, c. 58 et 74 exponendum.

15) Sic *deorsum* (ex *de* et *vorsum*) *insimul*, *interdum*, *persaepe*, *praeut*, *prout*, *pronuper*, *proporro*. * Praepositiones autem separatim adverbiis adiici non debere praecipiunt Donatus, Edit. secund. col. 1761, et in eum Servius, c. 1794, et Sergius, col. 1852, itemque D. Augustinus de Gramm. col. 2011, ut *de sero*, *de modo*, *de trans Tiberim venio*. Invenitur tamen ap. Vitruv. V. 7, extr. *a peregre*; et ap. Plin. XVII. 24, med. *a foris*. Quibus exemplis defendi quomodocunque eos posse, qui eum vulgato Interp. aliisque eius seculi, *a modo*, *ex nunc*, *ab extra*, *ad intra*, *de longe*, dicunt, existimat Ursinus, p. 1009.

16) Sic *exin*, *dein*, *proin*: nisi in his posterior pars sit *inde* per Apocopen decurtatum. Caeterum hae propositiones compositae ideo in adverbiorum naturam migrarunt, quod casu suo destituantur. Secus se res habet in *exante*, *inante*, *exadversum*; de quibus vid. cap. seq. not. 18.

17) *Necubi*, pro *ne alicubi*; *necunde*, pro *ne alicunde*; *nequando*, pro *ne aliquando*; ex duobus potius adverbiis, *ne* scil. pro *non*, et *ubi*, *unde* et *quando*, videntur conflata.

Digitized by Google

bus comparabilibus derivata: ut, *docte, doctius, doctissime; feliciter, felicius, felicissime* [18]).

Positivus eorum gradus exit plerumque in E vel TER [19]); ut, *dure, facile, acriter: Comparativus* in IUS; ut, *durius, facilius, acrius: Superlativus* in IME; ut, *durissime, facillime, acerrime.*

Quae a nominibus anomale comparatis derivantur, comparationem et ipsa anomalam habent: ut, *bene, melius, optime; male, peius, pessime; parum, minus, minime*, et *minimum; multum, plus, plurimum; prope, propius, proxime.*

Positivo carent, *magis* [20]), *maxime; ocyus, ocyssime; prius, primo* vel *primum* [21]); *potius, potissimum* [22]).

Comparativo carent, *paene, paenissime* [23]); *nuper, nuperrime* [24]); *nove* et *noviter, novissime; merito, meritissimo.*

Superlativo carent, *excusate, excusatius; tempori, temporius; satis, satius; secus, secius* [25]).

---

18) Inveniuntur et adverbia comparata, quorum primitiva exoleverunt: ut, *saepe, saepius, saepissime; prope, propius, proxime; penitus, penitius, penitissime; satis, satius, secus, secius:* ab antiquis *saepis, propis, satis, penitus, sequus* [vel hoc postremum, ut alii volunt, a verbo *sequor*] unde et *propior, proximus; penitior, penitissimus;* item *sequior, sequius*, et in neutro *satius*, in usu perstiterunt; et apud vetustiores *saepior, saepissimus.* Vid. lib. I. cap. 4. n. 34, 37, 50 et 61. * *Diutius* vero, *diutissime*, pro *longius, longissime;* et *temporius*, pro *tempestivius*, ab ablativis *die* (pro *die*) et *tempori* (pro *tempore*) in adverbiorum naturam usu mutatis, per κατάχρησιν quandam sunt formata. * *Paenissime* vero a *paene* ap. Apuleium, Met. VIII. p. 238, suo more confictum videtur.

19) Interdum in O: ut, *tuto, tutius, tutissime;* et unum in US, *penitus, penitius, penitissime.*

20) *Magis*, ei (quo Poetae interdum utuntur) *mage* quamvis comparativae significationis, origine tamen sua nomen adiectivum esse positivi gradus, ut *potis, pote*, indeque compar. *maior*, et superl. *maximus*, pro *magior* et *magissimus*, per contractionem formata, ostendit Perizon. ad Sanct. II. 10, 1.

21) Sed haec in O vel UM, item comparativa fere omnia, nomina potius quam adverbia, ut supra diximus n. 3, censenda sunt.

22) Cicero etiam pro Muraen. c. 2, et Celsus, III. 6, med. *potissime* utuntur.

23) De qua modo dictum, n. 18.

24) Addunt aliqui comparativum *nuperius*, at eius non magis exemplum suppetit, quam nominis adiectivi *nuperior.*

25) Et ea fere omnia, quorum primitivis, sive nominibus, sive participiis, deest hic gradus.

1) *Praepositiones* ita dicuntur, quod aliis ut plurimum vocibus praeponantur; vel *appositiones*, ut, *ad patrem;* vel *compositione*, ut, *admoneo.* At id perpetuum non est: nam *tenus* semper postponitur, ut, *mento tenus;* interdum et *cum*, ut, *mecum, tecum, secum.* Aliae etiam praepositiones inverso ordine positae haud raro inveniuntur: ut, Cic. ad Attic.

Digitized by Google

CAP. II.

De Praepositione.

Praepositio [1]) est pars orationis invariabilis, unius substantivi ad alterum relationem significans [2]).

Praepositiones sunt vel *Separabiles* vel *Inseparabiles*.

Inseparabiles, quae separatim, sive extra compositionem, usurpantur.

Inseparabiles, quae in compositione tantum inveniuntur.

Praepositioni accidunt tria, *Casuum rectio* [3]), *Species* et *Figura*.

I. Praepositionum separabilium aliae accusativum, aliae ablativum, aliae *utrumque* casum regunt.

1. *Accusativum* regunt Praepositiones viginti et octo; *Ad*, *apud*, *ante*, *adversus* vel *adversum*, *cis*, *citra*, *circum* vel *circa*, *contra*, *erga*, *extra*, *intra*, *infra*, *iuxta*, *ob*, *per*, *praeter*, *propter*, *post*, *penes*, *pone*, *secus*, *secundum*, *supra*, *trans*, *ultra* [4]).

VI. 1, *Diem statuo satis laxam, quam ante ei solverint, dico me centesimas ducturam.* Tac. Annal. IV. 5, *Misenum apud et Ravennam.* Caes. B. G. VII. 33, *Quos inter controversia esset.* Tac. Annal. III. 75, 4, *Illi, quod praeturam intra stetit, commendatio ex iniuria oriebatur.* Quinctil. IX. 3, *Neminem posse alteri dare matrimonium, nisi quem penes sit patrimonium.* Flor. Proem. *Ut si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, aetatem ultra putet.* Sueton. Ner. XXXIII. 7, *Cogitque se coram venenum quam posset velocissimum coquere.* Cic. de Invent. I. 19, *Delectatio non aliena ab eo negotio quo de agitur.* Apud Poetas vero haec quam Anastrophen vocant, frequentissima est: ut, Virgil. Aen. I. 92, *Maria omnia circum.* Val. Flacc. I. 44, *Hospita vina inter.* Plaut. Amph. II. 2, 21, *Omnia adsunt bona quam penes est virtus.* Virg. Geo. III. 42, *Te sine nil altum mens inchoat.* Id. Aen. II. 792, *Ter conatus ibi collo dare brachia circum*, pro *circumdare*. Cui non multum absimile illud Ciceronis pro Sulla, c. 8, *Gaudeat suo generi me meum ante non ponere.* * Praepositionibus, quae casibus suis plerumque postponuntur, vulgo accensent *usque* et *versus*: at haec vere adverbia, non Praepositiones esse, docti iamdudum ostenderunt. Vid. not. 4.

2) Alii definiunt, *Praepositio est vox invariabilis, quae vel appositione vel compositione aliis vocibus praeponitur, ad motum vel quietem significandam.* Alii, *Vox invariabilis natura sua casum regens.* Alii denique, *Pars orationis invariabilis, verbo nomen certo quem regit casu adiungens, ad significandam quandam circumstantiam.*

3) Eodem iure praepositionibus accidit *Casuum rectio*, quo nominibus *motio*: nam, ut hoc nominum fere adiectivorum; ita et illud praepositionum duntaxat separabilium accidens est.

4) Accusativum regentibus vulgo adiiciunt, *Circiter*, *prope*, *usque* et *versus*: verum cum non ab his ipsis, sed a praepositione *ad*, saepius quidem intellecta, nonnunquam et expressa, accusativus regatur; merito in-

Digitized by Google

2. *Ablativum* postulant Praepositiones quindecim, *A, ab, absque, cum, clam* [5]), *coram, de, e, ex, pro, prae, palam, sine, tenus* [6]).

3. *Accusativum* vel *Ablativum* regunt Praepositiones quatuor, *In, sub, super*, et *subter* [7]).

¶ Praepositiones, cum casum suum amittunt, *Adverbia* fieri vulgo existimantur: ut, *Longo post tempore venit* [8]).

---

ter adverbia ea reiicinntur. Eodem quoque ordine Perizon. ad Sanct. I. 16, 1 et 9, habenda censet, *adversus, iuxta, propter, secus, secundum*. At quanquam haec primaria sui notione (quod Perizonius contendit) adverbiorum naturam habuerint; cum tamen alia nusquam praepositio iis adiuncta iam legetur; non est, (ut Ursini sententiam p. 1047, meam faciam) quod praepositionum tribu ea moveamus, quae adverbiorum, si quam habuerint, naturam iampridem deposuerunt. *Iuxta* quidem, cum pro *aeque* aut *similiter*, et *secus*, cum pro *aliter*, accipiuntur, adverbia sunt.

5) *Clam* interdum cum accusativo iunctum invenitur: ut Plaut. Amph. Prol. 107, *Is amare occoepit Alcumenam clam virum*. Ter. Hec. III. 3, 36, *Ut clam eveniat partus patrem:* unde et a quibusdam inter praepositiones utrique casui servientes numeratur. Id. Plaut. Mil. III. 3, 9, cum dativo adhibuit, *Mihi clam est*. Priscianus lib. XIV. col. 938, *clam* censet magis adverbium esse quam praepositionem; cuius et suae opinionis tres adfert rationes: Primam, quod nec localem habeat aliquam significationem, quam plerumque praepositiones possident. Secundam, quod qualitatem demonstret, quae in adverbiis inveniri solet, et diminuatur, quod nulli praepositioni accidit, ut *clanculum*. Tertiam, quod possit absque casu proferri: ut, *bona aperte facit, mala autem clam*. Sed hoc postremum cum multis aliis praepositionibus habet commune.

6) Addunt vulgo *procul*, quod vere adverbium esse ostendit saepius adiecta praepositio *a* vel *ab*: ut, Virg. Ecl. X. 46, *Procul a patria*. Cic. Tusc. V. 14, *Procul ab omni metu:* et ita fere Ciceronem loqui, notat Gifanius Observ. L. L. p. 290. Accusativo quandoque iunctum, probatum eunt Despanterius, p. 289, Linacér, p. 318, et Sanctius, p. 155, his exemplis; Curtii, V. 5, 0, *Procul urbem*. Livii lib. XXXI, *Locus procul muros satis aequus agendis vineis fuit*. Plinii, IX. 53, *Villa est Campaniae haud procul Neapolim*. At (quod Vossio Anal. IV. 22, Scioppioque ad Sanct. d. l. observatum) melioribus libris, *urbe, muris Neapoli*, leguntur. Eiusdem quoque fidei est, quod e Curtio, IV. 13, 35, quidam obiiciunt, *Impedimenta haud procul aciem in edito colle constituit:* pluribus enim et emendatioribus codd. *acie* illic habetur.

7) Quibus addi potest et *clam*, ut modo diximus.

8) Hoc fit in hisce praepositionibus, *Ante, circa, clam, coram, contra, infra, intra, iuxta, palam, pone, post, propter, secus, subter, super, supra, ultra*. Atqui cum casus his debitus in sensu fere lateat, qui et apte satis exprimi possit, satius est existimare eas etiam casu destitutas praepositionum naturam retinere. Sic illud Virg. Ecl. I. 30, *Longo post tempore venit*, integrum erit, *post illud tempus*. Sic in illo Cic. Offic. I. 15, *Quod contra fit a pleriaque*, supple *hoc* vel *illud negotium*. Nonnunquam tamen vere adverbiascere, cum nullus his casus intelligi potest, docet Ursinus, p. 1050: ut Plaut. Amph. II. 2, *Si huic eam adveraum*, Id. Mil. III. 3, 9, *Mihi clam est*. Sallust. Iug. 93, *Plebi patribusque iuxta carus*. Ter. Eun. IV. 7, 24, *Quae mihi ante oculos coram amat*

Digitized by Google

II. Respectu speciei, aliae Praepositiones sunt *primitivae*: ut, *ad*, *apud*, *ante*, *a*, *e*, *pro*, *in* [9]), etc. aliae *derivativae*: ut, *adversus*, *secundum*, ab adiectivis *adversus*, *-a*, *-um* [10]); *secundus*, *-a*, *-um*; *circa*, a *circus*; *iuxta*, a *iungo*; *propter*, a *prope*, quasi *propiter* [11]).

III. Respectu figurae Praepositiones aliae sunt *simplices*: ut, *ad*, *ante*, *abs*; aliae *compositae*: ut, *exadversum* [12]), *inante*, *exante* [13]), *absque* [14]).

¶ Praepositiones cum aliis vocibus compositae significationem suam plerumque retinent: ut, *abeo*, *adeo*, *insum*, *praepono*.

Excipe 1. IN, cum nominibus et participiis per se compositum, privationem plerumque significat: ut, *infidus*, *indoctus*, *inauditus*. 2. IN, cum verbo plerumque auget: ut, *infringo*, *induro*, i. e. *valde frango*, *valde duro*: atque eam quoque in participio significationem retinet, *infractus* [15]) *induratus*, pro *admodum fractus*, vel *duratus*.

* Interdum in participiis contrariam significationem habet: ut, *invocatus*, *infrenatus*, *immutatus*; saepius affirmativo verborum *invoco*, *infreno*, *immuto*; nonnunquam

---

torem adduxti tuum. Cic. Verr. V. 26, *Palam ante oculos omnium.* Sallust. Catil. 36, *Caeterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis,* pro *praeterquam.* Vid. eund. Ursin. p. 1088 et seqq.

9) Ex his multae sunt a Graecis derivatae: ut, *ab*, ex ἀπὸ; *ante*, ab ἀντὶ; *ex*, ab ἐκ vel ἐξ; *in*, ab ἐν; *per*, a περὶ; *prae*, a πρὸ vel πρὸν; *sub*, ab ὑπὸ; *super*, ab ὑπὲρ.

10) Ita Ursinus, p. 1086: at Perizonius, p. 150, et ante eum Vossius Anal. IV. 22, ex *ad* et adverbio *versus* compositam volunt.

11) Item *citra*, *extra*, *infra*, *intra*, *supra*, *ultra*, ab antiquis adiectivis, *citer*, *exter*, *infer*, *inter*, *super*, *ulter*; in quorum nonnullis, nempe in *exterus*, *inferus*, *superus*, terminatio *us* praevaluit.

12) Sic Cic. Divin. I. 45, *Ara exadversus eum locum consecrata est*; et C. Nep. II. 3, 4, *Ut exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent*, cum accusativo construunt.

13) De *inante*, *exante*, ambigi possit, an non divisim rectius scribantur: ut ap. Cic. Phil. III. 8, *In ante diem quartum Kalendarum Decembris distulit*, h. e. *usque in eum diem*. Item Liv. XLV. 2, *Supplicatio indicta est ex ante diem quintum Idus Octob.* i. e. *ab eo die*. Et Plin. XI. 16, init. *Gignitur id maxime Arcturi exortu, ex ante pridie Idus Septembris*, i. e. *eo die, qui pridie Idus est.* ¶ Porro praepositiones inter se compositae, adverbia vel coniunctiones plerumque evadunt; ut, *insuper*, *desuper*, *propalam*, *protinus*, *circumcirca*, *praeterpropter*. Sic *circumsecus* ap. Apuleium Met. II, qui et *incoram sui* Met. IX, pro *in praesentia sui* dixit.

14) *Absque* ex *abs* et coniunctione *que*, nisi mavis cum Vossio Gram. min. p. 163, *que* syllabicam hic adiectionem statuere.

15) Vid. supra p. 805.

Digitized by Google

et negativo, pro, *non vocatus*, *non frenatus*, *non mutatus*, sensu accepta [16]). 3. IN etiam aliquando cum nomine auget: ut, *incanus*; *incurvus*. 4. PER saepius auget: ut, *percarus*, *perdifficilis*, *perfero*, *perfruor*. Interdum privat: ut, *perfidus*, *periurus*. 5. PRAE interdum auget: ut, *praeclarus*, *praedives*, *praevaleo*, *praepolleo*. 6. SUB quandoque minuit: ut, *subtristis*, *subirascor*. 7. DE saepe deorsum significat: ut, *decido*, *decurro*. Interdum privat: ut, *demens*, *decolor*, *deformis*, *deartuo*, *depilo*, *denaso*. 8. EX itidem interdum incrementum: ut, *exclamo*, *exaggero*: interdum privationem; ut, *exsanguis*, *exanimo*, significat.

De Praepositionibus inseparabilibus.

Praepositiones inseparabiles [17]) sunt sex; *Am* [18]), *dis* [19]), *re* [20]), *se* [21]), *con* [22]), *ve* [23]); ut, *amburo*, *distraho*, *repono*, *seiungo*, *convello*, *vesanus* [24]).

---

16) Vid. supra ibid. n. 19.

17) Eas Loquelares appellat Probus, c. 1427, eo quod *loquelis* in compositione inserviant: confer et Charis. col. 204, et Diomed. col. 404. Caeterum *Praepositiones* proprie non sunt, sed solum ita nominantur, quod instar verarum, i. e. separabilium praepositionum in compositione praepositae certam significandi vim vocibus quibus praeponuntur, ut illae, adiiciant. Vid. Ursin. p. 1051.

18) AM, AN, integre *ambe* vel *ambi*, *circum* notat, ex Gr. ἀμφὶ: ut, *ambages*, *ambedo*, *ambigo*. Sic *anquiro*, *undique quaero*, *amicio*, *circumiacio*; *amsancti valles* ap. Virg. Aen. VII. 565, i. e. *loci ex omni parte sancti*, ut Servius interpretatur. Olim et extra compositionem utebantur, ut Cato in Orig. *Am terminum*, i. e. *circa*, ap. Macrob. Saturn. I. 14; unde et Cominianus ap. Charis. col. 204, inter eas reponit quae casum regunt, exemplumque addit, *am segetes*.

19) DIS sive DI, ex Gr. δίς, *bis*, vel potius διὰ, *per*, divisionem vel distinctionem notat: ut, *disiungo*, *disiudico*. Interdum negat vel privat: ut, *diffido*, i. e. *minus fido*. Interdum auget: ut, *discupio*, i. e. *valde cupio*. Porro DIS (ut ait Priscianus, col. 1002,) praeponitur, cum sequuntur *c*, *f*, *i*, *p*, *s*, *t*: ut, *discumbo*, *differo* (*s* in *f* converso) *disficio*, *displiceo*, *dissero*, *distineo*. DI vero, cum aliae consonantes: ut, *diduco*, *digero*, *diluo*, *dimitto*, *dinumero*, *diruo*, *divello*. Sequente vocali DI vel DIS vix reperies.

20) RE saepius iterationem significat, ut *relego*, *rebibo*; vel reciprocationem, ut *redamo*; vel idem quod *retro*, ut *respicio*, *revertor*. Interdum privationem notat: ut, *retego*, *recingo*, *resero*, *revelo*, *recludo*; vel repugnantiam, ut *reclamo*, *reluctor*, *renitor*; vel respectum ad rem vel terminum unde, ut *refringere*, *resecare*, i. e. *aliunde frangere*, *secare*: sic *resolvere*, *revellere*. Interdum contrarias significationes habet: ut, *recantare* est vel *iterum cantare*, vel *quod prius cantatum est alio carmine contrario delere*: *recondere* vulgo idem quod simplex *condere* vel *abscondere*; pro *promere* autem Propertius utitur, II. 25, 50. Sic *retegere* plerumque est idem quod *detegere*: at *retectis pedibus* ap. Sueton. Aug. 78, est *bene et diligenter tectis*, ut Casaubonus interpretatur. Sic *refigere*

Digitized by Google

CAP. III.

De Interiectione.

Interiectio est pars orationis invariabilis, motum aliquem animi significans, sententiamque per se perficiens [1]).

Praecipuas interiectionum significationes in Rudimentis nostris recensuimus.

Interiectioni accidunt duo, *Species* et *Figura*.

I, *Derivativae* sunt, *evax*, ab *Evan* [2]); *bombax* [3]) a *bombus* [4]). *Primitivae*, caeterae fere omnes: ut, *o*, *heu*, *vah*, *papae* [5]), etc.

---

plerumque id *quod prius fixum est rescindere* vel *educere* significat; ut ap. Virg. Aen. VI. 622, *Fixit leges pretio atque refixit:* ap. eund. vero Geo. IV. 202, *Aulasque et cerea tecta refigunt*, RE παρελκειν Servius putat, *reficiunt* interpretatur Taubmannus, at Pierius *refingunt* legit. Confer Ursin. p. 1083, et Broekhusium ad Propert. l. cit.

21) SE vel SED, pro *sine*, veteres dixerunt, teste Festo. Privandi vim habet: ut, *securus, sine cura; segnis, sine igne; sedulo, sine dolo:* aut (quod eodem fere redit) separationem significat: ut, *secubo, seduco, sevoco*, i. e. *seorsum, cubo, duco, voco.* Interdum *e* in *o* mutatur: ut, *sobrius, socors*, i. e. *se*, vel *sine bria, sine corde.* Aliquando SE in compositis corruptum est a *semis*, ut in *selibra, semodius;* pro *semilibra, semimodius.*

22) CON in compositis pro *cum* dictum clarioris soni gratia videtur: quia tamen Quinctilianus, I. 5, prop. fin. et Gellius, II. 17, ea pro diversis habent, nec *cum* unquam in compositione invenimus, ideo CON suum locum, quem Grammaticorum plerique ei dederunt, inter *Loquelaria* tenere voluimus. Caeterum CON ante vocalem *n* amittit; ut, *coalesco, cohibeo, cogo, cohaereo:* consonis praepositum in eas saepe transit; ut, *collido, committo, corrado:* interdum *b* adsciscit, ut, *comburo.*

23) VE in compositione minuit vel vitiat notionem simplicis: ut, *vegrandis, male grandis; vesanus, male sanus; vecors, malo seu perverso corde sive animo praeditus; Veiovis, malus Iupiter;* quem alii pro Plutone, Orco, seu Iove Stygio accipiunt, ut Martianus Capella, et Papias in Glosa. Alii de Iove puero vel adolescente; ut, Ovid. Fast. III, 445, et Festus in *Vesculi*, intelligunt. Confer et Gell. V. 12, cuius de his paulo diversa opinio est.

24) Addunt quidam praepositionibus inseparabilibus AN, DI et NE. Sed AN et DI non magis differunt ab AM et DIS quam OC aut COM a CON [vel *cum*:] NE autem adverbium est, quod in compositione interdum producitur; ut, *nequaquam, nequicquam:* interdum corripitur; ut, *nefas, nefastus:* item, *nego* a *ne*, pro *non*, et *ngo*, et *negotium*, a *ne*, et *otium*, *g* intersecto.

1) An Interiectio pars orationis dici mereatur, an distincta ab adverbio, an denique opus sit eam tradere in Grammatica disputantes Vid. Sanct. I. 2; Frischlin. in Praef. Gram. Lat. Voss. Anal. IV. 28; Ursin. p. 1102.

2) *Evax* exultantis interiectio ap. Plaut. Cunc. I. 2, 8, etc. ab *Evan* nomine Bacchi.

Digitized by Google

II. Rursus *Simplices* sunt pleraeque: ut, *hei*, *hui*, *proh*, etc. *Compositae* nonnullae: ut, *ehodum*, *eugepae*[6]).

¶ Obs. Quaedam nomina et verba usque adeo naturam Interiectionum induerunt, ut pene interiectiones videantur: qualia sunt, *malum! turpe! nefas! sodes*, *amabo*, *quaeso*, et alia nonnulla[7]): ut Plaut. *Quae haec, malum! impudentia est?* Virg. *Sequiturque, nefas! Aegyptia coniunx.* Horat. *Corrige, sodes, hoc, aiebat et hoc.*

CAP. IV.

De Coniunctione.

Coniunctio est pars orationis invariabilis, quae connectit et ordinat sententias[1]).

---

3) Ap. eund. Plaut. Pseud. I. 3, 131.

4) Vel a Gr. βόμβος, voce a sono conficta. Similiterque *pax!* interiectio silentium sibi vel alteri imponentis, ut ap. Ter. Heaut. IV. 3, 38, *Pax! nihil amplius*, non est a nomine *pax*, *pacis*; sed ab interiectione Graeca πάξ. Vid. Priscian. col. 980, in primis vero Voss. loco proxime laudato.

5) In Latina lingua intellige: aliter enim *papae* est a Gr. βαβαί, vel, ut Lucianus habet, παπαί. Sic *evohe*, vel *evoe*, aut *evoe*, vox Bacchantium est, a Gr. εὐοῖ: et *pax* (ut modo dictum) a Gr. πάξ.

6) Ap. Plaut. Amph. IV. 1, 10. et alibi saepe.

7) In his autem voces aliquae ad sensum perficiendum desunt: ut, *malum!* integre sit, *malum tibi, ei* vel *iis sit*; *sodes, si tu audes*; *amabo*, pro *amabo te*: et sic in aliis.

1) Coniunctione non singulas voces (quae vulgata est Grammaticorum opinio) sed sententias tantummodo coniungi contendunt (post Scaligerum de caus. L. L. XI. 165, et Sanctium, I. 18,) Vossius Anal. IV. 25, Methodi auctor. p. 516, et Ursinus, p. 1010. At contra accuratissimus Perionius ad Sanct. l. c. et III. 14, 1, mihi ostendisse videtur nonnunquam et singula solum vocabula iis coniungi. In his enim et similibus, *Emi equum centum aureis et pluris*; *Saulus et Paulus sunt iidem*; non duplex, sed unica est oratio. Eandemque rationem esse existimo haxum locutionum, *Inter os et offam* ap. Gell. XIII, 17. *Irae sunt inter Glycerium et gnatum* ap. Terent. Andr. III. 3, 29. *Est Iudaeam inter Syriamque Camelus* ap. Tac. Hist. II, 78, 4. Non ignoro INTER quandoque in iis geminari: ut ap. Horat. Sat. I. 7, 11, *Inter Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem Ira fuit capitalis*; et Epist. I. 2, 11, *Nestor componere lites Inter Peliden festinat et inter Atriden*, Cic. contr. Rull. II. 33, pr. *Videte quantum intervallum sit interiectum inter maiorum nostrorum consilia, et inter istorum hominum dementiam.* Videsis hac de re inter se digladiantes, hinc Bentleium ad Horat. l. cit. illinc Cuningamium nostrum Animadv. p. 244 et seqq. et Johnson. Aristarch. Anti-Bentl. part. 2, p. 81, et p. 114: qui tamen omnes mihi nonnihil a rationis tramite deerrasse videntur: Bentleius, quod hanc loquendi formam, optimis etiam auctoribus usitatam, vitiosam atque Horatio [praesertim] indignam putet. Cuningamius, quod exempla afferat ple-

Digitized by Google

Praecipuae Coniunctionum significationes [2]) in Rudimentis per suas quaeque classes distributae enumerantur.

Coniunctioni accidunt tria, *Species*, *Figura* et *ordo*.

I. Pleraeque Coniunctiones *Primitivae* speciei sunt: ut, *Et*, *ac*, *sed*, *at*, *nam*, *si*, *seu*, *vel*, *nec*, etc. [3]).

Quaedam etiam *derivatae*: ut, *quod*, a *quis*; *verum* et *vero*, a *verus*; *modo*, a *modus*; *tamen*, a *tam*; *autem*, ab *aut*, etc.

II. Quaedam Figurae *Simplicis* sunt: ut, *at*, *nam*, etc. Quaedam compositae: ut, *atque*, *namque*, etc.

Componuntur autem Coniunctiones variis modis:

---

raque inepta, nec adversus Bentleium hilum facientia; qualia sunt illa, Virg. Aen. IX. 556, *At pedibus longe melior Lycus, inter et hostes, Inter et arma.* Tibull. II. 1, 67, *Ipse interque greges, interque armenta Cupido Natus:* et V. Flacci, V. 13, *Ecce inter lacrymas interque extrema virorum Munera*, etc. Neque enim in his, praepositio *inter* duos hinc et hinc terminos (quod Bentleius requirebat) vi sua et notione designat: sed contra *hostes et arma, greges et armenta, lacrymae et extrema virorum munera*, amplificatione, non Poetis modo, sed scriptoribus aliis omnibus frequentissima, pro una eademque re sunt posita. Errat denique, ut mihi quidem videtur, Rich. Iohnsonus, qui in hoc Horatii, *Inter Hectora Priamiden*, etc. duas diversas sententias statuit, hoc modo; *Ira fuit capitalis inter Hectora*, et *ira fuit capitalis inter Achillem.* Non enim (ut reponit Bentleius) *inter Hectorem fuit ira, atque iterum inter Achillem: sed semel et simul inter utrumque.* Restat igitur ut in his talibus praepositionem *inter* πλεονάζειν quidem, at non propterea vitiose positam esse dicamus.

2) Id tantum in genere de iis notandum, multas coniunctiones, sive pro diversa significatione, sive diverso quo eas accipimus respectu, Adverbiis; aut contra Adverbia coniunctionibus posse adnumerari: Sic *ac*, *atque* coniunctiones plerumque copulativae, post voces comparativas, *aeque*, *iuxta*, *perinde*; item post *idem*, *alius*, *aliter*, *contra*, *secus*, Adverbia comparandi sunt: ut, Virg. Aen. III. 236, *Haud secus ac iussi faciunt.* Nepos, XXIII. 2, 2, *Alia atque antea sentire.* Sic *cum* nunc coniunctio causalis est: ut, Ter. Phor. I. 4, 24, *Isthaec cum ita sint:* nunc adverbium temporis; ut, Cic. de Orat. III. 22, *Cum omnes gradus aetatis recordor tuae.* Sic *dum* coniunctio conditionalis; ut, Cic. Divin. II. 57, *Virtus, quae vetat spectare fortunam, dum praestetur fides*, pro *dummodo*: et adverbium itidem temporis; ut, Virg. Aen. II. 22, *Priami dum regna manebant*, pro *quando* vel *quamdiu.* Et similis multarum aliarum eiusmodi vocum ratio; de quibus consuli possunt Ursinus, p. 1087: item Tursellinus, Stewechius aliique, qui de particulis linguae Latinae ex professo scripsere. Porro *an*, *anne*, pro diverso respectu quo considerantur, vel coniunctiones suspensivae sunt, vel adverbia interrogandi: *deinde*, *denique*, *caeterum*, vel coniunctiones ordinativas, vel adverbia ordinis; *nempe*, *nimirum*, *scilicet*, vel coniunctiones declarativas, vel adverbia explanandi appellare possis.

3) Nonnulli *Speciem* ab coniunctionum accidentibus excludunt: quippe qui derivativas nullas esse volunt: si quae autem videntur, non coniunctionibus eas, sed aliis orationis partibus annumerandas: ut, *eo*, *quod*, *qui*, *quam*, *licet*, *uti*, etc.

Digitized by Google

1. Ex *nomine* et *verbo*: ut, *quantumvis*.

2. Ex *pronomine*: et (1.) Vel *adverbio*: ut, *ideo*. (2.) Vel *praepositione*: ut, *idcirco*, *quocirca*. (3.) Vel *syllabica adiectione*: ut, *quippe*.

3. Ex *adverbio*: et (1.) Vel *nomine*; ut, *utpote*. (2.) Vel *verbo*: ut, *quamvis*. (3.) Vel alio *adverbio*; ut, *quoniam*, *ex quom*, sive *cum* et *iam*. (4.) Vel *coniunctione*; ut, *neve* (per Apocopen, *neu*); *neque* (unde *nec*); *quandoquidem* [4]). (5.) Vel *syllabica adiectione*: ut, *itaque*; *quidem*, ex *qui* et *dem*.

4. Ex *praepositione*: et (1.) Vel *pronomine*: ut, *praeterea*, *propterea*. (2.) Vel alia *praepositione*: ut, *insuper*.

5. Ex *coniunctione*: et (1.) Vel *adverbio*: ut, *atqui*, ex *at* et *qui*; *sin*, ex *si* et *ne*; *etiam*, ex *et* et *iam*. (2.) Vel alia *coniunctione*: ut, *etenim*, *etsi*, *siquidem*, *tametsi*, (pro *tamenetsi*) *sive* (et per Apocopen *seu*,) *veruntamen*. (3.) Vel *syllabica adiectione*: ut, *atque*, *namque*, *nedum*; *sed*, per Apocopen ex *se*, i. e. *sine*, et *dum* [5]).

III. Ordo Coniunctionum est triplex, *Praepositivus*, *Postpositivus* et *Communis*.

1. *Praepositivi* ordinis sunt eae, quae primum in oratione locum obtinent: quales sunt, *Ac*, *atque*, *nec*, *neque*, *aut*, *vel*, *sive*, *at*, *sed*, *verum*, *nam*, *quandoquidem*, *quocirca*, *quare*, *sin*, *siquidem*, *praeterquam*, etc.

2. *Postpositivi*, quae secundo tantum [6]) loco ponun-

---

4) Sic *nisi* ex *ni* pro *ne* negativo et *si* deducit Ursinus, p. 1040.

5) *Equidem* utrum sit ex *ego quidem*, an ex *et quidem*, dubium est. Virgilius certe id non nisi verbo singulari primae personae iunxit: ut, Ecl. I. 11, *Non equidem invideo*. Aen. VI. 849, *Credo equidem*: quemadmodum et alii longe frequentius utuntur. Nonnullos tamen et optimae notae auctores, promiscue omnibus utriusque numeri personis *equidem* iunxisse constat: ut, Pers. V. 45, *Non equidem hoc dubites*. Lucan. VIII. 824, *Haud equidem immerito Cumanae carmine vatis Cautum*. Sallust. Catil. 56, *Iampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus*. Ibid. 60, *Scitis equidem, milites*. Plaut. Epid. IV. 2, 33, *Adolescentem equidem dicebant emisse*. Adde quod *ego* nonnunquam exprimatur: ut, Sallust. Catil. c. 50, *Equidem ego sic existimo*: et Iug. c. 10, *Equidem ego vobis regnum trado*. Quamobrem Vossius Anal. IV. 27, vel

tur; suntque haec quinque, *Quoque*, *quidem*, *autem*, *enim* [7]), *vero* [8]). Quibus adde, quae *Enclíticae* vocantur, *que* [9]), *ve*, *ne*.

5. *Communis* denique, quae vel primo vel secundo loco indifferenter poni possunt: ut, *Etiam*, *equidem*, *licet*, *quamvis*, *quanquam*, *tamen*, *attamen*, *namque*, *quod*, *quia*, *quoniam*, *quippe*, *utpote*, *ut*, *uti*, *ergo*, *ideo*, *igitur* [10]), *idcirco*, *itaque*, *proinde*, *propterea*, *si*, *ni*, *nisi* [11]).

---

cret. III, 286, *Rara quod eius enim constat natura.* Vid. Gifan. Ind. Lucret. in voc.

7) Quamvis *enim* praepositum Solocismi incuset Quinctilianus Inst. I. 5, non minus quam *autem* et *quoque*; invenitur tamen passim ap. Plautum, Terentium, Lucretium, nonnunquam et ap. Ciceronem et Livium, sed sensu fere adversativo pro *at enim* acceptum: ut, Plaut. Epid. V. 2, 36, *Enim isthaec captio est.* Id. Trin. V. 2, 10, *Enim me nominat.* Ter. Phorm. V. 8, 91, *Enim solus nequeo.* Id. Hec. II. 1, 42, *Enim lassam oppido tum esse aiebant.* Lucret. VI. 1275, *Enim praesens dolor exuperabat.* Cic. Attic. IV. 12, *Enim auctionem Larini video.* Liv. XXXIV. 32, *Enim ut iam ita sint haec, quid ad vos Romani?* Vid. Gifan. Ind. Lucret. Parei Lex. Crit. p. 415, Voss. Anal. IV. 26, in primis vero Gronovium utrumque ad Livii et Ciceronis locc. citt. In illo autem Taciti Hist. IV. 11, 7, *Asiaticus* (*enim is libertus*) *malam potentiam servili supplicio expiavit; enim* pro *autem* positum videtur.

8) *Vero* etiam, sed quatenus asseverandi adverbium est, praeposuerunt Terent. Adelph. III. 4, 23. Do. *An quicquam est etiam amplius!* Ae. *Vero, amplius.* Id. Eun. III. 1, 12. Gn. *Rex te ergo in oculis geuare.* Th. *Vero: credere omnem exercitum, consilia* [al. *verum.*] et Cic. Div. I. 46, *Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes.* Id. Tusc. II. 11, M. *Fuisti saepe credo in Scholis philosophorum.* A. *Vero, ac libenter quidem:* et ita alibi, notante Gebhardo.

9) *Que* interdum alteri voci iungitur, quam nativus sententiae ordo exigebat, ut, V. Flacc. I. 100, *Omnis avet, quae iam bellis spectataque fama Turba ducum;* pro *spectata bellis famaque.* Horat. Car. II. 19, ult. *Ore pedes tetigitque crura;* pro *tetigit pedes cruraque.* Sic Id. carm. sec. v. 22, *Ut cantus referatque ludos:* Et Art. v. 178, *Semper in adiunctis, aevoque morabimur aptis:* et Tibull. I. 3, 56, *Messalam terra dum sequiturque mari.* At id prorsus ineptum, cum Enclitica priori vocum per copulam iungendarum, nulla alia interveniente, apponitur; ut in hoc Alexandri, *Dant duo bos, impos, compos, custosque, sacerdos*, pro *custos, sacerdosque:* et si quis de Deo sic scripserit, *Marteque morte potest domuisse ducesque monarchas;* pro *Marte morteque, duces monarchasque.* Confer Voss. Anal. IV. 26, sub fin. Maior. de var. orat. p. 568; Laur. Vall. de recipr. *sui* et *suus* c. 6, et in eum Bad. Ascensium. Idem porro Vossius tanquam insolens notat illud Plauti Capt. II. 2, 63, *Est profecto Deus, qui quae nos gerimus, audiique et videt.* [Cfr. Broukh. ad Tibull. III. 6, 48. et Heindorf. ad Horat. Sat. I. 6, 43.]

10) *Quamvis, quanquam, quod, quia, ut, uti, si, ni, nisi*, primo loco; *tamen* et *igitur* secundo, frequentius ponuntur. Et quidem de Igitur *dubitari posse* ait Quinctilianus, loc. supra laudato, an semper postponendum sit: *cum apud alios*, addit, *sit etiam frequens, apud alios nunquam reperiatur.*

Digitized by Google

APPENDIX.

DE *FIGURIS DICTIONIS.*

Figura Dictionis generali voce Metaplasmus nominatur.

Est autem *Metaplasmus* literae vel syllabae in voce additio, detractio vel immutatio.

Eius species sunt decem: *Prosthesis*, *Epenthesis*, *Paragoge*, *Diaeresis*, *Aphaeresis*, *Syncope*, *Apocope*, *Crasis*, *Metathesis* et *Antithesis*.

Ex his quatuor vocem augent, *Prosthesis*, *Epenthesis*, *Paragoge* et *Diaeresis*: quatuor imminuunt, *Aphaeresis*, *Syncope*, *Apocope* et *Crasis*: duae denique immutant, *Metathesis* et *Antithesis*.

1. Prosthesis est appositio literae vel syllabae ad principium dictionis: ut, *gnavus*, pro *navus*; *tetuli*, pro *tuli*[1]).

2. Epenthesis est interpositio literae vel syllabae in medio dictionis: ut, *alituum*, pro *alitum*; *relligio*, pro *religio*; *induperator*, pro *imperator*[2]).

---

11) Poetae nonnunquam praepositivas etiam, *Et*, *atque*, *nec*, *neque*, *sed*, *siquidem*, *vel*, et alias forte, postponunt: ut, Virg. Aen. IX. 403, *Suspicione altam Lunam et sic voce precatur.* Horat. Sat. I. 4, 107, *Cum me hortaretur, parce, frugaliter atque Viverem uti, contentus eo quod mi ipse parasset.* Virg. Ecl. IV. ult. *Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.* Id. Aen. I. 853, *Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Coniugis.* Id. Geo. II. 321, *Prima vel autumni sub frigora.* Stat. Sylv. III. 3, 151, *Hunc siquidem amplexu semper revocante tenebas.* Confer Priscian. col. 1034, et Ursin. p. 1043. Atque etiam prosae scriptoribus interdum postponi notat Lipsius, Elect. II. 19: ut Flor. II. 6, *Nec praeter quod in bullis, singulis atque annulis erat, quicquam sibi auri reliquere*: ita enim legendum vult ille, non, ut vulgo, *cingulis*. Gell. I. 2, *Aquis undique, canoris atque avibus, personante*, scil. *villa*. Id. XIX. 19, *Nihil de periculo, de saevitia atque remissum.* At vid. Gronovium, haec omnia aliter aut legentem aut explicantem.

1) Dubitatur prius ne fuerit *gnavus* an *navus*. Ursino part. post. Append. E. p. 283 aliisque, placet *gnavus* a Graeco esse γναφεύς, i. e. *fullo*, proindeque *navus* per Aphaeresin primae literae dictum: contra Vossius, qui a *navis* cursu vocem deduxit, *g* literam κατὰ πρόσθεσιν hic adscitam agnoscit. * Neque satis firmum exemplum videtur *tetuli*: fieri enim potest, ut prius *tetuli* quam *tuli* antiqui dixerint. * Magis in rem appositi sunt *stlata*, navigii genus, pro *lata*; item *stlitem*, *stlocus*, *stritavus*, quae antiqui, pro *litem*, *locus*, *tritavus*, dicebant, teste Festo.

2) In voce *induperator*; ut et in *indugredi*, *indupedita*, sive, ut aliter et rectius scribitur, *endogredi*, *endopedita*, ap. Lucret. I. 83, VI.

Digitized by Google

5. Paragoge est appositio literae vel syllabae ad finem dictionis: ut, *mecĕ*, pro *me* [3]); *dicier*, pro *dici* [4]).

4. Diaeresis est divisio unius syllabae in duas: ut, *aulai*, pro *aulae*; *dissoluisse*, pro *dissolvisse* [5]).

5. Aphaeresis est literae vel syllabae a principio vocis ablatio: ut, *natus*, pro *gnatus* [6]); *conia*, pro *ciconia* [7]), Praenestinorum lingua [8]).

6. Syncope est ablatio literae vel syllabae e medio vocis: ut, *caldus*, pro *calidus*; *aspris*, pro *asperis*; *carectum*, pro *caricetum*; *lamna*, pro *lamina*; *puertia* pro *pueritia*; *porge*, pro *porrige*; *surpuerat*, pro *surripuerat*: item, *periclum*, *vinclum*, *poclum*, *seclum*, *circlus*, etc. pro *periculum*, *vinculum*, etc.

1008, etc. nulla proprie Epenthesis est: antiquis enim *indu*, vel potius *ndo*, praepositio est, pro *in*; ut Enn. ap. Gell. XII. 4, *Endo foro lato sanctoque senatu.* Id. ap. Macrob. Saturn. VI. 2, *Endo mari magno.* Lucret. II. 1094, *Quis habere profundi Endo manu validas potis est moderanter habenas:* et ita passim in legg. 12 tabb. ut, Sei. endo. iovs. vocet. atque. eat. sei. calvitur. pedemve. struit. manom. endoiacitod. i. e. *Si in ius vocet, atque* [h. e. *statim*] *eat. Si calvitur* [h. e. *frustratur*, sive *moras nectit,*] *pedemve struit* [vel *aufugit,*] *manum iniicito.* Confer Gifan. Ind. Lucret. * In vocibus *religio*, *retulit*, *reliquias*, et similibus, nulla consonantis geminatione ad syllabam producendam opus esse docet Vossius Art. Gramm. II. 19, et Ursin. Tom. II. Append. p. 151 et 284, multoque minus ut *Iuppiter*, *quattuor* scribamus, in quibus prima nunquam brevis invenitur.

3) Haec literae D ad finem vocis adiectio apud priscos frequentissima erat: ut in legg. 12 tabb. Ioured. ceisos. ostod. i. e. *iure caesus esto.* sed. frauded. estod. i. e. *se* [sive *sine*] *fraude esto:* et in columna Duilii, In altod. marid. i. e. *in alto mari.* navaled. praedad. poplom. romanom. donavet. i. e. *Navale* [vel *navali*] *praeda populum Romanum donavit*, etc.

4) Male huc referunt Despauterius et alii *potestur*, pro *potest*: UR enim non otiosa syllabae adiectio, sed passiva verbi terminatio est, eodem modo quo *poteratur*, *possetur*, pro *poterat*, *posset*, antiquiores dicebant. Vid. supra p. 277. n. 54.

5) In *dissoliisse*, pro *dissolvisse* et similibus, item in *siliae* ap. Horat. Car. I. 23, 4. pro *silvae*, V consona in U vocalem per Antistoechon sive Antithesin mutata dici potest. Sic *iam* ap. Plaut. Prol. Asin. pr. *Hoc agite sultis, spectatores, nunc iam:* I in I converso duarum syllabarum fit. Atque hinc esse, quod *etiam* coniunctio, ab *et* et *iam* composita, trissyllaba sit, existimat magnus Vossius, Anal. IV. 27.

6) Est enim ab antiquo *geno*, et hoc a Gr. γένομαι. Non igitur *gnatus*, pro *natus*, per Prosthesin, ut quidam volunt; sed contra, *natus*, pro *gnatus*, per Aphaeresin dictum est.

7) Plaut. Truc. III. 2, 23. Sic *rhabo*, pro *arrhabo*, ap. eund. ibid. v. 20 *sparagi*, pro *asparagi*, ap. Nonium, XVII. 1, ex Varrone.

8) Huc etiam vulgo referunt, *mitte*, pro *omitte*; *pone*, pro *depone*; *temnere*, pro *contemnere*. Sed potius dicendum hic simplex pro composito accipi.

9) Vid. supra lib. I. cap. 2. regr. 5 et 63.

Digitized by Google

¶ Huius figurae usus latissime patet, praesertim in genitivis pluralibus nominum: ut, *Aeneadum, coelicolum, Deum, liberum, serpentum, cladum, currum, nuxum*, etc, pro *Aeneadarum, Deorum, serpentium, curruum*, etc. [9]). Item in praeteritis verborum in VI, temporibusque ab eo formatis: ut, *amasti, amaram, amassem, amaro, amasse; implesti, implerunt; petii, petiisti* et *petisti; petiisset* et *petisset; audieram, audiisse* et *audisse* [10]): idque non in carmine modo, sed soluta etiam oratione. Ab *eo* autem composita longe frequentius per Syncopen, quam aliter, efferuntur: ut, *abii, perii, redii*, etc. raro vel nunquam, *abivi, perivi, redivi*.

Not. 1. Praeterita dissyllaba [11]) (praeter haec quatuor,

---

10) De his, Not. 1. In praeteritis primae coniugationis Syncopen non admittit prima persona singularis numeri. An vero et tertia singularis, aut prima pluralis eam recipiat, merito dubitatur: in illo enim Virgilii Aen. III. 2, *Ceciditque superbum Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troia*, rectius cum Servio *fumat* praesentia temporis, quam cum Probo praeteriti, pro *fumavit*, statueris. Vel enim, quod Servius addit, Enallage temporis est, ut in illo eiusdem Aen. II. 12, *Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit*, ubi pro praesenti praeteritum ponitur; vel rei continuatio significatur: *nam ruina fit brevi, fumus vero longo permanet tempore*. Idemque forte existimandum de illo Terentii, Adelph. III. 3, 10, *Omnem rem modo seni, quo pacto haberet, enarramus ordine*: in quo quidem *enarramus*, pro *enarravimus*, per Syncopen dictum vult Donatus: at praeter necessitatem, inquit Ursinus, part. I. pag. 662: ut et in aliis quae ad eum Terentii loc. congessit Guyetus. Not. 2. In verbis in IVI usitatius longe in secundis personis, itemque plusquamperfecto subiunctivi et perfecto infinitivi, *i* alterum tollitur, quam geminatur; ita frequentius dicitur, *audisti, audissem, audisse*; quam *audiisti, audiissem, audiisse*, etc. [Vid. Goerenz. ad Cic. Acad. I. p. 1.] In aliquibus usu plane abiicitur geminatio. Non enim temere reperias, ex. gr. *sciisti, sciissem, sciisse*; sed *sciti, scissem, scisse*. Not. 3. Sunt contra, quibus plenis lubentius quam imminutis utuntur oratores: ut, *audivi, munivi, nutrivi, quaesivi*. Not. 4. Usus optimus dicendi magister, in his, ut in aliis omnibus, in consilium adhibendus. Sic *arimus* et *aristis*, quae aliis paulo insolentiora sunt, pro *averimus* et *averitis*, frequenter utitur Livius; ut, *maturarimus, vindicarimus, necarimus, oppugnarimus*: II. 38, XXI. 44, XXVI. 13, *crearitis, honoraritis, existimaritis, comprobaritis*: I. 17, X. 7, XXI. 43, XXXVII. 54. Eiusdem sunt *decresset, decresse, quiesse, assuesse, consuentis, delesse, desisse, concisse, sirit, sissent*, etc. quae aliis prosae scriptoribus integra plerumque proferuntur: *repudiaritis* tamen et *siris* ususet Cicero pro Deiot. c. 11, et Tusc. I. 44.

11) Ea praesertim quorum praesentibus (ut docet Priscianus lib. X. col. 885.) inest *v* consonans: ut, *lavo, faveo, solvo, volvo*; neque enim *lasti, fasti, solsti, volsti*, patitur Latini sermonis mundities. His cum et *moveo* adiungere ait Ursinus, part. I. p. 661, at falso: continuo enim subiicit Priscianus se *submovisse*, et *commorit* ap. Horatium per concisionem dicta invenire. Addere poterat non apud Poetas modo, Virg. Aen. IV. 867, *admorunt*; Silium, XVII. 224, *amorim*, Terent. Phor. I. 2, 51,

Digitized by Google

Scisti, *nosti*, *flesti* [12]), *flasti*) Syncopen vix admittunt. Neque enim, *mosti*, *nasti*, *isti*, *tristi*, pro *movisti*, *navisti*, *ivisti*, *trivisti*, extra compositionem [13]) usquam legimus.

Not. 2. Apud Poetas a praeteritis etiam in SI aut XI terminatis, Syncope haud raro invenitur: ut, *evasti*, *percusti*, *surrexe*, apud Horatium; *extinxti*, *extinxem*, *vixet*, apud Virgilium, etc. pro *evasisti*, *percussisti*, *surrexisse*, *exstinxisti*, *exstinxissem*, *vixisset* [14]).

γ. Apocope est ablatio literae vel syllabae a fine vocis: ut, *ingeni* [15]), *peculi*, pro *ingenii*, *peculii*; *inger* [16]), pro *ingere*; *famul*, pro *famulus* [17]); *volup* [18]), pro *volupe*; *tanton'*, *men'* [19]), pro *tantone*, *mene* [20]).

---

commorat: sed ipsum Ciceronem, *commossem*, *commosset*, *commosse*, *commorit*. Vid. eum pro Planc. c. 87, extr. in Verr. III. 18, pr. et Fam. VII. 18, sub fin. et VIII. 15, pr. *Admosse* etiam ap. Livium, sed loco non indicato, notat sive Bangius sive Ursinus: et *emostis* ap. eund. XXXVII. 53, ex vett. codd. restituit Gronovius.

12) *Flasti*, pro *flavisti*, meminit Despauterius, p. 172; et *nesti*, pro *nevisti*, Priscianus l. cit. sed utriusque exemplum desidero.

13) At in horum compositis plerisque Syncope haud raro invenitur: ut, *renarint* ap. Horat. Epod. XVI. 25: *obtrisset*, *consuestis*, *delesse*, *consciisse*, *desciisse*, *decresse*, et alia de quibus diximus not. 21, ap. Livium. *Abisti*, *redisti*, *periti*; vel *abiisti*, *rediisti*, *periisti*, etc. fere semper utimur, vix aut rarissime, *abivisti*, *redivisti*, *perivisti*. De compositis verbi *moveo* iam animadversum.

14) Talia sunt, *dixti*, *intellexti*, ap. Comicos: *direxti* ap. Virg. Aen. VI. 57: *consumpsti* ap. Propert. I. 3, 37: *luxti* ap. Catull. LXIV. 21: *surrexti* ap. Martial. V. 80: *advexti* Plaut. Merc. II. 3, 56: *emunxti* Id. Most. V. 1, 60: *occlusti* Plaut. Trin. I. 2, 151: *immisti* Sil. XVII. 354: *protraxtis* Id. XVI. 84, etc. Sunt et alia minus usitata: ut, *iusso*, pro *iussero*; *dixis*, pro *dixeris*: item *recesset*, *abscessem*, *affixet*, *traxe*, *fluxe*, *illexe*, *produxe*, *promisse*, etc. pro *recessisset*, *abscessissem*, etc. de quibus vid. supra lib. III. cap. 2. n. 96, et confer Dausquium Orthogr. To. I. p. 129; Voss. Anal. III. 42; Ursin. To. I. p. 661. Singulare est *discisset*, pro *discidisset*, ap. Silium, XI. 458. *Tum Deus ut liquidi discisset stagna profundi*; quem ad locum vid. Drakenb.

15) In his Crasin potius quam Apocopen agnoscit Ursinus To. II. Append. p. 286.

16) Apud Catull. XXV. 2.

17) Sic *famul optimus* Ennius ap. Non. II. 822: *famul infimus* Lucretius, III. 1048, dixere.

18) *Volup*, pro *volupe*, usus non tantum Ennius ap. Gell. XII. 4, et Plaut. Asin. Prol. 1. Menaech. IV. 3, 8, et Mil. III. 1, 150: sed Terentius etiam Hec. V. 4, 17, *Bene factum et volup est*: nisi potius scriptum fuerit *volup' est*, aut *volupest*, e per Synaloepham extrito.

19) Haec vulgo Apostrophus dicitur, quae nota est reiectae vocalis. Nonnunquam autem cum Syncope concurrit: ut, *viden'*, *vin'*, *dixtin'*; pro *videsne*, *visne*, *dixtine*. Huc etiam revocari potest literae *s* apud veteres poetas abiectio, metri gratia facta: ut in illo Ennii ap. Gell. XX. 10, *Spernitur orator bonus, horrido' miles amatur*, pro *horridus*.

Digitized by Google

8. Crasis, quae et Synaeresis vocatur [21]), est duarum vocalium, ad diversas syllabas pertinentium, in unam syllabam contractio: ut, *Thesei*, *aureis* dissyllaba, pro *Thesei*, *aureis* trissyllabis; *vemens*, *prendo*; pro *vehemens*, *prehendo*; *Phaethon*, pro *Phaëthon* [22]).

9. Metathesis est literae vel syllabae transpositio: ut, *pistris*, pro *pristis*; *Lybia*, pro *Libya* [23]).

10. Antithesis est literae pro litera positio: ut, *faciundum*, pro *faciendum*; *optumus*, pro *optimus*, et apud antiquiores *olli*, pro *illi*; *vorto*, *voster*, *volnus*, *voltis*; pro *verto*, *vester*, *vulnus*, *vultis*.

Hae Figurae istis versiculis continentur:

Prosthesis *apponit capiti, sed* Aphaeresis *aufert.*
Syncopa *de medio tollit, sed* Epenthesis *addit.*
Abstrahit Apocope *fini, sed dat* Paragoge. —
Constringit Crasis, *distracta* Diaeresis *effert.*
Litera si legitur transposta, Metathesis *exit.*
Antithesin *dices tibi litera si varietur.*

---

20) At plane insolentes sunt Apocopae istae ap. eund. Ennium, quae memorat Ausonius in Monosyll. *Replet te laetificum gau*, pro *gaudium*: *Divum domus altisonum coel*, pro *coelum*, et *Endo suam do*, pro *domum*. Cuius generis et plura suppeditat Dausquius Orthogr. To. I. p. 131.

21) Quidam Synaeresin a Crasi distinguunt, ut haec duarum vocalium sit in unam collisio: ut, *Corus*, pro *Caurus*; *Plotus*, pro *Plautus*; *proles*, pro *prooles*; *tibicen*, pro *tibilcen*; *cludo*, pro *claudo*, etc. illa duarum vocalium in diphthongum contractio: ut, *Oilei*, *Persei*, pro *Oilei*, *Perseï*.

22) In his, *abiete*, pro *abiete*; *tenvia*, pro *tenuia*, et similibus apud Poetas, in quibus *i* et *u* vocales in consonantes *j* et *v* mutantur, tam Crasis quam Anthithesis est.

23) Non recentiores modo, sed antiquiores etiam, Charisius, col. 249, et Diomedes, col. 487, pro Metatheseos exemplo adferunt, *Thymbre*, pro *Thymber*; *Evandre*, pro *Evander*: sed illi vocativi sunt a nominativis in US, *Thymbrus*, *Evandrus*. Vid. lib. 1. c. 2. reg. 20. n. 54.

Digitized by Google

THOMAE RUDDIMANNI
INSTITUTIONES
GRAMMATICAE LATINAE

CURANTE

GODOFREDO STALLBAUM.

PARS SECUNDA
SYNTAXIN CONTINENS.

Pessime de pueris merentur praeceptores, qui aut regulas nullas tradunt aut certe statim abiiciunt, et magnifice promittunt, fore ut usu loquendi discantur constructiones. Nam illi, qui non norunt regulam, etiamsi legunt exempla in auctoribus linguae, tamen loqui non satis audent, quia non habent certam rationem, ad quam dirigant compositionem verborum. Quare publice debebant in tales *praeceptores* poenae constitui, qui praecepta fastidiunt. Omnino enim danda est opera, ut tam diu in arte detineantur adolescentes, donec perfecti grammatici, donec architecti sermonis et absoluti artifices evaserint.

Melanchthon.

LIPSIAE
SUMPTIBUS C. H. F. HARTMANNI.
MDCCCXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

GRAMMATICAE LATINAE INSTITUTIONES.

Pars Secunda.

De Syntaxi, *sive* Constructione.

Syntaxis [1]) est, recta vocum in oratione compositio.

Ea dupliciter dividi potest, 1. In *Naturalem* et *Arbitrariam*. 2. In *Regularem* et *Irregularem*.

1. *Syntaxis* Naturalis est, quae ex ipsa vocum natura profluit, ac in omnibus fere linguis est eadem [2]).

Syntaxis Arbitraria est, quae ex arbitrio Auctorum linguae alicuius oritur, ac in variis linguis varia est [3]).

2. Rursus *Syntaxis* Regularis [4]) est, quae communem loquendi consuetudinem sequitur.

---

1) Syntaxis dicitur a *συντάττω*, i. e. *una cum aliis ordino*, estque Metaphora ab ordine militari, sive acie instructa militum, desumpta. Prisciano nunc *Dispositio*, nunc *Ordinatio* dicitur; saepissime autem *Constructio*; quam appellationem agnoscit et auctor ad Herenn. IV. 18. *Consecutionem* vocat Cicero, Partit. c. 6. Crebro etiam *Structura vocum*, sive absoluto *Structura*, nominatur. Vid. Ursin. Tom. II. p. 1.

2) Hinc fluit Concordia adiectivi cum substantivo; verbi finiti cum antecedente nominativo: Rectio substantivi ab alio substantivo; accusativi a verbo activo: dativi usus, ubi significatur obiectum commodi vel incommodi, etc.

3) Ex hac oriuntur propriae ac peculiares cuique linguae loquendi formulae: ita quod *e. g.* in lingua Latina accusativus est suppositum verbi infiniti; quod particulae quaedam indicativum, quaedam alium modum exigunt; quod praepositiones aliae alium casum adsciscunt, etc. id totum est ab arbitrio hominum, neque alia eius rei reddi ratio potest, quam quod auctoribus linguae, qui ita instituerunt, sic placuit. Vid. Ursinus, ibid. p. 2.

4) In hoc differunt Syntaxis regularis et naturalis, quod haec principium sive originem Syntaxeos, illa eius normam respiciat. Priori com-

Digitized by Google

Syntaxis Irregularis est, quae communem loquendi consuetudinem non sequitur, et tamen bonorum Scriptorum auctoritate nititur.

Illa alio nomine Analoga, seu *Iusta*; haec *Anomala*, seu Figurata dicitur.

LIBER PRIMUS.

De Syntaxi regulari.

Syntaxis Regularis dividitur in *Concordantiam* [5]) et *Regimen*.

Concordantia est, quando una dictio concordat cum altera in quibusdam accidentibus [6]).

Regimen est, quando dictio regit certum casum.

CAP. I.

De Concordantia.

Concordantia est quadruplex,

1. *Adiectivi* cum *Substantivo*.
2. *Verbi* cum *Nominativo*.
3. *Relativi* cum *Antecedente*.
4. *Substantivi* cum *Substantivo*.

---

munis quidem, sed particularis alicuius linguae consuetudo; posteriori vero omnium linguarum in quibusdam consensus innititur. Distinctae igitur hae sunt, nec, ut a plerisque fit, inter se confundendae.

5) Quamvis magis Latine *Concordiam* aut *Convenientiam* dixeris: noluimus tamen longo usu receptum vocabulum mutare. Caeterum aliis Concordantia *Syntaxis intransitiva*, Regimen *Syntaxis transitiva* appellatur.

6) Est et alia *Concordantia, improprie* sic dicta, quando partes orationis nihil inter se commune habent in quo conveniant; suo tamen modo citra rectionem coniunguntur: ut accusativus tanquam suppositum verbo infinito, et particulae certae certis verborum modis, etc. Videnda. Sciopp. Gramm. philosoph. Edit. Amst. 1659. p. 23. Voss. de Construct. c. 1. extr. Ursin. p. 4. Alii contra quandam in his rectionem agnoscunt. Cl. certe Perizonius ad Sanctii Minerv. p. m. 164. n. 2. verbi cum nominativo structuram, recte etiam ait *rectionem* posse appellari. „Nam illud (inquit) in constructione regere videtur, quod in naturali vocabulorum ordine praecedit, et flagitat sibi iungi aliud vocabulum certa terminatione." Quo utique pacto, adiectivi cum substantivo, dativi cum quavis orationis parte, verbi infiniti cum accusativo, subiunctivi cum certis adverbiis aut coniunctionibus, et in universum cuiuscunque vocis cum altera in oratione constructio Regimen sive Rectio appellari potest.

Digitized by Google

1. *Concordantia Adiectivi cum Substantivo.*

1. Mobile vult fixi casum, numerumque, genusque.

Adiectivum [1]) concordat cum substantivo in genere, numero et casu: ut, Plaut. Rud. II. 3. 71. *Animus aequus optimum est aeruminae condimentum.* Horat. Epist. I. 18. 84. *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Id. Sat. 1. 5. 37. *Neglectis urenda filix innascitur agris.*

Not. 1. Substantivum saepe intelligitur: ut, Terent. And. I. 1. 2. *Paucis te volo;* supple, *verbis.* Virg. Ecl. III. 80. *Triste lupus stabulis,* supple, *negotium* [2]. Aut adiectivum eius loco ponitur: ut, Virg. Ecl. I. 47. *Fortunate senex* [3]). Cic. de Amic. c. 17. ex Ennio, *Amicus certus in re incerta cernitur* [4]).

„Sed tamen (quod ibid. addit vir doctissimus) quia Grammatici solent haec distinguere, sequamur sane eos potius, quam ut de appellatione sola litigemus." Confer Ursin. Tom. II. p. 5.

1) Sive nomen, seu pronomen, seu participium sit, ut in exemplis allatis.

2) Sic *Laborare tertiana, quartana;* puta *febri: vesci ferina, vervecina;* nempe, *carne; donari civica;* supple, *corona: repetundarum reus;* nimirum, *pecuniarum: primas tenere;* sc. *partes: in Tusculano;* nempe, *praedio: calida lavari;* puta *aqua,* etc. in quibus conciso sermonis genere substantivum vulgo notum intelligitur.

3) Talia fere sunt adiectiva, quae certa notione sic ponuntur absolute, ut ne substantivum quidem intellectum iis addi communis patiatur Latine loquentium usus: ut, *affinis, rivalis, sodalis, coniux, maritus, sponsus, sponsa, natus, nata, tabellarius, iurisconsultus, gemini, maiores, minores, posteri, iuvenis, senex,* etc. Sic *mortalis,* pro *homine; ferus,* pro *leone, apro,* etc. *bona,* pro *fortunis* sive *facultatibus:* item participia seu participialia: ut, *medentes,* pro *medicis; volantes, natantes,* pro *avibus, piscibus; animans,* pro *animali; oriens, occidens,* pro *ortu* vel *occasu; rudens,* pro *fune; serpens,* pro *angue,* etc. quae ita iam solent pro substantivis accipi, ut eorum induisse naturam videantur. Specialim frequens est adiectivorum in neutro genere pro substantivis acceptorum usus: ut, *bonum, malum, verum, falsum, aequum, commodum, publicum, medium, commune,* pro *republica,* etc. Unde mantarunt et haec, *Egregium publicum, pessimo publico* [nisi hic *pessimo* substantivi loco sumendum sit. Vid. Part. I. p. 171. n. 1.] *alterum tantum:* et Poetice *Magnum inane,* Virg. Ecl. VI. 31. *Tepidum serenum,* Sil. XII. 4. *Incoctum generoso pectus honesto:* item, *Teneras mordaci radere vero Auriculas,* Pers. II. 74. et I. 107. Vid. Ursin. To. II. p. 12. 13. ¶ Hic vero in primis observandum est, adiectivum haud raro diverso a substantivi genere, interdum et numero, positum videri: ut, Virg. Ecl. III. 82, *Dulce satis humor.* Id. ibid. 80. *Triste — maturis frugibus imbres.* Id. Aen. IV. 569. *Varium et mutabile semper Femina.* Cic. Fam. VI. 21. *Omnium rerum mors est extremum.* Sil. XIV. 292. *Postquam immedicabile visum Seditio.* Atqui in his aliisque similibus, nulla est Enallage generis pro genere; neque, quod Despauterius voluit p. 28 et 288. ad-

Digitized by Google

Not. 2. Plura adiectiva cum uno substantivo convenire possunt: ut, Cic. Fam. Epist. III. 4. *Mea omnia* [illegible]

jectivum in substantivum convertitur: sed Ellipsis est vocis generalis *negotium*, pro *res*; ut Graeci, a quibus acceperunt eam Latini, πράγματα intelligunt. Vid. Sanct. et ad eum Perizon. p. 611. et Voss. de constr. c. 5. [Cfr. Matth. Gram. Gr. §. 437.] ¶ Notat porro idem Voss. d. l. et ante eum Linacer. p. 441. ac deinde Danes. p. 32. Meth. auct. p. 440. et Lowaeus p. 8. uni substant. quod dubii vel duorum generum est, duplex adiectiv. diverso in eadem sententia genere tribui posse: ut, Ovid. Fast. IV. 495. *Hic specus horret asperitate saxi; Non homini facilis, non adeunda ferae*: ubi *specus* primo versu cum *asper* tanquam masculinum; secundo vero cum *adeunda* tanquam femininum, coniungitur. Sic id. Ovid. Met. XIII. 821. *Hoc pecus omne meum est: multae quoque vallibus errant: Multae silvis tegit: multae stabulantur in antris*: ubi prius, inquit Vossius, *pecus* neutro genere usurpat, cuius genitivus *pecoris*: postea non *pecora*, sed *pecudes* respexit. Sed, quod ab Ursino observatum, p. 15. in locis hisce Ovidianis parum roboris. Priore enim, ex melioribus codd. pro *Non homini facilis*, *Non homini regio*, n. a. f. substituit Heinsius. In posteriore autem *oves* intelligere possis: quemadmodum in illo eiusdem Ovidii, Fast. IV. 768. *Pelle procul morbos: valeant hominesque gregesque; Et valeant vigiles provida turba canes. Neve minus multas redigam, quam mane fuerunt; Neve gemam referens vellera rapta lupo*, ipse Vossius fatetur: quamvis et ibi *multos* Heinsius ediderit, in quibusdam *multo* invenerit. Ut mihi plane suspectum sit hoc dicendi genus, quod in exemplum proponit idem vir maximus, *Dies initio laetus, mox infelicissima*: ac propterea ap. Livium X. 2. extr. non cum Gronovianis, Delphinensi et Gruteriana Editt. *Eo die qua pugnatum est*: sed cum antiquioribus Ascensiana, Vascosaniana et Manutiana, *Eo die quo*, legendum putem. Similiterque in illo Tibulli, III. 6, 82. *Venit post multas una serena dies*; non, ut in quibusdam, *multos*, scriptum arbitror. Vid. Part. I. p. 22. n. 17.

4) Interdum et substantivum locum adiectivi tenere videtur: Sic Virg. Aen. I. 21. *Populum late regem*, pro *regnantem*. Pers. I. 69. *heroas sensus*, pro *heroicos*, dixere. Talia sunt et *homo histrio*, ap. Cic. de Orat. II. 46. pro *histrionicus*: *nemo homo*, ap. eund. Nat. Deor. II. 38. et Ter. Eun. III. 5, 1. pro *nullus*: *stellae errones*, ap. Gell. XIV. 1. pro *erraticae*. *Latex Lyaeus*, ap. Virg. Aen. I. 686. pro *Lyaeius sive Bacchicus*. *Urei Numidae*, ap. Iuven. IV. 99. pro *Numidici*. Item, quae ad adiectivorum naturam proxime accedunt: ut, Ovid. Art. I. 176. *amor aduena*. Liv. XXVIII. 42. *alienigena exercitus*. Plin. XIV. 6. *vinum indigena*. Et verbalia in *tor* et *trix*: ut, Gell. III. 10. *homo fabulator*, Hor. Art. v. 225. *risores Satyri*, Auct. Moreti v. 2. *excubitor ales*, Claudian. VI. 11. *exploratores ignes*. Cic. pro leg. Manil. c. 21. *victor exercitus*. Virg. Ecl. VIII. 13. *victrices lauri*. Plaut. Merc. IV. 1. 19. *mulier meretrix*. Stat. Theb. XI. 693. *Ultrix manus*. Et patronymicalia in AS et IS: ut, Ovid. Met. XIII. 109. *Pelias hasta*. Id. Heroid. XV. 154. *Daulias ales*. Virg. Geo. IV. 463. *Actias Orithyia*. Ovid. Fast. II. 94. *Ausonis ora*. Id. Heroid. II. 6. *Sithonis unda*. Virg. Aen. V. 37. *Lilystidos ursae*. Sil. XIV. 498. *Garamantide pinu*. Ovid. Pont. III. 1, 113. *Icariotide tela*. Id. Met. XIII. 412. *Dardanides matres*. Virg. Ecl. IV. 1. *Sicelides Musae*. Ovid. Met. I. 369. *Cephisides undae*, etc. Sed haec omnia ad Appositionem (de qua Reg. 9.) potius referenda sunt. Quod ad nomina gentilitia cum praenominibus iuncta attinet, ut *Marcus Tullius*, *Publius Virgilius*, etc. Ursinus Tom. II.

Digitized by Google

summa in te officia. Id. Fam. VI. 6. *Etiam externos multos claros viros nominaram* [5]).

Not. 3. Adiectivum, cum duobus substantivis diversi generis positum, cum eo cohaeret de quo potissimum est sermo: ut, Plin. Nat. Hist. III. 5. *Oppidum Paestum, Graecis Posidonia appellatum.* Id. ibid. *Dein Puteoli, colonia Dicaearchia dicti* [6]). Interdum cum substantivo propiore, licet minus praecipuo, convenit [7]); ut, Cic. de Div. II. 43. *Non omnis error stultitia est dicenda.* Ter. Phor. I. 2. 44. *Paupertas mihi onus visum est et miserum et grave.* Liv. XXIX. 14. *Ludi fuere Megalesia appellata.* * At si substantivum magis praecipuum hominis proprium sit, adiectivum cum eo concordabit: ut, Vobisc. in Bonos. *Bonosus Imperator, cum vitam laqueo finiisset, amphora pendens dictus est;* non, *dicta.* Iustin. I. 2. 4. *Semiramis, sexum mentita, puer esse credita est;* non, *creditus* [8]).

---

p. 16. ea natura quidem adiectiva, sed a veteribus absolute et instar substantivorum usurpata existimat: at Perizonius ad Sanct. I. 7, 11. vera esse et natura et usu adiectiva contendit; Despauterius ambiguus inter utrumque haerere videtur, p. 109. Si Ursini rationes sequamur, per Appositionem explicanda: si Perizonii, quae firmiores videntur, ad hanc regulam referenda sunt. Ex cognominibus autem iis adiuncta, quaedam adiectivis: ut, *Brutus, Atticus, Camillus, Cornificius, Flaccus,* etc. quaedam substantivis: ut, *Cicero, Labeo, Maro, Naso, Scipio, Caesar, Mus,* etc. accenseri possunt.

5) Vid. de hac re Budaeum, Comment. Ling. Gr. p. 47. Gifan. in Ind. Lucret. tit. epitheta geminata; Voss. de Constr. c. 3. Brockhus. ad Tibull. III. 5, 22. Cortium ad Sallust. Catil. 19, 6. in primis vero Sanctium II. 8. contra Servium, L. Vallam, aliosque Grammaticos, qui id faciendum negant, disputantes. In nonnullis tamen quae illi adferunt exemplis, Asyndeton, sive Ellipsin coniunctionis et, possis statuere: id quod in his, *Sarta tecta, ruta caesa, Deus optimus maximus, argentum purum putum,* manifestum est. V. Ursin. p. 12. [Bauer. ad Sanct. I. p. 240. sq.]

6) Hoc praecipue locum habet in adiectivis, *appellatus, dictus, habitus, creditus, visus,* et similibus.

7) At si substantivum minus praecipuum remotius sit, cum eo vix unquam adiectivum consentiet. Neque enim, *Onus mihi paupertas est visum:* aut, *Megalesia ludi illi erant appellata,* dicendum existimo. Quod ad illud Livii attinet, I. 8. extr. *Patriciique progenies eorum appellati,* praeterquam quod *appellati* ad *patres,* quod praecesserat, possis referre; licet insuper et Synthesin hic agnoscere, eodem pacto quo *Pars virgis caesi, Manus pugnando vulnera passi,* et id genus alia, frequenter dicuntur.

8) Excipe relativum *qui, quae, quod:* id enim inter duo substantiva diversi generis (quorum alterum hominis proprium, alterum appellativum sit) positum, cum eo quod appellativum est, nonnunquam genere convenire deprehenditur: ut, Cic. Phil. V. 14. *Pompeio enim patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, exstincto, interfectus est patris simillimus filius.* Sed eiusmodi exempla rarissima sunt: neque propterea, *Sci-*

Digitized by Google

2. *Concordantia Verbi cum Nominativo.*

2. Ante capit rectum quod personale modique
Finiti est verbum: numerus personaque par sit.

Verbum personale [9]) finiti [10]) modi concordat cum nominativo ante se in numero et persona: ut, Plaut. Asin. I. 1. 112. *Quid ego cesso.* Virg. Geo. I. 145. *Labor omnia vincit.* Senec. Ep. 122. *Omnia vitia contra naturam pugnant.*

Not. 1. Nominativus primae et secundae personae raro exprimitur: ut, Cic. Fam. I. 6. *Non fallam opinionem tuam.* Ter. Heaut. I. 1. 55. *Quod te dignum est, facies.* Ovid. Amor. III. 4. 18. *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata* [11]).

Excipe, si personarum Discretio, aut res cum Emphasi significanda sit. Est autem discretio, cum diversa hominum studia indicantur: ut, Auct. ad Herenn. IV. 53. *Ego Reges eieci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem peperi, vos partam servare non vultis.* Emphasis est, cum plus significatur, quam expresse dicitur: ut, Cic. Verr. III. 16. *Tu innocentior es, quam Metellus?* Ovid. Heroid. III. 52. *Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras* [12]).

Not. 2. Verbis tertiae personae saepe aut infinitivus aut oratio aliqua loco nominativi praeponitur: ut, Pers. V. 52. *Velle suum cuique est* [13]). Cic. Fam. VII. 3. *Va-*

---

pio Nasica, quod est Corculum appellatum: sed cum eod. Cic. de clar. Orat. c. 20. *qui est Corculum appellatus,* dixerim.

9) Nam impersonale nullum ante se casum habet, Vident. Part. I. p. 273.

10) Modus enim infinitus ante se accusativum, ut mox dicetur, postulat. * Hic autem vulgo docent secundas Imperativi modi personas cum vocativo convenire: ut in illis Virgilii, *Tityre pasce capellas: Huc ades O Meliboee.* Atqui animadvertendum, vocativos hosce non partem esse sententiae, neque cum imperativo immediate congruere; sed animo reticeri nominativum *tu*, hoc pacto supplendum: *Tityre, tu pasce; O Meliboee, tu huc ades.*

11) Item pronomina tertiae personae *is* et *ille*, vel potius, in longa sive continuata orationis serie, idem nominativus, qui plurium verborum communis est, primo quidem verbo exprimitur, caeteris vero ad vitandam ingratam ac minime necessariam eiusdem vocis repetitionem omittitur.

12) Sic cum insigni Emphasi dictum est illud Cic. in Cat. I. 1. extr. *Nos, nos, dico aperte, nos Consules desumus:* ita enim legit Priscianus, col. 1076. plerisque editis postremum *nos* omittitur.

13) Hic infinitivus pro substantivo sumitur, nam *velle suum* idem est ac *voluntas sua.*

Digitized by Google

care culpa magnum est solatium. Id. Verr. I. 58. *Incertum est quam longa nostrum cuiusque vita futura sit* [14]).

Not. 3. His verbis tertiae personae, *Aiunt, ferunt, dicunt, perhibent*, et similibus, nominativus per Ellipsin saepe intelligitur: ut, Plaut. Merc. II. 2. 25. *Aiunt solere senes repuerascere.* Ovid. Art. II. 593. *Teque ferunt irae poenituisse tuae*; supple, *homines* [15].

Item in his, *Pluit, tonat, ningit, gelat, lucescit, vesperascit*, etc. [16]) ubi *Deus, coelum, aqua*, aut simile, intelligitur [17]).

Not. 4. Saepe intelligitur verbum substantivum: ut, Virg. Aen. V. 685. *Nam Polydorus ego*; supple, *sum.* Cic. Tusc. II. 12. *Nihil bonum nisi quod honestum; nihil malum, nisi quod turpe*; supple, *est.* Iuven. XIII. 26. *Rari quippe boni*; supple, *sunt.*

Not. 5. Nonnunquam nominativus infinitivo praeponitur, subaudito *coepit* vel *coeperunt* [Hoc supplemento abstinebis]: ut, Virg. Aen. V. 685. *Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem.* Ter. Eun. III. 1. 20. *Invidere*

---

14) His addi possunt adverbia pro substantivis posita: ut, Livius, XXXIV. 36. *Auxiliorum affatim erat*, pro *copia.* Virg. Aen. VII. 552. *Terrorum et fraudis abunde est*, pro *abundantia.* Nisi hic potius subaudienda sit *res* aut *negotium*: ut integre dicatur, *Negotium auxiliorum erat affatim*, i. e. *magna in copia.* Sic et illud Terentii Phor. II. 3, 89. *Satis iam verborum est*, possis explicare, *Est res verborum ad satietatem.* Nisi forte *satis* est antiquum adiectivum, unde comparativus *satior*, eodem pacto quo *magis*, unde comparativus *maior*, olim adiectivum fuisse observat Perizon. II. 10, 1. Apud Martialem vero V. 58. *Quam longe est cras istud? ubi est? aut unde petendum? cras* figurate usurpatur pro *dies crastinus.*

15) Simile est, *Sunt quos arma delectant*, sc. *homines; Tradunt*, sc. *scriptores.* Item in singulari: ut, Hor. Car. I. 1, 19. *Est qui nec veteris pocula Massici Sperait*, supple *aliquis.* Gell. XII. 14. *Erat qui diceret legisse se*, etc. *Est* quoque pro *sunt*, per Atticismum, adhibuit Propertius, III. 7, 17. *Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae: Est quibus in celeres gloria nata pedes.* Vid. Broekh. ad loc. et Vechneri Hellenolex, p. 347. [p. 538. ed. Heusing.]

16) Haec verba Grammatici vocant *Exceptae* seu *Exemptae actionis.* Vid. Part. I. p. 277.

17) Interdum tamen nominativus additur; modo sensu activo: ut, Stat. Theb. VIII. 416. *Stridentia fundae Saxa pluunt.* Virg. Aen. IV. 509. *Crines effusa sacerdos Tercentum tonat ore Deos.* Modo neutrali: ut, Virg. Geo. IV. 8. *Non densior aëre grando, Nec de concussa tantum pluit ilice glandis*, Tibull. II. 5, 72. *Multus ut in terris deplueretque lapis.* Virg. Aen. VIII. 419. *Antra Aetnaea tonant.* Nonnunquam verbo impersonaliter adhibito, res ipsa in accusativo exprimitur: ut, Liv. XL. 19. pr. *In area Vulcani et Concordiae sanguinem pluit.* Vel ablativo, idque frequentius: ut, Id. XXXVI. 37. *Nunciatum est aliquoties lapidibus pluisse.* Confer Sanct. III. 1. et in eum Perizon. n. 4.

Digitized by Google

omnes mihi, mordere clanculum: ego non flocci pendere [18]). Vulgo, in his, infinitivus pro imperfecto indicativi poni existimatur; *abscindere* scil. pro *abscindebat*; *invidere*, pro *invidebant*, etc.

Not. 6. Potest quis de seipso loquens tam plurali quam singulari uti: ut, Ovid. Heroid. XVI. 85. *Nos dabimus quod ames*, i. e. *ego dabo* [19]). At unum aliquem hominem loquenti nunquam fere pluralis adhibendus est: ut, Ovid. Met. XIII. 565. *Tu vires sine mente geris; non, vos geritis* [20]).

---

18) Haec Ellipsis Historicis satis frequens; Poetis, praeter Comicos, paulo rarior; Oratoribus adhuc rarior, non ita tamen, quin, contra quam quidam existimant, et ii nonnunquam sic loquantur. Nam Ciceronis est, de Orat. II. 56. *Galba autem alludens varie et copiose, multas similitudines affert, multaque pro aequitate contra ius dicere:* et pro Cluent. c. 21. *Hic iudices ridere; stomachari atque acerbe ferre patronus causam sibi eripi.* Id. Attic. XI. 9. *Hic Ligurius furere.* Id. Offic. III. 14. *Stomachari Canius.* Plin. Paneg. c. 22. *Te parvuli noscere, ostentare iuvenes, mirari senes.* Addé eund. Epist. IX. 18 et 33. et confer Despauterium, p. 208. et Voss. de Constr. c. 19. p. m. 394. * Hic porro observandum, multa reperiri loca, in quibus eiusmodi infinitivis τὸ *coepit* commodè satis adiicere vel intelligere nequeas: ut, Sallust. Iug. 50, 6. *Sin opportunior fugae collis, quam campi erant, eo vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere: nostros asperitas et insolentia loci retinebat,* etc. 92, 9. *Milites neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare: optimus quisque cadere, aut sauciari; caeteris metus augeri.* Ubi diversa videntur verba intelligi, in prioribus et negativis *poterant*, in posterioribus *coepit.* Plura Vid. ap. doctiss. Perizon. ad Sanct. IV. 5, 3. cuius de hac re iudicio omnino standum videtur: „Crediderim, inquit, frequentatam primo hanc Ellipsin τοῦ *coepit*, atque ita infinitum pro imperfecto indicativi in narrando adhiberi coeptum, et adhibitum deinceps etiam, ubi τὸ *coepit* intelligi non posset, atque adeo directe tunc pro imperfecto illo, nulla Ellipseos alicuius habita ratione. Unde et promiscue modo infinitum, modo imperfectum in eadem periodo occurrit. Sall. Catil. 48, 1. *Interea plebes Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere, veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabant.* Et 60, 4. *Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere,* etc. *strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur.*"

19) Quin et in eadem periodo potest quis de seipso loquens modo singulari, modo plurali uti: ut, Virg. Ecl. I. 1. *O Meliboee, Deus nobis — ille mihi semper Deus: illius aram Saepe*

De Verbis utrinque habentibus Nominativum.

3. Substantiva dabunt, et verba vocantia, gestum
Quaeque notant, rectos, eadem si res sit, utrinque.

Verba substantiva, vocandi et gestus habent utrinque nominativum ad eandem rem pertinentem [21]).

Ad hanc regulam spectant:

I. Verba substantiva, *Sum, fio, forem, existo*: ut, Ter. Phor. IV. 1. 9. *Senectus ipsa est morbus.* Martial. XII. 94. *Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?* Cic. Fin. II. 19. *Quaerebas quis aut hoc miserior, aut illo beatior, foret.* Id. pro S. Rosc. c. 2. *Ego huic causae patronus extiti.*

II. Verba passiva vocandi, existimandi et cognoscendi: qualia sunt, *Appellor, vocor, nominor*, etc. [22]). *Censeor, existimor, videor, habeor;* etc. [23]). *Cognoscor, agnoscor, invenior, reperior*, etc. [24]): ut, Cic. de Orat. III. 54. *Septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur.* Horat. Sat. II. 1. 1. *Sunt quibus in Satyra videar nimis acer* [25]). Ovid. Her. XVI. 90, *Regius agnoscor per rata signa puer.*

---

labori. Et XVI. 212. *Et vos qui Tyriae regitis Karthaginis arces, Hasdrubal, huc aures, huc, quaeso, advertite sensus.* Val. Flacc. VIII. 178. *Vos, ait, Aesonide, contenti vellere capta, Nec via quae superet, nec quae fortunae videtis.* Vid. L. de la Cerda, et Arn. Drakenb. ad praedicta Virgilii et Silii loca, Heins. ad Ovid. Rem. Am. v. 164. et Gronov. de pecun. vet. II. 4. p. 77. Verum (quod a Despauterio animadversum, p. 205.) quamvis unus hisce in locis nominatim compelletur, sermo tamen ad plures cum eo coniunctos fieri intelligitur: quae et Cl. Burmanni ad d. V. Flacci loc. mens est; quod et aliis tum Graecis tum Latinis exemplis confirmat. Idem fere de Pronomine *vester*, quoties unum alloquimur, existimandum: ut in illo Ovid. Heroid. I. 75. — *Quae vestra libido est, Esse peregrino captus amore potes:* ubi Penelope non Ulyssis solum, sed aliorum etiam maritorum, notat incontinentiam. Similiterque illud Virg. Aen. X. 188. *Crimen amor vestrum*, non, cum quibusdam ap. Servium in loc. ad solum Cycnum, neque illud Ovidii Her. XXI. 37. *Nunc me certamine vestro Proditis*, cum Drakenborgio (ad d. Silii loc.) ad solum Acontium, sed ad alios etiam referendum arbitror. [Cfr. Matthiae Gr. Gr. §. 511.]

21) Alii generalius hanc regulam efferunt, hoc modo: *Verba, quae duorum nominum inter se nexum, vel alterius ad alterum relationem significant, eundem casum post se quem ante se. i. e. utrinque nominativum, habent.* Vid. Nov. Method. p. 867.

22) Talia sunt et *dicor, nuncupor, feror, perhibeor:* item *creor, designor, renuncior, eligor, salutor, scribor, inscribor*, et similia.

23) Item, *credor, ducor, iudicor, numeror, putor, reputor*, etc. quibus adde *appareo:* ut, Hor. Car. II. 10. 22. *Rebus angustis animosus atque fortis appare:* et *audio*, pro *dicor:* ut, Id. Sat. II. 7. 101. *Ipse Subtilis veterum iudex, et callidus audis.*

24) Adde *arguor, deprehendor, evincor, probor*, et similia.

Digitized by Google

III. Verba rei gestum aut statum significantia, qualia sunt, *Sto, iaceo, sedeo, eo, incedo, evado, fugio*, etc.[26]): ut, Ovid. Met. I. 149. *Victa iacet pietas.* Tibull. I. 1. 56. *Et sedeo duras ianitor ante fores.* Cic. pro Muren. c. 6. *Nemo fere saltat sobrius*[27]).

IV. Quaelibet fere verba nominativum utrinque admittunt, cum utrumque nomen ad eandem rem pertinet: ut, Cic. pro L. Cornel. c. 5. *Audivi hoc de parente meo puer.* Aen. VI. 1. *Sic fatur lacrimans.* Cic. Parad. 5. *Sapiens nihil facit invitus, nihil dolens, nihil coactus.* [In his appositionem agnosces.]

Not. 1. Cum verba substantiva, vocativa, et similem vim habentia, cum duobus nominativis diversorum numerorum construuntur, usitate quidem cum eo qui natura prior est, conveniunt: ut, Terent. And. V. 4. 48. *Dos, Pamphile, est decem talenta.* Ovid. Met. IV. 659. *Ossa lapis fiunt.* Id. Met. VII. 796. *Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris*[28]). † Interdum tamen verbum cum posteriore nominativo numero congruit: ut, Ter. And. III. 3. 23. *Amantium irae amoris integratio est.* Ovid. Art. Am. III. 222. *Quas geritis vestes sordida lana fuit.* Lucan. IX. 814. *Sanguis erant lacrymae*[29]), [30]).

---

25) In his duobus exemplis, ut et aliis nonnullis, posterior nominativus adiectivum est; sed eodem res redit, quippe quod substantivum sub eo lateat animo intellectum; hoc pacto, *sapientes haberentur*, supple *homines; videar nimis acer*, supple *Poëta*, vel *scriptor.*

26) De verbis eiusmodi neutris vid. Part. I. p. 289.

27) Huc spectant, in quibus nomina adiectiva pro adverbiis ponuntur: ut, Ter. Adelph. V. 5. 5. *Tibi lubens bene faxim*, pro *lubenter.* Iuven. X. 18. *Rarus venit in coenacula miles*, pro *raro.* Virg. Aen. VIII. 465. *Nec minus Aeneas se matutinus agebat*, pro *mane.* Id. Geo. III. 538. de lupo, *Nec gregibus nocturnus obambulat*, pro *noctu* [quanquam *mane et noctu* proprie nomina sunt, non adverbia, ut alibi docuimus. Part. I. p. 82. n. 74. p. 127. n. 79. et p. 119. n. 48.] Huc referri potest et *nullus*, eleganter pro *non* vel *ne* positum: ut, Ter. Eun. II. 1. 10. *Memini, tametsi nullus moneas.* Id. Hec. I. 2. 4. *Si non quaeret, nullus dixeris.* Cic. Attic. XI. 24. *Philotimus nullus venit.*

28) Sic Propert. IV. 1. 10. *Unus erat fratrum maxima regna focus.* Ovid. Met. I. 292. *Omnia pontus erant;* ita enim meliores codices habent, non, ut quidam, cum Despauterio, *erat.*

Digitized by Google

29) Similia sunt: Ovid. Met. XI. 82. *Pectus quoque robora fiunt.* Id. Am. II. 4. 18. *Uxor et insidiae sunt pudor ille meae.* Sil. XII. 75.

☞ Not. 2. Si praecedat vocativus, eiusmodi verbis vel eorum participiis regulariter subiicitur nominativus [31]): ut, Martial. V. 20. *Esto, tu Caesar, amicus.* Stat. Th. VII. 777. *Vetito nudus iaciture sepulchro.* Virg. Aen. X. 826. *Dardania stratus dextra, miserande, iaceres* [32]). † Poetae tamen haud raro vice nominativi vocativo utuntur:

---

tur. Adferunt et illud Plinii Nat. Hist. IV. 4. *Angustiae, unde procedit, Isthmos appellatur:* at hic meliores *appellantur* ex regula habent. Est tamen, uti post Alvarum, p. 172. docent Vossius l. cit. Meth. auctor, p. 370. Ursinus p. 182. ubi regularis loquendi ratio locum vix habet: quale est illud Senecae, Epist. 4 et 27. extr. *Magnae divitiae sunt lege naturae compositа paupertas:* et istud Cic. Parad. ult. *Contentum vero suis rebus esse maximae, sunt certissimaeque divitiae.* In quibus *est* pro *sunt* vix commode adhibueris. Parique modo cum cod. Seneca, de vit. beat. c. 21. *Censorium crimen erat paucae argenti lamellae:* et cum Tacito, Annal. IV. 5. 2. *Praecipuum robur octo legiones erant;* potius quam hic *erat*, illic *erant*, dixerim. In his enim, cum uter nominativorum subiecti sive suppositi, uter vero praedicati sive appositi locum teneat, haud ita facile sit statuere; rectius videtur verbum ei qui proxime praecedit accommodare. Cui rationi adscribendum arbitror, quod Ovid. dixerit, Art. II. 155. *Dos est uxoria lites*, et Met. I. 111. *Domus antra fuerunt*, ubi *domus* singulare esse syllabae ultimae modulus testatur. Contra in his, quibus suppositum verbi ab eius apposito manifeste distinguitur, tutius est, quocunque modo voces vertantur, regulam sequi: ut, *Ornamentum iuventutis sunt adolescentes modesti; Adolescentes modesti ornamentum sunt iuventutis: Reipublicae sentina appellantur cives flagitiosi; Flagitiosi cives reip. sentina appellantur.* Neque enim, *ornamentum est*, aut *sentina appellatur* se dicere ausurum, ait Alvarus, p. 271. Eademque horum ratio videtur, Lucan. III. 108. *Omnia Caesar erat:* et Liv. 21. 15. *Captivi militum praeda fuerant.* Fallaci igitur fundamento nituntur, qui ubique, nulloque inter suppositum et appositum facto discrimine, verbum duobus nominativis postpositum, cum posteriore; iis vero interpositum, cum priore, convenire volunt.

30) De horum verborum participiis cum duobus substantivis diversorum generum constructis diximus supra reg. 1. n. 6, 7, 8.

31) Vid. Perizon. ad Sanct. II. 6. 2.

32) Plin. N. Hist. VII. 30. utrumque casum miscuit, *Salve primus omnium parens patriae appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite.* Fallitur autem Methodi auctor, qui p. 455. Plinium notat *primus lauream merite* dixisse: ut, Virg. Aen. I. 668. *Nate — mea magna potentia solus:* quoniam *primus* et *solus* non alium vocandi casum quam in *us* agnoscant. Nam ea, ut alia in *us* nomina, vocativum in *e* formare ostendit illud Horatii, Car. II. 7. 5. *Pompei meorum prime sodalium;* et illud Aticidae ap. Priscian. col. 673. *Felix lectule talibus sole amoribus.* Vid. Ursin. To. II. p. 184. et confer nos Part. I. p. 134. n. 93. Restat igitur ut Plinium nominativum dicamus pro vocativo usurpasse: id quod aliis scriptoribus haud insolitum esse supra monstravimus, Part. I. p. 55. n. 61. Quibus adde Propert. II. 7. 14. *Nutritus duro, Romule, lacte lupae*, pro *nutrite.* Ovid. Her. XIV. 73. *Surge age Belide, de tot modo fratribus unus*, pro *une:* et Martial. VI. 80. *At tu Romanae iussus iam cedere brumae, Mitte tuas messes; accipe, Nile, rosas*, pro *iusse.*

Digitized by Google

ut, Propert. II. 12. 2. *Lectule divitiis facte beate meis.* Catull. LXXV. 1. *Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amice.* Tibull. I. 8. 53. *Sic venias hodierne* [33]).

Accusativus ante Infinitivum.

4. Ante sibi quartum verba infinita requirunt.

Infinitivus modus accusativum ante se habet: ut, Cic. Att. VI. 9. *Te accepisse meas literas gaudeo.* Ter. Adelph. IV. 3. 16. *Credunt se negligi.*

Not. 1. Hic accusativus resolvi potest in nominativum, cum indicativo, praecedente quod vel ut [34]): ut, Plaut. Asin. I. 1. 57. *Equidem scio iam filius quod amet meus;* pro *filium meum amare.* Ita enim Terentius loquitur, And. I. 2. 14. *Meum natum rumor est amare.* Sic illud Horatii, Ep. I. 7. ult. *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est,* aliter efferes, *Ut quisque se metiatur* [35]).

Not. 2. Accusativi *me, te, se, illum,* saepe intelliguntur: ut, Hor. Art. V. 88. *Cur nescire pudens prave, quam discere, malo?* pro *me nescire.* Virg. Ecl. II. 24. *Sed reddere posse negabat;* pro, *se posse* [36]). [Cfr. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 42. et quos allegavit.]

---

33) Ita Virg. Aen. II. 282. *Quibus Hector ab orie Expectate venis,* pro *expectatus.* Huc pertinet et illud *Macte virtute esto,* pro *mactus.* De hac nominativi in vocativum ap. Poëtas mutatione vid. Sanct. et Ursin. locc. citt. et nos Part. I. p. 55. n. 61. et p. 126. n. 76.

34) Negat Sanctius, III. 14. eumque secutus Gronovius pater, ad Plaut. Asin. I. 1. 87. et Aul. II. 1. 52. et qui iis fere suffragatur Cl. Sam. Clarkius ad Caes. B. Civ. I. 25. n. 47. Latine dici, *Scio quod, Dico quod, Credo quod, Puto quod,* et similia. At id loquendi genus haud prorsus insolitum esse plurimis exemplis confirmant, P. Manut. ad Cic. Fam. VII. 28. et ad Attic. 9. ult. Scioppius suspect. lect. IV. 9. et in Auctar. Mariang. Epist. 6. H. Stephanus de Latin. falso suspect. c. 6. p. 285. Vossius de Constr. c. 20. et 62. Vorstius de Latin. fals. susp. c. 24. Methodista Gallus, p. 511. Vechnerus Hellenol. I. 37. Gifanius, Observ. in L. L. p. 207. Goclenius, Probl. Gramm. p. 167. in primis vero Cl. Perizonius ad Sanct. l. cit. n. 16. Qui tamen omnes longe elegantiorem frequentioremque esse agnoscunt infinitivi usum: neque aliter fere loquendum, nisi cum ambiguitas tollenda, vel plurium infinitivorum concursus evitandus sit. Confer et Ursin. To. II. p. 373 et 462. Caeterum vulgus Grammaticorum priorem illam magisque usitatam loquendi formam per dictum, posteriorem vero per appellatum, futili certe, si nomina spectes, distinctione, vocitant.

35) Quomodo particulae *quod* et *ut* inter se distinguantur, et quando hac vel illa utendum, in Syntaxi Coniunctionum dicetur.

36) Scioppius Gramm. Philosoph. de concordia verb. infinit. reg. 1. p. m. 31. et in Annott. p. 123. hunc de eo modo canonem constituit generalem: *Omne verbum infinitum habet pro supposito accusativum expressum aut suppressum:* ac propterea Sallustium, Catil. I. 1. secundum regulam dixisse, *Omnis homines qui sese student praestare caeteris ani-*

Digitized by Google

Not. 5. *Esse* vel *fuisse*, participiis addendum, crebro omittitur: ut, Cic. Phil. XIV. 1. *Hostium exercitum*

---

malibus: et Plant. Aul. V. 1. 4. *Certe enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum.* Ter. And. IV. 5. 2. *Quae esse inhoneste optavit parere hic divitias.* Lucret. I. 105. *Multa tibi me fingere possum somnia.* Eadem et Vossii doctrina, qui de Constr. c. 20. *hoc ita esse*, cum *naturam et rationem* sit *dictare.* At rectior Ursini, p. 371. sententia videtur, qui in his, *Cupio placere, Optas laudari, Postulat imperare*, et similibus, accusativos *me, te, se*, quae longe frequentius absunt, per Ellipsin quidem supprimi haud invitus agnoscit; quoniam nimirum in iis infinitivus per particulam sequente nominativo ac verbo infinito explicari possit. Dici enim potest, *Cupio ut placeam, Optas ut laudaris, Postulat ut imperet.* Idem tamen infinitivum supposito carere negat, cum verbis passivis cognoscendi, existimandi, dicendi, instar nominativi, subiicitur: ut, *Diceris fecisse, Servus videtur cunctari*: quasi dictum esset, *Diceris auctor, Servus videtur cunctator.* Sed neque cum his solum, sed cum aliis verbis quibusdam, infinitivum nullum desiderare suppositum putem: qualia sunt *possum, nequeo, incipio, desino, soleo*, etc. ut, Ter. Heaut. IV. 5. 18. *Non possum pati.* Plaut. Amph. III. 2. 1. *Durare nequeo in aedibus.* Id. Mil. IV. 1. 28. *Incipit abire.* Catull. VIII. 1. *Desinas ineptire.* Virg. Ecl. I. 24. *Sic parvis componere magna solebam.* In quibus *me, te* aut *se* subticeri nemo mihi ut credam facile persuaserit. Quin et ipse Lowaeus, quanquam alias in Vossii sententiam concedat, Gram. Lat. p. 18. n. 40. et p. 19. sub fin. nota tamen 7 ad eand. p. 18. absurde videri ait accusativum cum verbis exprimi post *posse, velle, debere*, et similia. Quod vero ex Lucretio l. cit. iidem Scioppius et Vossius depromunt, *Multa me fingere possum*, id mihi haudquaquam sincerum videtur; sed cum pluribus potius recentioribusque editt. *iam fingere* legendum. ¶ Porro de casu qui verbum infinitum praecedit, non ab re erit haec tria observare. (1) Accusativus et dativus in nonnullis permutari videntur: ut in *Licet me dicere*, et *Licet mihi dicere; Suadet me hoc facere*, et *mihi; Imperat me venire*, et *mihi.* Sed sententia utrumque casum requirit, quorum dativus ad verbum finitum, accusativus ad infinitum, tanquam eius suppositum, pertinet. V. Ursin. p. 372. (2) Verbis passivis, *Dicitur, nunciatur, traditur, creditur, existimatur, videtur*, et similibus, longe quidem saepius nominativus; sed et interdum accusativus, sequente infinitivo, iungitur: sed isto cum discrimine, ut infinitivus cum hoc suppositum orationis constituat, cum illo verbi finiti appositum. De nominativo exempla sint. Cic. Fam. VIII. 6. *Pompeius dicitur valde pro Appio laborare.* Plin. Epist. III. 7. *Modo nunciatus est Silius Italicus vitam finisse.* Tac. Ann. XI. 21. 3. *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Cic. Attic. V. 18. *Bibulus nondum audiebatur esse in Syria.* De accusativo. C. Nep. IV. 5. 3. *Dicitur eo tempore matrem Pausaniae vixisse.* Plin. Nat. Hist. VI. 22. *Taprobanen alterum orbem terrarum esse diu existimatum est.* Plin. Epist. V. 5. init. *Nunciatum mihi est C. Fannium decessisse.* Gell. IV. 2. *Videtur eum significare velle.* Id. IV. 11. *Videtur causam erroris fuisse.* Pomponius de orig. iur. §. 2. *Ipsum Romulum traditur populum Rom. divisisse in XXX. curias.* Confer Linacr. p. m. 216. Alvar. Gram. min. de Synt. p. 58. Ursin. p. 172, 178 et 329. et Perizon. ad Sanct. III. 1. 2. (3) Verbo *videtur* interdum praemittitur accusativus relativorum, *qui, quot*, et similium, non (ut quidam existimant) per Enallagen pro nominativo positus, sed ex superiore oratione supplendus: ut, Cic. Attic. XII. 30. *Pueros attribue ei quos et quot videbitur.* Id. in Verr. III. 7. *Ut legem his rebus quam ipsis videretur*

Digitized by Google

caesum fusumque cognovi. Mart. V. 59. *Cras te victurum, cras dicis; Postlume, semper.* Cic. Phil. VIII. 11. *Caeteris, si errorem suum deposuerint, veniam et impunitatem dandam puto* [37]).

5. Esse pares optat casus: at si *licet* addas,
Vel simile, ternum poteris vel subdere quartum.

Esse [38]) habet eundem casum post se, quem ante se: ut, Lucan. VIII. 493. *Exeat aula, qui volet esse*

---

edicerent. Id, in Rull. II. 27. *Hi deducent colonias in eos agros quos emerint, et in quae loca praeterea videbitur;* supple, *attribuendos, edicendam, deducendas esse.* Vid. Budaeum Comm. L. Gr. p. 865. Alvar. p. 259. et Ursin. locc. citt. item infra reg. 6. n. 57.

37) Interdum uterque et accusativus et infinitivus reticetur: ut, Ter. And. II. 3. 27. *Pollicitus sum suscepturum.* Id. Phor. IV. 3. 22. *An legibus daturum poenas dices, si illam eiecerit.* Curt. VIII. 11. 4. *Octoginta talenta constituit daturum Alexander.* Liv. I. 37. *Nec gesturos melius sperare poterunt.* Id. I. 58. *Cum mortua iugulatum servum nudum positurum ait.* Gell. IV. 15. *Proposuit dicturum causas, quamobrem videatur esse arduum res gestas scribere.* Supple in omnibus, *me, te,* vel *se,* et *esse.*

38) Nimirum sequitur nominativus, si is referatur ad alium nominativum verbum finitum antecedentem: sequitur vero accusativus, cum is ad alium accusativum refertur tanquam verbi infiniti suppositum: ut in Floridis antiqui poëtae, *Ego nolo Caesar esse.* Cic. Catil. I. 2. *Cupio me esse clementem.* Aliter uterque efferre poterat: *Ego nolo me Caesarem esse;* Et, *Cupio esse clemens.* Negat autem Valla, Eleg. III. 23. priorem accusativum animo reticeri debere, adeoque *Cupio esse divitem,* Latine non dici; sed *Cupio esse dives;* vel, *Cupio me esse divitem.* Obduecunt quidem in contrarium haud pauca exempla, Budaeus, Comment. L. Gr. p. 48. et Sanctius, III. 7. sed quae universa fere, vel a re aliena sunt, vel e pravis editionibus deprompta. Prioris generis sunt, Lucan. II. 446. *Concessa pudet ire via, civemque videri.* Ovid. Met. IX. 477. *Et me dignus erat: verum nocet esse sororem.* Neque enim Valla, *civis videri,* aut *esse soror* dixisset: sed *pudet* et *nocet* sine dubio retulisset inter verba, quae (ut ipse eod. loc. tradit) nominativum recusent. Eiusdem commatis sunt et haec Martial. I. 67. *Erras, meorum fur avare librorum, Fieri poëtam posse qui putas tanti,* etc. Et II. 18. *Esse sat est servum, iam nolo vicarius esse:* Et Ovid. Heroid. XIV. 4. *Est mihi supplicii causa fuisse piam.* Quis enim nominativum in his, *poëta, servus, pia,* adhibuerit? Posterioris generis sunt: Cic. pro Quinct. c. 18. *Ne ut par quidem sit postulat, inferiorem esse patitur.* Plaut. I. 1. 85. *Ego nolo meritricem dicier.* Curt. VI. 9. 24. *Invitis vobis salvum esse nolo.* In castigationibus enim libris, apud Curtium *salvus* legitur; apud caeteros *se* et *me* adduntur. Confer Ursin. p. 378. et (qui eum quoque nonnihil in hac re hallucinatum ostendit) Perizon. ad Sanct. d. l. not. 1, 2, 3. ¶ Hic insuper Not. 1. Eandem rationem esse verborum *vocari, dici, haberi, videri, stare, vivere,* et similium: ut, Hor. Car. I. 2. 43. *Patiens vocari Caesaris ultor:* et v. 50. *Hic ames dici pater atque princeps.* Id. Epist. I. 5. 15. *Patiarque vel inconsultus haberi.* Ter. And. IV. 5. 3. *Optavit parere hic divitias Potius, quam in patria honeste pauper vivere.* Aliter, sed addito pronomine, dixisse poterant: *Patiens se vocari Caesa-*

Digitized by Google

pius. Boët. III. 5. *Qui se volet esse potentem, Animos domet ille feroces.*

☞ * Sic, *Fieri, videri, haberi:* item, *stare, incedere, iacere,* et verborum similis constructionis infinitivi: ut, Ovid. Heroid. III. 41. *Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?* Hor. Sat. I. 1. 103. *Non ego avarum Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.* Sallust. Catil. 54. 6. *Cato esse, quam videri bonus malebat.* Cic. Off. I. 19. *Principem se esse mavult, quam videri.* Sic, *Solet Parmeno incedere rectus:* Et, *Parmenonem incedere rectum video.*

Appendix I. Si verbum *licet, expedit, datur,* aut simile, sive cum dativo suo, sive absque eo, antecesserit, infinitivus esse vel dativum [39]) post se habebit, vel accusativum. 1. Dativum: ut, Liv. XXI. 44. *Illis timidis et ignavis licet esse,* —— *vobis necesse est fortibus viris esse.* Ovid. Met. VIII. 690. *Vobis immunibus huius Esse mali dabitur.* Hor. Art. v. 372. *Mediocribus esse poëtis Non homines, non Di, non concessere columnae* [40]), [41]). Item, Cic. pro Flacc. c. 29. *Cur denique*

---

ris ultorem, Ames te dici patrem atque principem, Patiar me inconsultum haberi, Optavit se pauperem vivere. Quamvis enim hoc posterius loquendi genus minus usitatum iudicet Vossius, de Constr. c. 20. non desunt tamen illius exempla; quale illud Cic. supra laudatum ipse agnoscit, Catil. I. 2. *Cupio me esse clementem.* Adde ap. eund. ibid. *Cupio in tantis reipublicae periculis me non dissolutum videri:* et de leg. I. 1. *Ego me cupio non mendacem putari.* Plaut. Merc. I. 2. 39. *Vin tu te esse mihi obsequentem.* Neque dubium est quin plura eiusmodi se inquirentibus alibi sint oblatura. Quaedam porro sunt, quae aptius per accusativum proferri videntur: ut, *Spero me tibi esse bonum amicum, Credo me tibi fuisse fidelem.* Nam quae nominativo expressa pro proprie dictis venditat Valla, l. c. *Spero tibi esse bonus amicus, Credo tibi fuisse fidelis,* nescio quid peregrini prae se ferre, quod non nisi Hellenismo poëtico excusari possit, haud temere pronunciat Ursinus, p. 378. Not. 2. Ut quaedam verba, infinitivis hisce praemissa, nominativo (quemadmodum ex ex Valla et Perizonio modo docuimus) iungi recusant: ita haud pauca e contrario videntur esse, quae nominativum duntaxat post se recipiant: ut, Propert. I. 12. 14. *Cogor et ipse meis auribus esse gravis.* Id. II. 14. 6. *Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.* Catull. LXXIV. 12. *Et Dis invitis desinis esse miser.* Ovid. Met. III. 186. *Dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet.* Neque enim cum Scioppio Gramm. Philos. p. m. 124. Latine dici putem, *Cogor me esse gravem, Solet se esse malum, Desinis te esse miserum,* etc. Confer supra p. 12. n. 86.

39) Dativum habent ex consuetudine linguae Graecae; accusativum vero ex natura linguae Romanae: atque is convenit cum pronomine intellecto; ut, *Expedit vobis esse bonas,* integre fuerit, *Expedit vobis vos esse bonas.* Vid. Voss. de Constr. c. 20. sub fin

40) Sic Ovid. Trist. III. 11. 21. *In causa facili cuivis licet esse diserto.* Claudian. III. 216. *Natura beatis Omnibus esse dedit, si quis co-*

Digitized by Google

liberis esse non licet? Hor. Sat. I. 1. 19. *Atqui licet esse beatis.* Supple utrobique *illis.* 2. Accusativum: ut, Ter. Heaut. II. 4. 8. *Expedit bonas esse vobis.* Cic. pro Corn. Balb. c. 12. *Si civi Romano licet esse Gaditanum.* Id. pro Ligar. c. 6. *Liceat esse miseros.* Id. Attic. X. 8. *Num medios esse iam non licebit;* supple, *nobis.*

☞ Appendix II. Verba, *aio, refero, puto*, et alia eiusmodi, cum infinitivo esse, interdum, apud Poëtas, pro accusativo nominativum recipiunt: ut, Lucan. IX. 1057. *Tutumque putavit iam bonus esse socer.* Ovid. Met. XIII. 141. *Qualia rettulit Aiax esse Iovis pronepos* [42]). Orator

---

gnoverit uti. Plaut. Cist. II. 3. 82. *Nunc mihi bonae necessum est esse ingratiis.* Lucr. V. 177. *Quidve mali fuerat nobis non esse creatis.* Ovid. Met. VIII. 553. *Nec fortibus illic Profuit armentis, nec equis velocibus esse.* Flor. III. 12. 6. *Ac nescio an satius fuerit populo Rom. Sicilia et Africa contento fuisse.* Adde Nic. Heins. ad Ovid. Heroid. XIV. 64. et de Nuce v. 107. Vechner. Hellenol. I. 32. Gunther. Lat. restit. To. II. p. 136.

41) Haec ratio copulandi duos dativos, non tantum in verbo esse, sed in aliis etiam similis constructionis infinitivis, locum habet: ut, Hor. Sat. I. 6. 24. *Quo tibi, Tilli, Sumere depositum clavum, fierique tribuno?* Id. Epist. I. 16. 6. *Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri.* Val. Max. III. 6. 3. *L. Sylla, cum esset imperator, chlamydato sibi et crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.* Id. V. 4. 2. exter. *Maximo tibi et civi et duci evadere contigit.* Liv. III. 50. *Sibi vitam filiae sua cariorem fuisse, si liberae ac pudicae vivere licitum fuisset.* Apul. Met. lib. III. p. m. 79. *Augetur oppido, imo duplicatur mihi moestitia, quod integro saltem mihi mori non licuit.* * Atque eodem forte pacto, quamvis exempla non suppeditent, dicere fas est, *Scipioni contigit Africano cognominari; Honorificum fuit Horatio poëtae salutari.* Confer Saturn. IV. 5. et Voss. de Constr. c. 20. sub fin. ☞ Interim et hoc observandum est, esse similisque structurae infinitivos, non alios praeter supra memoratos casus, nominativum puta, accusativum, et dativum, post se admittere. Neque enim (quod scioli quidam praecipiunt) recte Latineque dicitur, *Interest Ciceronis esse eloquentis, Romanorum magni retulit fuisse bellicosorum.* Vid. eund. Saturn. IV. 6. Meritoque a Sanctio III. 7. reiiciuntur haec quae Ascensius in Vallam, III. 23. obtrudit, *Miserere volentis tibi esse amici, Damnor a nolente esse bono.* In talibus enim (ut docet Ursinus, p. 380.) semper accusativus infinitivo apponendus, dicendumque adeo, *Ciceronis interest esse eloquentem, Romanorum retulit fuisse bellicosos*, etc. quomodo Cicero, Fam. IV. 9. extr. *Fuit magni animi non esse supplicem victori.* [sive, ut meliores habent, *non iste supplicem.*] Confer et Despaut. p. 208.

42) Sic, Catull. IV. 1. *Phaselus ille, quem videtis hospites, Ait fuisse navium celerrimus.* Hor. Car. III. 27. 78. *Uxor invicti Iovis esse nescis.* Id. Epist. I. 7. 22. *Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus.* Prop. III. 4. 40. *Iurabo et bis sex integer esse dies.* * Interdum et absque infinitivo: ut, Virg. Aen. II. 377. *Sensit medios delapsus in hostes*, pro *se delapsum esse.* Propert. II. 7. 45. *Visura et quamvis nunquam speraret Ulyssem.* Stat. Th. I. 846. *Venturaque rauco Ore minatur hiemi*; pro, *se visuram* et *venturam esse.* Confer Vechneri Hellenol. I. 32. p.

Digitized by Google

dixisset, *se bonum esse socerum; se esse Iovis pronepotem* [43]).

5. *Concordantia Relativi cum Antecedente.*

6. Qui Referens genus et numerum Praeeuntis habere

Postulat: at casum suppleta oratio monstrat.

I. Relativum qui, quae quod, concordat cum [substantivo] Antecedente in genere et numero [44]): ut, Cic. Tusc. V. 22. *Adhuc neminem cognovi Poëtam, qui sibi non optimus videretur.* Id. Fam. XIV. 3, *Accepi ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis prope delevi.* Ovid. Amor. I. 2. 10. *Leve fit, quod bene fertur, onus.*

II. Casus Relativi non a substantivo antecedente, sed ab eodem, vel alio [45]) interdum substantivo, consequente,

---

230. Voss. de Constr. c. 20. Maior. de variand. Orat. p. 383. Ursin. p. 879, etc. qui haec omnia ex imitatione Graecorum dicta ostendunt. * Id porro in hisce notandum est, semper abesse debere pronomen, nec nisi eo addito, accusativo utendum. Neque enim, *Retulit Aiax esse se Iovis pronepos, aut Retulit Aiax esse Ionis pronepotem*, Latine dicuntur. Vid. Bentlei. ad praed. Horat. loc. Epist. I. 7. 22. * Quod vero ex Ovid. Fast. VI. 484. proferunt Sanctius, p. 783. Scioppius, Annot. ad Syntax. p. 124. et Voss. l. c. *Seu pius Aeneas eripuisse ferunt*, nimiae (ut Ursino, p. 879. observatum) licentiae est, ne in poëta quidem ferendae, cum ipsos etiam Graecorum canones excedat. Namque hi tum demum nominativo ante infinitivum consuete locum dant, ubi in eadem persona subsistitur: quod hic non fit. Itaque ut sibi constaret Latinitas, ex codice Saraviano *datur* pro *ferunt* reposuit Cl. Heinsius: quod et probat P. Burmannus. Sed et alia ratione hunc Ovidii locum, si maxime recta sit vulgaris lectio, ordinandum explicandumque censet Periz. ad Sanctii l. c.

43) Prosae scriptores ita interdum locutos, duo testimonia adfert Scioppius ad Sanct. III. 7. fin. Unum ex Velleio, II. 76. 4. *Parum habebat summa accepisse, et ex equestri ordine Consul creatus esse*, pro *se Consulem creatum esse.* Alterum ex Gellio, IV. 11. *Is cibus tranquillitatem mentis quaerentibus constat esse contrarius.* Sed pro hoc, quod iam monuit Cl. Perizonius, accuratissimae quaeque editiones nunc legunt, *Quod habet influtionem magnam is cibus, tranquillitatem mentis quaerentibus contrariam.*

44) Addunt vulgo Relativum etiam cum antecedente substantivo persona convenire, quia dicimus, *Ego qui lego, Tu qui studes, Vir qui loquitur.* At id tantum locum habere videtur, cum Relativum verbo finito immediate praeponitur: cui tamen non Relativum ipsum (quippe quod adiectivum, adeoque personae incapax est) sed substantivum praecedens, quod repeti debet, nominativus est, hoc modo, *Ego qui* [ego] *lego, Vir qui* [vir] *loquitur*, Vid. Linacr. p. 141.

45) Ut, Liv. IV. 13. *Iam comitia consularia instabant, quae res eum oppressit.* Virg. Aen. I. 187. *Arcumque manu celeresque sagittas Corripuit, fidus quae tela gerebat Achates.* Cic. Phil. I. 1. *In aedem Telluris convocati sumus, in quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis.* Vid. mox Append. 1.

Digitized by Google

sive expresso, sive intellecto, et ad totam orationem supplendo, dependet.

Vel sic: Relativum qui, quae, quod, semper fere considerari debet tanquam positum inter duos casus unius nominis substantivi, sive expressos, sive suppressos: cum priore autem conveniet in genere et numero; cum posteriore etiam in casu, tanquam adiectivum cum suo substantivo: ut, Cic. ad Q. Frat. III. 3. *Diem scito esse nullum, quo die non dicam pro reo.* Caesar, B. G. I. 6. *Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent.* Sall. Cat. LI. 40. *Lex Porcia, aliaeque* [leges] *paratae, quibus legibus exsilium damnatis permissum est*[46]).

Not. 1. Casus posterior plerumque reticetur, utpote per relativum satis expressus: ut, Hor. Ep. I. 2. 62. *Animum rege, qui, nisi paret, Imperat;* pro, *qui animus.* Id. ibid. V. 69. *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu;* pro, *quo odore*[47]).

Not. 2. Interdum prior reticetur: ut, Ovid. Heroid. IV. 173. *Sic tibi dent Nymphae —— quae levet unda sitim;* pro, *undam, quae unda.* Ter. And. Prol. V. 3. *Populo ut placerent quas fecisset fabulas;* pro, *fabulae.* Ovid. Art. II. 342. *Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit;* pro, *arbor, sub qua arbore*[48]).

---

46) Vid. plura eiusmodi ap. Linacr. lib. 6. p. 481 et 482. Sanct. II. 9. Alvar. p. 266. Vossium de Constr. c. 55. et Cortium ad Sallust. I. c.

47) Interdum posterior casus necessario exprimendus est ad vitandam ambiguitatem: ut, Apul. Flor. §. 15. *Sectatus est Leodamantem Creophili discipulum, qui Creophilus memoratur Homeri hospes fuisse.* Nisi enim *Creophilus* repeteretur, incertum foret utrum *Leodamas* an *Creophilus* intelligatur. Vid. Voss. l. c.

48) Casum hic antecedentem duplici modo omitti notat Vossius, et ex eo Methodi Auct. locc. citt. (1) Cum substantivum relativo subiicitur, atque eodem quo ipsum relativum casu ponitur: ut, Cic. Tusc. I. 18. *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat,* Id. Att. XIII. 51. *Ad Caesarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tibi mittere.* Id. pro Sull. c. 33. *Quae prima innocentis mihi defensio est oblata, suscepi.* Liv. I. 1. *Et in quem primum egressi sunt locum, Troia vocatur.* Ter. And. Prol. 25. *Ut pernoscatis — Posthac quas faciet de integro comoedias, Spectandae an exigendae sint vobis prius.* Quinct. Declam. IV. 19. *Ne quos porrexerim cibos venena fiant.* Gell. V. 14. *Nam quas venabatur feras membra optimiora ad specum mihi suggerebat.* Solin. c. 30. *In quorum pupilla lapis invenitur, hyaenum dicunt, praeditum illa potestate, ut cuius hominis fuerit linguae suppositus, praedicat futura.* Huiusmodi sunt et exempla in textu allata. In quibusdam variant codices: ut, Ovid. Met. XIV. 350. *Cecidere sinu quas legerat herbas,* aliter *herbae.* Id. Amor. II. 19. 10. *Quaque capi possem, callida norat ope,* al. *opem.* Vid. Burmann. ad eund. Art. I. 50. In hunc censum referri potest et illud Ter. And. I. 1. 20. *Quas credis esse has, non sunt verae nuptiae:* ubi substantivum quidem expressum alio casu, at adiectivum

Digitized by Google

Not. 5. Aliquando uterque casus et prior et posterior omittitur: ut, Plaut Asin. I. 3. 65. *Necesse est sumptum facere, qui quaerit lucrum:* pro, *hominem, qui homo.* Hor. Sat. I. 4. 24. *Sunt quos genus hoc minime iuvat:* pro, *homines, quos homines* [49]).

---

quod cum eo intellecto convenit, eodem quo relativum casu ponitur. Integra enim sententia est, *Hae nuptiae, quas has nuptias credis esse veras, non sunt verae nuptiae.* (2) Cum substantivum relativo per Anastrophen ita praeponitur, ut id naturaliter sequi debere inde pateat, quod eodem quo relativum casu sit positum: ut, Virg. Aen. I. 573. *Urbem quam statuo vestra est;* pro, *urbs quam urbem.* Ter. Eun. IV. 3. 11. *Eunuchum quem dedisti nobis, quae turbas dedit;* pro, *Eunuchus quem Eunuchum.* Sic id. Hec. I. 2. 61. *Nocte illa prima virginem non attigit: Quae consecuta est nox, eam nihilo magis.* Plaut. Amph. IV. 1. 1. *Naucratem quem convenire volui, in navi non erat.* Id. Curc. III. 49. *Sed istum quem quaeris ego sum.* Id. Capt. Prol. I. *Hos quos videtis stare hic captivos duos, Illic qui adstant, hi stant ambo, non sedent,* Id. Mostell. V. 1. 5. *Ostium quod in angiportu est horti patefeci foras* [i. e. *foras ostii, quod ostium:*] Id. Aul. IV. 8. 1. *Pici divitiis, qui aureos montes colunt, ego solus supero.* Id. Asin. III. 3. 31. *Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.* Id. Pseud. I. 4. 12. *Viginti minae, Quae nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.* Id. Aul. II. 2. 19. *Nemini credo qui large blandu' est dives pauperi.* Et Aul. IV. 1. 9. *Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis;* pro, *Picos, qui Pici; Viginti minas, quae viginti minae; Nemini diviti qui dives,* etc. * Caeterum huiusmodi locutionem, raro, ac poëtis fere, praesertim Comicis, usitatam notant Grammatici. Inveniuntur tamen et apud prosa scribentes quaedam exempla: ut, Auct. ad Herenn. IV. 22. *Sulpicio, cui paullo ante omnia concedebant, cum brevi spatio non modo vivere, sed etiam sepeliri prohibuerunt,* [al. *Sulpicium.*] Petron. c. 134. *Hunc adolescentem quem vides, malo astro natus est.* Hygin. Fab. 274. *Caper vitem quam praeroserat, pleniue fructum protulit.* * Ex his autem nonnulla per Ellipsin τοῦ κατὰ, vel *quod ad,* explicari posse putat Cl. Perizon. ad Sanct. II. 9. 1. et IV. 11. 6. ut hoc pacto in illo Plauti ex Curcul. sensus sit, *Quod ad istum quem quaeris, ego is sum.* Et in Petron. *Quod ad hunc adolescentem,* etc. Sic. Plaut. Rud. IV. 3. 23. *Vidulum istum, cuius ille est; ego novi hominem;* pro, *quod ad vidulum istum,* etc. Menaech. II. 2. 37. *Nummum istum, quem mihi dudum pollicitus dare, lubeas, si sapias, porculum afferri tibi;* pro, *Quod ad nummum istum, quem,* etc. *iubeas eo porculum,* etc. Sed priorem talia interpretandi rationem simpliciorem esse iudicat Ursinus, p. 129. Confer Despaut. p. 196 et 197. Linscr. l. VI. p. 433. Voss. de Constr. c. 55. et Periz. IV. 12. 5.

49) Hunc sermonem rarum esse ait Vossius, loc. prox. cit. nisi cum ponitur post verbum substantivum. At alibi eum satis frequentem esse ostendit Ursinus, p. 130. veluti Iuv. III. 164. *Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi;* pro, *homines emergunt, quorum hominum.* Curt. III. 2. 20. *Haec vociferantem, quibus erat imperatum, iugulant;* pro, *homines illi, quibus hominibus.* Ter. Adel. II. 1. 48. *Minime miror qui insanire occipiunt ex iniuria;* pro, *miror eos homines, qui homines.* Virg. Aen. IV. 598. *En dextra fidesque, Quem secum patrios aiunt portare penates;* i. e. ut explicat Methodi Auctor, p. 359. *En dextra fidesque hominis, quem hominem aiunt,* etc. Flor. III. 10. 2. *Et quamvis toto orbe divisa, tamen qui vinceret habuit Britannia;* i. e.

Digitized by Google

APPENDICES.

I. Relativum qui, quae, quod, quando duobus nominibus diversorum generum interponitur, cum utrolibet convenire potest; vel antecedente, constructione Romana: ut, Ovid. Met. 1. 6. *Unus erat toto naturae vultus in orbe, Quem dixere Chaos.* Val. Max. II. 2. 6. *Senatus assiduam stationem eo loci peragebat, qui hodieque Senaculum appellatur:* Vel consequente, constructione Graeca [50]): ut, Cic. de Leg. I. 7. *Animal plenum ratio-*

---

habuit hominem, qui homo se vinceret. Eiusmodi sunt et haec Ciceroniana, Phil. V. 7. *Dividebat agros quibus volebat.* Off. I. 11. *Nego ius esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste.* Anteq. iret in exil. c. 4. *Cum a quibus debeam retineri, reiicere instituant.* Post red. c. 11. *Ut ageretur gratiae, qui e municipiis venissent.* Attic. XIII. 23. *Magis doleo me non habere cui tradam, quam habere qui utar,* etc. In quibus omnibus, eadem vox *hominis* est, quae ante et post relativum omittitur. Vox etiam *negotium,* nec infrequenter, utrinque reticetur: ut, Sall. Iug. 108. 3. *Magis Punica fide, quam ob quae praedicabat;* i. e. *ob ea negotia, quae negotia praedicabat.* Virg. Ecl. II. 71. *Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus, Viminibus mollique paras detexere iunco;* i. e. *aliquid eorum negotiorum, quorum negotiorum,* etc. Plaut. Stich. II. 2. 38. *Res omnes relictas habeo, prae quod tu velis;* i. e. *prae eo negotio quod negotium tu velis.* Gell. V. 13. *Unusquisque commentus paratusque ibat quod quaereret;* i. e. *paratus ad id negot. quod negot. quaer.* etc. V. Periz. ad Sanct. II. 9. 2. [Ne hic quidem *negotium* supplendum.] * In quibusdam nomen quod praecesserat cum pronomine *is* repetendum est: ut, Cic. Att. V. 8. *Nullas adhuc* [literas] *acceperam, praeter quae mihi binae in Trebulano redditae sunt.* Caes. B. G. I. 5. *Frumentum omne, praeter quod secum portaturi erant, comburunt;* h. e. *praeter literas eas, quae literae; praeter id frumentum, quod frumentum.* V. Ursin. p. 181.

50) Bangius, notante Ursino, p. 132. relativum sic positum, saepius ait antecedenti quam consequenti genere respondere: contra Methodi Auctor, p. 360. usitatius cum consequente convenire, plusque adeo hoc habere elegantiae statuit. Ursinus vero, quanquam haud satis causae ipsi videatur, cur alterum loquendi genus alteri praeferatur; non tamen diffitetur plura in hanc quam illam partem suppetere exempla: cuiusmodi praeter dicta, sunt: Cic. Som. Scip. c. 8. *Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis.* Id. Parad. I. 3. *Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in coelum? iisne quae isti bona appellant.* Plin. N. H. XVIII. 32. *In coitu Lunae, quod Interlunium vocant.* Cic. pro P. Sext. c. 42. *Tum conventicula hominum, quae postea civitates nominatae sunt; tum domicilia coniuncta, quae urbes dicimus.* Id. Fam. XIII. 1. *Decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant.* Id. Som. Scip. c. 6. *Parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quem Oceanum appellatis:* ita enim ex plurimis MSS. edidit Gronovius, al. *quod Ocean.* Quinctil. Inst. I. 5. *Quia plura illis loquendi genera, quae διαλέκτους vocant.* Gell. V. 18. *Id est quasi diarium, quam Graeci ἐφημερίδα vocant.* Virg. Aen. XII. 895. *Saxum antiquum ingens, campo quod forte iacebat Limae agro positus.* Confer Despaut. p. 197. Linacr. p. 144, 145. Voss. Const. c. 55. Gronov. ad Liv. II. 20 et mox Not. seq. * In his autem et similibus, rectius cum sequente quam praecedente sub-

Digitized by Google

nis et consilii, quem vocamus hominem. Id. Som. Scip. c. 3. *Concilia, coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur* [51]).

---

stantivo relativum congruit; Cic. loco incerto. *Omnes omnes atque humiles, quae maxima in populo multitudo est, sibi praesidium paratum putant.* Quinct. I. 16. *Supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit.* Sall. Iug. 75. 6. *Ipse ex flumine, quam proximam oppido aquam supra diximus, iumento onerat.* Virg. Aen. VI. 6. 11. *Nec partem posuere suis, quae maxima turba est.* Pers. II. 29. *Quidnam est qua tu mercedo deorum Emeris auricules?* * Huius generis sunt et hae parentheses, Ciceroni aliisque frequentissimae; *Qui tuus est amor, Quae tua est humanitas*, etc. ut, Cic. Fam. VII. 2. *Si mihi permisisses, qui meus amor in te est, confecissem cum cohaeredibus.* Id. Fam. VII. 7. *Si esset factum, quae tua est humanitas, adscripsisses.* Fam. VI. 9. *Spero enim, quae tua prudentia et temperantia est, te iam ut volumus valere.* Ovid. Heroid. I. 7. *Haec ego dum stulte meditor, quae vestra libido est, Esse peregrino captus amore potes.* Id est, *confecissem pro eo amore, qui* [h. e. qualis vel quantus] *amor est meus in te amor:* uti explicat Perizon. ad Sanct. II. 9. 5. et similiter in caeteris. Confer et Linacr. VI. p. 480. ubi ex L. Valla haec aliter docet variari posse, *Quae tua est pietas, qua pietate es, cuius pietatis es. Et, Ea tua est pietas*, vel *Eius pietatis es*, vel *Ea pietate es*, etc. * Huc referri possunt et alia Pronomina relativa seu demonstrativa, sensu id quod praecessit respicientia, sed constructione id quod sequitur: ut, Plaut. Amph. II. 2. 182. *Siquidem haec iam mulier facta est ex viro.* Id. Pseud. II. 2. 20. *Haec mihi ineus est.* Utrumque de viro dicitur. Cic. Fin. II. 22. *Negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est) quenquam qui honeste non vivat, iucunde posse vivere.* Liv. X. 22. *Versa postremo [oratio] ad collegam P. Decium poscendum: id senectuti suae adminiculum fore.* Senec. de Clem. I. 8. *Ista, inquis, servitus est.* Sueton. Iul. 82. 1. *Ista quidem vis est.* Iustin. VIII. 5. 9. *Non quidem pavor ille hostilis, nec discursus per urbem militum erat.* Liv. I. 26. *Non quidem fuit tumultus ille.* Vid. plura ap. Gronov. ad Senec. Consol. ad Marc. c. 19. His affinia sunt et haec: Sallust. Catil. VII. 6. *Eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant*, h. e. *ea quae memoravi, putabant esse divitias, bonam famam*, etc. Liv. I. 57. *Eaque ipsa causa belli fuit*, pro *id ipsum.* Cic. Som. Scip. c. 8. *Hic fons, hoc principium est movendi.* Virg. Aen. VI. 129. *Sed revocare gradum, — Hoc opus, hic labor est.* Plaut. Poen. V. 8. 84. *Nunc quod boni mihi Dii dant, vobis vestraeque matri Eas Diis est aequum gratias nos agere sempiternas:* ubi *eas gratias* dixit, pro *gratias eius boni nomine.* Vid. Perizon. ad Sanct. IV. 12. 8. et Animadv. Hist. c. 2. Ursin. p. 127. et Cort. ad Sall. l. c. * Inveniuntur tamen et in aliam partem exempla: ut, Liv. III. 38. *Spem in discordia Romana ponentes: eam impedimentum delectui fore.* Virg. Aen. III. 178. *Nec sopor illud erat.* Ovid, Met. II. 262. *Siveaeque est campus arenae Quod modo pontus erat.* Sen. de Benef. II. 8. *Non est illud liberalitas.* Id. ad Helv. c. 17. *Haec est solatium.* Iustin. XVIII. 3. 11. *Id primum aliis videri furor.* Adde plura ex Gronov. ad praed. Senecae ad Marc. lo. qui tamen haec posteriora suspecta se habere affirmat.

51) Idque non tantum in appellativis, sed etiam in propriis nominibus locum habet. Fallitur quippe Servius, qui, ad Virg. Aen. I. 159. si alterum ex hisce nomen proprium fuerit, huic relativum conformandum esse praescribit. Nam, ut Cic. de clar. Orat. c. 20. *Scipio Nasica*, qui

Digitized by Google

☞ II. Si antecedens sit tota oratio, relativum erit neutrius generis, ut, Ter. Adelph. I. 1. 18. *Quod fortunatum isti putant, uxorem nunquam habui*, i. e. *uxorem habere*. Cic. Attic. II. 19. *Pompeius, quod mihi summo dolori est, ipse se afflixit*, i. e. *Pompeium se affligere*[52]).

---

est Corculum appellatus. Sall. Cat. 55. 3. *Est locus in carcere quod Tullianum appellatur*. Liv. III. 54. *Ea omnia in pratis Flaminiis concilio plebis acta, quem nunc Circum Flaminium appellant*. Id. IV. 59. *Anxur fuit, quae nunc Terracinae sunt*. Cic. in Verr. V. 55. *Carcer, quae Lautumiae vocantur*: Ita idem Cic. Phil. V. 14. *Pompeio enim patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, exstincto, interfectus est patris simillimus filius*. Et Nat. Deor. II. 20. *Propius a terra Iovis stella fertur, quae Φαέθων dicitur*. Ibid. *Stella Veneris, quae Φωσφόρος Graece, Lucifer Latine dicitur*. Plin. N. H. XXXI. 4. *Proditur in Creta, expugnato oppido, quod Arcadia vocabatur, cessasse fontes*. Caes. B. Civ. III. 26. *Nacti portum, qui appellatur Nymphaeum*. Suet. Aug. 72. 4. *Erat illi locus, quem Syracusae vocabat*. C. Nep. IV. 8. 6. *Genus hominum, quod Helotes vocatur*. Curt. III. 8. 18. *Ad eum locum, quem Amanicas pylas vocant, pervenit*. Mela, II. 6. *Mox in duos sinus promontorio, quod Ferrariam vocant, finditur*. Plin. N. H. XVIII. 23. *Res summa vitium agitur decretorio uvis sidere illo quod Caniculam appellavimus*. Gell. IV. 2. *Ἀκαλύφη est animal marinum, quod Urtica appellatur*. Hirt. B. Hisp. c. 8. *Grumus excellens natura, qui appellatur Castra Postumiana*. Vid. Linac. p. 145. Saturn. V. 8. Voss. de Const. c. 55. etc.

52) In his ac plerisque similibus, relativum refertur ad verbum infiniti modi, sive relatio fiat ad solum infinitivum, sive ad totam orationem, cuius princeps pars est infinitivus. Caeterum probe monet Vossius, l. c. nihil hic peculiare habere relativum, quia non potest non neutro genere poni, cum verba infinita sint generis neutrius: ut. Pers. I. 27. *Scire tuum*. Id. I. 9. *Nostrum illud vivere triste*. Vid. Part. I. reg. 12. et hac ipsa Part. II. reg. 48. App. 1. * Poteris et simpliciter in his omnibus *negotium* intelligere [Minime!]: ut, Cic. Parad. VI. extr. *Soli, quod est proprium divitiarum, contenti suis rebus sunt*. Id. pro Corn. Balb. c. 2. *Natus est Gadibus, quod nemo negat*; h. e. *quod negotium*, scil. *contentum suis rebus esse*, et *natum esse Gadibus*. Rectius certe, me iudice, cum Sanctio, II. 9. p. 211. et IV. 4. p. 616. illud Ter. Eun. III. 1. 10. *Qui habet salem, quod in te est*, ita suppleveris, quam cum Vossio, l. c. per infinitivum, *quod*, scil. *τὸ habere salem*. Qua Ellipsi similiter et haec integranda videntur. Ter. Heaut. I. 1. 4. *Vel virtus tua me, vel vicinitas, Quod ego in propinqua parte amicitiae puto, Facit*, etc. Plaut. Casin. II. 5. 3. *Quam istam operam a me impetres quod postulas*. Plin. N. H. XVIII. 35. *Nube gravida candicante, quod vocant tempestatem albam, grando imminebit*. Ter. Eun. II. 1. 5. *Ego quoque una pereo, quod mihi est carius*; h. e. *quod negotium mihi est carius*, vel *qui mihi sum carior*, uti interpretatur Donatus. Vid. Linacr. VI. p. 475. et nos mox n. 55. Neque ab his alienum est illud eiusd. Ter. Adelph. V. 8. 21. *Principio, si id te mordet, sumptum filii quem faciunt*. Quod Vossius exponit, *Si id negotium sumptus quem sumptum*. Methodi autem auctor, p. 859. Appositionem facit, hoc pacto, *Si id negotium*; nempe, *sumptus quem sumptum*, etc. Poteris et *id* ad totam sententiam sequentem referre. Vid. Ursin. p. 126. * Similia, sed paullo intricatiora sunt haec. Tac. Annal. II. 52. 4. *Legionem, et quod sub signis sociorum in unum conductos, ad hostem duxit*. Integre, *Legionem, et id* [*negotium*] *socio-*

Digitized by Google

III. Interdum antecedens in possessivo includitur: ut, Ter. And. I. 1. 70. *Omnes laudare fortunas meas, Qui haberem gnatum tali ingenio praeditum.* Ovid. Pont. III. 4. 91. *Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum;* pro, *fortunas mei, verba mei.* [Cfr. Porson. ad Hecub. 22.]

IV. Relativum nonnunquam refertur ad sensum verborum quae praecedunt, vel ad aliud substantivum quam quod praecedit, ita ut ab eo genere et numero discrepet: ut, Liv. III. 10. *Inter alia prodigia et carne pluit, quem imbrem ingens numerus avium intervolitando rapuisse fertur;* i. e. *pluit imbrem carne, quem imbrem*, etc. Sueton. Iul. 22. 2. *Ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum;* i. e. *Gallias provinciam elegit, cuius provinciae*, etc. [53]).

---

rum, quod sub signis erat, eos omnes homines [per Appositionem] *conductos*, etc. Liv III. 14. *Iuniores, id maxime quod Caesonis sodalium fuerat, auxere iras;* h. e. *Iuniores, idque maxime negotium iuniorum, quod negotium iuniorum erat negotium sodalium Caesonis, hi omnes auxere iras.* Vid. Perizon. p. 210. * Hic porro observare est, eleganter nonnunquam ante relativum quod adiici provocabulum *id;* ut, Sall. Cat. XIV. 1. *Catilina, id, quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se catervas habebat.* Cic. pro Sext. c. 17. *Quos homines si, id quod factu facile fuit, et quod fieri debuit, ui armisque superassem.* Caes. B. G. IV. 29. *Compluribus navibus fractis, magno, id, quod necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio facta est.* In his *id* vulgo πλεονάζειν existimatur. [Vid. Goelen. Obs. L. L. p. 336.] Sed est potius Ellipsis, ut integra sententia sit, *Catilina id* [faciebat negotium] *quod factu facillimum erat*, [nempe] *omnium*, etc. *Quos homines, si id* [negotium fecissem] *quod* [neg.] *factu facile fuit*, etc. Vid. omnino Cl. Cortium ad Sall. Cat. XXX. 2. * De quod in initio periodi abundante: (ut, A. ad Herenn. IV. 55. *Quod simulatque Graechus perspexit fluctuare populum.* Sall. Iug. XIV. 21. *Quod utinam illum eadem simulantem videam:* Et sic, *Quod si, quod nisi, quod etsi:*) vid. Perizon. ad Sanct. IV. 5. 9. Cifan. Observ. L. L. p. 207 et 290. Mariang. Auctar. Epist. VI. p. 58, 54. * Aliter, ubicunque τὸ *quod* initium est orationis, semper intelligi *in* vel *de negotio illo secundum quod negotium*, etc. docet idem Perizon. p. 126. [Nihil intelligendum. G. St.] Cic. Fam. VI. 18. *De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompeio, non desinam cum Balbo communicare.* Ter. Heaut. III. 1. 86. *Quod sensisti illos me incipere fallere, id ut maturent facere;* h. e. *de negotio, vel id negotium, secundum quod sensisti illos*, etc. Id. Hec. III. 4. 23. *Quod constitui me hodie conventurum eum, dic me non posse*, scil. *convenire eum secundum id negotium secundum quod constitui.* Plaut. Epid. I. 2. 28. *Empta est ancilla, quod tute ad me literas missiculabas;* h. e. *negotium propter quod negotium tute*, etc.

53) Sic, C. Nep. in Attic. 4. 5. *Tranquillatis rebus Romanis remigravit Romam, L. Cotta et L. Torquato Cos. quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrymis desiderii futuri dolorem indicarit.* Cic. Fam. XIV. 1. *Sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat, quem ego diem si videro, — aetio magnum mihi fructum videbor*

Digitized by Google

V. Interdum antecedens alio numero est supplendum: ut, Cic. pro Mil. c. 4. *Si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt;* supple, *tempora.* Boët. Consol. Phil. II. pros. 6. *Quid vero, si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas, quos saepe muscularum quoque morsus necat?* supple, *homines* [54].

---

percepisse et vestras pietatis et meas. Id. Attic. XII. 14. *Quin etiam feci, quod ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer, quem librum mittam ad te, si descripserint librarii.* Virg. Aen. VII. 477. *Arte nova speculata locum, quo littore pulcher Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.* Caes. B. G. I. 18. *Reperiebat Caesar inquirendo, quod praelium equestre adversum paucis ante diebus esset factum; initium eius fugae a Dumnorige atque eius equitibus factum esse:* ubi inversa sententia, pro *initium eius fugae in praelio, quod praelium*, etc. vel aliter, κατὰ, seu *quod ad id praelium, quod factum esset; initium eius fugae*, etc. Alia eiusmodi vid. sp. Saturn. V. 7. et Linacr. lib. VI. p. 480. * Insolentiora sunt haec; Caes. B. Civ. I. 18. *Interim Caesari nunciatur Sulmonenses, quod oppidum a Cornificio VII. millium intervallo abest, cupere ea facere quae vellet:* ubi *Sulmonenses* implicite idem est ac *cives* vel *incolae* oppidi *Sulmonis.* Sall. Cat. XVIII. 3. *Antea coniuravere pauci contra rempubl. in quibus Catilina, de qua quam verissime potero, dicam;* supple, *coniuratione*, quod nomen intelligitur ex verbo *coniuravere*, observante Diomede, II. col. 440. Cic. pro Muren. c. 13. *Deinde vestra responsa atque decreta et evertuntur saepe dicendo, et sine defensione Oratoris esse non possunt, in qua si satis profecissem, parcius de eius laude dicerem.* Sic MSS. et vett. Edd. ut intelligatur *in qua facultate dicendi.* Confer Gronov. ad Liv. XXIII. 11. et Cortium ad Sall. Catil. II. 1. Huc etiam referri possunt et ista, in quibus subiectum principale orationis subticetur: ut, Plaut. Most. I. 3. 87. *Quae pro me causam diceret, patronum liberavi:* amicam scil. intelligit. Horat. Car. I. 37. 20. *Daret ut catenis Fatale monstrum, quae generosius Perire quaerens:* Cleopatram respicit, de qua sermo, Cic. Att. I. 16. *Narra, inquit, patrono tuo, quae Arpinates aquae concupivit.* Clodiam innuit Cicero, atque ita eum scripsisse, non, ut vulgo legitur, *qui*, docet Gronovius ad d. Plaut. loc. Id. Cic. Fam. I. 9. med. *Illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores:* de Clodio nimirum loquitur. Id. pro Sext. c. 16. *Habebam inimicum, non C. Marium, sed duo importuna prodigia, quos egestas, quos aeris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas, tribuno pl. constrictos addixerat.* Pisonem et Gabinium Coss. intelligit. Sic, Sil. X. 306. *Iacet altum pectus et ingens Dextera, quem (soli si bella agitanda darentur) Aequassee forsan Fabio.* Et XV. 503. *Venales animae Rhodani qui gurgite gaudent;* hic Gallos, illic Paullum Aemilium animo respiciens. Sed ex his pleraque ad Figuram Synesin revocari possunt, eodem pacto quo haec Terentii, And. III. 5. 1. *Ubi illic est scelus qui me perdidit.* Et Eun. II. 3. 10. *Ut illum Dii Deaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est:* in quibus *scelus* pro *scelestus*, *senium* pro *senex* accipiuntur.

54) Paullo insolentius illud Sall. Catil. 55. 5. *Interea servitia repudiabat, cuius initio ap eum magnae copiae concurrebant.* Priscianus lib. XVII. p. 1099. *cuius* interpretatur *cuius rei:* sed rectius simpliciusque Vossius de Constr. c. 5. et 55. *servitii* singulari numero, sed collective de pluribus acceptum intelligit. Eadem et mens est acutissimi Cortii, qui in Excursu VIII. ad loc. similes et hasce adducit locutiones. Plin.

Digitized by Google

VI. Relativum nonnunquam convenit, non cum genere antecedentis, sed synonymae vocis quae animo concipitur: ut, Cic. Fam. XVI. 4. *Sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit.* Sall. Iug. 41. 1. *Otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt.* Quibus in locis *quod* et *quae*, non cum *re* aut *rerum* (nam *quae* et *quas* esset dicendum) sed cum voce synonyma *negotium*, et *negotia*, quae illi animo habebant, conveniunt [55]). [Imo notionem infinitam cogitabant. G. St.]

Paneg. c. 11. *Illos veteres et antiquos aemularis, qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes invaserant contempserantque; cuius pulsi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur;* i. e. *cuius hostis.* Ter. Eun. I. 2, 87. *Eunuchum dixti velle te, quia solae utuntur his reginae; his*, nempe Eunuchis. Id. Eun. II. 1, 19. *Adeon' homines immutarier Ex amore, ut non cognoscas eundem esse.* Liv. XLII. 8. *Bonaque ut iis, quicquid eius recuperari possit, reddantur, curare.* Ovid. Amor. II. 18, 17. *Saepe tibi sedit certis operata diebus, Qua cingit lauros Gallica turma tuos.* Supple *hominem, boni, die.* * Huc referri potest frequentissima illa apud Latinos phrasis, *Propterea quod*: ut, Cic. Fam. V. 18. *Propterea quod nullam rem gravius iamdudum tuli.* Id enim integre est, *Propter ea negotia, secundum vel iuxta quod negotium.* Vid. Voss. Const. c. 55. * Similia sunt, Plaut. Stich. V. 2, 44. *Si quid stulte fecit, ut ea missa faciat omnia.* Cicer. Fam. XVI. 27. *Incredibile est quae ego illos scio fecisse.* Sall. Iug. 100, 4. *Vigiliae ipse circuire, non diffidentia futuri quae imperavisset;* i. e. (interpreto Perizonio ad Sanct. II. 9. p. 208.) *futuri negotii eorum quae imperavisset*, vel (quod addit Cortius ad loc.) *futuri eius omnis negotii, quae negotia imperavisset*: pari modo quo in illo Livii, XXX. 17. *Quicquid aliud fecerit, quod eordi foret Masinissae, ea patres comprobare atque laudare.* Atque haud scio an eadem ratione interpretandum sit illud Caes. B. G. VII. 18. *Haec si gravia atque acerba videantur; multo illa gravius aestimari debere; liberos, coniuges in servitutem abstrahi*, etc. ut *gravius* (quod vulgo adverbialiter hic accipiunt) numero singulo (pro *graviora*) subandita voce *negotium*, sit dictum.

55) Eiusmodi sunt et haec, Plaut. Aul. IV. 10, 39. *Ego te, Euclio, de alia re rescivisse censui, quod ad me attinet.* Varro R. R. I. 7. *Quae res duas sequuntur illa altera duo.* Id. ibid. II. 2. *Deterrent ab saliendo fiscellis e iunco aliave qua re, quod alligant ad naturam.* Cic. Offic. II. 5. prop. fin. *Virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum una est, — alterum, — tertium, —* pro *altera, tertia.* Gell. I. 14. *Memoratis multis magnisque rebus, quae bene ac benevole post redditam pacem Samnitibus feciisset.* Id. I. 13. *Is Crassus traditur habuisse quinque rerum bonarum maxima et praecipua;* pro *maximas et praecipuas.* Liv. XXXII. 29. *Delectu rebusque aliis divinis humanisque, quae per ipsos agenda erant, perfectis.* * Huc quoque, neque prorsus absurde, revocari possunt et illa. Cicer. de Senect. c. 3. *Saepe interfui querelis aevorum aequalium, quae C. Sklinator, quae Sp. Albinus deplorare solebant.* Plaut. Curc. II. 1, 85. *Quod eis respondi ea omnes stant sententia.* Cic. Fam. II. 8. *Cum Pompeio nullis in aliis nisi de rep. sermonibus versatus sum, quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt.* Confer Sanct. et ad eum Perizon. II. 9, 4. et IV. 4, 80. Sciopp. Gramm. Phil.

Digitized by Google

VII. Interdum relativum simpliciter omittitur: ut, Virg. Aen. I. 12. *Urbs antiqua fuit: Tyrii tenuere. coloni*: ubi *quam* deest, ut notat Servius [56]). [Deest nihil.]

VIII. Interdum quod relativo debebatur, antecedenti tribuitur: ut, Cic. pro Quinct. c. 6. *Cum venissent ad vada Volaterrana quae nominantur*; pro, *Vada quae nominantur Volaterrana.*

IX. Relativum interdum casui nominis antecedentis videtur conformari: ut, Cic. Fam. V. 14. *Cum scribas, et aliquid agas eorum quorum consuesti.* Sall. Frag. Hist. 1. *Non pro sua, aut quorum simulat, iniuria.* Cic. Attic. X. 8. *Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus*; pro, *quae consuesti, quos simulat, quod diximus.* Sed haec potius per Ellipsin supplenda sunt, hoc modo: *quorum aliquid agere consuesti; Pro iniuria eorum, pro quorum iniuria simulat*, scil. *se arma cepisse; Illo augurio quo confirmaturos nos diximus* [57]).

---

p. m. 94. et Gronov. Obs. III. 2. p. 440. et adde supra n. 52. * Caeterum haec constructio vix aliter locum habet, nisi cum vox generalis *negotium* aut *negotia* animo reticetur. Singulare enim, nec temere imitandum, est illud Varronis, R. R. I. 12. *Sin cogare secundum flumen aedificare, curandum ne adversum eum ponas*: ubi *eum* non cum *flumen* (nam *id* esset dicendum) sed cum *fluvium* vel *amnem*, quod in mente habuit Varro, convenire, docet post Victorium (qui hanc lectionem confirmat) Vossius, l. saepius cit. Idem addit ex Lucret. IV. 115. *Primum animalia sunt iam partim tantula, eorum Tertia pars nulla ut possis ratione videri: Harum intestinum quodvis quale esse putandum est?* Ubi *harum* cum subiecisse sit, quia in animo erat *animantium*, quod quandoque femininum; quamvis praecesserat *animalia*. Verum plerique codd. *horum* habetur.

56) Similia sunt illa eiusdem, Aen. I. 159. *Est in secessu longo locus: insula portum Effecit obiectu laterum.* Et v. 530. *Est locus: Hesperiam Graii cognomine dicunt.*

57) Sic Liv. I. 29. *Raptim quibus quisque poterat elatis, exibant.* Id. VI. 26. *Precibus eventum vestris Senatus quem videbitur, dabit.* Cic. de Fin. I. 8. extr. *Probabo, inquit, modo istis sis aequitate, qua ostendis.* Ad quem loc. vid. Isac. Gronovium, et add. Sanct. IV. 12. qui haec dicta volunt ad imitationem Graecorum, quibus solenne est relativum casu antecedentis locare. Caeterum mihi in primis arridet doctissimi Perizonii hac de re, p. 728. iudicium, quod non piget et hic adscribere. „Pene, inquit, crediderim hasce locutiones ortas primitus ex Ellipsi, qua tamen non animadversa a posteris, factum fuerit, ut saepe eas ad exemplum aliorum adhiberent, sed perperam eo modo quo nulla statui potest Ellipsis. Nam apud Cicer. cum dicitur, *Aliquid agas eorum quorum consuesti*, possis et debeas supplere, *agere aliquid*. — Apud. Liv. *Raptim quibus quisque poterat elatis, exibant*; non absurde item supplens, vel explices, *quibus elatis quisque poterat exire*. Sed tamen quia non semper ita liquido res procedit, putem posteriores Graecorum Latinorumque Ellipticam hanc locutionem corrupisse, vel aliter quam oper-

Digitized by Google

☞ X. Interdum ipsum relativum, si semel fuerit expressum, postea reticetur; et ita reticetur, ut suppleudum sit casu diverso: ut, Sall. Iug. 101, 5. *Bochus cum peditibus, quos filius eius adduxerat, neque in priore pugna adfuerant, postremam Romanorum aciem invadunt*; pro, *quique in priore pugna non adfuerant.* Plaut. Rud. H. 1. 2. *Quibus nec quaestus est, nec didicere artem ullam*; pro, *nec qui didicere* [58]).

☞ XI. Interrogativa, sive Indefinita, *Qualis, quantus, quotus*, etc. constructionem relativi, *qui, quae, quod*, nonnunquam sequuntur: ut, Ovid. Met. II. 13. *Facies non omnibus una, Nec diversa tamen: qualem decet esse sororum.* Cic. ad Brut. Ep. 5. *Tantae multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus* [59]).

---

tuerit, protulisse." Quod de Graecis ait vir clarissimus, res quidem satis est manifesta. Apud Latinos vero exempla, quae per huiusmodi Ellipsin explicari nequeunt, longe rarissima sunt: quale a Gronovio adfertur illud Auct. ad Herenn. I. 7. *Ut statim apertis rationibus, quibus praescripsimus, benevolum faciamus auditorem.* Et ab Ursino, p. 183. illud Ter. And. IV. I. 57. *Restitue in quem me accepisti locum.* Sed et haec in multis edd. aliter leguntur, prius, *quae praescripsimus*; posterius, *quem a me accepisti locum.*

58) Ita Terent. Adelph. I. 2, 4. *Quem neque pudet Quidquam: nec metuit quenquam: neque legem putat Tenere se ullam*; pro *quem non pudet, quique nec metuit*, etc. Simili interdum modo reticentur Pronomina *is* et *ille*: ut, Nep. XVI. 6, 3. *Cuius belli cum ei summa esset data, eoque cum exercitu profectus esset*; pro *eoque is cum exercitu.* Plaut. Epid. V. 2, 52. *Ain tu te illinc invenisse filiam.* E P. *Inveni, et domi est*; pro *et illa domi est.* Eiusmodi autem Ellipsin Livio, Caesari et Hirtio satis esse frequentem notant Sciopp. Gram. Phil. p. m. 64. et Vossius, cap. saepius laudato. Confer. et Ursinum, p. 131 et 630.

59) Hae voces indefinitae, *Qualis, quantus, quot, quotus, quotuplex*, etc. quae *relativa accidentis* vulgo appellantur, cum praecedente substantivo tum tantum genere et numero consentiunt, cum ipsa eorumque redditiva, sive, ut Linacer appellat, demonstrativa, *talis, tantus, tot, totus*, etc. ad unum idemque substantivum, quod posteriore clausula repeti debeat, referuntur. Ad hunc enim modum sententiae memoratae plenae erunt; *Facies non omnibus una est: nec diversa tamen facies, sed talis facies, qualem faciem decet esse faciem sororum. Tantae multitudinis erat concursus, quantam multitudinem capit urbs nostra.* At si eiusmodi relativum eiusque redditivum duo diversa substantiva respiciant, prius cum priore, posterius cum posteriore, tanquam adiectiva cum substantivis suis, consentiunt: ut, Cic. de Leg. III. 14. *Quales sunt summi civitatis viri, talis est civitas.* Id. Fam. XII. 7. *Dixi de te quae potui, tanta contentione, quantum forum est.* Hic autem Not. 1. Apud Poetas interdum relativum illud cum priore substantivo genere convenire: ut, Hor. Epod. VIII. 7. *Sed incitat me pectus et mammae putres, Equina quales ubera*; pro *qualia sunt ubera equina.* Not. 2. Idem Horatius accusativum pro ablativo posuit, Sat. I. 5, 41. *Occurrunt animae, quales*

Digitized by Google

Ad praecedentes Concordantias OBSERVATIO I.

7. Et, Que, vel ac, numero, similis seu copula, primo,

Fixa duo vel plura ligans, plerumque reponi
Mobile plurali, verbum, referensque requirit.

Duo vel plura substantiva singularia, coniunctione et, que, ac, atque, etc. copulata, habent plerumque adiectivum, verbum vel relativum plurale [60]): ut, Cic. Nat. Deor. II. 2. *Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt.* Virg. Aen. II. 316. *Furor iraque mentem praecipitant.* Cic. Orat. c. 12. *Quo magis Herodotus Thucidydesque mirabiles, quorum aetas in eorum tempora, quos nominavi, incidit* [61]).

---

neque candidiores Terra tulit; pro *qualibus*, Et Epod. V. 57. *Nardo perunctum, quale non perfectius Meae laborarunt manus*, pro *quali*. Horum autem locorum constructionem sic constituit Perizon. p. 780. n. 6. *Tales, quales alias, neutiquam candidiores his, unquam terra tulit.* Et, *Quale meae manus laborarunt, nunquam perfectius eo quod nunc laborarunt.* Simile videtur illud Propertii, II. 25, 71. *Famae iactura pudicae Tanta tibi miserae, quanta mereris, erit*: ubi *quanta* pro *quantum* poni notat Passeratius; Broukhusius vero, *quanta tu es, quam celebris tu es, quae eam mereris*, interpretatur. Not. 8. Interdum vox *negotium* intelligenda est: ut, Virg. Ecl. V. 45. *Tale tuum carmen nobis, divine poeta, Quale sopor fessis in gramine.* Not. 4. Alterutrum, vel relativum, vel eius redditivum, saepe desideratur: ut, Virg. Aen. I. 592. *Quale manus addunt ebori decus*; pro *tale decus, quale.* Id. ibid. v. 606. *Qui tanti talem genuere parentes*; i. e. *tanti, quanta tu Dido*; *talem item, qualem te conspicimus.* Id. Aen. II. 327. *Millia quot unquam magnis venere Mycenis*; pro *tot millia, quot.* Vid. Voss. loc. saepius cit. in fin. et add. Linacr. lib. VI. sub fin. p. 509. Huiusmodi est et illud Sallustii, Iug. 31, 22. *Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male facisse*; i. e. explicante Perizonio ad Sanct. p. 210. *parum illis est, pro tanto importunitatis negotio, quantum*, etc.

60) Haec Figura est, quam Syllepsin vulgo appellamus, de qua postea, lib. II. Eius autem constructionis ratio in hoc sita est, quod quemadmodum omne plurale ex singularibus conficitur; ita duo vel plura singularia plurali aequipollent. Sic *ego* et *tu* idem est quod *nos*; *tu* et *ille* quod *vos*; *Petrus* et *Ioannes* quod *illi*, etc. At Scioppius, referente (qui eum sequi videtur) Vossio, Constr. c. 8. in his Ellipsin statuit: ut, *Socrates et Plato philosophantes*, plene sit, *Hi*, vel *hi duo*, *Socrates et Plato*, etc. Sic Plaut. Amph. III. 3, 19. *Iam hi ambo et servus et servo frustra sunt duo.* Id. Epid. V. 1, 20. *Quem Apelles atque Zeuxis duo pingent pigmentis ulmeis.* At mihi prior illa, ut simplicior, ita et verior ratio videtur. In his autem Plautinis (uti Ursino observatum, p. 22.) voces *ambo* vel *duo* potius redundare, quam apud alios deesse, dicendas sunt. * Imo sunt quae Scioppianum illud supplementum plane respuunt, v. g. hoc Curtii, V. 7, 4. *Unus et alter assentiunt*, et similia.

61) Neque coniunctiones tantum copulativae affirmantes, sed negantes etiam, pluralem admittunt; ut contra Bentleium ad Hor. Car. I. 18,

Digitized by Google

Not. 1. Intercedente praepositione cum, pro et, pluralis interdum adhibetur: ut, Ovid. Met. II. 257. *Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat.* Virg. Aen. I. 292. *Remo cum fratre Quirinus Iura dabunt* [62]).

Not. 2. Coniunctio interdum intelligitur: ut, Ter. And. I. 1. 27. *Dum aetas, metus, magister prohibebant.* Liv. I. 7. *Palatinum Romulus, Remus Aventinum, ad inaugurandum templa capiunt* [63]).

Not. 3. Interdum duo adiectiva singularia substantivum accipiunt plurale: ut, Ovid. Trist. IV. 5. 1. *Magna minorque ferae.* Liv. V. 3. *Maria Tyrrhenum atque Adriaticum.*

Not. 4. Diximus plerumque, non semper, pluralem adhiberi: nam haud raro adiectivum, vel verbum, singulari positum invenitur: ut, Plin. N. H. XIII. 25. *Mare rubrum et totus orientis oceanus refertus est silvis.* Liv. XXVIII. 20. *Terror inde ac desperatio invaserat* [64]).

---

6. ostendit Iohnsonus, Aristarch. Anti-Bentlei. Part. II. p. 11. et ante eum Despaut. p. 215. et Linac. l. v. p. 339. ut, Cicer. Fam. XI. 20. *Quod in Decemviris neque Caesar, neque ego habiti essemus.* Terent. Adelph. I. 2, 28. *Haec si neque ego, neque tu fecimus.* Cels. I. 4. extr. *Eique ex toto neque vinum, neque aqua semper utilia sunt.* Item coniunctiones disiunctivae, *aut, ve, vel, seu, sive:* ut, Iustinian. Inst. I. 5. §. 2. *Veluti cum Praetor, aut Praeses, aut Proconsul in balneum, vel in theatrum eant.* Ovid. Art. III. 251. *Non mihi venistis Semele Ledeve docendae.* Adde Goclen. Probl. Gramm. III. 9.

62) Sic Ovid. Fast. V. 329. *Consul cum consule ludos Postumio Laenas persoluere mihi.* Id. Met. IV. 784. *Littora cum plausu clamor superasque Deorum Implevere domos.* Hor. Sat. I. 7, 20. *Uti non Compositi melius cum Bitho Bacchius:* ita enim legit doctissimus Bentleius. Neque soli Poetae, sed etiam Oratores, et alii, sic loquuntur: ut, Cic. Tusc. I. 18. *Dicaearchum cum Aristoxeno, aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus.* Auct. B. Afric. c. 52. *Iuba cum Labieno capti in potestatem Caesaris venissent.* Flor. III. 10, 8. *Cottam cum Titurio Sabino legatos ibi amisimus.* Curt. IV. 5, 17. *Pharnabazus cum Apollonide et Athenagora vincti traduntur.* Eutrop. VIII. 12. *Opilius deinde Macrinus cum filio Diadumeniano facti Imperatores.* Apul. Met. III. p. 96. *Praeclarus ille vector meus cum asino capita conferunt.* Id. Met. X. p. 352. *Iuno cum Minerva tristes et iratis similes e scena redeunt.* Senec. Controv. II. 13. *Posmos cum Apollodoro hanc quaestionem fecerunt.* Vid. Gronov. ad Liv. XXI. 60. Perizon. ad Sanct. IV. 10, 4. in primis vero Cortium ad Sallust. Cat. XLIII. 1. qui hanc Latinitatem non magis Poeticam quam pedestrem orationem sapere adversus Munkerum aliosque ostendit. Adde paulo post Not. 71.

63) Interdum coniunctio sine necessitate multiplicatur: ut, Virg. Aen. I. 85. *Una Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis Africus.* Haec figura Polysyndeton, illa Asyndeton appellatur.

64) Haec quoque figurata locutio est, quam Zeugma nominamus, de quo plenius suo loco.

Digitized by Google

OBSERVATIO II.

3. Quod si forte genus personave discrepet, illud
Quod magis est dignum praefer: sic prima secundae
Praestat, et haec ternae; viventum et más muliebri:
At res absque anima deposcunt mobile neutrum.

Si substantiva illa singularia diversarum sint personarum vel generum, verbum plurale cum nominativo dignioris personae; adiectivum vero vel relativum cum substantivo dignioris generis concordabit.

I. Prima autem persona dignior est quam secunda, et secunda quam tertia: ut, Cic. Fam. XIV. 3. *Si tu et Tullia lux nostra valetis, ego et suavissimus Cicero valemus.* Virg. Aen. IV. 93. *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis Tuque puerque tuus* [65]).

II. In rebus animatis dignius est genus masculinum quam femininum [66]): ut, Ter. Eun. III. 3. 11. *Pater*

---

65) Eademque nobilioris personae ratio servatur, si utraque vel alterutra pluralis sit numeri: ut, *Si nos duces, vosque milites strenuo suo quisque officio fungamur.* Cic. contr. Rull. I. 7. *Errastis, Rulle, vehementer et tu, et nonnulli collegae tui.* Interdum tamen propior, licet minus digna, persona praefertur: ut, Cic. Fam. III. 5. *Mihi magnae curae est, ut tu ipse tuique omnes scire possint me tibi esse amicissimum.* Liv. XXIX. 17. *Utrum vos, an Carthaginienses principes orbis terrarum videantur.* Ita hunc locum proferunt Meth. Auct. p. 364. et Ursin. p. 175. et hic porro addit, se *videamini* dicere non ausurum. Id vero utcunque sit, non *videantur*, sed *videant*, meliores codd. habent.

66) An femininum neutro sit dignius ambigitur. Vetustiores plerique, itemque Vossius, de Constr. c. 4. Methodi Auct. p. 365. et Ursin. p. 530. affirmant: ut, v. g. dicere liceat, *Lucretia et eius mancipium fuerunt castae.* At Linacer, p. 426. Alvarus, p. 263. et ipse Vossius in Gramm. sua min. Syntax. p. 12. propterea quod testimonium veterum non suppetat, vel neutrum feminino praeferunt, vel circuitione uti malunt, hoc pacto; *Lucretia fuit castissima, qua virtute etiam eius mancipium floruit*, vel *ornatum fuit.* Quod ad illud Lucani attinet, I. 176. *Hinc leges et plebiscita coactae, μοναδικὸν* isthoc esse, nec in exemplum trahendum, existimant Linacer, l. c. Ramus Schol. Gramm. p. 340. et Turnerus Exerc. Accid. p. m. 101. Quod vero iidem addant, locum forte mendosum esse, ac pro *coactae coacta* legendum; aut divisis vocibus *plebis scita* Lucanum scripsisse, ut *coactae* cum *plebis* construatur (quae et magni Salmasii Plin. Exerc. p. 892. opinio est, a qua non alienus videtur Vossius de Constr. c. 4.) nequeo illis accedere, tum propter Prisciani auctoritatem, col. 1100. tum ob rationes a clarissimo eius scriptoris Interprete Fr. Oudendorpio in nupera sua edit. allatas. In illo autem Cic. Nat. Deor. II. 62. *Quid de vitibus olivetisque dicam, quarum uberrimi laetissimique fructus nihil omnino ad bestias pertinent? oliveta* pro *oltvis* positum, parique ratione hic dictum, quo *scelus qui* ap. Ter. And. III. 5, 1. pro *scelestus*, aut *auxilia qui* ap. Liv. XXIX. 12. pro

Digitized by Google

mihi et mater mortui sunt. Ovid. Art. II. 562. *Mulciberis capti Marsque Venusque dolis* [67]).

III. In rebus vero inanimatis adiectivum plerumque est neutri generis; ut, Sall. Cat. 20. 14. *Divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt.* Id. Iug. 38. 8. *Nox atque praeda castrorum, hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt* [68]).

---

auxiliares, videtur. In illo porro Iustin. XXII. 5, 5. *Urbes castellaque Africae, non muris cinctae, non in montibus positae*; in MSS. *cincta* et *posita* legi monet Schefferus, idque melius videri; quod vero mox sequitur, *quas omnes metu excidii facile ad belli societatem perlici posse*, pro *quas*, *quae* (addere debuit et pro *omnes omnia*) scribendum; atque ita forte in vetustioribus fuisse, idem existimat. Similiter, quod ex Gell. IX. 3. *Philippi arma atque vim toti Graeciae cavendam metuendamque, inclytae illae Demosthenis orationes vociferant*, adfert Saturnius, X. 4. in optimis libris *cavenda metuendaque* nunc legi notat Vossius, Constr. c. 4. In illo denique Ovidii, Met. XI. 50. *Membra iacent diversa locis: caput, Hebre, lyramque Excipis; et (mirum) medio dum labitur amne, Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua Murmurat exanimis: respondent flebile ripae. Iamque mare invectae flumen populare relinquunt.* Vossius quidem τὸ *invectae* ad remotiora antecedentia *caput* et *lyram* vult referri. Mihi vero (quod cum venia maximi viri dixerim) ad propiora antecedentia *lyram* et *linguam*, duo illa (quibus supra omnes mortales Orpheus eminebat) canendi instrumenta, Ovidius respexisse videtur. Accuratissimus Sol. Lowaeus, Gram. p. 18. not. 28. pro *invectae*, *inveta* vult legendum, quod (inquit) et ratio suadet, neque repugnat versus. Imo vero neque magnopere id suadet ratio; neque versus patitur; nisi dicamus ultimam vocis *invecta* syllabam, vel propter caesuram, vel propter duas in initio vocis sequentis consonantes, ex brevi longam factam: qua licentia cum Ovidius, si quis alius, rarissime utatur, non est quod constantem omnium codicum lectionem mutemus.

67) Sic etiam, si unum vel plura substantiva pluralis numeri sint: ut, Ter. And. V. 3, 20. *Domus, uxor, liberi inventi invito patre.* Liv. XXXVII. 3. *Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti.* Virg. Aen. VII. 574. *Carosque repottant Almonem pueros foedatique ora Galaesi*, i. e. *ipsum Galaesum.*

68) Sic Sall. Catil. 36, 4. *Otium atque divitiae, quae prima mortales putant.* Liv. XXVI. 21. *Merico urbs aggerque in Sicilia iussu dari.* Id. XLIV. 1. *Favere pietati fideique Deos, per quae populus Rom. ad tantum fastigii venerit.* Iustin. I. 7, 7. *Croesо et vita et patrimonii partes, et urbs Barce, concessa sunt.* Nec Historici tantum, sed Oratores etiam (ut notatum Alvaro est, p. 264.) sic loquuntur: ut, Cic. Fam. VII. 20. *Tuam domum, tuosque agros, eaque remoto loco.* Id. Fin. V. 12. *Moderati aequabilesque habitus, affectiones, ususque corporis apta sibi ad naturam videntur.* Id. Nat. Deor. III. 24. *Fortunam nemo ab inconstantia et temeritate seiunget: quae digna non sunt Deo.* Quinctil. Inst. VI. 3. *Oratori minime convenit distortus vultus gestusque, quae in mimis videri solent.* Confer Perizon. ad Sanct. IV. 10, 6. Saturn. V. 7. Burmann. ad Quinctil. Declam. CCXLVII. Cortium ad Sallust. Iug. 38, 8. et Sol. Lowaeum Gramm. p. 18. n. 29. * Invenitur et, rarissimo exemplo (praecedentibus aliorum generum substantivis) adiectivum neutrum in singulari: ut, Varro R. R. III. 16. *Alii uvam passam et ficum*

Digitized by Google

Not. 1. Dignior persona minus dignam in oratione debet praecedere: ut, *Ego* et *tu;* non vero, *Tu* et *ego* [69]). Not. 2. Verbum vel adiectivum haud raro cum propiore substantivo persona, genere, vel numero congruit [70]): ut, Cic. Attic. IV. 17. *Et ego et Cicero meus*

---

cum pinserunt, affundunt sapam, atque ex eo factas offas apponunt; pro *ex iis.* Nimirum, ut in superioribus *negotia*, ita hic *negotium*, utpote de rebus multis in unum commistis, atque hoc pacto quasi re una effectis, intelligendum. * Hic autem duo notanda sunt. Et Not. 1. Si una vel plures ex his rebus animatae sint, adiectivum nonnunquam et neutro adhiberi: ut, Lucan. IX. 402. *Serpens, sitis, ardor, arenae, Dulcia virtuti.* Ovid. Art. III. 719. *Credere quae iubeant, locus est, et nomen, et index.* Stat. Achill. I. 408. *Iura, fidem, superos, una calcata rapina.* Cic. Senect. c. 13. *Delectabatur crebro funali et tibicine, quae sibi nullo exemplo privatus sumpserat.* Val. Max. I. 1, 10. *Atque in id virginea et sacra imposita Caeretem in oppidum pervexit.* Caes. B. G. V. 12. *Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant: haec tamen alunt animi voluptatisque causa.* Plin. IX. 28. *Mollia sunt lolligo, saepia, polypus, et caetera eius generis.* Solin. c. 30. *Polypus et chamaeleon glabra sunt.* Ter. Eun. III. 2, 27. *Atque haec* [viz. Eunuchum et ancillam] *qui misit, non sibi soli postulat Te vivere.* Sil. II. 689. *Late fusa iacent pecudes, custosque molossus, Pastorumque cohors, stabulique gregisque magister.* Addunt Voss. aliique, ex Tacit. Anal. V. *Parentes, liberos, fratres, vilia habuere,* quod illic non reperio. Confer, praeter Voss. de Constr. c. 4. Danes. Paralip. p. 144. Turner. Exerc. Accid. p. 98. Low. p. 18. not. 29. Caeterum in his omnibus poteris simpliciter *negotia;* in quibusdam *animalia;* in illo Ter. (cum Donato) *munera,* intelligere. Not. 2. Interdum in rebus inanimatis simplicis constructionis aut dignioris generis ratio habetur: ut, Quinctil. I. 10. *Grammatice quondam ac Musice iunctae fuerunt.* Iustin. X. 3, 7. *Misericordia in eo ac perfidia pari iure dilectae.* Sallust. Catil. 10, 2. *Ita otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere.* [ita vulgg. at Perizonius ad Sanct. IV. 10, 6. *optanda* ex codice Hogerzii legit] Plinium, XVII. 11. *Seriores supra dictis narcissus et lilium.*

69) Id tamen perpetuum non esse ostendit illud Livii, XXXVII. 53. sub fin. *Pater, ego, fratresque mei, terra marique pro vobis arma tulimus.* Ant. igitur Nebrissensi non satis causae fuit, cur lib. III. c. 14. illud vulgati Interpretis, Luc. II. 48. *Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te,* tanquam vix tolerabile damnaret. Vid. Despaut. p. 216. et Meth. Auct. p. 866. et adde illud Bruti ad Ciceronem Fam. XI. 21. *Maximeque indignari, quod in Decemviris neque Caesar, neque ego habiti essemus.*

70) Haec figura est, quam *Zeugma* vocitari modo meminimus, Not. 64. Ea autem non solum in substantivis singularibus, sed etiam in pluralibus locum habere videtur: ut, Cicer. Offic. II. 3. *Expertes rationis sunt equi, boves, reliquae pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum usum atque vitam:* ubi *quarum* feminino genere dixisse eum putem respicientem ad proxime praecedens substantivum *apes.* Id certe potius videtur, quam cum Turnero, p. 93. et Lowseo, p. 18. not. 24. *bestiarum* intelligere. * Interdum verbum vel adiectivum remotiori personae vel generi, at digniori tamen, eodem numero respondet: ut, Liv. I. 32. extr. *Ego populusque Rom. populis priscorum Latinorum bellum*

Digitized by Google

flagitabit. Stat. Silv. II. 1. 173. *Erant illic genitor materque iacentis Moesta.* Virg. Aen. I. 553. *Sociis*

---

indico facioque. Hor. Sat. II. 6, 66. *O noctes coenaeque Deum, quibus ipse meique Ante larem proprium vescor.* Item, Cic. Fam. X. 24. *Amor tuus ac iudicium de me, utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facile dixerim.* Ovid. Fast. I. 287. *Iane, face aeternos, pacem pacisque ministros.* Val. Max. IX. 2. exter. 5. *Caput eius et pedes praecisos et manus in cista chlamyde opertos pro munere natalitio matri misit.* Tac. Hist. V. 23, 6. *Agros villasque intactos sinebat.* Cic. Nat. Deor. I. 29. *Ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem, violatum ab Aegyptio.* Id. ibid. II. 47. *Quin etiam* [vites] *a caulibus, brassicisque, ei propter sati sint, ut e pestiferis et nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere.* Id. Leg. I. 1. *Lucus ille, et haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario.* Hirtius B. Afric. c. 25. *Ut noctes diesque oculos mentemque ad mare dispositos directosque haberet.* Cic. Fam. V. 21. sub fin. *Praeter culpam ac peccatum, qua semper caruisti, homini accidere nihil potest quod sit horribile et pertimescendum.* Ita meliores codd. alii *quo.* Huc etiam retulerim illud Virg. Geo. IV. 224. *Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum, Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas,* ubi *quemque* masculino Poetam adhibuisse, ad vocem, licet remotiorem, dignioris tamen generis, *viros*, respicientem; quam, quod Turnerus et Lowaeus volunt, loc. cit. *animantem* intelligi, verius existimem. Hanc autem loquendi formulam Vossius de Constr. c. 19. et ante eum Saturnius, X. 4. *Zeugma inversum* vocant: at Ursinus, p. 175. eo quod in his omnibus dignioris personae aut generis ratio habeatur, ad Syllepsin eam potius referendam existimat. Si quidem verbum vel adiectivum cum voce remotiore, licet personae vel generis minus digni, eodem numero, congrueret, vere Zeugma inversum foret: at cum eiusmodi structurae usus vel nullis vel incertis testimoniis adstruatur, tutius ea abstinendum putem. Cl. quidem Burmannus, ut illud Buchanani nostri Hist. IV. 29. *Vallo et fossa inter Tinae et Escae fluminum aestuaria ducto*, defendat, *non deesse* ait *huius loquendi formulae magno numero exempla*, qualia nonnulla ad Ovid. Met. IV. 177. et Trist. II. 315. (ad quae nos ablegat) ipse adducit. At quantum ea ab re aliena sint, liceat paucis ostendere. In plerisque masculinum praevalere, h. e. dignioris generis (ut in exemplis a nobis supra allatis) rationem haberi ipse agnoscit. In his autem Ovidianis, Trist. II. 315. *Nil, nisi peccatum, manifestaque culpa, fatendum est.* Et Pont. I. 6, 25. *Quicquid id est, ut non fucinus, sic culpa, vocandum*; quanquam haud raro aliter loquantur Scriptores, rationi tamen et regulis artis maxime consentanea structura servatur: adiectiva enim *fatendum* et *vocandum*, non ad *peccatum* vel *facinus*, sed ad *Nil* et *id* referenda sunt. Vid. post in Zeugmate Not. 3 et 4. In eodem censu ponendum illud Liv. IV. 42. *Nec pietas quatuor tribunorum, quam Hortensii placabile ingenium, plebi patribusque gratior fuit.* Restant igitur duo tantummodo exempla, quae inter reliqua a viro doctissimo allata, ad sententiam ipsius firmandam facere videntur: unum Iustini, XX. 5, 5. de quo superius n. 66. alterum Liv. XLIV. 28. *Stantes in portu Rhodias naves, Eudamumque praefectum eatum inviolatas, atque etiam benigne appellatos dimiserunt.* At virum in his literis longe maximum I. F. Gronovium audiamus; „Haud dubie (inquit ille in loc.) ad propius dignusque respexit Livius; imo accepit quasi postisset ante; *Rhodios in navibus Eudamumque.* Scribe ergo *in-*

Digitized by Google

et rege recepto. Ibid. V. 583. *Omnia tuta vides, classem sociosque receptos* 71).

---

violator." Idemque de illo habendum arbitror, quod ex Iul. Obsequente, nec ipso multum probato Auctore, adfert Saturnius, *Coelum ac terra ardere visum:* eum enim aut vocibus inversis *Terra* et *coelum*, aut *ardere visa*, (alterum certe debuit) scripsisse crediderim. In nihilum igitur recidunt illa Burmanni exempla, vel potius insignis tumor aliorumque contemptus, quibus abreptus eam quam improbamus loquendi formam *solos Grammaticos male habere posse* pronunciat, *non virus doctor.*

71) De hac constructione porro Obs. 1. Intercedente praepositione cum, generis quoque praestantiam locum habere: ut, Ovid. Fast. IV. 54. *Ilia cum Lauso de Numitore sati.* Sall. Hist. III. Epist. Pompeii, n. 6. *Dux hostium cum urbe Valentia et exercitu deleti.* Iustiff. XIV. 6. extr. *Filium Alexandri cum matre in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.* Hygin. Fab. VI. *Cadmus cum Harmonia uxore sua in dracones sunt conversi.* Obs. 2. Intercedente cum, verbum fere semper personae nominativi respondet, nulla habita ratione ablativi: ut, Ovid. Fast. I. 12. *Tu quoque cum Druso praemia fratre feres.* Cicer. Attic. III. 8. *Atque utinam iam ante vidisses, neque totum animum tuum moerori mecum dedisses.* Id. Attic. VII. 14. *Tu ipse cum Sexto scire velim quid cogites de exeundo.* Hor. Art. v. 153. *Tu quid ego et populus mecum desideret, audi.* Vulgo quidem adfertur illud Virg. Aen. II. 434. *Divellimur inde Iphitus et Pelias mecum*, in quo verbum plurali positum praestantiori personae redditur. At quidam, et forte rectius, interiecta distinctione sententiam sic dividunt; *Divellimur inde: Iphitus et Pelias mecum*, sc. *erant.* In hoc autem Cic. Attic. VII. 17. *Tu ipse cum Sexto etiam nunc mihi videris Romae recte esse posse: etenim minime amici Pompeio esse debetis;* a singulari ad pluralem, ob interveniens substantivum *amici*, transitus fit. Itidem in illo eiusd. Attic. VII. 18. *Ipse cum fratre Capuam ad Consules (Nonis enim adesse tuasi sumus) III. Non. profectus eram:* quamvis sententia interiecta plurali effertur, in principali tamen singularis servatur. * Caeterum, cum uterque et nominativus et ablativus tertiae sunt personae, verbum vel plurali per Syllepsin, vel singulari per Zeugma adhiberi potest. Prioris exempla sunt: Sallust. Cat. 43, 1. *Lentulus cum caeteris constituerant.* Id. Iug. 101, 1. *Bocchus cum peditibus invadunt.* Liv. XXI. 60. *Dux cum aliquot Principibus capiuntur.* Adde supra n. 62. Posterioris: Cic. ad Q. Fratr. III. 2. exter. *Domitius cum Messala certus esse videbatur.* Id. Catil. I. 2. *Occisus est cum liberis M. Fulvius consularis.* Liv. XXVIII. 23. *Fide accepta dataque perfugis, et Marcius eo cum expeditis cohortibus, et Laelius cum septem triremibus et quinqueremi una est missus*, etc. Obs. 3. Cum substantiva singularia copulantur, maxime ubi de rebus inanimis est sermo, M. Tullium aliosque idoneos auctores, verbum singulare quam frequentissime adhibere (contra quam quidam faciendum existimant) notat Alvarus, p. 260. ut, Cic. pro Rab. c. 8. *Virtus et honestas et pudor cum Consulibus esse cogebat.* Id. ad Q. Fratr. III. 8. *Me iam et mare isthuc, et terra sollicitat.* Id. Fam. V. 7. *Scribam aperte, sicut et mea natura, et nostra amicitia postulat.* Caes. B. G. I. 1. *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit.* Sallust. Cat. 52, 6. *Libertas et anima nostra in dubio est.* Sed in re manifesta pluribus testimoniis non est opus. * Id autem praecipue locum habet, cum substantiva synonyma, aut eandem fere rem significantia, copulantur: in his enim paene semper verbum vel adiecti-

Digitized by Google

4. *Concordantia Substantivi cum Substantivo.*

9. Casu conveniunt ad idem spectantia fixa.

Unum substantivum concordat cum alio eandem rem significante in casu [72]): ut, Cic. Attic. V. 9. *Cicero meus, suavissimus puer, tibi salutem dicit.* I. 2. *Iustitia virtus excellentissima* [73]).

Not. 1. Non necesse est, ut vel genere, vel numero, vel persona consentiant: ut, Ovid. Met. I. 140. *Effodiuntur opes, irritamenta malorum.* Virg. Ecl. II. 1. *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin, Delicias Do-*

---

vum cum eo quod propius est congruit: ut, Cic. Senect. c. 8. *Conscientia bene actae vitae, multorumque beneficiorum recordatio iucundissima est.* Ibid. c. 19. *Mens et ratio et consilium in senibus est.* Id. Offic. I. 20. *Si contentio quaedam et comparatio fiat.* Sall. Cat. 52, 27. *Ista mansuetudo et misericordia in miseriam vertet.* Confer plura eiusmodi ap. Turner. Exerc. Gramm. p. 101. Non tamen, cum eod. Turnero, prorsus vituperem illud Livii, *Imperium et dignitas quae petiisti;* pro *quam petiisti;* dictum: ita enim loqui et ipse Cicero videtur, de Senec. c. 11. *Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis: nam haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute.* Obs. 4. Nomina collectiva: ut, *populus, gens, turba, pars, manus,* etc. et quaedam partitiva: ut, *quisque, uterque,* etc. verbo, adiectivo vel relativo plurali frequenter iunguntur: ut, Virg. VI. 660. *Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi.* Sall. Iug. 58, 3. *Magna pars vulnerati aut occisi.* Tac. Ann. XV. 35, 3. *Intimus quisque libertorum vinci abreptique.* Ovid. Her. IV. 114. *In magnis laesi rebus uterque sumus.* Huius autem constructionis ratio in eo sita est, quod haec nomina, quamvis positione singularia, significatione tamen pluralia sint. Obs. 5. Huc itidem spectant eae locutiones, in quibus adiectivum, non cum substantivo quod exprimitur, sed altero quod animo intelligitur, genere convenit: ut, Liv. VIII. 11. *Latium, Capuaque agro multati;* pro *Latini et Campani.* Id. X. 1. *Capita coniurationis virgis caesi, ac securi percussi;* pro *duces* vel *principes.* Similia sunt illa Ciceronis, Off. I. 1. *Propter summam doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter,* etc. Et Off. III. 1. *Suscepisti onus grave et Athenarum et Cratippi, ad quos,* etc. ubi *urbs* et *Athenae,* pro *Atheniensibus* ponuntur. Sic in numeris, pro hominibus numeratis: ut, Flor. III. 21, 25. *Duo millia electi qui mori iuberentur.* Curt. IV. 4, 17. *Duo millia crucibus affixi.* Sed de his aliisque eiusmodi in Figura, quam Synthesin vocant, postea dicetur.

72) Vel sic, *Duo vel plura substantiva continuata, ad eandem rem pertinentia, conveniunt in casu.*

73) Haec Figura veteribus Epexegesis dicitur; i. e. *declaratio,* quod praecedens substantivum a sequente declaretur. Recentiores Appositionem appellant. Est autem Ellipseos genus, in qua subauditur insitatum participium ens, vel *qui est, qui vocatur,* aut simile. Sic, *Anna soror;* i. e. *Anna ens soror,* Graece οὖσα, *quae est.* Grammatici autem tres illius causas statuunt. 1. Restringendae generalitatis: ut, *Arbor laurus.* 2. Tollendae ambiguitatis: ut, *Taurus mons, lupus piscis.* 3. Designandae proprietatis: ut, *Socrates vir sapientissimus.*

Digitized by Google

mini [74]). Ter. Eun. III. 5. 43. *Ego homuncio hoc non facerem* [75])? Incert. *Nos poma natamus* [76]).

Not. 2. In hac, ut in aliis convenientiis, duo vel plura singularia habentur pro plurali: ut, Horat. Sat. I. 4. 1. *Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetae.* C. Nep. vit. Attic. XXII. 4. *Cn. Domitio, C. Sosio Consulibus decessit* [77]).

Not. 3. Substantivis singularibus apponi potest aliud substantivum plurale dignioris generis: ut, Liv. XXVII. 4. *Ad Ptolemaeum Cleopatramque Reges legati missi;* pro, *Regem* et *reginam.* Ovid. Met. III. 130. *Soceri tibi Marsque Venusque Contigerant;* pro, *socer* et *socrus*[78]).

---

74) Diverso autem numero poni notat Despaut. p. 211. duabus de causis. 1. Quod alterum singulari careat: ut, *Urbs Athenae, Pisces signum.* 2. Quod alterum sit collectivum; ut, Ovid. Her. I. 88. *Turba ruunt in me luxuriosa proci.* Id. Met. XV. 116. *Quid meruistis oves, placidum pecus?* Et v. 120. *Quid meruere boves animal sine fraude dolo*que? Iuven. I. 142. *Quanta est gula, quae sibi totos Ponit apros, animal propter convivia natum:* ubi *animal,* pro *animalia,* collective accipitur. Sic, Ovid. Fast. II. 128. *Hoc dedimus nos tibi nomen Eques;* i. e. *Equites,* seu *ordo equester.* Et Met. V. 298. *Alces erant, numeroque novem, sua fata querentes;* pro *alites,* sive *ex alitum genere.*

75) In his prius substantivum saepe reticetur: ut, Ovid. Her. II. 1. *Queror hospita Phyllis,* sc. *ego.* Id. Met. XII. 499. *Populus superamur ab uno,* sc. *nos.* Nonnunquam in possessivo includitur: ut, Cicer. Philipp. II. 48. *Tuum simplicis hominis pectus vidimus:* ubi in *tuum* includitur *tui.*

76) Ex hac diversitate personarum recentiores, frustra ac praeter rationem, novam ac veteribus incognitam constructionis Figuram, Evocationem suam excogitarunt; qua nimirum substantivum tertiae personae alteri primae vel secundae adiectum et ipsum primae vel secundae evadere volunt. At eadem hic quae in aliis Appositio est, uti notavit Linacer, p. 149. verbum vero quod sequitur, cum eo substantivo, sive pronomine, quod natura prius est, personam consentit, nullo habito ad illud alterum respectu. Sic in illo Livii, XXX. 30. *Annibal peto pacem, petō* cum *tῷ ego* cohaeret, neutiquam cum *tῷ Annibal;* quippe quod directe cum verbo primae personae iungi nequit, sed est (quanquam id neget Scaliger, de caus. L. L. p. 168.) semperque permanet tertiae personae. Sensus enim est, *Ego ens,* vel *qui sum ille Annibal, peto pacem.* Vid. Perizon. ad Sanct. p. 18. n. 7.

77) Sic, Suet. Tib. IV. 7. *Obiit utroque liberorum superstite, Tiberio Drusoque Neronibus.* Liv. X. 40. *Sinistro cornu L. Scipionem, equitibus Caios Caeditium et Trebonium praefecit.* Id. XL. 2. *Primae* [legatio] *Eumenis et Pharnacis Regum.* * Et intercedente praepositione cum: ut, Flor. III. 10, 8. *Cottam cum Titurio Sabino legatos ibi amisimus:* quam lectionem probant I. F. Gronovius et Heinsius, notante Graevio; itemque Perizon. ad Sanct. IV. 10, 4. non *legato*, ut vulgo editum.

78) Sic *filios*, pro *filio* et *filia*, dici notat Quinctilianus, Inst. IX. 3. p. m. 817. et ita Val. Maximus, II. 4, 5. de duobus filiis et filia loquens, quos bis terve *puerorum* nomine comprehendit, tandem dicit *Ve-*

Digitized by Google

☞ Not. 4. Si ex substantivis, diverso numero vel genere appositis, alterum sit nomen animalis, verbum vel adiectivum cum eo conveniet: ut, Cic. Attic. I. 8. *Tulliola, deliciolae nostrae, tuum munusculum flagitat.* Id. pro Corn. Balb. c. 15. *Cum duo fulmina nostri imperii subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones, exstincti occidissent* [79]). * Sin utrumque sit rei inanimae, cum eo quod magis commune est concordabit: ut, Plin. N. H. XXXI. 2. *Tungri civitas Galliae fontem habet insignem.* Liv. II. 33. *Corioli oppidum captum.* Id. XXXIX. 22. *Ludi Taurilia per biduum facti* [80]).

☞ Not. 5. Quandoque posterius substantivum in genitivo construitur: ut, Cic. Att. V. 18. *In oppidum Antiochiae.* Virg. Aen. VI. 650. *Amnis Eridani* [81]).

---

lecium ludos et lectisternia continuis tribus noctibus fecisse, quia totidem filii periculo liberati erant. Sic, Tac. Annal. XI. 38, 8. *Non cum adspiceret filios moerentes;* i. e. *filium filiamque Britannicum et Octaviam.* Eademque ratione *fratres* pro *fratre et sorore* dicuntur: ut, Tac. Annal. XII. 4, 2. *Fratrumque non incestum sed incustoditum amorem ad infamiam traxit;* i. e. *Silani et Iuniae Calvinae.* Apertius, l. 85. ff. de pact. *Tres fratres, Titius et Mevius et Seia communem hereditatem inter se diviserunt.* Et l. 38. ff. famil. erciac. *Lucius et Titia fratres.* Vid. Gronovius, ad Liv. I. 69. et Tac. Annal. XII. 4, 2. Muncker. ad Hygin. fab. CLIX. Bentl. ad Horat. Sat. I. 1, 100. Burmann. ad cit. Quinctil. loc. Calphurnii Declam. XII. et XLIII. et Cortium ad Sall. Iug. 75, 1.

79) Interdum adiectiva per se ipsa ostendunt, utri substantivo convenire debeant: ut, Virg. Geo. IV. 168. *Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.* Id. Aen. IV. 174. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum:* et mox, *Parva metu primo.* Id. Aen. I. 668. *Nate meae vires, mea magna potentia solus,* non *solae,* vel *sola.* Nisi *solus* ad illud seq. v. *qui tela Typhoëa temnis* potius referendum sit. Vid. Part. I. p. 55. n. 61.

80) Sic, Plin. N. H. II. 52. *Volsinii oppidum Tuscorum opulentissimum totum concrematum est fulmine.* Id. III. 5. *Praeterea auctor est Antias, oppidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio Rege.* Caes. B. G. I. 11. *Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit.* Idem tamen adiectivum nomini proprio accommodavit, ibid. c. 2. *Quod undique natura loci Helvetii continerentur: una ex parte flumine Rheno, — qui agrum Helvetium a Germanis dividit:* et mox, *Tertia, lacu Lemano, et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit.* Vid. Iohnson. Gram. Comment. p. 26. qui haec exempla tanquam usu rarissima observat. At ea non dubitavit Buchananus noster imitari, Hist. Scot. lib. X. c. 17. *Fascastellum, arx longe munitissima, captum.* Apud Iustinum quoque IX. 1, 2. *Ad cuius emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem et maritimam urbem, receptaculum terra marique copiis suis futurum, in potestatem redegisset,* legit Alvarus, p. 270. at meliores codd. *futuram* habent.

81) Sic, Virg. Aen. I. 244. *Fons Timavi.* Id. v. 247. *Urbs Patavi.* Hor. Epod. II. 57. *herba lapathi.* Prudent. contr. Symmach. II. 686.

Digitized by Google

Not. 6. Interdum plures voces, vel integra etiam oratio, alterius substantivorum locum supplet: ut, Quinctil. I. 2. *Cogitet Oratorem institui, rem arduam.* Virg. Aen. I. Praef. *Egressus silvis vicina coegi, Ut quamvis avido parerent arva colono, Gratum opus agricolis.*

Not. 7. Si posterius substantivum sit mobile, cum priore genere et numero convenire debet: ut, *Gladius ultor, Ultrices curae* [82]*); Usus magister artium; Historia*

---

arx Capitoli. Iustin. XXXVI. 2, 14. *Mons Synae.* Cicer. pro Flacc. c. 17. *arbor fici.* Liv. XXIV. 3. *arbores abietis,* Pallad. Nov. 7. *arbores pini.* Propert. III. 7, 25. *hostes Medorum*, et similia. E quibus apparet, non Poetas solum (quod existimat Cerda ad Virg. Aen. V. 504.) sic loqui, sed prosae etiam Scriptores: multoque minus verum esse quod (notante Ursino, p. 11.) intempestive monet Bangius, haec adeo esse rara, ut non tam imitanda quam observanda veniant. In primis vero hinc liquet egregie falsum esse Iohnsonum, qui, in suis Gramm. Comment. adversus Leodium Vindiciis, p. 55. „Arborem, *inquit*, per genitivum fructus sui distinguere, licitum est; quomodo Servius ad Virg. Geo. IV. 145. *Spinum prunorum arborem* appellat: at arborem per genitivum distinguere particularis speciei, ut *arbor ulmi*, aut simile, nusquam, credo, audivit." Confer L. Vallam in Ant. Raud. p. 8. Scalig. de caus. L. L. XII. 177. extr. Sanctii Minerv. II. 3. et ibi Periz. n. 14. Rhen. Gram. p. 594. Sciopp. Gram. Phil. p. 121. Vechner. Hellenol. II. 8. Maior. de var. orat. p. 10. Voss. de constr. c. 2. extr. Salmas. ad Capitol. Anton. Philos. c. 26. Ducker. ad Flor. II. 6, 18. * Atque hinc est, quod nomina oppidorum primae et secundae declinationis, cum quaestio per ubi fieri potest, in genitivo construantur, subauditis sc. vocibus *in urbe*: ut, Iuven. III. 41. *Quid faciam Romae?* i. e. *in urbe Romae.* Ideoque (quod Methodi Auctor, p. 407. et ante eum Vossius Constr. c. 25. admonuerunt) *Degit Londini urbe inclyta*, non *urbis inclytae*, dicendum. Sic enim Cic. pro Arch. c. 3. *Antiochiae primum, nam ibi natus est, loco nobili, celebri quondam urbe et copiosa*, etc. Vitruv. Prooem. lib. 1. *Nobili Graecorum et ampla civitate Ephesi, lex dicitur constituta.* Tac. Hist. II. 1, 5. *Ubi Corinthi, Achaiae urbe, certos nuncios accepit, de interitu Galbae.* Et, addita praepositione, Cic. Phil. IV. 2. *Albae consisterant in urbe opportuna.* Et Phil. III. ult. *Cum legio Marcia Albae constiterit, in municipio fidelissimo et fortissimo.* Quos imitatus P. Manutius lib. 1. Epist. *Asulae quidem, oppido satis eleganti, omnes mihi iucunditates, omnia gaudia fixeram.* Vident. Goclen. Observ. L. L. p. 317.

82) Prima illa, *Gladius ultor, Ultrices curae*, adiectivi fere cum substantivo constructionem imitantur. Atque eodem referenda videntur, *Regina pecunia*, ap. Hor. Ep. I. 6, 37. pro *regnans. Populum late regem*, ap. Virg. Aen. I. 21. pro *regnantem: Terra Gallia, Germania, Hispania*, ap. Caesarem et A. Gellium variis locis, pro *Gallica, Germanica, Hispanica. Medicina ars*, ap. Hygin. Fab. 274. *ars textrina*, ap. Iul. Firmic. de error. prof. rel. c. 17. pro *medica, textoria.* Sic, *Raptores lupi*, ap. Virg. Aen. II. 355. pro *rapaces. Liberator populi Rom. animus*, ap. Liv. I. 56. pro *liberaturus populum Rom. Bos arator*, ap. Suet. Vespas. c. 5. pro *aratorius:* item, Virg. Aen. X. 891. et Tac. de mor. Germ. 14, 5. *Equus bellator.* Virg. Aen. XII. 751. *Canis venator.* Martial. XII. 1. *Molossus latrator*, et plura id genus, alibi observanda.

Digitized by Google

magistra vitae. Sed Epicoenis et neutris iungitur masculinum: ut, *Aquila rex avium*; non, *regina* [83]). *Tempus discipulus et magister multorum* [84]).

APPENDIX.

Quatuor praedictis Concordantiis vulgo adiiciunt et quintam, *Responsivi* nempe cum *Interrogativo*: de qua haec regula;

Da Responsivo casum quem quaestio praefert;
Ni varium variata petat constructio casum.

Responsivum cum suo Interrogativo convenire debet in casu: ut, Plaut. Amph. I. 106. *Quis herus est tibi? Amphitruo.* Ibid. V. 222. *Cuius es? Amphitruonis.* Catull. I. 1. *Cui dono lepidum novum libellum? Corneli, tibi.* Ter. And. III. 5. 15. *Quid meritus? Crucem.*

Not. Nulla hic proprie convenientia est. Quod enim responsivum cum interrogativo casu consentiat, ex eo duntaxat oritur, quod pars responsionis animo reticetur, ex interrogatione supplenda, hoc modo: *Quis herus est tibi? Amphitruo* [est herus mihi.] *Cuius es?* supple, *servus.* [Sum servus] *Amphitruonis.* Et ita in aliis.

Exc. Cum voces adhibentur variae constructionis, responsivum et interrogativum casu discordant: ut, Virg. Ecl. III. 1. *Cuium pecus? an Meliboei? Non, verum Aegonis.* Hor. Sat. II. 3. 156. *Quanti emptae? parvo: quanti ergo? octussibus. Damnatusne est furti? Imo alio crimine. Cuius est liber? Meus;* non, *mei. Cuia interest Deo parere? Mea et omnium hominum* [85]).

Et solis fere poetis usitata, *Pelias hasta, Sithonis unda, Corycides Nymphae, Aones montes*, pro *Peliaca, Sithonia, Coryciae, Aonii*, et similia. Vid. Bronkhus. ad Tibull. I. 11, 45. Et adde supra p. 8. n. 4. et Part. I. p. 191. n. 11.

83) Sic Virgilius aliique, *Reges et ductores apum* nominat, non *reginas* aut *ductrices*. At *aquilam volucrum reginam* vocat Martialis, V. 56. cui et *apis populatrix Hymetti*, non *populator*. Vid. Ursin. p. 8.

84) Neutrum tamen sibi confinxit Solinus, c. 32. prop. fin. *Hoc argumentum illis est magistrum ad indicium temporis deprehendendi.*

85) De hac constructione porro, Obs. 1. Casu interdum conveniunt interrogativum et responsivum, ubi videntur dissentire, supplete quod decet per Ellipsin: ut, Plaut. Epid. I. 1, 49. *Quanti emit? vili:* ubi *quanti* per Ellipsin positum est pro *quanti aeris pretio.* Sic, *Cuius interest? mea, tua*, etc. ubi plena oratio est, *Cuius negotia interest, vel inter cuius negotia est.* Obs. 2. Adverbiis interrogandi de loco vel tempore, respondetur eo casu, cuius vis cum praepositione illis adverbiis subest, v. gr. *Ubi* [i. e. in quo loco] *est? domi*; integre, *in aedibus domi. Unde* [i. e. ex vel de quo loco] *venis? domo, rure*; pro *ex domo*,

Digitized by Google

Not. Causa nimirum huius diversitatis ex diversa Syntaxeos ratione proficiscitur. Ideoque si interrogetur, v. g. *Cuia interest?* plene respondebitur, *Interest regis*; quia *interest* substantivorum genitivos post se postulat: at *Interest mea*; quia pronomina possessiva post id verbum in accusativum pluralem transeunt neut. gen. *mea, tua, sua*, etc. ut infra docebitur. Idemque de caeteris eiusmodi statuendum est.

CAP. II.

De Regimine.

Regimen [2]) est triplex;
1. *Nominum.*
2. *Verborum.*
3. *Vocum indeclinabilium.*

Sectio Prima,

De Regimine Nominum.

Regimen Nominum est, vel *Substantivorum*, vel *Adiectivorum.*

---

de rebu. Quo [i. e. ad sive in quem locum] *abis? domum*; pro *ad domum. Quando* [i. e. in quo tempore] *fiat? brevi*; pro *in brevi tempore*, etc. Obs. 8. Interrogationes responsionesque saepissime per alias orationis partes quam per nomina fiunt: ac 1. Vel adverbiis utrinque utimur similis significationis: ut, *Unde venis? Hinc, isthinc, peregre. Quomodo vales? bene, male. Quando adfuit? Hodie, heri*, etc. 2. Vel respondemus verbis eiusdem aut diversi generis: ut, Ter. Eun. II. 2, 40. *Quid agitur? stutur. Quis fecit? Nescio. Aiunt Petrum fecisse.* 3. Vel eodem verbo quod praecessit, vel adverbio aliquo affirmandi aut negandi: ut, *Scripsistine? scripsi*: sive, *ita, etiam. Vidistine? Non vidi*, sive simpliciter, *Non, minime*, etc. Nonnunquam per vocem *Factum*: ut, Terent. Eun. IV. 4, 89. *Chaerea tuam vestem detraxit tibi? Factum. Et eam eat indutus? Factum.* Vid. Ursin. p. 122. seq. et Despauterium, p. 199.

1) In omni Regimine duae minimum sunt voces, quarum altera Regens, altera Recta appellatur. Illa vel nomen est (sub quo Pronomen et Participium comprehenduntur) vel verbum, vel vox aliqua indeclinabilis: haec autem semper est nomen substantivum, in certum aliquem casum vi vocis regentis adactum.

2) Haec regula latissime patet, utpote sub se continens omnia fere substantiva nomina, quae in oratione continuata, sive rem possessam, sive numerum, sive mensuram, sive aliam denique quamcunque alterius ad alterum relationem vel habitudinem significent: ut, *Equus Alexandri, par*

Digitized by Google

§. 1. *Regimen nominum SUBSTANTIVORUM.*

De genitivo post nomen substantivum.

10. Si res diversas signent duo fixa, capesset
Posterius casum patrium; velut, *Arma gigantum.*

Unum substantivum regit aliud rem diversam significans in genitivo [2]): ut, Cic. pro Planc. c. 12. *Pietas fundamentum est omnium virtutum.* Sen. Epist. 28. *Initium est salutis notitia peccati.* P. Syr. v. 155. *Iniuriarum remedium est oblivio* [3]).

Not. 1. Prius substantivum quandoque reticetur: ut, Virg. Aen. III. 319. *Hectoris Andromache;* supple, *uxor.* Hor. Sat. I. 9. 35. *Ventum erat ad Vestae;* scil. *templum,* vel *aedem.* Cic. in Verr. I. 26. *Moris est;* puta, *res.* Liv. 24. *Non operae est referre;* nempe, *pretium* [4]).

---

amicorum, modius tritici, pater patriae, censor morum, contemptus divitiarum, vulnus Achillis, etc. Quas autem de varia horum substantivorum significatione tabulas contexuerant, Despauterius, p. 228. Scioppius Gram. Phil. p. 120. Vossius de Constr. c. 7. Meth. Auct. p. 870; etc. eas ut haud satis plenas aut accuratas ostendit Iohnsonus, Noct. Notting. p. 8. ita pueris nulli fere usui futuras, cum doctissimo Alvaro, p. 275. existimem.

3) *Instar*, cum (ut alibi Part. I. p. 123. docuimus) nomen substantivum sit, aliorum exemplo genitivum regit, ut nulla propteres Despauterio causa fuerit, cur particularem de eo regulam traderet.

4) Hanc Ellipsin quinque modis fieri docet Vossius, l. c. (1) Cum adiectivum substantive ponitur: ut, Liv. *Ultimum dimicationis*, ubi *negotium* vel *tempus*; Virg. *Tellaris operta*, ubi *loca* supprimitur. (2) Cum reticetur nomen relationis, *filius, uxor, mater*, Virg. Aen. I. 41. *Ob filias Aiacis Oilei;* supple, *filii.* Tac. Annal. IV. 11. 5. *Per Apicatam Seiani proditus*, sc. *uxorem.* Quomodo et Plinius N. H. XXVIII. 12. fait. *Poppaea hoc Principia Neronis instituit*, pro quo integre XXXIII. 11. *Poppaea coniux Neronis Principis.* Et Solin. c. 4. *Antoniam Drusi non spuisse perclebre est*, sc. *coniugem.* Vid. et Plin. VII. 19. et IX. 56. Sic, Val. Max. VI. 7. 1. *Cornelia Gracchorum*, nempe *mater.* Neque hoc loquendi genus (quod Servius ad praed. Virg. loc. affirmat) in parentibus et maritis tantummodo obtinet. Nam Plauti est Curc. II. 1. 15. *Estne hic Palinurus Phaedromi*, nimirum *servus.* Ac similiter Terentius And. II. 2. 20. *Forte ibi huius* [Charini] *video Byrrhiam.* Adde Sanct. IV. 4. p. 577 et 656. Negat tamen ibi Perizon. n. 82. Romanos dixisse *Tullia Ciceronis:* eos enim, si mulieris nomen adiungerent nomini viri, uxorem non *filiam* intellexisse. Atqui ap. Virg. Aen. VI. 86. *Deiphobe Glauci, filia* ab omnibus Interpretibus intelligi dicitur. Eademque ratione in illo Cic. Fam. IV. 10. *Cum Sophia Septimiae ratio:* ubi (si sincera lectio sit) *filia* supplendum existimatur. (3) Tertius modus est, cum reticetur abl. [Minime!] *causa* vel *ratione:* ut, Plaut. Rud. V. 3. 18. *Iusiurandum rei servandae, non perdendae, conditum est.* Cic. de Orat. II. 67. *Cum ille se custodiae dicret in castris remansisse.* Quinctil. IV. 1. extr. *Paulo longius exordium rei demonstrandae repetam.* Vid. omnino infra reg. 21. n. 1. (4) Quartus modus est, quando genitivus additur

Digitized by Google

Not. 2. Interdum posterius substantivum omittitur: ut: Hor. Sat. I. 45. *Centum millia frumenti*, sc. *modium*. Id. Sat. I. 5. 25. *Millia tum prandi tria repimus*, subaudi *passuum* [5]).

Not. 3. Genitivus iste, vel active accipitur: ut, *Providentia Dei*: vel passive; ut, *Timor Dei, Cultus Dei*: (Ibi enim Deus providet, et benigne agit; hic timetur, et colitur; non timet, nec colit): vel utroque modo: ut, *Amor Dei, Caritas patris;* de amore quem Deus in nos habet, vel nos in eum; de caritate patris in filios, vel filiorum in patrem [6]).

Not. 4. Saepe plures genitivi concurrunt, sed alter ex altero pendentes: ut, Sall. Iug. 50. 3. *Odio potentiae nobilitatis*. Liv. Praef. *Iuvabit me ipsum consuluisse memoriae rerum gestarum principis terrarum populi* [7]).

---

praepositioni locali: ut, Ter. Adelph. IV. 2. 43. *Ubi ad Dianae veneris*, supple *aedem*. Sic, *Ad Iovis, Apollinis, Vestae, Opis, Castoris, Murciae*, et trecenta id genus. Item, Liv. I. 38. *Prope Cloacinae*, sc. *Veneris*, supple *templum*. Cic. Fam. XIV. 2. *Valerius scripsit quemadmodum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esset*, supple *aede*. Similia his sunt; Cic. ad Q. Fr. III. 1. 2. *Per Varronis*, puta *fundum*. *Ex vicini*, nempe *agro*. Imo et eiusd. Tullii est, Attic. XII. 28. *Ex Apollodori*, puta *Chronicis*. Ulpiani autem, *Ex feminini sexus descendentes*, viz. *stirpe*. (5) Quintus denique modus est, cum genitivus additur verbo, qui non a verbo, sed nomine substantivo regatur: ut, *Est regis*, vel *pastoris*, nempe *munus, officium, opus, negotium*. *Abesse bidui*, ap. Cic. Att. V. 16. puta *itinere*. *Accusare furti*, sc. *crimine*. *Est Romae*, pro *in urbe Romae*. Et plurima id genus alia. * Sed neque in talibus modo, quae Vossius recensuit, sed ubicunque genitivus, sive nominibus adiectivis, sive verbis, sive particulis quibuscunque subiungitur. Ellipsin statuendam esse alterius substantivi, viri in re Grammatica doctissimi censent: id quod in seqq. plenius ostendetur. Vid. Ursin. p. 34.

5) Sic, Hor. Sat. II. 3. 28. *Callidus huic signo ponebam millia centum*, supple *sestertium*. Pers. Sat. VI. 48. *Centum paria*, supple *boum*. Liv. XLIII. 6. *Tritici decies centum millia, et hordei quingenta, indicantes se ad mare devecta habere*, supple *modium*. Vid. Sanct. IV. 3. extr. Voss. c. cit. extr. et Gronov. ad Liv. loc. c.

6) Sic *Vulnus alicuius* usitatius est id quod quis accepit: ut, Virg. Aen. XII. 323. *Nec sese Aeneae iactavit vulnere quisquam*. Id. tamen Aen. II. 436. *Et vulnere tardus Ulyssi*, active dixit, pro eo quod Ulysses dederat. Vid. de hac re Gellium, IX. 12. ubi docet *Metum hostium* recte dici, et quum timent hostes, et quum timentur, *Iniuriam* itidem dici tam illorum qui patiuntur, quam qui faciunt, etc. Sic active Cic. Fam. V. 8. *Quaedam pestes hominum aliena laude dolentium*. Tac. Annal. XI. 8. 5. *Patris sui defectores*, pro *a patre suo*. Phaedr. II. 8. 2. *Ut venatorum fugeret instantem necem*. Hirt. B. Afr. c. 48. *Ut exercitus Scipionis a terrore Caesaris liberaretur*. Confer L. Vallam, II. 1. Voss. de Constr. c. 7. Perison. ad Sanct. II. 3. 1. et II. 13. 2. et Cort. ad Sall. Catil. 38. 4. et Fragm. Hist. p. 986.

7) Sic, Liv. I. 38. *Fratris hic filius erat Regis*. Cic. Fam. VI. 20. *De curatione munerum regionum cum Oppio cum locutus*. Id. Off. II. 21.

Digitized by Google

Not. 5. Interdum duo diversi genitivi ab eodem substantivo reguntur: ut, Cic. in Pisc. c. 1. *Iamme vides, bellua, quae sit hominum querela frontis tuae.* Flor. III. 21. 6. *Initium et causa belli, inexplebilis bonorum Marii fames* [8]).

Not. 6. Interdum regens et rectum casus permutant: ut, Apul. Apol. p. 546. *Pudentilla trecentis millibus dotis fuit contenta;* pro, *dote trecentorum millium nummorum.* Caes. B. Civ. I. 5. *Sex dies ad eam rem conficiendam spatii postulant;* pro, *spatium sex dierum* [9]).

Not. 7. Genitivus possessionem notans saepissime ac eleganter in possessivum convertitur: ut, Cic. Phil. XIII. 17. *Domus paterna;* pro, *domus patris.* Hor. Epist. II. 2. 6. *Nutus heriles;* pro, *nutus heri.* Virg. Aen. X. 39. *Evandrius ensis:* pro, *ensis Evandri* [10]).

Not. 8. Nonnunquam genitivus in dativum mutatur: ut, Cic. Parad. II. 1. *Cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet a fortuna, huic nihil potest esse certi;* pro, *cuius.* Sic, Virg. Aen. VI. 596. *Per tota novem cui iugera corpus Porrigitur;* pro, *cuius.* Ovid. Her. VIII. 119. *Per patris ossa tui, patrui mihi, plurimus oro;* pro, *patrui mei.*

Not. 9. Quaedam substantiva cum certis praepositionibus coniunguntur: ut, *Amicitia, consuetudo, fami-*

Spe custodiae rerum suarum, urbium praesidia [homines] *quaerebant.* Iustin. IX. 2. 5. *Impensae obsidionis portionem petentes.* Vid. Perizon. ad Sanct. II. 8. 15. Turner. Gram. Exerc. p. 113. Low. Gram. Lat. p. 23. n. 9.

8) Similis, Cic. Fam. II. 18. *Illius* [Appii] *administratio provinciae.* Et IX. 8. *Superiorum temporum fortuna reipublicae.* Id. de Harusp. resp. c. 23. *Meque nonnulla imperitorum vituperatione timiditatis meae liberavit.* Id. Fam. X. 8. *Consul es designatus maxima orbitate reipub. virorum talium.* Caes. B. G. II. 17. *Eorum dierum consuetudine exercitus nostri perspecta.* Et III. 8. *Huius civitatis est longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum.* Ubi tres sunt genitivi, sed quorum tertius a secundo regitur. Vid. plura eiusmodi exempla ap. Budaeum, Comment. L. Gr. p. 4. Sanct. II. 3. sub fin. Lowaeum, p. 23. n. 9. et praecipue Perizon. p. 177. qui docet ex duobus hisce genitivis alterum plerumque esse quasi activum, alterum passivum.

9) Sic, Plaut. Pers. III. 1. 66. *Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi;* pro *dos logorum.* Vid. Voss. cap. saepius laudato.

10) Possessivis ex hominum vel Deorum propriis deductis vix alii quam Poëtae utuntur; ut, Hor. Car. I. 3. 36. *Herculeus labor;* pro, *labor Herculis.* Ovid. Met. II. 544. *Ales Phoebeius;* pro *ales Phoebi.* Nonnunquam et illi substantivum omittunt: ut, Ovid. Met. V. 420. *Saturnius;* pro, *Iove Saturni filio.* Id. Met. III. 351. *Cephisius;* pro, *Narcisso filio Cephisi.* Et Met. XIII. 321. *Telamonius;* pro, *Aiace filio Telamonis.*

Digitized by Google

liaritas cum aliquo; et his contraria, *Inimicitiae, certamen, pugna cum aliquo.* Sic, *Amor in aliquem, Pietas adversus Deum, Cura de salute patriae.* Item, *Dissensio inter aliquos, Discessus ab urbe*, etc. [11]).

Not. 10. Haec adiectiva, *primus, medius, ultimus, extremus, infimus, imus, summus, supremus, reliquus, caeterus*, cum substantivis convenientia, pro *parte prima, media, ultima*, etc. rei alicuius, longe frequentissime poni solent: ut, Ter. Adel. Prol. 9. *Prima fabula.* Caes. B. G. VII. 18. *Media nox.* Ter. Phor. I. 4. 37. *Ultima platea.* Suet. Iul. 83. 3. *Ima cera.* Virg. Aen. I. 737. *Summum os.* Hor. Epod. XVII. 68. *Supremus mons.* Cic. Att. II. 5. *Reliqua Aegyptus.* Hor. Sat. II. 8. 26. *Caetera turba*; pro, *prima pars fabulae, media pars noctis*, etc. [12]).

APPENDIX I.

De Pronominibus, mei, tui, sui, nostri, vestri, nostrum, vestrum; *et eorum possessivis*, meus, tuus, suus, noster, vester.

---

11) Multa sunt substantiva, praesertim verbalia, quae vel genitivum recipiunt, vel ablativum (interdumque accusativum) cum praepositione: ut, Cic. Phil. II. 4. *Colloquia amicorum.* Id. ad Att. XIV. 6. *Colloquia cum amicis.* Sic, *Iudex morum*, et *iudex de re aliqua. Actio iniuriarum, actio in rem*, et *actio de re.* Ter. And. I. 5. 27. *Misericordia huius, nuptiarum sollicitatio, tum patris pudor*; vel, *erga hanc, de nuptiis, de patre.* Caes. B. G. III. 44. *Magnus incesserat timor sagittarum*; vel, *de sagittis.* Sallust. Cat. 7. 6. *Gloriae maximum certamen inter ipsos erat*; vel, *de gloria.* Id. Frag. Hist. 1. *Metus Pompeii victoris*; vel, *a Pompeio.* Cic. Topic. c. 6. *Mea diligentia mandatorum tuorum*; vel, *in mandatis.* Et Brut. c. 14. *Quia Senatum a Pyrrhi pace revocaverit*; vel, *cum Pyrrho.* Et de Amic. c. 10. *Si in honoris contentionem incidissent*; vel, *de honore.* Plaut. Pers. V. 2. 8. *Quia ei non fidem habui argenti*; vel, *de argento.* Tac. Hist. II. 28. 2. *Tot bellorum victores*; vel, *in bellis.* Cic. Fin. I. 10. *Laborum et dolorum fuga.* Id. Att. VII. 17. *Fuga ex Italia.* Ibid. Ep. 21. *Fuga ab urbe*, etc. Vid. Linacr. lib. III. p. 154. Freinshemii Indic. in Instin. voc. Genitivus. Iohnson. Noct. Nottingh. p. 11. et confer paullo ante n. 6.

12) *Dimidium*, cum adiectivis neutro genere usurpatis, aut cum substantivis quae aliud etiam adiectivum adiunctum habent, semper genitivum; instar substantivi, adsciscit: cum aliis tam intransitive quam transitive construitur: ut, Hor. Epist. I. 2. 40. *Dimidium facti, qui coepit, habet.* Plaut. Pseud. I. 5. 37. *Bonus animus, in mala re, dimidium est mali.* Plin. N. H. IV. 8. *Peneus dimidio eius spatii navigabilis.* At *dimidia pecunia*; vel, *dimidium pecuniae.* Sic, Plin. N. H. XVIII. 11. *Dimidia mensura.* Iuven. XIII. 95. *Dimidium erus.* Et Plaut. Bacch. V. 2. 67. *Dimidium auri.* Ter. Adel. III. 3. 16. *Dimidium minae.* Discrimen enim, quod inter *dimidium* et *dimidiatum* ponit Gellius, et apud Varro, III. 14. non est perpetuum. Vid. Rhen. p. 293. Schmid. p. 228. et Danes. p. 254. et adde infra reg. 12. n. 52. [Acutissime de discrimine harum vocum disseruit Cl. Rostius in Plautinorum Cupediorum fercolo undecimo. G. St.]

Digitized by Google

Canon I. Substantiva, sensu passivo accepta, genitivos *mei, tui, sui, nostri, vestri*, postulant. Sic, *Amor mei*, est, *quo ego amor; Desiderium tui, quo tu desideraris* [13]).

---

13) Huc spectant substantiva, (1) Affectus animi significantia: ut, *Amor, desiderium, caritas, favor, studium, odium, fastidium, taedium, negligentia, satietas, cura, sollicitudo, timor, metus, fiducia*, etc. Ovid. Met. III. 464. *Uror amore mei.* Cic. pro Rabir. c. 5. *Desiderium sui reliquit apud populum Rom.* Sallust. Iug. 80. 3. *Magnis muneribus ad studium sui perduxit.* Ovid. Her. XIII. ult. *Sit tibi cura mei, sit tibi cura tui.* Quinctil. Decl. XIV. 3. *Vanitatem fastidio mei despectuque captavit.* At haec sensu activo cum possessivis construuntur: ut, Cic. Fam. V. 15. *Amor tuus ex omnibus partibus se ostendit.* Id. Fam. XIV. 2. *Mea lux, meum desiderium.* Id. de Invent. II. 34. *Pro suo studio quod in vos habuit semper.* Id. Att. IX. 15. *Tu nunc omni amore enitere, ut nos cura tua et prudentia iuves.* Id. Phil. XII. 8. *Nec id fastidio meo, sed caritate patriae.* (2) Item, *Facultas, copia, potestas, arbitrium, memoria, vindicta, pretium, ius, dominium, tutela, regimen, rex, spes, lex*, etc. Ovid. Met. III. 391. *Ante, ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri.* Sen. de Benef. I. 19. *Ante des oportet mihi arbitrium mei, deinde beneficium.* Val. Max. I. 1. ext. 3. *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira.* Claudian. VIII. 260. *Tunc omnia iure tenebis, Cum poteris rex esse tui.* Auct. Dial. de Orat VII. 4. *Apud adolescentes, quibus morum indoles est, et bona spes sui.* (3) Item substantiva partitionem significantia, veluti, *pars, portio, dimidium, aliquid*: ut, Hor. Car. III. 30. 6. *Multaque pars mei Vitabit Libitinam.* (4) Denique verbalia in OR, IX, IO et US: ut, *accusator, aestimator, admirator, contemptor, defensor, moderator, effector, detractor; cultrix, miratrix, laudatrix, conservatrix; aestimatio, conservatio, cognitio, ignoratio, imitatio, ratio; contemptus, conspectus, respectus, sensus*, etc. ut, Cic. Att. XI. 3. *Misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei.* Curt. VIII. 1. 22. *Rex immodicus aestimator sui.* Ibid. 2. 2. *Videbat servatorem sui occisum.* Cic. Fam. I. 1. *Se acerrimum tui defensorem fore ostendit.* Id. de Univ. c. 13. *Imitantes genitorem et effectorem sui.* Tac. Annal. XI. 11. 5. *Ipse haudquaquam sui detractor.* Stat. Theb. XII. 802. *Cultrix placitissima nostri.* Lucan. IV. 655. *Aevi veteris custos fumosa vetustas Miratrixque sui.* Cic. Fin. V. 9. *Ut non dubitem dicere omnem naturam esse conservatricem sui.* Sen. de vit. beat. c. 10. *Insolentia et nimia aestimatio sui.* Cic. Orat. c. 36. *Principia acuta sententiis, vel ad offensionem adversarii, vel ad commendationem sui.* Senec. de vit. beat. c. 5. *Quos in numerum pecorum redegit hebes natura, et ignoratio sui.* Id. Epist. 100. extr. *Quae ad imitationem sui vocarent.* Cic. Att. VII. 9. *Habe mei rationem.* † Sed in his aliisque similibus possessiva haud raro usurpata cernere est: ut, Curt. VIII. 2. 9. *Servatorum meorum latro.* Nepos, Lysand. IV. 3. *Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.* Cic. Att. I. 16. *Notti Calvum, illum laudatorem meum.* Ibid. I. 20. *L. Papirius Paetus, vir bonus amatorque noster.* Id. de Univ. c. 11. *Nosse autem generatores suos optime poterant.* Ibid. c. 10. *Terram altricem nostram* dixit. Id. Off. I. 39. *Et, ut in caeteris, habenda ratio non sua solum, sed etiam aliorum.* Ita enim optimi tam scripti quam editi codd. habent.

14) Si vero actio aut possessio minus manifesta sit, primitiva interdum adhibentur: ut, Ovid. Met. I. 36. *Et* [tellus] *pressa est gravitate*

Digitized by Google

Canon II. Sin vero actionem aut possessionem significent, cum possessivis, *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, genere, numero et casu consentiunt. Sic, *Amor meus*, est, *quo ego amo* [14]); *Desiderium tuum*, *quo tu desideras* [15]).

Canon III. Nomina adiectiva, participalia, et verba, quae genitivum post se solent accipere, cum primitivis *mei*, *tui*, *sui*, *nostri*, *vestri*, construuntur: ut, Caes. ad Cic. Fam. IX. 16. *Nihil enim malo, quam et me mei similem esse, et illos sui.* Hor. Car. III. 27. 14. *Et memor nostri, Galatea, vivas.* Cic. Fam. XIV. 4. *Quem semper spero tui fore observantem.* Caes. B. G. VI. 8. *Purgandi sui causa ad eum legatos mittunt.* A. ad Herenn. IV. 8. *Quia vos mei non indigetis.* Ter. Heaut. V. 4. 3. *Inopis nunc te miserescat mei* [16]).

---

sui. Tac. Ann. II. 18. 1. *Fruitur fama sui.* Id. Ann. XIV. 9. 4. *Hunc sui finem multos ante annos Agrippina crediderat contempseratque.* Id. Hist. III. 34. 1. *Hic exitus Cremonam habuit, anno CCLXXXVI. a primordio sui.* Lucan. II. 518. *Victis iam spes bona partibus esto, Exemplumque mei.* Iustin. XXXVII. 2. 3. *Cometes magnitudine sui quartam partem coeli occupaverat, et fulgore sui Solis nitorem vicerat.* Senec. de Prov. c. 2. *Ipso sui onere deficiunt:* qui alibi frequenter sic loquitur, veluti, de Benef. I. 12. *Locus sui.* Epist. 65. *Finis nostri.* Epist. 118. *Dulcedo sui.* Epist. 124. *Initium sui.* N. Q. VII. 9. *Exitium sui.* Epist. 102. *Velamentum tui.* Consol. ad Helv. c. 5. *Auxilium mei.* Poterant autem aliter possessiva adhibuisse, *Gravitate sua, finem suum, magnitudine sua, opere suo*, etc. Sic, *Imago mei*, dixit Virg. Aen. IV. 654. Ovid. vero Met. III. 463. *Imago mea*, et Cic. Fam. V. 12. *Imago sua.* Et ita Plautus, Martialis aliique loquuntur, non solum de ea quae possidetur, sed etiam quae refert seu repraesentat. [V. Alvar, p. 395.] Sic idem Plautus, Papinianus et Ulpianus, *causa mei, tui, sui:* at alii, et usitatius, *causa mea, tua, sua.* [V. Voss. Constr. c. 57.] Eademque ratione, *Gratia mea*, non tantum pro *causa mea*; sed etiam pro *favore* vel *auctoritate:* ut, Ovid. Met. II. 293. *Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit.* Et Met. VI. 440. *Si gratia, dixit, Ulla mea est.* Cic. Fam. I. 1. *Gratiam nostram extinguit hominum suspicio.* Lucret. V. 166. *Quid enim immortalibus atque beatis Gratia nostra queat largirier emolumenti, Ut nostra quidquam causa gerere aggrederentur?* At *Caritas tui* placuit Ciceroni, Fam. VI. 12. et X. 6. itemque Plin. Epist. VIII. 21. et Senec. Epist. 121. quamvis par videatur ratio. Nam, ut Perizon. p. 250. explicat *tui caritas*, eam *qua tu aliis carus es*, et *quae in te est*, sensu passivo: sic *gratia tua*, est, *gratia qua tu aliis gratus es*, et *quae in te est.* Ut plane subtilis sit in his aliisque eiusmodi actionis passionisve distinctio. Adde mox n. 25.

15) Interdum utrumque et possessivum et primitivum cum eodem substantivo construuntur: ut, Cic. Attic. XIII. 1. *Nicias vehementer tuae sui memoria delectatur.* Id. Fam. 12. 17. *Grata mihi vehementer est memoria nostri tua.*

16) Nimirum in his omnibus genitivus a substantivo, vel intellecto, vel in adiectivo incluso regitur, ut suis postea locis ostendetur. *Refert* tamen et *interest*, ob disparem rationem, non primitivorum genitivos, sed

Digitized by Google

Canon IV. Partitiva, numeralia, comparativa et superlativa, genitivos *nostrum, vestrum*, non vero *nostri, vestri*, exigunt: ut, Cic. ad Q. Fr. II. 4. *Domus utriusque nostrum aedificatur strenue.* Liv. I. 56. *Imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, O iuvenes, osculum matri tulerit* [17]). Sic, *Maior nostrum, Nobilissimus vestrum* [18]).

Canon V. Possessiva *meus, tuus, suus, noster, vester*, genitivos post se admittunt nominum, pronominum et participiorum. Et I. Nominum (1) Substantivorum: ut,

---

possessivorum accusativos sibi subiungi volunt: *Refert*, aut *interest mea, tua, sua*, etc. non *mei, tui*. Item, *Est meum, tuum*, etc. non *mei, tui*. * Caeterum an genitivo addito recte dicatur, *Mea unius interest, Tua solius refert, Nostra ipsorum interest*, et similia: item, *Interest tua Praetoris provinciam a piratis defendere, Refert mea Consulis remp. salvam et incolumem servare. Interest tua Caesaris victis ignoscere*, Vid. infra reg. 37. n. 7.

17) Si nominibus, participialibus, aut verbis, quae genitivos *nostri* et *vestri* ante admittebant, addantur partitiva, numeralia, comparativa et superlativa, *nostri, vestri*, in *nostrum, vestrum*, migrabunt. Sic recte dicitur, *Sum memor vestri*; at adde *singulorum, utriusque, omnium, paucorum*, etc. necessario dices, *Sum memor singulorum vestrum, utriusque vestrum, omnium vestrum*, etc. In quibus *vestrum* semper a partitivo regitur, non vero cum eo intransitive construitur. Atque hinc est, quod, *Interest omnium nostrum recte vivere, Refert omnium vestrum anteactae vitae rationem reddere*, non *nostra, vestra* dicatur. In his enim *nostrum* et *vestrum*, non a verbis *refert* et *interest* reguntur, sed a nomine *omnis* partitive posito, quemadmodum in hoc Plinii, XI. 37. *Piscium omnibus serrati dentes*. Vid. Alvar. p. 391 et 392.

18) Sulp. Apollinaris ap. Gellium, XX. 6. non in partitione modo, sed ubique, *nostrum* et *vestrum*, potius quam *nostri* et *vestri*, rectissime loquenti dicendum existimat, citatque in suam sententiam, *Misereri vestrum* ex Graccho; *Ecquando te nostrum et reip. miserebitur*, ex Quadrigario: Sullam vero, Terentium, Afranium et Laberium, qui altera forma [*nostri, vestri*] usi sunt, sola auctoritate vetustatis, non nimis anxie atque superstitiose loquentis, censet excusari. Sed praeter hos, aliorum quoque, et optimi aevi auctorum usus, huic eius (uti notat Ursinus, p. 164.) iudicio adversatur. Nam et ipse Cicero, Catil. IV. 9. *Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui*. Et Fam. XII. 17. *Memoria nostri tua*. Et D. Brutus ap. Cic. Fam. XI. 1. *Tanta est hominum insolentia et nostri insectatio*, sic loquuntur. Item, Hirt. B. Afric. c. 16. *Misereor vestri*. Virg. Ecl. II. 7. *Nil nostri miserere*. Hor. Ep. I. 18. 4. *Ne studio nostri pecces*. Ovid. Met. VIII. 581. *Immemor nostri*, et plurimis aliis locis. Ut, Stat. Th. XII. 802. Senec. de Benef. VII. 31. Epist. 50 et 65. et N. Q. II. 32. aliosque recentiores, omittam. Adde L. Vell. Eleg. II. 1. p. m. 96. * Hic porro observandum, pro *nostrum* et *vestrum*, antiquos *nostrorum, vestrorum*, et foem. *nostrarum, vestrarum* dixisse: ut, Plaut. Most. I. 3. 125. *Verum illud esse maxima pars vestrorum intelligit*, Ter. Hec. II. 1. 44. *Nam vostrarum nulla est, quin gnatum velit ducere uxorem*. Confer Gell. l. c. et Iohns. Gramm. Comment. p. 244. et adde illud Livii. ex formulis antiquorum, VIII. 9. *Divi, quorum est potestas nostrorum hostiumque*,

Digitized by Google

Cic. Phil. II. 45. *Tuum hominis simplicis pectus vidimus.* Plin. Epist. IX. 25. *Post iudicium tuum viri eruditissimi* [19]). (2) Adiectivorum, qualia sunt numeri cardinales, *duorum, trium*, etc. ut, Liv. I. 7. *Noster duorum eventus ostendet, utra gens bello sit melior.* Et hi genitivi, *unius, solius, paucorum:* ut, Cic. in Piso. c. 5. *Iuravi rempublicam mea unius opera esse salvam.* Id. Att. XI. 15. *Solius* [20]) *meum peccatum corrigi non potest.* Id. ad Brut. Ep. 7. extr. *Qui vestris paucorum respondeat laudibus* [21]). II. Pronominum, *ipsius, ipsorum, ipsarum,*

---

19) Sic, Cic. Fam. XV. 13. *Moleste fero, me Consulem studium tuum adolescentis perspexisse; te meum, cum id aetatis eum, perspicere non posse.* Id. pro Sext. c. 64. *Quem non admiror, quod meam legem contemnat hominis inimici.* Liv. VII. 38. *Valerius cum desiluisset ex equo: Nostrum, inquit, peditum illud, militer, est opus.* Ibid. c. 40. *Quod meum factum dictumve Consulis gravius quam Tribuni audistis?* Plaut. Menaechm. V. 2. 118. *Imperium tuum demutat atque edictum Apollinis.* * Negat autem L. Valla, I. 2. contra Priscianum, pronomina, aut primitiva *mei, tui, sui*, aut possessiva *meus, tuus, suus*, substantivorum genitivos admittere: neque enim, *Mei Prisciani eges*, aut *Suum Prisciani praedium*, dici debere; sed *mei qui sum Prisciani eges; et praedium suum qui est Prisciani.* Et prius quidem ideo auctores refugisse docet Sanctius, p. 250. ut vitaretur ambiguitas: aliter enim non facile distingui posse, an in illo, *Mei Prisciani eges, mei* adiectivum sit a *meus*, an substantivum ab *ego*. Si vero absit amphibolia, recte genitivum posse adhiberi idem ostendit: ut, *Miserere mei peccatoris, Miserere mei patris tot liberorum.* Sic enim Ennius ap. Nonium, *Miserete mei amnis.* Nec multum dissimile illud Ter. Heaut. V. 4. 8. *Atque inopis nunc te miserescat mei.* In posteriore vero falsum esse Vallam, superius adducta exempla commonstrant: quibus alia addas licet, a Saturnio, III. 21. Alvar. p. 390. Sanctio l. c. Ursino, p. 146 et 163. etc. allata.

20) Ex hoc exemplo apparet non semper verum esse quod docet Budaeus, Comment. L. Gr. p. 24. praeponendum scil. esse possessivum, aut alioquin primitivis utendum: ut, Cic. in Vatin. c. 8. extr. *Civitatis salutem cum mea unius salute esse coniunctam;* vel, ut ille legit, *cum unius mei salute.* V. Alvar. p. 394. Sic et idem Cic. possessivo postposito, pro Sext. c. 60. *Id in unius mea salute conservanda decernendum putavit.*

21) Addit L. Valla, l. c. genitivum *omnium*, idque adstruere conatur illo Cic. de Orat. III. 55. *Voluntati vestrae omnium parui.* Verum (quod ab Alvaro, p. 388. et Vossio de Constr. c. 57. observatum) in omnibus codd. *vestrum omnium* nunc legitur. Qua etiam loquendi formula alibi non raro idem est usus: ut, Cat. I. 6. *Quae ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent.* Id. de prov. consul. c. 17. *Illud tempus familiaritatis, quae mihi cum illo ab omnium nostrum adolescentia fuit, praetermitto.* Id. de harusp. resp. c. 1. *Cepi equidem fructum maximum et ex consurrectione omnium vestrum, et ex comitatu publicanorum.* Et Attic. XI. 6. *Omnium vestrum bona praedam esse illius victoriae.* Neque se *omnium* cum possessivis legisse ait Alvarus. Absolvit tamen Vallam illud Livii, XXV. 38. *Cogor vestram omnium vicem unus consulere.* Et ap. ipsum Cic. Catil. IV. 2. extr. *Qui ad vestram omnium caedem Romae restiterunt,* (non *vestrum*) meliores tam scripti quam editi codices habent.

Digitized by Google

cuiusque: ut, Cic. pro Muren. c. 4. *Huiusce rei coniecturam de tuo ipsius studio facillime ceperis.* Bythin. Ciceroni, Fam. VI. 16. *Itaque contentus ero nostra ipsorum amicitia.* Id. Off. I. 51. *Id enim maxime quemque decet, quod est cuiusque suum maxime.* III. Participiorum [22]): ut, Hor. Sat. I. 4. 22. *Cum mea nemo scripta legat, vulgo recitare timentis.* Ovid. Am. I. 8. 107. *Saepe rogabis, ut mea defunctae molliter ossa cubent* [23]).

---

22) Hic genitivus participiorum Poëtis fere proprius est: Prosae autem scriptores eum in verbum cum relativo *qui, quae, quod*, mutare solent: ut, Cic. Fam. XIV. 1. *Omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant:* nam, *mea culpa putantis*, durius erat. Quo pacto et ipsi Poëtae interdum loquuntur: ut, Ovid. Pont. III. 4. 91. *Nec mea verba legis, qui eum submotus ad Istrum.* Ter. And. I. 1. 69. *Omnes — laudare fortunas meas, Qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.* * Sed neque Prosae Scriptores usum participiorum cum possessivis hoc pacto adhibitorum refugiunt, si hoc Ciceronis, *Mea periclitantis salus*, a Schimidio in hypomn. p. 295. et Goclenio Probl. Gramm. III. 11. et istud ICti veteris, *Cum mea mens fuerit facientis testamentum*, a Scaligero, Auson. lect. II. 11. recte citantur. Certe cum participialibus *praesentis* et *absentis* possessiva etiam in soluta oratione apte iunguntur: ut, Liv. XXXVI. 7. *Quod vim tuam praesentis exercitusque tui experiri noluerint.* Lentulus ad pop. Rom. ap. Cic. Fam. XII. 15. *Nullo exemplo, neque nostra ex parte, neque nostro praesentium.* Confer Ursinum, p. 148. qui recte monet variationem et interpretationem talium per relativum *qui*, non ubique locum habere; sed nonnunquam particulam *ubi, cum*, aut simile, requiri. Ita illud Ovidii, *Ut mea defunctae molliter ossa cubent*, non cum Vossio interpretandum, *Mea quae sim* vel *sim defuncta*, sed *mea ubi ero*, vel *cum fuero defuncta.* * In illo autem eiusdem Ovidii Her. V. 45. *Et flesti, et nostros vidisti flentis ocellos*, Synesis est: nam ordinaria constructio vel *nostros flentium*, vel *mea flentis* postulabat. * Postremo notandum, non in pronominibus solum, sed in nominibus etiam possessivis, hanc constructionis formam nonnunquam adhiberi: ut, Ter. Phor. I. 1. 5. *Herilem filium eius duxisse audio uxorem;* i. e. *filium heri eius.* Id. Phor. I. 2. 78. *Paternum amicum me adsimulabo virginis;* hoc est, *amicum patris virginis.* Item, Virg. Aen. VI. 781. *Et pater ipse suo superum iam signat honore.* Et Aen. XII. 789. *Postquam arma Dei ad Vulcania ventum est.* In quibus altera vox alterius explicativa est, hoc pacto; *suo honore*, nempe *honore superum; arma Dei*, sc. *Vulcani.* Haec autem exempla ostendunt omnino prater rationem a L. Valla, l. c. reprehendi illud vulgati Interpretis, 1 Corinth. XVI. 21. *Salutatio mea manu Pauli.* Quod Castellio inversa paullum sententia extulit, *Salutatio mea Pauli manu.*

23) De ratione huius constructionis haud satis inter Grammaticos convenit. Scaliger enim loc. supra laudato, quem et Vossius sequitur, genitivum pronominis primitivi in hisce intelligit, ut, v. g. *iudicium tuum viri eruditissimi* integre sit, *Tuum tui viri eruditissimi iudicium.* Schmidius vero Hypom. p. 295. et Ursinus, p. 150. hanc constructionem ad intellectum referentes, in his pronomina possessiva vice genitivorum a primitivis venientium fungi volunt, atque adeo illud Plauti, *Imperium tuum demutat atque edictum Apollinis*, idem esse ac *imperium atque edictum tui Apollinis.* Nec multum ab his abscedit Kirkwodi nostri, p. 62

Digitized by Google

☞ Not. 1. Nonnunquam in sensu passivo optimi auctores possessivis utuntur; ut, Ter. Phor. V. 9. 27. *Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo: ubi negligentia tua est, qua tu negligeris;* et *odium tuum, quo tu odio haberis.* Id. Heaut. II. 3. 65. *Ut facile scires id fieri tuo.* Ovid. Met. XIII. 211. *Quis tuus usus erat*[24])?

☞ Not. 2. Et contra, cum actio aut possessio significatur, primitiva, licet rarius, usurpata reperies: ut, Plaut. Pseud. I. 1. 5. *Duorum labori ego hominum parcissem lubens, Mei te rogandi; et tui respondendi mihi.* Cic. pro Marc. c. 7. *Ex unius tua vita pendere omnium*[25]).

---

sententia, qui primitivum ait in possessivo implicite contineri, quemadmodum in relativi constructione interdum fieri videmus: ut, *Vestra refert qui patres estis;* ubi *vestri* (a *vos*) in *vestra* quasi includitur. Gronovius denique pater, ad Plaut. Pseud. I. 1. 8. haec sic integrat, *Iudicium tuum, quod est viri eruditissimi; Imperium tuum, quod est Apollinis:* sive, ut, cum eo fere consentiens, Perizonius, p. 257. per Appositionem quandam et repetitionem rem explicat; *Iudicium tuum, iudicium viri eruditissimi: Tuum imperium, imperium Apollinis.* Vel aliter, ut genitivus a substantivo simul et adiectivo regi censeatur: ut in illo Ter. *Herilem filium eius* [servi] *duxisse audio uxorem:* eademque ratione dicatur, *Tuum oratoris officium; Sua cuiusque animantis natura,* qua *Proprium oratoris officium, Propria cuiusque animantis natura.* Unde utrumque in illo Lucceii ad Cic. coniungitur, Fam. V. 14. *Ut redeas ad consuetudinem, vel nostram communem, vel tuam solius ac propriam.* At vid. ipsum, rem finius, atque ut solet, acutissime explicantem.

24) Sic, Cic. Catil. I. 7. *Patria te nihil iudicat, nisi de parricidio suo cogitare.* Cato ap. Gell. VII. 3. *Ne in servitute nostra essent.* Planc. ad Cic. Fam. X. 24. *Omnes gratae amicitiae in tua observantia, indulgentia, assiduitate, vineam.* Sall. Cat. 31. extr. *Incendium meum ruina extinguam;* i. e. *quo ego incendor.* Id. Cat. 51. 11. *Neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae videntur;* i. e. *iniuriae sibi factae.* Et Iug. 14. 8. *Vos in mea iniuria despecti estis.* Liv. XXIX. 9. *Pleminius neglectum a Scipione et nimis leviter latam suam iniuriam ratus.* Sic frequenter ap. Cic. et alios, *Invidia mea,* de ea *qua mihi invidetur,* et ap. Vell. II. 91. 4. *Ruina sua,* et Claudian. V. 18. *Ruina mea;* pro ea *qua ipse ruit, ego ruo.* Huc etiam referri possunt, de quibus supra n. 13 et 14. *Accusator suus, Amator noster, Causa mea, Gratia mea,* et similia. Confer Sanct. et in eum Perizon. II. 13. Voss. de Constr. c. 57. Cort. ad Sall. locc. citt.

25) Sic id. Cic. in Vatin. c. 8. *Civitatis salutem cum unius mei salute esse coniunctam.* Et Fam. II. 6. *Eam tui unius studio me assequi posse confido.* Ita enim haec priora a Budaeo, p. 28. et Sanctio, p. 251. citantur, itaque legenda censet Perizonius: quamvis in vulgaribus Editt. *tua vita, mea salute,* exhibeantur. De postremo autem plerique ac praestantiores libri consentiunt, *tui studio,* non *tuo,* quod Valla, Gronovius, aliique volnerunt, praeferentes. [Vid. Cort. ad h. l. p. 68. G. St.] Sic etiam Varro, R. R. III. 2. *Cum haec* [villa] *sit communis universi populi, illa solius tui.* Et Ter. Heaut. I. 1. 77. *Hem tot mei solius solliciti sunt causa,* quemadmodum Valla legebat, atque ex antiquis quibusdam exemplaribus restituit Muretus, al. *mea.* In huiusmodi igitur locutionibus, ubi alterius vocis

Digitized by Google

APPENDIX II.

De usu Pronominum reciprocorum sui *et* suus.

☞ Haec duo Pronomina ideo Reciproca dicuntur, quod rem personamve in se ipsam reflectant.

☞ Ex iis sui *substantivum* est, ac *primitivum*; suus *adiectivum*, et *derivativum*. Priore utimur, cum actio

---

appositio, vel sententiae quasi divisio fit, non inepte quis, etiam in sensu activo seu possessivo, genitivis *mei, tui, sui* utetur. Ea autem si abfuerint, paullo insolentior, atque a Latinae linguae consuetudine alienior eorum haud videtur usus. Qualia sunt, *imago mei*, ap. Virg. Aen. IV. 654. *Genitor sui*, ap. Cic. de Univ. c. 13. *parens nostri*, ap. Ovid. Met. VII. 617. *adventus sui*, ap. Sueton. Iul. 30. 3. [ita enim legit Perizon. p. 251. at meliores *suo*.] Sic, Macrob. Saturn. II. 1. *Deinde tonus per naturam sui in duo dividi sibi aequa non poterit.* Boët. Consol. II. Pr. 5. *Divitiaene vel vestri, vel sui natura pretiosae sunt?* Id. V. 4. *Secundum sui vim.* Tac. Ann. XV. 36. 2. *Nec longam sui absentiam fore.* Sed multa sunt eiusmodi, quae in alterutram partem activo possis vel passivo interpretari: ut, *Fama sui*, ap. Tac. Ann. XV. 49. 4. *Fama tua*, ap. Balb. ad Cic. Att. IX. 8. *Laus mei*, ap. Boët. Cons. 1. Pr. 4. *laus mea* passim. Senec. Herc. Oet. v. 557. *Peribat flammae mei.* Sabin. Epist. Paridis ad Oenon. v. 38. *Flammis nata puella mei.* *Dignitas sui*, ex Cic. Cat. IV. 4. init. adfert Sanctius, p. 252. *Assiduitas sui*, ex Plin. XII. 17. extr. Despauterius, p. 282. At hic in melioribus deest vox *sui*, illic *sua* legitur. *Dignitas* autem et *assiduitas mea, tua*, trita sunt. Sic vulgo dicimus, *Gravitas sua, magnitudo sua, finis suus, onus suum.* At, *gravitate sui*, Ovid. *magnitudine sui*, Iustin. *finem sui*, Tac. *onere sui*, Seneca (ut superius n. 14. adnimadversum) extulerunt. ☞ Caeterum genitivos plurales *nostrum* et *vestrum*, sensu plane activo vel possessivo, ab antiquis illis optimisque auctoribus nonnunquam adhibitos invenimus: ut, Plaut. Menaech. V. 9. 58. *Vestrum patri filii quot eratis?* Ter. Heaut. II. 4. 13. *Cuius mos maxime est consimilis vestrum.* Sall Catil. 33. 2. *Saepe maiores vestrum miseriti plebis Romanae.* (lectionem confirmante Gellio, XX. 6.) Cic. contr. Rull. II. 21. pr. *Vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac urbe, hoc ex loco, hac vestrum frequentia.* Id. Phil. IV. init. *Frequentia vestrum incredibilis.* Id. Att. VII. 13. *Is splendor est vestrum, ut eadem postulentur a vobis, quae ab amplissimis civibus.* Confer Budaeum, Comm. L. Gr. p. 23. et Alvar. p. 294. quorum ille iidem adducit ex orat. post red. ad Quir. c. 7. extr. *Dixit in concionid vestrum:* hic vero ex orat. pro Planc. c. 6. *Nolo me ad contentionem vestrum vocare, Laterensis:* et ibid. c. 7. *Possumne eripere orationi tuae contentionem vestrum?* At pleraeque editiones, *concione vestra*, Graevius etiam *contentionem vestram*, exhibent. *Contentionem* tamen *vestrum* rectius videtur: nam ita Tullium locutum testatur, l. c. Gellius. Quod autem hunc adferunt ex Cicerone, Despauterius, p. 281. et Perionius, p. 251. *In omnium nostrum humeris cohaerebant, Communem omnium nostrum conditionem, Omnium nostrum parens, Voluntati vestrum omnium parui, Communis patriae omnium nostrum, In me omnium vestrum ora et oculos coniectos;* et ex Liv. lib. XXI. *Alumnus omnium vestrum:* non sunt huius loci: in his enim (ut antea diximus) *nostrum* et *vestrum* non a substantivis, *humeris, conditionem, parens*, etc. sed ab *omnium* partitivo positum, regitur: quae longe receptissima ac fere unica in talibus loquendi ratio est. V. sup. n. 16. 17. et 21.

Digitized by Google

verbi in praecedens nomen reflectitur; ut, *Alexander miseretur sui, placet sibi, diligit se, loquitur secum.* Posteriore autem, cum fit transitio a possessore ad rem possessam: ut, *Alexander docet filium suum:* vel contra, a re possessa ad possessorem: ut, *Patrem sequitur sua proles.* Haec adiectivi *reciprocatio* Inversa, illa Directa appellari potest.

Reciproca locum habent cum nominibus duntaxat tertiae personae, nunquam vero cum nominibus primae vel secundae [26]).

Reciprocatio autem dupliciter fit; vel 1. In *sententia simplice*; vel 2. In *sententia composita. Sententiam* simplicem hic appellamus in qua oratio eo unde profecta est proxime atque immediate revertitur. *Sententiam* vero compositam dicimus, in qua oratio, non quidem immediate, sed alio, vel nomine vel pronomine, interveniente, cum eo quod praecessit reciprocatur [27]).

I. In *sententia simplice* nulla est difficultas: quotiescunque enim nomen tertiae personae proxime atque immediate in se ipsum agit, reciproco tantum utimur: ut, *Cato se interfecit*; h. e. *ipsum Catonem. Titius locavit aedes suas*; h. e. *aedes ipsius Titii.*

Aliter si in rem diversam transitio fit, pronomine relativo, *is, ille, ipse*, tantum utendum est: ut, *Milo eum interfecit*; h. e. *Clodium. Mevius aedes eius conduxit*; h. e. *Titii, qui eas locavit.*

II. In *sententia composita* sequentes hi canones observandi sunt.

Canon 1. Cum reflectio fit ad casum qui verbum praecedit [28]), reciproca adhibenda sunt: ut, Cic. Off.

---

26) Nonnunquam et pronomina primae et secundae personae in se reflectuntur: ut, Ter. And. IV. 1. 12. *Proximus sum egomet mihi.* Ovid. Met. II. 141. *Tu tibi consulis.* At id illis adventitium est, non ex propria sua natura, ut reciprocis, proficiscens.

27) Alii aliter reciprocationem distinguunt in *simplicem* et *compositam*; illam autem uno ex verbo, hanc ex pluribus constare volunt. At nostra ratio paullo clarior, atque ad rem illustrandam accommodatior videtur.

28) Sive is casus nominativus sit ante verbum finitum, sive accusativus ante infinitum. Illius exempla in textu posuimus: huius exemplum est illud Cic. Verr. IV. 49. *Hoc dico, Cererem antiquissimam a C. Verre ex suis templis esse sublatam.* Ubi, ut docet Vossius, Constr. c. 56. reciprocum habet locum, quia redimus ad *Cererem*, qui casus verbum *esse* praecedit. Perque nominativum et participium sic resolvas, *Quod Ceres antiquissima a C. Verre sublata sit ex templis suis.* At non similiter dicturum se Vossius ait, *C. Verres sustulit Cererem antiquissimam e templis suis.* Quippe ita *C. Verres* erit casus verbi a fronte, eoque C. Verris

Digitized by Google

III. 1. *Homo iustus nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet.* Ibid. c. 14. *Pythius piscatores ad se convocavit, et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur.* Sic, *Ioannes diligit Petrum et fratrem suum; fratrem ipsius Ioannes:* At, *Ioannes diligit Petrum et fratrem eius; fratrem Petri* intellige.

Canon 2. Potest etiam reciprocum casum sequentem respicere, modo structura eiusmodi sit, ut in priorem converti possit: ut, Virg. Ecl. II. 65. *Trahit sua quemque voluptas.* Id enim iuxta legem praecedentis canonis tantundem valet ac, *Quisque trahitur a voluptate sua* [29]).

Canon 3. Si nulla oriatur in sententia ambiguitas, potest loco reciproci relativum, vel loco relativi

templa intelligi possint. Ac proinde, ne in persona hic oretur, satius sit dicere *e templis eius.* Vel si nulla hic ambiguitas videatur, quia satis pareat nulla Verrem templa habuisse, pro exemplo illud fuerit, *Verres expulit Seiam ex villa sua.* Ubi *Verris* potius *villa* intelligitur. Sin de *villa Seiae* sermo sit, satius sit *eius* dicere. Haec Vossius. Aliter vero, si nullus adsit amphibologiae metus, reciproca ad aliam quam qui verbum praecesserat casum rectissime referri possunt: ut, V. Max. IV. 3. 4. extr. *Alexander Diogenem gratia suo divitiis pellere tentat,* Senec. Epist. 57. *Admonet illum natura mortalitatis suae.* Sall. Catil. 28. 1. *C. Cornelius et L. Vargunteius constituere Ciceronem de improviso domi suae confodere.* Cic. Tusc. V. 20. *Dionysius, instituit ut* [filiae suae] *candentibus inglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent.* Id vero in primis fit, cum prima vel secunda persona cum tertia concurrit: at, Ter. And. IV. 2. 4. *Orare iussit, si te amet, hera, iam ut ad eese veniat.* Quinctil. Declam. VI. 19. *Tu filium prima docuisti sibi non parcere.* Cic. Som. Scip. c. 2. *Ego illum de suo regno, ille me de nostra rep. percontatus est.* Id. pro Flacc. c. 42. extr. *Repetit eam, quam ego patri suo quondam pro salute patriae spoponderim, dignitatem.* Sic, *Cepi columbam in nido suo,* vel *nido eius,* promiscue dicitur. At, *Vidi hominem cadentem se flagris,* non *eum,* nisi diversum a caedente intelligas.

29) Sic, Cic. Attic. IX. 12. *Illum ulciscentur mores sui.* Id. pro Sulla c. 2. *Autronio sodales sui defuerunt.* Et pro Sext. c. 68. *Hunc sui cives e civitate eiecerunt.* Etiam reciproco antecedente: ut, Plaut. Stich. I. 2. 76. *Suus rex reginae placet.* Ter. Phor. II. 4, 14. *Suus quique mos.* Plin. XXXIII. 3. *Sua aetas varia de Catulo existimavit.* Caeterum huius inversae reciprocationis causam, non ex eo arcessendam putat Ursin. p. 139. quod ea in directam commutari possit: *Trahit sua quemque voluptas, Homo quisque trahitur a voluptate sua.* Et Martial. V. 10. *Et sua viserunt saecula Maeonidam, Maeonidas vivus est a saeculis suis:* Sed ex eo quod, ut, *Mea voluptas trahit me, tua voluptas trahit te; Mea saecula me viserunt, tua saecula te viserunt:* ita, *Sua voluptas trahit quemque, Sua saecula viserunt Maeonidem,* eodem ubique modo, ve quae possidetur in possessorem agente, dicatur. Accedit, quod neque haec structurae commutatio per eadem verba in omnibus locum habeat: ut in his, *Suus rex reginae placet, Autronio sodales sui defuerunt,* nisi forte illud in *Regina suo rege delectatur;* hoc in *Autronius a suis sodalibus destitutus est,* convertere placeat.

Digitized by Google

reciprocum poni. Prioris exempla sunt: Cic. Phil. II. 12. *Omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt.* Poterat *se* dixisse, Caes. B. G. I. 5. *Persuadent Rauracis, ut una cum iis proficiscantur;* pro, *una secum.* Quinctil. Decl. I. 1. *Non petit, ut illum miserum putetis, nisi et innocens fuerit;* pro, *se.* Posterioris exempla sunt: Cic. Fam. IX. 15. *Gratias mihi agunt, quod se mea sententia Reges appellaverim;* pro, *eos.* Plaut. Poen. V. 2. 123. *Suam rem sibi salvam sistam, si illo advenerit;* pro, *eius ei sistam.* Ter. Her. IV. 4. 38. *Mater quod suasit sua, adolescens mulier fecit;* pro, *mater ipsius.* Nep. VI. 3. 1. *Itaque decemviralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt;* pro, *eius potestatem* [30]).

---

30) Talis sunt Plaut. Mil. III. 2. 45. *Excruciabit mé herus, domum si venerit, quum haec facta scibit, quia sibi non dixerim.* Cic. Phil. II. 37. *Non enim a te emit, sed prius quam tu suum sibi venderes, ipse possedit.* Lucan. V. 804. *Fida comes Magni vadit duce sola relicto, Pompeiumque fugit: quae nox sibi proxima venit Insomnis.* Martial. VI. 52. *Sis licet inde sibi tellus placata levique.* Cic. Att. IV. 2. *Ille noctem sibi postulavit: non concedebant, reminiscebantur enim Kal. Ianuar. vix tamen sibi de mea voluntate concessum est.* Plin. N. H. XVII. 9. *Vinea si maera erit, sarmenta sua comburito.* Ovid. Fast. III. 200. *Consus tibi caetera dicet, Ipso festa die dum sua sacra canes.* Nepos, Attic. c. 10. *Ut non solum ei, sed omnibus suis amicis, esset inimicus:* ubi *suus* pro *eius* positum, quod et nonnulli praeter rationem in textum receperunt. Plura eiusmodi videsis ap. Saturnium, Merc. mal. V. 10 et 12. Budaeum Comment. L. Gr. p. m. 20. et seqq. Voss. de Constr. c. 56. Sanct. et ad eum Perizon. II. 12. Mariang. in Auctar. Epist. VIII. Ursin. p. 141. Quanquam vero in his exemplis, relativa pro reciprocis, aut contra reciproca pro relativis posita videantur; non tamen propterea (quod Sanctius, Saturnius, aliique docent) existimandum est, aut haec aut illa naturalem suam significandi vim deponere, aut altera pro alteris promiscue ubique atque indiscriminatim usurpari posse. Caeterum hanc rem hactenus a Grammaticis fere omnibus misere tenebris involutam, in clara demum luce reposuisse videtur vir eruditissimus Sam. Clarkius in Notis suis ad Hirtii lib. VIII. de B. Gall. c. 41. Is enim ostendit, in sententia simplice, qualem supra descripsimus, nunquam relativum (sive, quod ille appellat, *demonstrativum*) pro reciproco, aut reciprocum pro demonstrativo poni: neminem quippe tam barbarum fuisse, ut diceret, *Lucretia eam interfecit*, pro eo quod est, *Lucretia se interfecit*: Vel, *Cato pectus eius gladio transfixit*, pro eo quod est, *pectus suum transfixit*: aut contra, *Milo se interfecit, Pectus suum gladio transfixit*, Clodium aut alium quemvis interfectum intelligens. Quod vero in sententia composita possit nonnunquam eodem in loco poni vel reciprocum vel demonstrativum, id ex diverso vocum inter se respectu provenire. Ex. gr. *Redde Ciceroni librum suum*, vel *eius*, ex aequo quidem dici potest: nimirum reciproce *librum suum*, respectu Ciceronis cui reddatur; vel demonstrative *librum eius*, respectu tui qui reddas. *Rogat te Paulus, ne deseras se;* vel, *ne deseras eum*: reciproce nimirum *se*, respectu Pauli qui roget; vel demonstrative *eum*, respectu tui qui deseras. Denique (addit vir accuratissimus)

Digitized by Google

☞ Not. 1. Si inter duos obliquos intercedat coniunctio copulativa, relativo pronomine potius utendum est: ut, *Supplicium sumpsit de fure, et sociis eius.* Si praepositio cum, reciprocum usitatius locum habet: ut, *Sumpsit supplicium de fure cum sociis suis*

☞ Not. 2. Si praepositionem inter antecedat nominativus vel accusativus, reciproco sui tantum utimur: ut, Cic. pro Cluent. c. 16. *Fratres gemini, inter se cum forma, tum moribus similes.* Id. pro Rosc. c. 22. *Feras inter sese partus atque educatio, et natura ipsa conciliat.* * Praecedente autem genitivo, dativo, vel ablativo, inter ipsos, vel inter se dicimus: ut, Cic. Off. I. 7, *Latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos continetur.* Ibid. c. 16. *Latissime patens hominibus inter ipsos societas haec est.* Quinctil. Inst. X. 2. *In magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, et a doctis etiam inter ipsos mutuo reprehensa.* Rursum, Ter. Adel. V. 1. 17, *Vetus verbum est, communia esse amicorum inter se omnia,* Cic. Off. 17. *Multa sunt civibus inter se communia.* Liv, VIII. 24. *Quem interclusissent exercitum a mutuo inter se auxilio* [31]).

☞ Not. 3. Nonnunquam reciprocum in eadem sententia, nunc principale, nunc secundarium orationis suppositum respicit: ut, Gell. I. 8. *Ad Laidem Demosthenes clanculum ibat, et ut sui sibi copiam faceret, petit;* Ubi sibi ad *Demosthenem*, sui ad *Laidem* refertur. Sic Caes. B. G. I. 36. *Neminem secum sine sua pernicie contendisse:* Ubi secum respicit *Ariovistum*, cuius haec verba sunt; sua vero *neminem* [32]).

---

reciprocum nonnunquam apud bonos auctores refertur ad antecedens subintellectum: ut in isto Plinii, XVII. 9. [*Vinea si macra erit*, (ei) *sarmenta sua bumburito.*] Et in durissima ista constructione apud Senecam [*Puer ad tuum formetur arbitrium, multum sibi dabis;*] h. e. *multum* (ei) *dabis sibi*, vel *multum* (ei) *dabis, quod sibi habeat.* Postremo in isto Ovidii, Her. I. 118. [*Respice Laerten, ut iam* (ei) *sua lumina condas:*] siquidem ita scripsisset Ovidius: nam vera lectio longe aliam exhibet constructionem: [*Respice Laerten: Ut iam sua lumina condas, Extremum fati sustinet ille diem.*] Haec ille. Ceterum id obiter notandum, locum illum Senecae [Consol. ad Helviam, al. Albinam matrem, c. 16.] cuius durissimam esse constructionem observat Clarkius, in emendatissimis exemplaribus iam legi: *Tuis assuescat sermonibus: ad tuum fingatur arbitrium: multum illi dabis, etiamsi nihil dederis praeter exemplum.* Viro nimirum ornatissimo, ut et Cl. Perizonio, qui duriusculum itidem hoc loquendi genus appellat, imposuerunt Saturnius, p. 265. et Sanctius, p. 248. *multum sibi dabis*, ex codicibus corruptis citantes. Vid. interim eund. Perizonium ad Sanct. l. c. n. 1. alia aeque fere dura ex Plauto, Cicerone, etc. adferentem.

Digitized by Google

☞ Not. 4. Nonnunquam sui et ipse ad idem suppositum referuntur: ut, Curt. IX. 1. 8. *Abisari Alexan-*

---

31) Interdum inter istos: ut in illo Cic. Att. II. 7. *Una spes est salutis istorum inter istos dissensio.*

32) Vid. Perizon. p. 245. * Hic praeteres, Obs. 1. *Ipse*, non vero alia Pronomina relativa, *is*, *ille*, *iste*, cum primitivis *ego*, *tuo*, adeoque et reciproco *sui*, coniungi, sive componi: indeque esse, quod saepissime loco reciproci, (sed eo intellecto) ponatur: ut, Cic. pro. Corn. Balb. 1. *Nihil unquam audivi, quod de ipso modestius dici videretur*; pro, *se ipso*, Curt. VII. 10. 4. *Qui ut per interpretem cognoverunt ipsos*, (i. e. *se* vel *se ipsos*) *ad supplicium trahi.* Nep. Hann. 2. 2. *Ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis*, (i. e. ab *se* vel *se ipsis*) *corruptum.* Item pro possessivo: ut, Cic. Fam. IV. 8. *Quantum ei res, et ipsius causa concedit*, pro *sua*, vel *sua ipsius.* Id. Off. I. 38. *Si non poterit causas defensitare, — illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius* (i. e. *sua ipsius*) *potestate.* Plin. Ep. VII. 25. *O quantum eruditorum aut modestia ipsorum* (i. e. *sua*,) *aut quies operit, et subtrahit famae.* Val. Max. II. 4. 5. *Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius* (i. e. *suum*) *caput transferrent, oravit.* Conf. Turnellin. Partic. voc. *ipse.* * Virg. etiam Ecl. I. 9. *Ipsum* pro *me ipsum* posuit. * Hinc porro est, quod (ut notat Saturnius, V. 10.) *ipse* vicem nominativi, quo *sui* caret, pulcherrime suppleat: ut, Caes. B. G. I. 16. *Divitiacus Caesarem complexus obsecrare coepit, ne quid gravius in fratrem statueret, — propterea quod* (*quum ipse gratia plurimum domi, — ille minimum posset*) *per se crevisset.* Nam potuisset, *se gratia plurimum domi, illum vero minimum posse.* Obs. 2. *Ipse* cum pronominibus *ego*, *tu*, *sui*, coniunctum, apud optimos quosque Scriptores nominandi casu construitur, etsi quod pronomen praecesserat alio quocunque casu fuerit positum: ut, Cic. Fam. IV. 8. *Non ita abundo ingenio, ut te consoler, cum ipse me non possum.* Id. Fam. I. 1. *Caeteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio.* Sall. Iug. 6. 1. *Plurimum facere, minimum ipse de se loqui.* Ibid. 85. 31. *Ipsa se virtus satis ostendit.* Ter. Phor. V. 6. 36. *Intus quae inter sese ipsi egerint.* Liv. VII. 35. *Erumpendo hinc vosmet ipsi servate.* Sall. Iug. 41. 9. *Quoad semet ipsa praecipitavit.* Dion. Cato in Distich. *Incusare Deum noli, sed te ipse coërce.* Et sic alii passim. Vid. Rivinus ad Sall. Catil. 20. 6. I. F. Gronov. ad Senec. N. Q. 1. Praef. et ad Liv. II. 19. Turnellin. de Partic. p. m. 549. in primis vero Cl. Graevium, qui ad Iustin. XII. 8. Ciceronem aliosque optimos Scriptores semper ita loqui, sed vulgus utrumque pronomen eodem casu ponere: et rursus, ad Cic. Off. III. 15. eos qui ita loquuntur, corrupte loqui, affirmat. Cui sententiae se non multum repugnare ait Got. Cortius ad Sall. Catil. 20. 6. At, P. Manutius ad Cic. Fam. VII. 1. utramque formam probat: cuius iudicium fere sequitur Cl. Duckerus ad Flor. III. 18. 7. ubi plura loca congerit, quibus *semet ipsum*, *nobismet ipsis*, *sibi ipsi*, et similia, nulla scripturae varietate, leguntur: ut, Flor. l. c. *Quum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset.* Liv. X. 4. *Si quid falsi nunciat, in semetipsum religionem recipit.* Cic. Off. I. 32. *Quarta* [persona] *quam nobismet ipsis iudicio nostro accommodamus.* Id. Catil. I. 8. *Qui se ipsum tam dignum custodia iudicaverit.* Multa deinde eiusmodi alia indicat: ut, Cic. de Leg. I. 10. pro Marcell. c. 4. pro Ligar. c. 2. Caes. B. G. VII. 20. Colum. R. R. VIII. 8. Senec. Epist. 104. Phaedr. IV. 19. Curt. VI. 5. 9. et Val. Max. I. 1. 1. extr. et III. 8. 4. ext. Quibus addit Cortius, l. c. Pomp. Mel. III. 1. Apul. Metam. VIII. p. 204. Lactant. III. 6 et 18. et pluries. Iunge Senec.

Digitized by Google

der nunciari iussit, si gravaretur ad se venire, ipsum ad eum esse venturum. Caes. B. G. 1. 34. *Ei legationi Ariovistus respondit, Si quid ipsi a Caesare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille a se velit, illum ad se venire oportere*[33]).

☞ Not. 5. Suus saepissime absolute ponitur, suppresso substantivo: ut, Cic. Fin. II. 30. *Quaesivit* [Epaminondas] *salvusne esset clypeus: cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit,* etc. supple, *homines*, vel *milites*. Plaut. Trin. II. 2. 34. *Ne suum adimerem alteri*; h. e. *negotium*, sive *rem suam*[34]).

Not. 6. Suus quandoque est *unicuique proprius*: ut, Virg. Geo. I. 57. *Mittunt sua thura Sabaei*[35]). Inter-

---

Ep. 90. *A natura luxuria desciviit, quae quotidie se ipsam incitat.* Et Senec. Rhet. Controv. V. 34. *Sit sibi ipsi exemplar.* Et Quinctil. XI. 1. p. 697. *In quibus patronus argumentum ex se ipso petet.* Caeterum, su ex his pleraque, ab indoctis librariis, linguae suae consuetudine (quod Cortius suspicari videtur) abducti, mutata fuerint, aliis diiudicandum relinquo. [Meliora docuit Bremi ad Nepot. Pausan. IV. 3. G. St.]

33) Interdum cum ad diversa supposita reflexio fit, ad ingratam eiusdem vocis geminationem vitandam, hic *ipse*, illic *suus* utendum est: ut in illo Curtii, III. 10, 4. *Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam atque ultima orientis, non ipsius magis, quam suo ductu profecti, inveteratae virtutis admonebantur.* Poterat et dixisse; *non suo magis quam ipsorum ductu:* neutiquam vero, *non suo magis quam suo*, aut *ipsius magis quam ipsorum.*

34) Quo etiam pacto et alia possessiva pronomina adhibentur: ut, Ter. Phor. IV. 1, 21. *Ego meorum solus sum meus*; i. e. *meorum familiarium ego solus sum meus amicus*, vel, *e tota mea familia nemo vere mihi amicus est praeter me ipsum.* Cic. de Harusp. c. 19. *Haruspicum verba sunt haec omnia: nihil addo de meo*; i. e. *de meo negotio, sive verbis meis.* Sic, Plaut. Bacch. I. 2, 65. *Facere sumptum de tuo*; i. e. *tua re.* Virg. Aen. II. 149. *Noster eris*, sc. *homo* vel *civis.* Terent. Heaut. III. 1, 64. *Syrus cum illo vestro consusurrat*, sc. *servo.* Huc adde quae de his pronominibus reg. 21 et 37. postea tradentur.

35) Talia videntur et haec, Virg. Geo. II. 82. *Miraturque novas frondes et non sua poma*; i. e. *propria et nativa.* Et Aen. III. 493. *Vivite felices, quibus est Fortuna peracta Iam sua*; i. e. *dura, propria Troianorum*, interpretante Servio. Huc vero in primis spectant ea in quibus *suus* et *quisque* copulantur: ut, Cic. pro Rosc. Amer. c. 24. *Sua quemque fraus; et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent.* Huius generis itidem sunt: Plaut. Amph. I. 1, 39. *Regi Creonti regnum stabilivit suum.* Et Ovid. Pont. I. 3, 2. *Qui miser est, ulli si suus esse potest.* Item illa, in quibus ad *suo* additur *sibi*: ut, Ter. Adel. V. 8. ult. *Suo sibi gladio hunc iugulo.* Plaut. Capt. I. 1, 12. *Cochleae suo sibi succo vivunt.* Gell. V. 10. *Suo sibi argumento confutatus est*; i. e. *proprio*, vel *suo ipsius.* * *Suus* interdum pro *sui iuris* (eodem modo quo *meus, tuus, noster, vester*; pro *mei, tui, nostri, vestri iuris*,) accipitur: ut in hoc quod Ovidio tribuitur, *Alterius non sit, qui;*

Digitized by Google

dum *convenientiam* notat: ut, Virg. Aen. III. 469. *Sunt et sua dona parenti;* i. e. *congruentia.* Liv. XXII. 59. *Ne suam occasionem hosti des;* i. e. *aptam* [36]).

☞ Not. 7. Quisque eleganter cum reciprocis construitur, neque eorum loco relativa admittit: ut, Liv. Praef. *Pro se quisque acriter intendat animum.* Cic. Fin. V. 9. *Sua cuiusque animantis natura est.* Id. Tusc. V. 22. *Suum cuique pulchrum.* Virg. Aen. VI. 743. *Quisque suos patimur Manes.*

De substantivis cum adiectivis laudis vel vituperii.

11. At si posterius fixum sibi mobile, laudem,
Vel vitium, quoddamve notans discrimen, habebit
Appositum, patrio possis ea vel dare sexto.

Si posterius e duobus substantivis adiunctum sibi habeat adiectivum, vel laudem, vel vituperium, vel aliud quodcunque discrimen significans, in genitivo vel ablativo poni potest: ut, Iuven. XI. 154. *Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris.* Plin. XVIII. 54. *Aristoteles vir immensae subtilitatis.* Id. XXI. 20. *Flos aurei colo-*

---

suus esse potest. Id. Met. XI. 723. *Hoc minus et minus est amens eva.* Pers. V. 88. *Vindicta postquam meus a praetore recessi.* Sic Prisc. p. 1113. ratione ait non carere, ut quis dicat, *O tue, et non aliene.* Senec. Epist. 42. *Nostri essemus, si ista nostra non essent.* Et Epist. 71. *Id agamus ut nostrum omne tempus sit: non erit autem, nisi prius nos nostri esse coeperimus.* Vid. Danes. p. 272. et conf. Heins. ad Ovid. Met. III. 689.

36) Sic, Liv. III. 18. *De captivis, ut quisque liber aut servus esset, suae fortunae a quoque sumptum supplicium;* i. e. interprete Perizonio, p. 248. *conveniens singulorum fortunae.* Et ita legendum idem existimat explicandumque illud Curtii, III. 2, 17. *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi sua naturam plerumque Fortuna corrumperet;* h. e. *nisi hominis cuiusque naturam, etiam per se bonam, corrumperet plerumque istius naturae et hominis fortuna.* At Ursino, p. 144. commodior videtur sensus receptae lectionis, *nisi suam naturam,* i. e. ut ille interpretatur, *naturam fortunae obnoxiam, quae totam esse illi permisit.* Caeterum *convenientiae,* aut si mavis, *faventiae* significatione haec accipienda sunt. Hor. Epod. IX. 29. *Ventis iturus non suis;* i. e. *ventis non secundis, aut huic curae convenientibus.* Nep. VII. 3, 4. *Multos liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat;* i. e. *amicos.* Ter. Adel. V. 4, 21. *Eos fecit suos paulo sumptu;* i. e. *sibi faventes.* Sic, Ovid. Met. IV. 378. *Voto suos habuere Deos;* i. e. *propitios.* Tibull. III. 3, 28. *Deus non meus;* i. e. *iratus, inimicus, offensus.* Vid. ibi Broukhus. Virg. Aen. II. 396. *Vadimus immixti Danais, haud numine nostro;* i. e. interprete Taubmanno, *adverso, nobis non favente.*

Digitized by Google

ris. Et, Ter. And. I. 91. *Adspicio adolescentulam, vultu adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra.* Suet. Ner. 2. 6. *Vir neque satis constans, et ingenio truci* [37]).

Not. 1. Oratores ablativo quam genitivo frequentius utuntur [38]).

☞ Not. 2. In his tamen et similibus genitivus fere solus usitatus est. Hor. Sat. I. 1. 55. *Magni formica laboris.* Cic. Fam. IX. ult. *Non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci.* Plaut. Menaech. III. 2. 24. *Homo minimi pretii.* Id. Stich. III. 2. 33. *Imi subsellii vir* [39]). Sic, *Ager trium iugerum, Lapis centum librarum.*

☞ Not. 3. Haec atque alia eiusmodi per ablativum tantummodo efferri possunt. Ter. Eun. I. 2. 4. *Bono animo es.* Cic. Brut. c. 5. *Si es animo vacuo.* Id. Att. VI. 1. *Equidem sum magna animi perturbatione.* Id. Att.

---

37) Diversarum harum constructionum haec ratio est, I. Genitivus in talibus pendet a praecedente substantivo possessive accepto: ut, *Vir magni animi, Homo sanae mentis;* i. e. *habens seu possidens magnum animum, sanam mentem.* Saepe etiam et praecedens substantivum supprimitur: ut, Horat. Sat. I. 4, 17. *Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi;* supple, *virum.* Id. Car. II. 2, 6. *Notus in fratres animi paterni;* i. e. *vir* vel *homo.* [Minime! G. St.] Vid. Sanct. p. 658. II. Ablativus a praepositione quadam suppressa regitur, veluti, *cum, de, ex, in,* subaudito etiam plerumque participio *ens* sive *existens;* vel, *natu, praeditus, affectus,* aut simili: ut, Ter. Adel. III. 3, 88. *Homo antiqua virtute ac fide;* i. e. *ens cum antiqua virtute ac fide.* Quomodo Plaut. Trin. IV. 4, 4. *Amicus cum magna fide,* dixit. Et Ennius, *Optima cum pulchris animis Romana iuventus,* citante Donato ad illud Ter. Phor. III. 1, 1. *Enimvero, Antipho, multis modis cum isthoc animo es vituperandus.* Ita, *Vir claris natalibus;* plene est, *natus, ortus de,* vel *ex; Mulier aetate integra, ens in aetate integra; Homo honesta facie,* supple *praeditus ab; Homo infirma valetudine,* supple *affectus ab,* vel simpliciter *ens cum,* vel *in infirm. valetud.* Vid. Sanct. p. 552, 628, 676. et in eum ibi Perizon. Saepe etiam in his praepositio additur: ut, Cic. Phil. II. 15. *Magna in moestitia fuisse.* Sic, *Esse in summa infamia, in eadem sententia, opinione, voluntate,* ap. eund. Vid. Rhen. p. 341. Finck. p. 358. Schmid. p. 257. Mindan. p. 190. Voss. Constr. c. 24. Ursin. p. 31. [Haec non recte explicata esse, quivis hodie videat. G. St.]

38) Praecipue, si accedat verbum substantivum. Vid. Despauterius, p. 283. et Alvar. p. 308.

39) Sic, Cic. in Vatin. c. 1. *Testimonium nullius momenti.* Terent. And. III. 5, 2. *Nulli consilii sum,* pro *nullius.* Plin. XXI. 4. *Rosa iucundi odoris:* et XI. 15. *Mel saporis gratissimi.* Ter. Eun. II. 2. 3. *Homo mei loci atque ordinis.* Id. Heaut. V. 1, 36. *Decem dierum vix mihi est familia.* Id. Phor. II. 3, 46. *Si talentum rem reliquisset decem.* Vid. Rhen. p. 341. Schmid. p. 257. Lowaeum, p. 22. not. 13. * Particularia sunt, *Homo triobuli, Homo teruncii,* pro *trium obolorum, trium unciarum:* item, *Homo semissis, homo tressis;* pro *dimidii assis, trium assium.* In his autem posterior vox *semissis* et *tressis,* non adiectiva (ut quidam voluere) sed substantiva, et gignendi casu posita, sunt. Vid. Part. I. p. 27. n. 38. extr.

Digitized by Google

II. 7. *Mira sum alacritate ad litigandum.* Id. Fam. XVI. 15. *Incredibili sum sollicitudine.* Id. pro Q. Rosc. c. 7. *Qui capite et supercilio semper est rasis.* Liv. XXVI. 49. *Mulier magno natu* [40]).

☞ Not. 4. Interdum utraque constructio in eadem sententia reperitur: ut, Cic. Fam. I. 7. *Lentulum, eximia spe, summae virtutis adolescentem, fac erudias.* Colum. VI. 37. *Bos amplissimi corporis, cervice valida, robustis ac latis costis, cruribus compactis, coloris nigri vel maculosi* [41]).

☞ Not. 5. Posterius substantivum prioris partem aliquam vel proprietatem significare oportet; secus enim ad hanc regulam pertinere haud censebitur: ut, in his, Ter. Eun. III. 1. 18. *Homo perpaucorum hominum.* Virg. Aen. I. 75. *Pulchra faciet te prole parentem.* Neque enim *homo hominis*, aut *proles parentis* pars vel proprietas est [42]).

---

40) Huiusmodi sunt, Ter. Phor. V. 8, 65. *Animo virili praesentique ut sis, para.* Cic. Fam. II. 17. extr. *Hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati.* Id. Fam. VI. 4. *Quanto fuerim dolore.* Nep. Eum. VII. 2. *Credens se minore invidia fore.* Vid. eosd. loc. cit.

41) Sic, Cic. Fam. IV. 8. *Neque monere te audeo praestanti prudentia virum, nec confirmare maximi animi hominem.* Solin. c. 46. *Malum inimicum veneno, sapore aspero, et amaritudinis merae.* Plin. N. H. VII. 2. *Choromandarum gentem vocat Tauron, silvestrem, sine voce, stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.* Id. XXIV. 15. *Quae atachys vocatur, porri similitudinem habet, longioribus foliis pluribusque, et odoris iucundi, coloreque in luteum inclinati:* nisi haec posteriora, *odoris iucundi*, etc. non ad herbam ipsam, sed ad eius folia referenda sint. Vid. Bud. Comment. L. Gr. p. 14. L. Vall. III. 17. Linac. p. 231. Despaut. p. 233.

42) Vid. Despaut. p. 233. Aliena itidem sunt: Hor. Car. I. 26. 4. *Rex gelidae orae.* Iuven. XIII. 141. *Gallinae filius albae. Pater optimorum liberorum.* Et quae innumera sunt his similia. Caeterum sub *parte* vel *proprietate* (quam corporis animive *affectionem* aliter nominat Vossius, de Constr. c. 24.) comprehendi, atque ad hanc regulam reduci potest *adiunctum*, sive *res extrinsecus posita*: ut, Plaut. Capt. IV. 2, 9. *Collecto est pallio, quidnam acturus est?* Suet. Aug. 76, 1. *Cibi minimi erat, ac vulgaris fere.* Plaut. Aul. II. 4, 46. *Trium literarum homo*; i. e. *fur.* Gell. III. 16. *Eodem nomine comoedia.* Sic, *Agellus centum millium nummum, Fossa duorum pedum*, etc. Huc refert et Despaut. l. c. illud Virg. Aen. VII. 187. *Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat Succinctus trabea:* ubi male Linacro, p. 231, et 487. sententiam supplere visus est A. Gellius, qui V. 8. post *lituo*, *erat* subaudit. Ipse autem Linacer *insignis* vult intelligi. Poteris, et forte rectius, addita praepositione sententiam sic ordinare, *Ipse sedebat cum Quirinali lituo, et succinctus parva trabea.*

Digitized by Google

APPENDIX.

Mobile at hoc fixo sociatum saepe priori
Cernimus, hinc sextum capiens, et carmine quartum:
Quos casus quoque neutra ferunt, passivaque verba.

§ I. Interdum huiusmodi adiectivum cum priore substantivo casu consentit, posteriusque in ablativo, et apud Poëtas etiam in accusativo, post se adsciscit: 1. Ablativo: ut, Cic. pro Quinct. c. 22. *Hortensius excellens ingenio, nobilitate, existimatione.* Id. pro Cor. Balb. c. 22. *Vir gravitate et prudentia praestans* [43]). Sall. Catil. 59. 4. *Antonius pedibus aeger* [44]). 2. Accusativo: ut, Virg. Aen. I. 589. *Os humerosque Deo similis.* Hor. Car. III. 10. 18. *Nec Mauris animum* [45]) *mitior anguibus.* Stat. Th. III. 556. *Cadmeius heros Accurrit vultum deiectus* [46]).

---

43) Dicimus igitur, *Vir praestantis ingenii, praestanti ingenio, praestans ingenio*, et poetice *praestans ingenii.* Vid. Cic. pro Sext. c. 42. et Fam. VII. 5. extr. et Virg. Aen. XII. 19.

44) Sic, Cic. Verr. I. 48. *Qui ob ius dicendum, M. Octavium Ligurem, hominem ornatissimum, loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis, pecore pecuniam non dubitarit.* Id. de Orat. I. 25. *Sunt quidem, aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti et agrestes, ut etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in Oratorum numerum venire non possint.* Plin. VII. 16. *Inventimus in monumentis Salamine, Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem.* * Notat autem Alvarus, p. 292. Oratores, quamvis libentius substantiva cum adiectivis copulent: ut, *Vir summa eloquentia, eximia virtute, excellenti ingenio*, etc. non raro tamen ipsis ablativis adiectivum laudis aut vituperationis attribuere: ut (praeter praedicta) Cic. Fin. IV. 28. *Horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus.* Id. Brut. c. 31. *Ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus.* * Sunt vero ex his quaedam adiectiva, quae cum priore substantivo longe frequentius copulata, posterius in ablativo recipiant: qualia sunt, *potens, nobilis, insignis, gravis, florens, ornatus, conspicuus*, et similia: ut, *Vir potens divitiis, nobilis virtute, insignis genere, gravis pietate, florens gratia, ornatus honoribus, conspicuus forma.* Sed haec pleraque omnia ad reg. 52. potius retulerim. * Observat porro Alvarus, loc. cit. Oratores in hac structura ablativo partis rarius uti. Sic, Cic. Tusc. IV. 17. pr. *Qui moderatione et constantia quietus animo est.* Quinctil. VI. 4. *Qui pedibus aeger cum vellet videri commodioris valetudinis*, etc. Poetas autem frequenter: ut, Martial. XII. 54. *Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus; Rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.*

45) Aliter *animo*. At rectum illud, notante Bentleio: sic enim Statius, Silv. IV. 6. 55. de Hercule, *Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens Hortetur Menoeas.* Ubi *vultus* non rectus singularis est, sed accusativus pluralis: ut, Claudian. Stilich. II. 135. *Blanda quidem vultus.* Sic Virg. Aen. V. 285. *Cressa genus Pholoë.* Id. Aen. XI. 507. *Turnus ad haec, oculos horrendo in virgine fixus.* Id. Aen. I. 586. *Faciem inimi-*

Digitized by Google

☞ Hanc Figuram vulgo Synecdochen vocant, in qua proprietas partis toti tribuitur. Est autem Ellipseos genus, in quo subaudienda est praepositio secundum (Graecis κατά) vel quod ad: ut, Hor. Sat. I. 1. 5. *Miles fractus membra*; i. e. *fractus secundum* vel *quod ad membra*, seu *habens membra fracta*. Lucan. IX. 172. *In vultus effusa comas Cornelia*; i. e. *effusa quod ad comas*, seu *habens comas effusas* [47]). [Nihil supplendum.]

---

sue et ora Cupido. Sil. VIII. 466. *Ora puer, pulcherque habitum.* Ovid. Met. II. 80. *Et glacialis hiems canos hirsuta capillos.* Atque ita apud Poetas passim. [Ratio huius constructionis hodie satis nota est. G. St.]

46) Poetae post eiusmodi adiectiva haud raro genitivis utuntur: ut, Hor. Car. I. 22, 1. *Integer vitae.* Virg. Aen. XII. 19. *Praestans animi iuvenis.* Stat. Theb. III. 216. *Tu tamen egregius fati.* Sil. II. 234. *Gens fluxa morum.* Nonnunquam etiam et Historici aliique: ut, Tacit. Anal. I. 20, 4. *Invictus operis ac laboris.* Sall. Hist. II. p. 959. *Frugum pabulique laetus ager.* Apul. Met. IX. p. 290. *Confirmatus animi.* Gell. V. 10. *Frustratus spei*, etc. Vid. infra reg. 14.

47) Nonnunquam et Historici ita loquuntur: ut, Liv. XXI. 7. *Annibal ipse, dum murum incautius subit, adversum femur tragula graviter ictus cecidit.* Hirtius, B. Afric. c. 85. *Brachium gladio percussum.* Tac. Anal. I. 50, 2. *Frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus.* Id. II. 17, 5. *Oblitus faciem suo cruore ne noscerentur.* Id. Germ. XVII. 8. *Foeminae nudae brachia et lacertos.* Suet. Aug. 20, 2. *Dalmatico etiam* [bello] *vulnera accepit, una acie dextrum genu lapide ictus, altera crus et utrumque brachium ruina pontis consauciatus.* Ita et eadem figura, Mela, II. 1. *Satarchae totum braccati corpus, et nisi qua vident, etiam ora vestiti:* et III. 6. *Vitro corpora infecti:* et III. 7. *Pars nudi agunt, pars tantum obscoena velati.* Plin. VII. 28. *Ipse vulneratus humerum ac femur.* Solin. c. 9. *Archelaus crines tonsus est.* c. 27. *Alba quasi mitrula lineatus caput.* c. 30. *Lupus est cervicem iubatus.* Ibid. *Hystrix spinis tergum hispida.* c. 52. *Sunt qui silvestres, hirti corpora, caninis dentibus, stridore terrifico.* c. 54. *Hirsuti omnia facie tenus, quae sola laevis est.* Senec. ad Marc. c. 25. extr. *Tramites omnia plani, et ex facili mobiles.* Gell. V. 10. *Caput rica velatus:* et XI. 9. *Lana multa collum cervicesque circumvolutus:* et XIX. 10. *Pedes graviter aeger.* Apul. Met. IX. p. 279. *Homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti.* Et ita alibi saepius, observante Despauterio, p. 284. Ab hoc tamen loquendi genere Oratores, praesertim Ciceronem et Quinctilianum, abstinuisse idem testatur. * Accusativus vero *cetera* hoc pacto constructus apud omnes fere satis est frequens: ut, Liv. I. 32. *Proximum regnum, caetera egregium, ab una parte haud satis prosperum, fuit.* Sall. Iug. 19, 7. *Mauris omnibus Rex Bocchus imperitabat, praeter nomen, caetera ignarus populi Rom.* Tac. Germ. XLV. 10. *Caetera similes, uno differunt.* Patere. II. 46, 2. *Vir caetera sanctissimus, immunisque voluptatibus.* Sueton. Calig. 50, 1. *Capillo raro ac circa verticem nullo, hirsutus caetera.* Ut Poetas praeteream, Virg. Aen. III. 494. *Caetera Graius.* Hor. Epist. I. 10, 50. *Caetera laetus.* Pers. V. 128. *Caetera fossor.* Confer Voehner. Hellen. I. 1, 20. Proferunt et ex Cic. pro Quinct. c. 3. *Caetera, paterfamilias et prudens et attentus.* Et Nat. Deor. I. 22. *Non solum enim poeta suavis, verum etiam caetera doctus:* sed hic *caeteroqui*, illic *caeterarum rerum* libri emendationes praeferunt.

Digitized by Google

☞ II. Verba neutra et passiva pari modo cum ablativo, et apud Poetas, cum accusativo, construuntur [48]) ut, Cic. de Orat. I. 26. *Ut exalbescam in principiis dicendi, et tota mente atque omnibus artubus contremiscam.* Liv. *Laevo brachio vulneratur.* Hor. Car. I. 25. 8. *Et corde et genibus tremit.* At cum accusativo, id. Hor. Sat. II. 7. 57. *Tremis ossa pavore.* Sil. XIV. 490. *Saeva truncatur membra bipenni.* Virg. Aen. I. 715. *Expleri mentem nequit* [49]).

---

posteriore tamen loco *caetera* tuetur Davisius. Ablativo autem usus Curtius, VI. 5, 3. *Ego caeteris laetus, hoc uno torqueor.* * Ut *caetera*, ita *pleraque* Gellius adhibuit, VII. 2. pr. *Hominis pleraque haud indiligentis:* et XII. 5. *Est enim pleraque et sibi et nobis incongruens.* Addit Lowaeus Gramm. p. 24. n. 2. Gell. XIII. 20. *Num quum insolentiae verborum pleraque respueret:* at ibi non *pleraque* sed *plerumque* libri mei exhibent. * Huc aliquo modo referri possunt et hae satis usitatae elegantesque loquendi formulae; *Alia id genus, Quinque millia omne genus ferarum.* Snet. Tit. 7, 12. pro *eius generis, omnis generis:* quae vel per Appositionem explicanda, vel per Ellipsin praepositionis *secundum.* Vid. Ursin. p. 25. His adde quae de Phrasi *Virile* et *muliebre sexus* diximus Part. I. p. 128. n. 79.

48) Rarissimus est prosae Scriptoribus cum verbis neutris aut passivis accusativi usus: ut, Vopiscus in Numeriano, princ. *Cum nimio fletu oculos dolere coepisset.* Sall. Hist. III. prop. init. *Dedecore inultique terga ab hostibus caedebantur.* Apul. Met. I, p. 26. *Spiritu deficior, et genua quatior.* Et ibid. *Iugulum istum dolui.* Sed ex his primus postremusque deterioris sunt notae, nec temere imitandi: ut neque vulgatus Interpres, e quo, 1 Reg. XV. 28. *Doleo pedes*, 2 Reg. IV. 19. *Caput meum doleo*, et Ierem. IV. 19. *Ventrem meum doleo*, profert Despauterius, l. c. Nam prisci illi et meliores, *Dolet mihi caput, Dolent mihi oculi, Id mihi vehementer dolet*, dicebant. Vid. Plaut. Amph. V. 1, 7. Ter. Phor. V. 8, 64. et Adel. IV. 5, 48. Diverso autem sensu dicuntur, Cic. Attic. VI. 3. *Meorum familiarium vicem doleo.* Et pro Sext. c. 69. *Meum casum luctumque doluerunt.* Propert. I. 16, 24. *Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.* In his enim doloris causa, subaudita praepositione *ob* vel *propter*, significatur: quomodo et Ovidius, Met. VI. 180. *Doluit successu flava virago*, in auferendi casu extulit, intellecta praepositione *de:* quod exprimit Cicer. Attic. XII. 1. *De Atticae febricula valde dolui.* Vid. Burmann. ad Ovid. Met. VII. 720. et infra reg. 26. n. 12. Et adde omnino Perizon. p. 329. n. 45.

49) Regulariter in hac structura posterius substantivum pars debet esse prioris, ut, in exemplis allatis. At Poetae paullo audacius agunt, atque ad adiuncta etiam, sive res extrinsecus positas, Synecdochen suam extendunt: ut, Horat. Sat. I. 6, 74. *Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.* Sil. VIII. 505. *Cum fugeret Phrygios trans aequora Marsya Crenos, Mygdoniam Phoebi superatus pectine loton.* Id. X. 514. *Quae postquam adspexit geminatus gaudia ductor Sidonius.* Virg. Aen. II. 221. *Perfusus sanie vittas atroque veneno.* Claud. Stil. I. 29. *Hic publica felix, sed privata minus.* Horat. Epist. I. 1, 50. *Magna coronari Olympia, sc. certamina.* Catull. XXII. 18. *Idem omnes futilimur.* Illam Synecdochen Directam, hanc Indirectam vocat Despauterius,

Digitized by Google

De adiectivis substantive positis.

12. Dat patrium, referens naturam mobile fixi
In neutro positum: velut *id*, *quid*, *plus*que, *minus*que;
Queis *multum*, *tantum*, *minimum*, cum talibus, addes.

Adiectiva in neutro genere [50]) substantive posita regunt genitivum: ut, Ter. And. Prol. 2. *Id sibi negoti credidit solum dari.* Hor. Sat. I. 20. *Quid* [51]) *causae est.* Ovid. Heroid. XVII. 102. *Nec tibi plus cordis, sed minus oris inest.* Tac. Hist. III. 79. 1. *Multo iam noctis serum auxilium venit.* Iuven. III. 143. *Quantum quisque sua nummorum servat in arca, Tantum habet et fidei.* Ter. Ad. II. 1. 24. *Tetigine tui quidquam.* Cic. Att. I. 13. *Res eodem est loci quo reliquisti.*

Not. 1. Huiusmodi adiectiva sunt, *id*, *quid*, *hoc*, *aliquid*, *quidquam*: item *multum*, *plus*, *plurimum*, *tantum*, *quantum*, *minus*, *minimum*, et similia, generalem aliquam rei quantitatem, seu descriptionem significantia [52]).

---

p. 284. rectius forte priorem *Propriam*, posteriorem *Impropriam* appellaturus. Utramque coniunxit Virgilius, Aen. I. 820. *Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.* Item, Sil. IV. 39. *Sed Libyae ductor tuto fovet agmina vallo, Fossa gradum, multoque gelu torpentia nervos.*

50) Imo et adiectiva cuiusvis generis, pro substantivis posita, casum occupant substantivi subaudidi: ut, *Amicus Caesaris, Patria Ulyssis, Commania amicorum omnia, Amantium irae*, et

51) *Nihil*, et haec pronomina neutra; *quid*, *aliquid*, *quicquam*, *hoc*, *id*, *istud*, *illud*, eleganter post se adiectiva neutra secundae declinationis, tanquam substantiva essent, in genitivo regunt: ut, Cic. Attic. XIV. 21. *Nihil sinceri.* Ter. Heaut. I. 2, 19. *Quid reliqui est?* Sall. Cat. 5. 6. *Neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat.* Sic, *Quid boni adfers. Id quod boni est, excerpis.* [Ter. Phor. IV. 4, 18.] *Nihil novi, Aliquid novi audivi.* In adiectivis vero tertiae rarissime id locum habere invenitur: ut ap. Cicer. Nat. Deor. I. 27. *Nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis:* Nunquam tamen in adiectivis in *is* et *e* desinentibus; neque enim, *Nihil talis, nihil utilis, quid dulcis*, sed *tale, utile, dulce*, dicendum.

52) His adde, *summum*, *extremum*, *ultimum*, *dimidium*, *medium*: ut, Ovid. Met. XIII. 909. *Summum montis.* Tacit. Annal. VI. 27, 2. *Extremo anni.* Curt. VIII. 1, 15. *Ultimum periculi.* Horat. Car. I. 3, 8. *Animae dimidium meae.* Ovid. Met. X. 368. *Noctis erat medium.* Dicimus autem eadem significatione, *Summus mons*, pro *summa parte montis*; *Extremus annus*, pro *extrema parte anni.* Sic, Ter. And. I. 1, 106. *Mediam mulierem complectitur*, pro *medium mulieris.* Cic. Attic. XIV. 8. *Quibus in extremis* [scriptum] *erat*, pro *in quarum extremis.* Vid. Linacr. III. p. 147. Lowaetm. Gramm. p. 24. n. 3. et supra p. 42.

Digitized by Google

Not. 2. Elegantius, et maiore cum vehementia, in his transitiva quam intransitiva constructione utimur: ut, *Multum eruditionis, paululum operae, plus eloquentiae, minus sapientiae, quid animi*, etc. potius quam, *Multa eruditio, paulula opera, maior eloquentia, quis animus* [53]).

Not. 3. Quid et plus non aliter iam quam cum genitivo construuntur, ideoque vera substantiva a multis habentur [54]).

Not. 4. Inveniuntur et adiectiva pluralia [55]) neutri generis, genitivum, saepius quidem pluralem, interdum et singularem, regentia: qualia sunt, *Angusta viarum, opaca locorum, telluris operta*, apud Virgilium; *Amara curarum, cuncta terrarum, acuta belli*, ap. Hor. *Incerta fortunae, antiqua foederum, extrema periculorum*, ap. Liv. *Occulta saltuum, inania famae, amoena Asiae*, ap. Tacit. *Profunda camporum, praerupta collium, ardua montium*, ap. Iustin. et innumera eiusmodi alia apud Poëtas et Historicos [56]). [Sic etiam Graeci. Cfr. Sophocl. Antig. 1209. 1265. Eurip. Phoen. 1500. Plat. Theaet. §. 82. G. St.].

---

53) Ita docet id. Linacr. p. 146. Sic, Plaut. Amph. IV. 2, 25. *Ad id redigam miseriarum, ut semper sis miser*, pro *ad eas miserias*. Ter. And. I. 5, 16. *Aliquid monstri alunt*, pro *aliquod monstrum*. Virg. Ecl. VI. 26. *Huic aliud mercedis erit*, pro *alia merces*. Liv. XXIX. 21. *Ut quod sui quisque cognosceret, prehenderet*. Ita legit Gronovius, non, ut vulg. *suum*: ipsum sis vid. ad Liv. XXXII. 17. * In his, Terent. Heaut. IV. 8, 8. *Quid tu hominis es*: Et Hec. IV. 4, 21. *Quid mulieris uxorem habes?* Et Cic. Ver. II. 54. *Exponam vobis breviter quid hominis sit*, pro *quis homo, quam mulierem*, contemptus vel reprehensio quaedam innuitur. Vid. Ursin. p. 24.

54) Archaismus est igitur in his Plautinis, Truc. II. 4, 31. *Quid ego facinus audivi*. Menaech. II. 2, 66. *Rogant cuiatis sit, quid ei nomen siet*. Ibid. V. 2, 94. *Nisi occupo aliquid mihi consilium*. Pro quibus *quod* et *aliquod* cultior aetas substituit. Contra, non dicitur *aliquod utile*, sed *aliquid utile*: non *quoddam subagreste*, sed *quiddam subagreste*, ut est ap. Cic. Brut. c. 74. Vid. Ursin. p. 24. et confer Voss. Anal. I. 24. pr. et Constr. c. 57. pr. quibus in locis secum ipse dissidet: hic enim *quid* substantivum, illic (et verius) adiectivum esse affirmat. De Plus vid. Part. I. p. 186.

55) Interdum et singularia: ut, Tacit. Annal. VI. 49, 2. *Lubricum iuventae*. Virg. Geo. I. 478. *Sub obscurum noctis*. Id. Aen. III. 282. *Ex diverso coeli*, etc.

56) In his omnibus intelligendum est, vel universale *negotium*, vel speciale aliquod substantivum sensui conveniens, ut *tempus, locum*, [unde *loca*] *spatium*, et similia. Sic, *Tantum telluris*, Virg. Aen. VI. 802. supple *spatium*: *Hoc noctis*, Plaut. Amph. I. 1, 2. supple *tempore*, vel [ad] *tempus*, *Profunda camporum*, supple *loca*: *Acuta belli*, sup: *inventa*, vel simile quid. Vid. Ursin. p. 26. Porro in his: *Id aetatis, id auctoritatis*, pro *eius aetatis*, vel *ea aetate*, etc. Ellipsis praeterea est praepositionis, *circa, ad*, vel *secundum*. At in illis, *Id temporis profe-*

Digitized by Google

OPUS et USUS.

18. Usus opusque regunt sextum; quandoque secundum:

Saepeque cum fixis opus instar mobilis haeret.

I. Opus et Usus (pro *necesse* sive *utilitate* [57]) cum dativo personae [58]) ablativum rei acquirendae postulant: ut, Cic. Fam. IX. 25. *Auctoritate tua nobis opus est, et consilio, etiam gratia.* Plaut. Asin. I. 1. 76. *Viginti iam usus est filio argenti minis.* Virg. Aen. VI. 261. *Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo*; supple, *tibi est.* Id. Aen. VIII. 441. *Nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra*; supple, *est vobis.*

II. Interdum pro ablativo genitivum recipiunt: ut, Quinctil. Inst. XII. 5. *Sed etiam si nosse, quid quisque senserit, volet, lectionis opus est* [59]). Liv. XXVI. 9. *Alii offerunt se, si quo usus operae sit* [60]).

---

etus est, Cicer. pro Milon. c. 10. *Illud horae memini me prospexisse*, Apul. Met. I. p. 23. pro *eo tempore, illa hora*, sup. *per*, vel *sub*. Vid. Ursin. p. 25. [Ellipsis nulla hic statuenda. G. St.]

57) Opus, et *necesse* seu *necessarium*, distinguit Cicer. Fam. I. 1. extr. *Legem curiatam Consuli ferri opus esse, necesse non esse.* Et ante eum Cato ap. Senec. Epist. 95. *Emas non quod opus est, sed quod necesse est.* Ubi *opus* dicitur, quod usui quidem est, non tamen necessarium: *necesse* vero quo carere non possis. In multis tamen hanc distinctionem fere confundi ostendit Perizon. ad Sanct. p. 796. not. 7. Sic ipse Cic. Fam. III. 8. *Praesidio firmiori ad eam provinciam opus esse*, h. e. *necessarium esse firmius praesidium.* Ter. Phor. III. 3, 24. *Quantum opus est tibi argenti*, h. e. *necesse est ad satisfaciendum lenoni.*

58) *Personam* hic intelligimus cui res necessaria sit: quanquam haud raro eius locum occupare possit res ratione carens vel inanimata; et contra homo sive persona sit ipsa res necessaria seu acquirenda: ut, *Navi rectore est opus*, vel *opus est rector.* Cicer. Verr. I. 48. *Aiebat multa sibi opus esse, multa canibus suis.* Iustin. XI. 7, 10. *Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt Regem discordiis opus esse*, i. e. *discordias requirere Regem*, vel *discordias sine Rege sopiri non posse.* Cic. de Orat. I. 51. *Acuto homine nobis opus est.* * Hic porro observandum est, id cui res necessaria est, saepe in accusativo, cum praepositione *ad* vel *in*, poni: ut, Ter. And. I. 1, 5. *Nihil isthac opus est arte ad hanc rem quam paro.* Cicer. Fam. XVI. 4. *Sumptui ne parcas ulla in re quod ad valetudinem opus sit.* Cato R. R. c. 12. *In torcularium haec opus sunt.* Sed et in his dativus personae *mihi* et *tibi* subaudiendus videtur: ut et in illo Livii, I. 41. *Simul quae curando vulneri opus sunt, sedulo comparat, illi* possit intelligi.

59) Maior, qui de var. orat. p. 199. post Sanct. p. 623. negat opus hoc sensu acceptum, genitivum regere, contra fidem optimorum codd. pro *lectionis* hic *lectione* vult substitui. Similiterque in illo Planci ad Cic. Fam. X. 8. *Sed aliquantum nobis temporis, et magni laboris, et*

Digitized by Google

III. Opus saepe cum substantivis adiectivorum more construitur: ut, Cic. Fam. II. 6. *Dux nobis et auctor opus est.* Id. Fam. XVI. 5. *Is omnia pollicitus est, quae tibi essent opus.* Id. Attic. VI. ult. *Dices nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi* [61]).

Not. 1. Opus eleganter post se accipit ablativos participiorum [62]); idque vel absolute: ut, Liv. I. 58. *Maturato opus est.* Sall. Catil. 1. 6. *Prius quam incipias, consulto: et ubi consulueris, mature facto opus est* [63]): Vel substantivo adiuncto: ut, Cic. Att. X. 4. *Opus fuit*

---

multae impensae opus fuit, uterque, et Sanctius et Maior, hoc genitivos a communi particula *aliquantum* regi statuunt: quae et opinio est doctissimi Schmidii, p. 298. Sed rectior sententia Vossii, Constr. c. 8. videtur, cui primus quidem genitivus *temporis* ab *aliquantum* pendere; verum *laboris* et *impensae* aliunde, nempe ab *opus*, regi existimantur: neque enim Latine dici, *aliquantum magni laboris*, aut *aliquantum multae impensae*. Vossii opinionem probat Ursinus, p. 101. nec ratione destitui ait Perizon. ad Sanct. loc. cit. n. 98. quanquam ipsi in verbis Ciceronis [Planci dixisse debebat] ille genitivus *temporis* ab *aliquantum negotium*, at reliqui simpliciter a *negotium* regi videantur: ut adeo integra locutio sit, *Sed aliquantum negotium temporis, et negotium magni laboris et multae impensae opus fuit.* Caeterum opus pro *necesse* genitivum nonnunquam admittere praeterea ostendit illud Liv. XXII. 51. *Ad consilium pensandum temporis opus esse*, ut ex optimis libris exhibet Gronovius. Item, l. 80. §. 3. ff. locati, *Quoad in opus lapidis opus erit.* Nec diversum ab his videtur illud Ovidii, Art. II. 14. *Hic erit artis opus.* * Aliqua tamen, quae aliena sunt, huc trahi fateor: quale est illud Cic. ad Q. Fr. III. ult. *Opus est elegantioris alicuius:* ubi *opus* de *aedificio*, sive *structura* dicitur. Et hoc eiusd. de Divin. II. 27. *Et si mures corroserint aliquid quorum est opus, hoc unum monstrum putemus.* Vera enim distinctio est; *quorum est opus hoc unum.* Neque cum Vossio, aut Ursino, l. citt aut Methodi Auctore, p. 421. Virgilii istud Aen. X. 469. *Sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus:* aut illud Martial. de Spect. Ep. 16. *Non fuit hoc artis, sed pietatis opus*, huc retulerim.

60) Geminum huic est illud Apulei, Met. IX p. 306. *Mihi operae eius opus est:* quod Sanctius corruptum ex *opera*, Kirkwodus, p. 88. tanquam singulare quid, neque satis probati auctoris, reiiciendum, uterque sine causa, pronunciant.

61) Usus quoque cum nominativo constructi unicum exemplum adfert Perizon. p. 797. n. 8. illud Plauti, Rud. IV. 4. 39. *Hoc neque isti usus est, et illi miserae suppetias feret.*

62) Huc quoque pertinet constructio eius cum supino in *u*: ut, Ter. Heaut. V. 1. 68. *Ita dictu opus est.* Et Adelph. IV. 7. 22. *Si illud quod maxime opus est iactu, non cadit.* Addit ex Cicerone, *Scitu opus est*, sed locum non indicat, Ursinus, p. 103. Alii (ipso referente, p. 411.) Val. Maximo tribuunt, sed libro et capite non adscriptis: at verba (at vere indicaverat Saturnius, p. 392.) habentur ap. Cic. de Invent. I. 20. sub init.

63) Sic et Usus, Plaut. Amph. I. 3. 7. *Citius quod non facto est usus, fit, quam quod facto est opus.* Et Menaech. V. 2. 1. *Hoc usus facto est.* Vid. Priscian. col. 1171.

Digitized by Google

Hirtio convento. Plaut. Curc. II. 3. 23. *Celeriter mihi hoc homine convento est opus* [64]).

☞ Not. 2. Interdum cum infinitivo, vel (sequente ut) cum subiunctivo coniungitur: ut, Cic. Att. VI. 5. *Si quid forte sit, quod opus sit sciri.* Plaut. Truc. II. 6. 19. *Nunc tibi opus est, aegram ut te adsimules* [65]).

☞ Not. 3. Saepe absolute ponitur: ut, Cic. Att. II. 1. *Si opus sit, accurras* [66]). Ovid. Met. I. 279. *Sic opus est, aperite domos* [67]). [68]).

---

64) Similiter et usus adhibuit idem Plaut. Bacch. IV. 4. 97. *Quid usus est conscriptis ad hunc modum tabulis.*

65) Invenitur etiam opus cum accusativo, idque non solum quum (tanquam appositum verbi infiniti) cum accusativo praecedente, eius nimirum supposito, casu convenit: ut in illo Ter. Heaut. V. 1. 20. *Sponsae vestem, aurum, ancillas opus esse:* et in isto Cl. Quadrigarii apud Gell. XVII. 2. *Nihil sibi, inquit, divitias opus esse:* ubi addit Gellius, *nos divitiis dicimus:* sed etiam extra infinitivum: ut, Plaut. Truc. V. 10. *Puero opus est cibum.* Id. ibid. I. 1. 71. *Quid isti suppositum puerum opus pessimae.* Lucret. V. 280. *Nec crepitacula iis opus est.* Cato, R. R. c. 15. *Opus est calcis modium unum, arenae modios duos.* Scio ex his primum tertiumque locum aliter a quibusdam aut legi aut explicari: sed secundum ultimumque velle eludere praefractioris esse animi videtur. Rem vero ulterius confirmat accusativus cum voce usus, cuius eadem est constructio, coniunctus: ut ap. Plaut. Pseud. I, 3. 151. *Ad eam rem usus est hominem astutum, doctum, scitum, callidum.* Neque enim ulla ratio est, cur usus hic cum Vossio, l. c. Farnabio, p. 76. aliisque, accusativum adsciscere dicatur, propterea quod verbale sit ab *utor*, quod olim accusativum admittebat. Caeterum in his omnibus, Perizon. p. 623. n. 93. Ellipsin statuit praepositionis *ad*, seu *quod ad.* Ego potius cum Saturnio, I. 25. Schmidio hypom. p. 295. Rhenio, p. 323. Maiore, p. 206. et Ursino, p. 103. verbum aliquod intelligi, veluti *habere, dare* vel *dari*, aut simile, existimo. * Male autem a Berneccero et Bongarsio paria his existimantur illa: Iustin. supra cit. *Regem discordiis opus esse:* et Cic. Att. XV. 20. *Video mihi opus esse viatico.* In iis enim, *Regem* et *viatico*, non verbi apposita, sed supposita sunt. Caeteroquin quae de varia vocis opus constructione diximus, auctoritate sua comprobat Diomedes lib. I. p. 301. „Apud veteres, *inquit*, invenimus hoc dici per omnes casus, praeter vocativum: veluti, *Opus est mihi haec res*, et *huius rei*, et *huic rei*, et *hanc rem*, et *hac re.*" Quod de dativo addit, *Opus est mihi huic rei*, diverso prorsus a reliquis sensu accipiendum est; eodem scil. quo illud Liv. I. 41. *Simul quae curando vulneri opus sunt, comparat*, paulo ante notavimus: ubi non res ipsa quae necessaria sit, sed finis propter quem fit, significatur. Quod autem mox subiicit idem Diomedes: „Nos per ablativum solum, *Opus est mihi hac re* dicimus," (quod et Gellius, l. c. affirmat) de sui temporis consuetudine loqui intelligendi sunt. Aliter enim optimi aevi Scriptores nominativum et genitivum (quanquam huno rarius) adhibuisse, quae supra attulimus exempla ostendunt.

66) In his autem, verbi proximi infinitivus, vel subiunctivus cum *ut*, subaudiendus est, hoc pacto: *Si opus est* [accurrere,] *accurras; Aperite domos, sic* [enim] *opus est* [eas aperire, *vel* ut aperiatis.] Porro vocem usus cum subiunctivo adhibuit Ter. Heaut. I. 1. 29. *An quoiquam est usus homini se ut cruciet.*

Digitized by Google

§. 2. *Regimen nominum ADIECTIVORUM.*

1. *Adiectiva* Genitivum *regentia.*

14. Adiectiva dabunt patrium verbalia, vel quae Affectus animi varios habitusque notarunt.

---

67) Quod ad variam hanc structuram vocis opus, diversamque eius in speciem significationem attinet, observandum est, vulgus Grammaticorum ex hoc uno tria vocabula conflasse. (1) *Opus, operis*, substantivum declinabile, pro omni *re quae opera fit*, vel etiam pro *opera* ipsa, sive *artificio*: ut, Virg. Aen. VII. 45. *Maius opus moveo.* Ovid. Met. II. 5. *Materiem superabat opus.* (2) *Opus* substantivum indeclinabile, pro *necessitate*: ut, Ovid. Rem. v. 675. *Nunc opus est armis.* (3) *Opus* adiectivum, itidem indeclinabile, pro *necessarius*: ut, Plaut. Poen. V. 2. 80. *Si quid opus est, impera.* Cic. de Inv. II. 19. *Nobis exempla permulta opus sunt.* At si rem propius intueamur, inveniemus unum idemque in omnibus esse, deflexa licet paulum significatione, vocabulum. Nam hoc, *Opus est mihi nummis*, idem est ac, *opus*, sive *negotium, labor*, aut *opera, mihi est in nummis*, sc. *comparandis.* Illud autem, *Nummi mihi opus sunt*, idem valet, quod *nummi comparandi mihi negotium est*, sive *opera mea in nummis quaerendis occupata est.* Et sic porro in aliis. De genitivo minus est difficultatis, cum aeque ἀναλόγως dicatur, *Opus mihi est artis*, ac *in arte.* De accusativo superius dictum. Haud tamen dissimulandum est ex composito *peropus*, ap. Ter. And. I. 5. 31. veteres videri *opus* quandoque adiectivum existimasse. At id non magis inde colligitur quam *perhilum*, ap. Lucret. VI. 575. adiectivum esse. V. Ursin. p. 99. ¶ Hic autem inquiri potest, utrum in hisce phrasibus, Plaut. Merc. III. 3. 4. *Quod opus est facto.* Ter. And. III. 2. 48. *Quod parato opus est, para.* Plaut. Amph. II. 1. 81. *Mi isthuc primum exquisito est opus*, et similibus, τὰ *quod* et *isthuc* nominativi sint an accusativi casus. Saturnius autem, Merc. mai. VI. 15. accusativi ea esse, a participiis, *facto, parato, exquisito*, recti, statuit. Ursinus vero, p. 104. nominativi esse existimat. „Veteres enim, *ait*, cum ratio vellet [*quo opus est facto, quo parato opus est, opus est mihi isthoc exquisito*] per abusum, non raro rationi contrarium, duplicem nominis opus constructionem cum nominativo et ablativo confudisse videri, de inconsequentia sermonis parum sollicitos.“ Perizonius denique in Additt. ad p. 798. „Haesitare se, *inquit*, an cum Ursino nominativum hic statuat, an pro accusativo accipiat per Ellipsin praepositionis *ad* vel *propter*, sed ita ut is accusativus tunc quasi pendeat ab ablativo participiorum, construotione verbalium, plane ut in illo Plauti Amph. Prol. 35. *Iustum rem et facilem esse oratum a vobis volo.*“ Atque ita exponendum esse decernit locum Gellii, XIV. 2. *Dicere et quaerere ea, quae dicto quaesitoque opus est.* Aliter enim, *opus sunt*, dicendum foret. Verum cum solus, quod sciam, Gellius ita loquatur, ac eadem forte ratione qua Ter. And. III. 3. 23. *Amantium irae amoris integratio est*, rem totam in incerto relinquo. In his tamen Ter. Heaut. I. 1. 119. *Nihil opus fuit monitore.* Plaut. Aul. IV. 9. 18. *Quid mihi opus est vita?* et similibus; non dubito quin eum eod. Perizon. *nihil* et *quid* accusativi sint, per Ellipsin τοῦ *ad* vel *propter* recti.

68) Pro *opus est*, Columella dixit, *Opus habeo.* R. R. IX. 1. *Nam, ut graminibus, ita frugibus roburneis opus habent*, eadem ratione ac, qua Graeci χρείαν ἔχω, et Latini *Necesse habeo.* Ac loquendi formulam, quamvis eam reiiciant Diomedes, col. 301. et (qui pro Grammaticorum

Digitized by Google

Adiectiva verbalia, vel affectionem animi significantia, genitivum postulant.

Ad hanc regulam spectant;

I. Verbalia in ax [1]): ut, Ovid, Met. XV. 234. *Tempus edax rerum.* Iuven. VIII. 25. *Sanctus haberi, Iustitiaeque tenax, factis dictisque mereris.*

II. Participialia quaedam praesentis [2]) et praeteriti [3]) temporis: ut, Sall. Catil. 5. 2. *Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuiquam credibile est.* Ibid. *Alieni appetens, sui profusus.* Cic, Phil. V. 9. *Sulpicius non magis iuris consultus quam iustitiae fuit.* Horat. Art. v. 380. *Indoctusque pilae, discive, trochive, quiescit.*

III. Adiectiva desiderii et fastidii [4]): ut, Sall. Cat. 7. 6. *Laudis avidi, pecuniae liberales erant.* Cic. Brut. c. 70. *Memmius fastidiosus erat literarum Latinarum.*

---

deliramento habet) Sanctius, p. 796. ut satis probam ac Latinam tuetur Scioppius, in Anct. Mariang. Ep. 1. Idem tamen eod. loc. et Gramm. Phil. p. 128. ab eo prorsus diversum ostendit, turpissimique Soloecismi damnat, illud Fam. Stradae, *Nos monitore necesse non habemus.*

1) Qualia sunt, *Capax, edax, ferax, fugax, pertinax, pervicax, rapax, segnax, spernax, tenax, vorax.*

2) Ut, *Amans, appetens, cupiens, experiens, intelligens, insolens negligens, metuens, observans, patiens, retinens, reverentior, sciens, servantissimus, timens, tolerans.*

3) Ut, *Consultus, doctus, indoctus, expertus, inexpertus, insuetus, insolitus.* Quae etiam inter adiectiva scientiae aut ignorantiae referri possunt. Adiunat *eruditus*, cuius tamen cum genitivo construcți exemplum non suppetit: sed *eruditus Latinis literis*, Cic. Brut. c. 27. *eruditus ad assentationem*, Id. ad Q. Fr. I. 1. 5. *eruditus Graecas res*, Gell. II. 12. Sed et pleraque ex superioribus variam constructionem recipere mox videbimus n. 5. ☞ Hic vero observandum in primis est hoc, inter participialia, sive ex participiis facta nomina, et participia ipsa, discrimen: quod haec unum atque simplicem actum cum adsignificatione temporis notent; illa studium, consuetudinem, et inde facultatem atque aptitudinem, absque temporis differentia, significent. Sic, *patiens frigus*, est qui nunc hoc momento patitur; *patiens frigoris*, qui per naturam et consuetudinem pati aptus est, et cum res ita fert, facile patitur. Sic, *doctus Grammaticae*, est qui Grammaticam longo usu callet; *doctus Grammaticam*, qui eam didicit, etiamsi neglexerit, aut oblivioni tradiderit.

4) Ut, *Avarus, avidus, cupidus, fastidiosus.* * In his tamen constructio variat. Nam, Ter. Eun. I. 2. 51. *Avidior ad rem.* Cic. Phil. V. 8. *Avidus pecuniis locupletium.* Et Plaut. Pseud. I. 2. 50. *Vino modo cupidae estis*, dixerunt. * *Aemulus*, pro *imitatore* vel *competitore*, genitivum fere recipit: ut, Ovid. Met. I. 476. *Aemula Phoebes.* Curt. V. 7. 2. *Aemulus regni.* Tac. Ann. XVI. 22. 9. *Aemuli Brutorum.* Apul. etiam Met. 1. sub init. *Aemulus in convivas*, dixit. Et Sallust. de Pompeio, Hist. III. p. 978. *Facta consultaque eius* [Alexandri] *aemulus erat*, genitivo addidit accusativum, *quod ad* intellecto. At *aemulus* pro *similis*, dativum fere adsciscit: ut, Plin. N. H. XV. 18. *Ficus quaedam aemulae piris magnitudine.* Quo sensu et illud Taciti, Ann. XIII. 3. 5. accipio, *Dictator Caesar summis oratoribus aemulus*, i. e. *aequiparandus.* Vid. infra p. 74.

Digitized by Google

IV. Notitiae, ignorantiae, et dubitationis [5]): ut, Ovid. Fast. IV. 511. *Conscia mens recti famae mendacia ridet.*

---

5) Ut, *Callidus, certus, certior, conscius, praescius, praesagus, divinus, gnarus, peritus, prudens*; et quae supra memoravimus participialia, *consultus, doctus, indoctus*, etc. Item, *ignarus, imperitus, imprudens, inscius, nescius, rudis*. Et, *ambiguus, dubius, incertus, suspensus*. Et his cognata, quae memoriam vel consuetudinem, vel contra notant, *memor, immemor, assuetus, insuetus*. Sed multorum ex his varia iterum est constructio. * Nam dicitur etiam, *callidus natura et usu*, Ovid. Heroid. XX. 25. *Ad fraudem callidus*, Cic. pro Cluent. c. 65. *Callidus accendendis offensionibus*, Tac. Ann. II. 57. 3. * *Certus iaculis*, notat D. Schaw, p. 27. *Certus ad talia Titan*, Val. Flacc. II. 57. [V. Burman.] *Certior factus de re aliqua*, Cic. Att. X. 3. Sic, *incertus de re aliqua*, Cic. Fam. XII. 19. * *Conscius facinori*, Id. pro Coel. c. 21. *His de rebus conscius*, Id. Att. II. 24. * *Gnarum id Caesari*, Tac. Ann. I. 6. 3. sensu passivo, pro *notum*. Sic, *Non sibi ignarum*, Id. Ann. IV. 8. 4. pro *ignotum*. * *Peritus bello*, Vell. Pater. II. 29. 3. *Peritus disciplina militari*, Gell. IV. 8. ubi vid. I. F. Gronov. et adde Torren. ad Val. Max. I. 1. n. 19. *Peritus ad disciplinam belli*, Cic. pro Font. c. 15. Addit D. Schaw, *Peritus de* et *in bello*. At exempla desidero. * *Imperitus ad omnium rerum multitudinem*, ex Liv. IV. idem adfert; quod non invenio. * *Prudens consilio*, Iustin. IX. 8. 3. *in iure*, Cic. de Amic. c. 2. *ad consilia*, Cic. pro Font. c. 15. *in existimando*, Cic. Brut. c. 68. * *Iurisconsultus*, Cic. de Orat. I. 45. *iureconsultus*, Id. pro Muren. c. 12. *consultus iuris*, Hor. Art. v. 369. *iuris scientia*, Auct. de viris illustr in S. Nasica. * Sic, *Iurisperitus, iure peritus* et *peritus iuris*, Cic. Brut. c. 21. et pro Cluent. c. 38. * *Doctus Latine*, Suet. de cl. Gramm. 7. 1. *doctus Latinis literis*, Cic. Brut. c. 46. *doctus ad legem*, Cic. pro Mil. c. 4. *dulces docta modos*, Hor. Car. III. 9. 10. *doctus ex disciplina Stoicorum*, Cic. Brut. c. 25. * *Expertus bello*, Tacit. Agr. 41. 3. *expertus in rebus alicuius*, Cic. Fam. I. 9. Sic, *inexpertus bello*, Tac. Hist. II. 75. 1. Addit D. Schaw, Syntax. p. 47. (sed non adscripto auctore) *inexpertus ad contumeliam*. * *Nescius de re aliqua*, Ovid. Her. XVI. 140. * *Rudis arte*, Ovid. Trist. II. 423. *in re*, Cic. de Orat. I. 8. *ad mala*, Ovid. Pont. III. 7. 18. * *Dubius inter spem metumque*, Virg. Aen. I. 218. * *Memores de magna virtute et gloria bonorum*, tacito auctore, citat D. Schaw, p. 49. * *Assuetus* nonnunquam quidem cum genitivo (ut, Liv. XXXVIII. 17. *Romanis Gallici tumultus assuetis etiam vanitates notae sunt*:) saepius tamen cum ablativo construitur: ut, Cic. de Orat. III. 15. *Hominem labore assiduo et quotidiano assueti*. Ovid. Met. XIII. 554. *Praedaeque assuetus amore*. Flor. I. 1. 7. *Assuetae sanguine et praeda aves*. Vid. Gronov. ad Liv. XXXI. 35. Haud raro etiam cum dativo (contra quam docet Io. Kerus Observ. de L. L. lib. I.) ut, Liv. X. 17. *Assuetus praedae miles*. Virg. Aen. VII. 490. *Mensae assuetus herili*. Confer Iohnson. Noct. Nott. p. 60. Interdum accusativum recipit intercedente praepositione: ut, Liv. XXIV. 5. *In omnia familiaria iura assuetus*. Id. X. 19. *Assuetos inter se hostes*. Senec. Troad. v. 159. *Non assuetas ad sceptra manus Post terga dabit*. * *Insuetus* vel genitivo iungitur: ut, Caes. B. G. VII. 30. *Insuetus laboris*. Auct. ad Herenn. IV. 4. *Insueti rerum maiorum*: vel dativo, ut Liv. XXVIII. 18. *Insuetus moribus Romanis*: vel accus. cum *ad*, ut Caes. B. C. I. 78. *Corpora insueta ad onera portanda*. * *Desueta triumphis*, et *desueta bello agmina*, Virgilii sunt, Aen. VI. 814. et VII. 698. ubi de casu dubitare possis tertiusne an sextus sit. Ursino, p. 49. sextus videtur; mihi potius tertius adducto illo Silii, III. 576.

Digitized by Google

Gor. Sat. II. 2. 52. *Pravi docilis romana iuventus.* Virg. Geo. IV. 156. de apibus, *Venturaeque hiemis memores aestate laborem Experiuntur.* Id. Aen. X. 502. *Nescia mens hominum fati fortisque futurae.* Ter. Eun. I. 2. 36. *Imprudens harum rerum ignarusque omnium.* Liv. IV. 23. *Tubero incertus veri est,* Senec. Benef. VI. 28. *Me tempestas occupavit portus ac praesidii dubium.*

V. Curae et diligentiae: item incuriae et negligentiae [6]): ut, Sen. Ep. 98. *Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miserias miser.* Cic. de Amic. c. 20. *Si qui venandi aut pilae studiosi fuerint.* Senec. de vit. beat. c. 26. *Sapiens vivit praesentibus laetus, futuri securus.* Liv. XXVI. 39. *Improvidus futuri certaminis Romanus veniebat.* Tac. Hist. III. 56. 4. *Summi discriminis incuriosus.*

VI. Metus et confidentiae [7]); ut, Liv. XXXVI. 31. *Messenii trepidi rerum suarum.* Hor. Art. v. 28. *Serpit humi tutus nimium, timidusque procellae.* Ovid. Met. X. 616. *Inest virtus, et mens interrita leti.*

VII. Criminis et innocentiae [8]): ut, Cic. pro Flacc. c. 3. *Is est reus avaritiae.* Tac. Ann. I. 3. 6. *Nullius*

Paullatim antiquo patrum desuescit honori. * His similia sunt *insolens* et *insolitus.* Nam *Insolens malarum artium*, Sallust. Cat. 3. 4. *Insolens longae pacis bonis*, Vell. Pat. II. 110. 2. dixerunt. Addit D. Shaw (at absque auctore) *insolens in re. Insolitus rerum bellicarum*, eiusdem Sallustii est, Iug. 39. 1. *insolitus ad laborem*, Caes. B. C. III. 85. *insolitus femmis habitus*, Iustin. XII. 3. 6.

6) Ut, *anxius, curiosus, sollicitus, providus, diligens, studiosus:* item, *incuriosus, securus, negligens, improvidus.* Sed in his etiam variatur structura. * Nam Sall. Hist. VI. ap. Gell. II. 27. *Neque illis anxius.* Liv. XXV. 40. *Iam ante anxius gloria eius.* Ovidius Met. IX. 275. *Longis anxia curis Alcmene*, et Curt. III. 3. 2. *Anxius de instantibus curis*, dixerunt. * *Curiosus in re aliqua*, Cic. pro Dom. c. 15. * *Sollicitus de re aliqua*, Id. Fam. XVI. 7. *in re aliqua*, Quinctil. VIII. 3. *ex re aliqua*, Ter. And. I. 5. 34. et *sollicitus vicem alicuius*, Liv. XXVIII. 43. ἐλλειπτικῶς, pro, *ob vicem. Sollicita filio* dixit Lamprid. Heliog. c. 14. * *Diligens in, ad, de*, Cic. Att. XII. 33. in Catil. I. 8. Plin. Epist. IV. 13. * *Studiosus adulterio*, Plaut. Mil. III. 1. 206. *studiosus apparatibus conviviorum*, Iustin. IX. 8. 4. *Studiosiores ad opus fieri*, Varr. R. R. I. 17. extr. * *Securus a metu*, Plin. N. H. XXVIII. 9. *securus de bello Romano*, Liv. XXXVI. 41. Addit D. Shaw, *Securus adversus Deos.* * *Negligens in aliquem*, Cic. Fam. XIII. 1. extr. *in amicis eligendis*, Id. de Amic. c. 17. *De alieno negligentes*, Plin. Epist. IV. 13.

7) Ut, *formidolosus, pavidus, timidus, trepidus:* item, *impavidus, intrepidus, interritus.* Sed haec apud solos fere Poëtas et Historicos genitivo iunguntur.

8) Ut, *Noxius, reus, suspectus, compertus*, (quae duo ad notitiam significantia etiam pertinent:) item, *innocens, innoxius, insons.* At ex his quaedam constructione variant. Nam, *Reus de vi:* et, *Reus magnis cri-*

Digitized by Google

flagitii compertus. Ovid. Met. XIII. 149. *Fraterni sanguinis insons.* Curt. VIII. 8. 21. *Initi consilii in caput regis innoxius.*

VIII. Ingens denique adiectivorum turba [9]), quae ad superiora capita vix possunt reduci, apud Poetas et Hi-

---

minibus, Ciceronis sunt, Att. II. 24. et Verr. II. 58. *Suspecta incestu*, Plin. de vir. illustr. c. 46. *Super tali scelere suspectus*, Sall. Iug. 71. 5. *Si provincia de morbis suspecta est*, Pallad. I. 16. *Suspectus in virgine*, Suet. de clar. Gramm. XV. 1. *in mortem matris*, Id. Vitell. 14. 7. al. *morte.* * *Comperta in stupro*, Id. Tib. 35. 2. * *Regni crimine insons*, Liv. IV. 15. pr. Et *Innoxius ab iniuria*, Colum. V. 9. sensu passivo, *qui non nocetur.*

9) Satis amplam eorum farraginem congesserunt Despauterius, p. 236. seqq. Linacrus, p. 178. Vechnerus, I. 18. aliique: at omnes longe vicit industria Iohnsonus, qui accuratiore calculo rem sibi putandam ratus, Noct. Notting. p. 16, 17, 18. eorum numerum ad centum fere et septem revocare, exemplisque stabilire, prae se fert. Is autem recenset haec sequentia, sed omissis auctorum locis, quae nos, quoad eius fieri poterat, adiunximus. [Cfr. Heusinger. ad Vechner. Hellen. I. p. 269. sqq. G. S.]

Abstemius vini, Auson. Prof. Burdig. IV. 20.
Acidula succi, Plin. XV. 15.
Aeger animi, Liv. I. 58. II. 36. VI. 10. Curt. IV. 3. 11. *consilii*, Stat. Th. XI. 141. *delicti*, Sil. XIII. 52. *morae*, Lucan. VII. 240. *rerum temere motarum*, Flor. III. 17. 9. *timoris*, Sil. III. 72. *periculi*, Id. XV. 135.
Aequales aevi, Sil. III. 404.
Aequus absentium, Tac. Annal. VI. 36. 6.
Alternus animae, Sil. IX. 295.
Ambiguus pudoris ac metus, Tac. Ann. II. 40. 2. *consilii*, Id. Hist IV. 21. 1. *vitae*, Claudian. XVIII. 53.
Amens animi, Virg. Aen. IV. 203.
Anhelus longi laboris, Sil. XV. 721.
Anxius furti, Ovid. Met. I. 623. *animi*, Sall. Iug. 55. 4. *sui*, Tac. Ann. IV. 59. 8. *fati*, Sil. IX. 349. *adventus*, Id. XII. 492. *securitatis nepotum*, Plin. XV. 18.
Ardens animi, — *avaritiae*, —
Argutus malorum facinorum, Plaut. Pseud. II. 4. 56.
Atrox odii, Tac. Ann. XII. 22. 1. *animi*, Sall. Hist. II. p. 958.
Audax ingenii, Stat. Silv. III. 2. 64. *animi*, Claud. XXXV. 4.
Aversus animi, Tac. Ann. XIV. 26. 1.
Bonus fati, —
Caecus animi, Quinctil. I. 10. *futuri*, Stat. Th. V. 718. *fati*, Lucan. II. 14. Sil. II. 206.
Callidus temporum, Tac. Annal. IV. 33. 2. *voti*, Claudian. XXXV. 11.
Catus legum, Auson. Mosell. 400.
Celer nandi, Sil. IV. 587.
Certus destinationis, Tac. Ann. XII. 32. 2. *necis*, Sil. VII. 27. *sceleris*, Ibid. 66. *iudicii*, Senec. Ep. 45.
Incertus salutis, Ovid. Her. XXI. 31. *animi*, Liv. I. 7. Tac. Annal. VI. 46. 4. *sententiae*, Liv. IV. 57.
Clamosus undae, —
Compos animi, Ter. Adel. III. 2. 12. *voti*, Liv. VII. 40.
Degener humani ritus, Plin. V. 8. *virtutis*, Sil. X. 68. *sanguinis*, St. Th. IX. 619. *gestorum*, Sil. XII. 283. *artis patriae*, Ov. M. XI. 314.
Despectus taedae, —
Devius aequi, Sil. I. 57. *recti*, Id. VIII. 319.
Discolor lanae, —
Discors patris, Vell. Pat. II. 87. 3. al. *patri.*
Disertus leporum ac facetiarum, Catull. XII. 9.
Dispar sortis, Sil. V. 296. *animorum*, Id. VIII. 570.
Diversus morum, Tac. Ann. XIV. 19. 2. *animi*, Id. Hist. IV. 84. 1.

Digitized by Google

Dubius animi, Virg. Geo. III. 289. *portus ac praesidii*, Sen. de Benef. VI. 28. *viae*, Id. N. Q. IV. Praef. *fati*, Lucan. VII. 611.

Durus oris, Liv. XXII. 59. *durior oris equus*, Ovid. Att. II. 9. 30.

Egregius animi, Virg. Aen. XI. 417. *linguae*, Sil. V. 77. *fati*, St. Th. III. 99.

Erectus animi, Sil. XIII. 188.

Exactus morum, Ovid. Past. III. 883.

Expertus belli, Virg. Aen. X. 173. *inexpertus belli*, Tac. Hist. I. 8. 1. al. *bellis*.

Falsus animi, Ter. Eun. II. 2. 43. *cupiti*, Sil. XIII. 886.

Felix necis, Sil. II. 570. *cerebri*, Hor. Sat. I. 9. 11. *curarum*, Stat. Silv. IV. 4. 46. *operum*, — *famae*, Sil. IV. 731. *animi*, Iuv. XIV. 119.

Fera bellorum Pyrene, —

Ferox animi, Tac. Ann. I. 32. 5.

Fervidus ingenii, Sil. XVII. 414. *aevi*, Ibid.

Fessus animi, — *bellique viaeque*, Stat. Th. III. 395. *salutis*, Sil. II. 284. *rerum*, Virg. Aen. I. 178.

Fidens animi, Virg. Aen. II. 61. Senec. de vit. beat. c. 8. *operum*, Stat. Th. VI. 678. *armorum*, Lucan. IX. 573.

Flavus comarum, Sil. IX. 414.

Floridior aevi, Sil. XII. 482.

Fluxa morum genus, Sil. IV. 50. *fluxi vestium Areasidae*, Apuleius, Florid. 17.

Fractus animi, — *opum*, —

Furens animi, Virg. Aen. V. 202. Sil. X. 211.

Gaudens alti, Stat. Silv. I. 4. 62.

Gravis morum, Claud. XVIII. 350.

Impos animi, Plaut. Cas. III. 5. 7. *voti*, — *damni*, Auson. Mosell. 374.

Improba connubii, Stat. Th. VII. 300.

Indecora formae femina, Tac. Ann. IV. 3. 3.

Infelix culpae, — *fidei*, Sil. XII. 432. *obitus*, Id. II. 682. *auxi*, Id. IX. 627. *animi*, Virg. Aen. IV. 529.

Ingens animi, Tac. Ann. I. 69. 2. *rerum*, Tac. Hist. IV. 66. 6. *virium*, —

Inglorius militiae, Tac. Hist. III. 59. 4. *auxi*, Sil. XII. 39.

Ingratus salutis, Virg. Aen. X. 666. *rerum*, —

Insignes aliorum, i. e. *alios ob res*, —

Insolens infamiae, Cic. Att. II. 21. *audiendi*, Tac. Ann. XV. 67. 8.

Insolitus servitii, Sall. Hist. Frag. l. I. p. 936.

Insuetus mortis alicuius, Liv. VI. 34.

Integer animi, Hor. Sat. II. 3. 220. *vitae*, Id. Car. I. 22. 1. *aevi*, Virg. Aen. II. 638. *annorum*, Stat. Th. I. 415.

Interrita leti mens, Ovid. Met. X. 616. *interritus cupiti*, Vell. Pater. II. 45. 3. Ita legendum vult Heinsius: at dubitat Burm.

Invictus laboris, Tac. Ann. I. 20. 4. (al. *vetus*.) *hiemisque, aestusque, famisque*, Sil. III. 326. *animi*, —

Irritus incepti, Sil. VII. 131. *voti*, Stat. Theb. XI. 511. *legationis*, Tac. Hist. IV. 32. 7. *consilii*, Vell. II. 63. 2.

Laetus laboris, Sil. XV. 572. Virg. Aen. XI. 73. *frugum pubulique*, Sall. Hist. II. p. 959. *animi*, Tac. Ann. II. 26. 1. *incepti*, Sil. VII. 388. *operis*, Id. XIII. 83. *rectoris*, Id. VIII. 548. *pacis*, V. Flacc. III. 659. *ingenii*, Vell. Pater. II. 93. 2. *lactissimus umbrae*, Virg. Aen. I. 41. *irae*, Sil. XVII. 308.

Lassus laboris, — *maris*, *viarum*, *militiae*, Hor. Car. II. 6. 7. *animi*, Plaut. Cist. II. 1. 8.

Laudandus laborum, Sil. V. 561.

Lentus coepti, Sil. III. 176.

Levis opum, Sil. II. 102.

Liber laborum, Hor. Art. 212. *spei metusque*, Senec. Hippol. 492. *Libera legum Roma foret*, Lucan. VI. 801. *Libera fortunae mors est*, Id. VII. 818.

Liberales pecuniae, Sall. Catil. 7. 6.

Lugendus formae, Sil. III. 424.

Macte animi, Mart. XII. 6. *virtutis avitae*, Sil. XII. 257. At vid. reg. 20. n. 26.

Manifestus criminis, Tac. Ann. XIII. 26. 5. *irae*, — *rerum capitalium*, Sall. Cat. 52. 36. *mendacii*, Plaut. Truc. I. 2. 30. *offensionis*, *metus*, Tac. Ann. IV. 58. 3. *virium*, Senec. N. Q. IV. 2.

Maturus aevi, Virg. Aen. V. 73. *laudum*, Sil. XIV. 295. *animi*, Virg. Aen. IX. 246.

Medius coeli, Stat. Th. I. 118. *operum*, Id. Th. V. 85. *fratris et so-*

Digitized by Google

roris, Ovid. Met. V. 564. *inguli et lacerti locus*, Id. Met. VI. 409. *pacis et belli*, Hor. Car. II. 19. 28. *Melior dextrae*, Sil. VII. 619. *fati*, Id. V. 333. *furandi*, Tac. Annal. III. 74. 2. *Miser morum*, Stat. Theb. IV. 403. *animi*, Plaut. Cist. IV. 2. 8. *Modicus animi*, *linguae*, — *voti*, Pers. V. 109. Sil. V. 14. *dignationis*, Tac. Ann. IV. 52. 2. *pecuniae*, Id. Ann. III. 72. 2. *voluptatum*, Id. Ann. II. 73. 3. *Immodicus animi*, Id. Hist. I. 53. 1. *Laetitiae*, Id. Ann. XV. 23. 4. *fugae*, Sil. XII. 268. *libidinis*, Col. VII. 6. *Mutabile mentis genus*, Sil. VIII. 17. *Nobilis fandi*, Auson. Prof. Burdig. IV. 2. *Notus fugarum*, Sil. XVII. 148. *Occultus odii*, Tac. Ann. IV. 7. 3. *Optimus militiae*, Sil. XIV. 170. *Pares aetatis mentisque*, Sil. IV. 370. Vid. infra reg. 16. n. 55. *Pertinax docendi*, — *iustitiae*, Apul. Apol. sub fin. *Pervicax irae*, Tac. Ann. IV. 53. 1. *recti*, Id. Hist. IV. 5. 5. *Piger pericli*, Sil. XIV. 264. *pigerrimus undae*, Id. XV. 504. *Potens*, *impotens animi*, Curt. VIII. 1. 49. *lyrae*, Hor. Car. I. 6. 10. *voti*, Ovid. Past. V. 258. *vetandi*, Tac. Hist. III. 70. 8. etc. *Praeclarus fidei*, Tac. Ann. IV. 34. 4. *Praestans animi*, Virg. Aen. XII. 19. *armorum*, Stat. Th. I. 605. *belli*, Sil. V. 92. *praestantissimus sapientiae*, Tac. Ann. VI. 6. 2. *Pravus fidei*, — *favoris*, Sil. IX. 636. *audendi*, Id. XII. 464. *togae*, Id. VIII. 261. *Properus oblatae occasionis*, Tac. Ann. XII. 66. 2. *Pulcherrimus irae*, Sil. XI. 365. *Purus sceleris*, Hor. Car. I. 22. 1. *tellus pura serpentum*, Sil. XII. 370. *Promptus belli*, — *animi*, Tac. Hist. II. 23. 4. *veritatis exhibendae promptissimus*, Gell. X. 22. *Rectus iudicii*, Senec. de vit. beat. c. 6. *Saucius famae*, — *hesternae fatigationis*, Apul. Met. II. *Secors rerum*, Ter. Adelph. IV. 5. 61. *futuri*, Tac. Hist. III. 31. 2. *Segnis occasionum*, Tac. Ann. XVI. 14. 1. *operum*, Claud. XVIII. 275. *Seri studiorum*, Hor. Sat. I. 10. 21. *serus belli*, Sil. III. 255. *Solers operum*, — *cunctandi*, Sil. VII. 126. *Musa lyrae solers*, Hor. Art. v. 407. *Solliciti rerum suarum*, — *Spernendus morum*, Tac. Ann. XIV. 40. 3. *Spreta vigoris Parthenope*, Sil. XII. 28. *Strenuus militiae*, Tac. Hist. III. 42. 6. *Surdus veritatis*, Colum. III. 10. sub fin. *pactorum*, Sil. I. 690. XI. 354. *votorum*, Id. X. 554. *Suspensus animi*, Apul. Met. XI. p. 394. *Territus animi*, Liv. VII. 34. *Trepidi rerum suarum*, Liv. V. 11. Sil. II. 234. *admirationis et metus*, Tac. Ann. VI. 21. 4. *Turbatus animi*, Sil. IV. 648. *Validus animi*, Tac. Ann. XV. 53. 2. *opum et virium*, Id. Hist. II. 19. 3. *orandi*, Id. Ann. IV. 21. 4. *Venerandus sceptri*, Sil. XVI. 249. *senectae*, Id. II. 409. *curae*, Id. VI. 574. *Versus animi*, Tac. Hist. IV. 34. 1. al. *diversus*. *Versutus ingenii*, Plin. N. H. VII. 12. *Vetus regnandi*, Tac. Ann. VI. 44. 1. *scientiae*, *ceremoniarumque*, Id. Ann. VI. 12. 3. *laboris*, Id. Ann. I. 20. 4. *laborum*, Sil. IV. 532. *bellandi*, Id. VI. 616. *armorum*, Id. XVII. 295. *militiae*, Tac. Hist. IV. 20. 4. *veteres doloris*, Sil. XI. 26. *Victus animi*, Virg. Geo. IV. 491. Claud. III. 170. *Viridissimus irae*, Sil. V. 569.

Ex his autem a Iohnsono recensitis, nonnulla sunt ab hac structura aliena: ut, *acidula succi*, ap. Plin. Illic enim distinguendum post *acidula*, ac *nomine* intelligendum, monstrat Hardnini Editio. Sic, *argutus malorum facinorum*, ap. Plautum eadem ratione dicitur qua *accusatus facinorum*. Et in *discolor lunae*, τὸ *lunae* dativus videtur, eodem pacto quo in illo Stat. Th. IX. 339. *Pelago nec discolor amnis*. Forte et idem

Digitized by Google

de *Optimus militiae*, ap. Sil. existimandum. Caeterum, ut laudanda quidem hac in re Iohnsoni diligentia, neutiquam tamen ei omnino fidendum ostendunt haec ab eo omissa aliorum adiectivorum cum genitivo constructorum exempla.

Abiectiores animi, ex Apul. l. 9. citat Despauterius, p. 293. ex Livio autem Stephanus in Thes. L. L. *Multos sibi mostriores et abiectiores animi visos.*

Absonum fidei, Liv. I. 15. nisi *fidei* hic dativum, cum Despauterio, p. 242. statuas.

Acer militiae, Tac. Hist. II. 5. 1. *belli*, Paterc. I. 8. 1.

Admirandus frugalitatis continentiaeque, Senec. Consol. ad Marc. c. 2.

Alipes veri species, Hor. Sat. II. 3. 208. At vid. Interpp.

Aemulus ipse Ingenii Superum, Sil. XIV. 681.

Assuetis Gallici tumultus Romanis, Liv. XXXVIII. 17.

Attonitus serpentis, Sil. VI. 281.

Augustior animi, Apul. Flor. XV. p. 795.

Benignus vini somnique, Hor. Sat. II. 3. 3.

Bibulus falerni, Hor. Ep. I. 14. 34.

Blandus precum, Stat. Achill. II. 286.

Captus animi, Tac. Hist. III. 73. 2.

Clarae ultionis Tomyris et Beronice, Val. Max. IX. 10. 1. ext. *clarissimus disciplinae*, Paterc. II. 5. 4.

Confidens animi, Sueton. Domit. XII. 8.

Confirmatus animi, Apul. Met. IX. p. 290.

Confusus animi, Liv. I. 7.

Credulus adversi, Sil. X. 478. al. *ad versis. Spes animi credula mutui*, Hor. Car. IV. 1. 30. Buchan. Psal. XVIII. *Pravi credulus error.*

Cumulatissimus scelerum, Plaut. Aul. V. 1. 16.

Damnandus facti, Sil. VI. 191.

Deformis leti, Sil. I. 166.

Ditior animi, Stat. Th. III. 481.

Dissolvenda tristitiae pectora, Tibull. I. 8. 40. Vid. Broukh.

Dissors sui, Paul. ad. Nicet. Episc. v. 247.

Divina avis imbrium, Hor. Car. III. 27. 10. *futuri*, Id. Art. 318.

Docilis modorum, Hor. Car. IV. 6. 4.

Doctus virgae, Sil. III. 298.

Dulcissimus fandi, Gell. XIX. 8.

Effusissimus munificentiae, Paterc. II. 41. 1.

Enuntiativi corporum, Sen. Ep. 117.

Exiguus animi, Claudian. XX. 381.

Eximius animi, Stat. Silv. II. 6. 97.

Exosa huius uitae, Boët. Cons. II. pros. 4.

Expletus animi, Apul. Flor. XV. p. 798.

Exsors culpae, Liv. XXII. 44. *periculi*, Tac. Ann. VI. 10. 1. *secandi*, Hor. Art. 305.

Exsul patriae, Hor. Car. II. 16. 19. *mundi*, Ovid. Met. VI. 189. *mentisque domusque*, Id. Met. IX. 409. *hiemis*, Petron. c. 55. *civium*, Sen. Controv. 22. *domus suae, larium suorum*, Quinctil. Declam. LX. p. 487.

Externatus animi, Apul. Met. III. p. 92.

Extorris regni, Stat. Th. XII. 262.

Exutus formae, Sil. VIII. 448. nisi *formae* hic forsan dativus sit.

Facilis frugum, Claud. XXIX. 54.

Fallax amicitiae, Tac. Ann. XVI. 32. 4.

Fatigatus spei, Apul. Met. IV. p. 106.

Festinus animi, Apul. Met. I. p. 19. *voti*, Stat. Th. VI. 75.

fidissima tui regina, Virg. Aen. XII. 659.

Firmatus animi, Sall. Hist. III. p. 978.

Firmus propositi, Paterc. II. 63. 3. ita legit Acidalius, al. *proposito.*

Foetae novales Martis, Claud. XXVI. 25. *Foeta belli praecordia*, Sil. XVII. 380. al. *bello.*

Formidolosior hostium, Tac. Ann. I. 62. 3.

Fortunatus animi, Stat. Th. I. 638. *laborum*, Virg. Aen. XI. 416.

Frequens silvae mons, Tac. Ann. IV. 65. 1.

Frustratus spei, Gell. V. 10. *decoris paterni*, Grat. Cyneg. v. 318.

Fugitivus patriae, V. Max. II. 7. 12. *loci alicuius*, Plin. N. H. XVIII. 15. *rei familiaris*, Plin. Epist. IX. 28. 4. *finium suorum regnique*, Flor. III. 1. 12.

Digitized by Google

Gravidam Amathunta metalli, Ovid. Met. X. 531. *Mellis apes gravidae*, Sil. II. 219.
Illex animi Venus, Apul. Apol. p. 459.
Impavidus somni, Sil. VII, 128. *sui*, Claudian. I. 14.
Impiger militiae, Tac. Ann. III. 48. 3. nisi forte *militiae* dativus sit.
Incautus futuri, Hor. Sat. I. 1. 35.
Inconsuetus opimae mensae, Sil. XI. 231. sed *mensae* huic potius dativus videtur, vid. supra p. 69. n. 5.
Indocilis pacisque modique, Sil. XII. 726.
Inexplebiles sanguinis atque imperii, Iustin. XXXVIII. 6. 10. *Inexplebilis virtutis veraeque laudis*, Liv. XXVIII. 17.
Infirmus corporis et animi, Apul. Met. V. p. 160.
Innoxius consilii, Curt. VIII. 8. 21.
Insanus animi, Apul. Apol. p. 418.
Insatiabilis rerum omnium, Senec. Consol. ad Polyb. c. 29. *insatiabile laudis pectus*, V. Max. VIII. 14. ext. 2.
Insuetus laboris, Caes. B. G. VII. 30. Vid. supra p. 69. n. 5.
Intrepidus ferri, Claudian. VII. 81.
Invidus laudis, Cic. pro Flacc. c. 1.
Lapsus animi, Plaut. Cist. II. 1. 8. al. *lassus animi*.
Madidus roris, Apul. Met. IV. p. 108.
Maximus aevi, Sil. X. 140.
Moderatus irae, ex Livio citat D. Shaw.
Mollior sui, Apul. Met. IX. p. 306. Vid. infra reg. 18. n. 93.
Mortuus formae, ex C. Gallo El. 1. profert id. D. Shaw.
Munificus auri, Claudian. VIII. 499.
Mutatus animi, Apul. Apol. p. 521.
Nimius pugnae, Sil. V. 232. *vitae*, Id. VI. 81. *animi*, Senec. Ben. V. 6. Liv. VI. 11. *imperii*, Id. III. 26. *sermonis*, Tac. Hist. III. 75. 2.
Novus doloris, Sil. VI. 254. al. *dolori*. Vid. Drakenborg.
Nudus arboris Othrys, Ovid. Met. XII. 512. *nuda famae mors*, Sil. IV. 608.
Obnoxius timoris, ex Liv. adfert Despaut. p. 238.
Oneratus frugum, Pacuv. ap. Non.
Onusta auri olla, Plaut. Aul. IV. 2. 10. *Onusta remigum spibatarumque triremis*, Hirt. B. Alr. c. 63.
Oriundus cuius patriae, Boët. consol. I. pros. 5.
Ornatus fidei, Pallad. de Insit. v. I.
Otiosi studiorum, Plin. N. H. Praef.
Pavidus offensionum, Tac. Ann. IV. 38. 2.
Pauper aquae, Hor. Car. III. 30. 11. *argenti et auri*, Id. Sat. II. 3. 142.
Perfida paeti gens Cadmaea, Sil. I. 5.
Periclitabundus sui, Apul. Met. III. p. 91.
Perinfames maleficae disciplinae, Apul. Met. III. p. 86.
Praeceps animi, Virg. Aen. IX. 685.
Praecipuus virtutis, Apul. Met. IV. p. 113. *circumveniendi Sabini*, Tac. Ann. VI. 4. 1.
Primus luendae poenae, Tac. Ann. VI. 4. 1.
Procax otii, Tac. Ann. XIII. 46. 5.
Profugus regni, Tac. Ann. XV. 1. 5. *vinculorum Hannibalis*, Plin. N. H. VII. 28. *feralis tabulae*, Flor. III. 22. 2.
Prospera frugum Diana, Hor. Car. IV. 6. 39.
Recreatus animi, Apul. Met. XI. p. 385.
Resides bellorum, Stat. Th. VII. 285.
Sanus mentis, Plaut. Trin. II. 4. 58.
Satiatus et aevi et decoris, Sil. XVI. 605. *caedis ferinae*, Ovid. Met. VII. 808.
Scitus vadorum, Ovid. Met. IX. 108. *lyrae*, Id. Fast. V. 54.
Secreta teporis corpora, Lucret. II. 842.
Sicci sanguinis enses, Sil. VII. 213.
Significativus quantitatis, Gaius. I. 232. ff. de verb. sig.
Sinister fidei, Sil. I. 56.
Solutus operum, Hor. Car. III. 17. 16.
Stabilis sui orbis, Boët. Consol. III. metr. 2. ult. Huc refert D. Shaw *stabilis rerum*, ap. Hor. Car. sec. 25. quod pro *stabilior* positum sit Io. Baxterus: at mihi aliter legendus vel interpretandus hic locus videtur.
Stupentes animi, Liv. VI. 36.
Summus severitatis et munificentiae, Tac. Ann. I. 46. 2. *imaginum*, Apul. Flor. VIII. p. 771.
Superior sui, Tac. Hist. V. 1. 2. Vid. infra reg. 18. n. 93.
Tantus animi, Apul. Apol. p. 439.

Digitized by Google

storicos, cum genitivo constructa inveniuntur: ut, Virg. Aen. XII. 19. *Praestans animi.* Tac. Ann. IV. 12. 15. *Ferox scelerum.* Stat. Silv. IV. 4. 46. *Felix eurarum.* Sil. X. 68. *Degener virtutis patrum.* Pers. V. 109. *Modicus voti.* Hor. Sat. I. 10. 21. *Seri studiorum.* Claudian. XXIX. 54. *Facilis frugum* [10]).

Tardus fugae, V. Flacc. III. 547.
Tenella animi, Apul. Met. V. p. 158.
Tenuis opum, Sil. VI. 19.
Timidus Deorum, Ovid. Met. V. 100.
lucis, Senec. de vit. beat. c. 21.
Truncus pedum, Virg. Geo. IV. 310.
capitis, Sil. X. 311.
Turbidus animi, Tac. Hist. IV. 48.
§. *irae*, Sil. XII. 417. *sui*, Id. XIII, 214.
Vafer iuris, Ovid. Heroid. XX. 30.
Vagus animi, Catull. 61. 4.
Vanus veri, Virg. Aen. X. 630. *voti*, Sil. XII. 261.
Vecors animi, Apul. Met. II. p. 41.
Vigil armenti, Sil. II. 443.
Unicus rerum fessarum, Sil. X. 274.
Utilis medendi radix, Ovid. Heroid. V. 147. at ibi Heinsius eumque secutus Burmannus *medenti* legunt.

Hoc nimirum adeo largum nobis reliquit Iohnsoni messis spicilegium. Neque dubitandum est, quin multa alia adhuc superàint inobservata; ut non immerito, *sibi, si omnia coacervare voluisset, vastum mare ingrediendum fuisse*, magnus Vossius, de Constr. c. X. pronunciarit. Facessat igitur vana illa Iohnsoni iactantia, qua sè omnia eiusmodi adiectiva ita suis numeris regulisque constricturum promittit, ut *vastum illud Vossii mare*, non Iohnsonus ipse, sed vel *tiro quivis facili labore, ac plus medio corpore aquis exstans, pertransire queat.* Sed, his missis, illud denique monendum restat, ex adiectivis tam a Iohnsono, quam a nobis superius memoratis, multa ambiguae naturae esse, ut ad hanc nescias, an ad alias regulas commodius ea referri debeant. Talia praesertim sunt, *Abstemius, compos, impos, liber, macte, modicus, potens, impotens, purus.* Item, *Cumulatus, expletus, exsors, exsul, extorris, foetus, frequens, gravidus, munificus, nimius, nudus, oneratus, onustus, pauper, prosper, satiatus, insatiabilis, siccus, solutus, tenuis, truncus;* quae inter adiectiva copiae et inopiae a plerisque recensentur. Sed cum diverso respectu haec alio possint atque alio trahi, si varia in iis exponatur construendi ratio, non est quod de ordine multum solliciti simus.

10) De causa huius constructionis, anceps est, nec multae utilitatis, inter Grammaticos disputatio. E recentioribus (nam vetustiores hanc rem vix attingunt) Sanctius, Scioppius, Vossius, Perizonius, et alii, Ellipsin ubique statuunt, vel Graecam nominum τοῦ ἕνεκα, seu χάριν, aut praepositionum ἐξ, ἀπὸ, vel Latinam, *causa, ratione, nomine, ergo;* vel simplicius, *in re* vel *negotio:* ut, *Amans vini, gnatus huius rei, studiosus patriae,* integre sit, *in causa, re* vel *negotio vini*, etc. vel ἕνεκα, χάριν, ἐξ, *vini*, etc. Atque, ut hanc quidem Ellipsin (quaecunque demum ea, sive Graeca, sive, quod verius cum Perizonio existimem, Latina sit) in plerisque, iis praesertim quae solis Poëtis aut Historicis sint usitata, locum habere haud negaverim: pleraque tamen verbalia in *ns, ax, quus, idus, ius*, et quaedam alia, vi sua ac propter substantivum in iis inclusum, genitivum directe regere, cum Iohnsono Noct. Notting. p. 14. existimem: ut pari modo *Amans vini, cupidus nummi, memor beneficii,* quo *amor vini, cupiditas nummi, memoria beneficii*, atque ita porro, absque Ellipsi, dicatur. Neque ab hac opinione multum abhorrere videtur Ursinus, quem fuse de hac re disserentem vide, p. 37. et seqq. [Lege Matth. Gr. Gr. §. 322. eqq. G. St.]

Digitized by Google

Not. 1. Multa ex illis, pririoribus locis memoratis, constructionem variant: ut, Cic. Phil. V. 8. *Avidus in pecuniis locupletium*; pro, *pecuniarum*. Id. Att. X 3. *Certior factus de re aliqua*, potius quam, *rei alicuius*. Liv. XXXVI. 41. *Securus de bello Romano*; pro, *belli Romani*. Cic. Orat. I. 50. *Nulla in re rudis*, pro, *nullius rei*. Sic, *Doctus Latinis literis*, Id. Cic. Brut. c. 46. *Doctus Latine*, Suet. de clar. Gram. VII. 1. dixerunt; pro, *doctus literarum Latinarum*. At, *doctus Latinas literas*, alio sensu dicitur [11]).

Not. 2. Ex iis postremo loco recensitis, pleraque, apud Oratores praesertim, cum ablativo, vel aliter, construuntur: ut, Cic. Tusc. I. 10. *Praestans ingenio et doctrina*. Id. in Vatin. c. 2. *Ferox natura*. Ovid. Met. XIII. 521. *Felix morte sua*. Cic. pro Front. c. 15. *Ad casum fortunamque felix*. Tac. Agric. 40. 4. *Cultu modicus, sermone facilis* [12]).

15. Partitiva volunt, quaeque horum castra sequuntur,
Ut medius summusque gradus, numerale, roganque,
Pluralis patrium; quem de, vel in, exve, resolvit.

Adiectiva partitionem significantia, et eorum cognata, regunt genitivum pluralem [13]), qui in ablativum cum de, e, ex, vel in, vel accusativum cum Inter, resolvi potest.

Sub hac regula comprehenduntur:

---

11) Vid. supra n. 3, 4, 5, 6, 7, 8.

12) Sic, *Aeger pedes*, Gell. XIX. 10. et *pedibus*, Sall. Catil. 59. 4. *Anxius victoria*, Tac. Hist. III. 52. 8. *de instantibus curis*, Curt. III. 3. 2. *pro mundi regno*, Ovid. Met. I. 182. *Celer pedibus*, Virg. Aen. IV. 180. *in pugnam*, Sil. VII. 699. *Credulus alicui*, Virg. Ecl. IX. 34. *Degener vita*, Tac. Ann. IV. 61. 1. *ad pericula*, Id. Ann. I. 40. 3. *Devius consilii*, Cic. Phil. V. 18. *tibi non devium*, Id. Attic. II. 4. *Discors sibi*, Ovid. Trist. V. 5. 35. *secum*, Liv. II. 23. *inter se*, Id. *in uno corpore*, Ovid. [A. Sabin.] Epist. Ulyss. ad Penel. v. 35. *ab omni milite gloria*, Id. Am. II. 12. 11. sed Heinsius in his utrobique *dissors* legit. *Exsul, extorris ab solo patrio*, Liv. V. 30. *extorris finibus*, Virg. Aen. IV. 616. *exsul ab Ida*, Ovid. Fast. IV. 79. *Fugitivus a domino, a iure*, Cic. Verr. IV. 50. *Profugi ab Thebis*, Liv. XXVIII. 7. *Laeta saevo negotio*, Hor. Car. III. 29. 49. *laetus ad omnia*, Senec. de Prov. c. 5. *de amica*, Ter. Adel. II. 2. 44. *Laetus quid*, pro *propter quid*, Id. And. II. 2. 3. *Segnis ad citharam*, Ovid. Pont. IV. 8. 75. *Segnis votis Aurora mariti*, Stat. Silv. I. 2. 218. etc. Infinitum esset omnia persequi. Vid. Turneri var. structur. Indic. et D. Shaw Syntax. p. 20, etc.

13) Vel collectivi nominis singularem, ut mox dicetur.

Digitized by Google

I. Partitiva omnia, seu nomina sint, seu pronomina [14]): ut, Cic. Nat. D. I. 55. *Elephanto belluarum nulla prudentior.* Ovid. Met. I. 52. *Quisquis fuit ille Deorum.* Cic. de Senect. c. 10. *Minus habeo virium, quam vestrum utervis* [15]).

II. Nomina adiectiva partitive posita: ut, Plin. VIII. 48. *Lanarum nigrae nullum colorem bibunt.* Id. XI. 50. *Canum degeneres caudam sub alvum reflectunt.* Sic, Tac. Ann. XV. 56. *Praecipui amicorum.* Liv. XXX. 9. *Expediti militum.* Stat. Th. I. 606. *Lecti iuvenum* [16]). Virg. Aen. IV. 576. *Sequimur te, sancte* [17]) *Deorum* [18]).

III. Numeri, tam cardinales, quam ordinales [19]): ut,

---

14) Ut, *ullus, nullus, solus, uter, uterque, utercunque, utervis, uterlibet, alter, alteruter, neuter, alius, aliquis, quidam, quispiam, quisquis, quisque, unusquisque, aliquot, caeterus, reliquus:* quorum more etiam construuntur *omnis* et *cunctus*, non vero (si Saturnio credimus, Merc. mai. V. 28.) *universus.* Huc etiam pertinet substantivum *nemo?* ut in illo Plin. VII. 40. *Nemo mortalium omnibus horis sapit.* Quod et interdum adiective accipitur: ut, Ter. Eun. III. 5. 1. *Nemo homo est:* Et Cic. Fam. XIII. 65. *Ut hominem neminem pluris faciam.* Item in his, ubi, quamvis ex *ne* et *homo* vox composita sit, aliis tamen substantivis tribuitur: ut, *Nemo centaurus*, ap. Hygin. Astr. II. 23. *neminem populum*, ap. Liv. IX. 1. *neminem pontificem*, ap. Cic. de leg. II. 19. Adde *Nemo Divum*, ap. Virg. Aen. IX. 6. ubi partitive construitur.

15) *Nostrum* et *vestrum* cum partitivis utendum, non vero *nostri* et *vestri*, supra docuimus.

16) Hoc loquendi genus a Graecis tractum, atque Poëtarum et Historicorum fere proprium.

17) Quidam tamen hic distinguunt post *sancte*, et *Deorum* cum *Quisquis* seq. versu coniungunt. Vid. Taubmannum in loc. At Servius, quanquam hanc sententiae distinguendae rationem non reiiciat, alteram tamen illam loquendi formam potius probare videtur, exemplo Ennii, cuius est *Respondit Iuno Saturnia sancta Dearum.* Adferunt huc et illud Iustini, XII. 16. 8. *Sub Aristotele doctore inclyto omnium Philosophorum crevit:* sed voces *omnium Philosophorum*, Glossatoris, non Iustini esse, non sine ratione Schefferus et Tan. Faber existimant.

18) Etiam substantiva et adverbia genitivum partitionis interdum admittunt: ut, Plin. IX. 51. *Piscium lupus et trichias bis anno parit.* Id. X. 61. *Volucrum animal parit vespertilio tantum.* Id. XI. 37. *Quadrupedum talpis visus non est.* Virg. Aen. II. 485. *Quorum Iphitus aevo iam gravior.* Tac. Hist. I. 31. 5. *Tribunorum Subrium et Cerium militcs adorti.* Id. Hist. II. 15. 2. *Quorum improvide secutos conversi circumvenere equites.* Suet. Claud. 28. 1. *Libertorum praecipue suspexit Posiden.* Vid. Alvar. p. 279. Perizon. p. 544. n. 9. Ursin. p. 62. Lowaenum, p. 21. n. 22. Potest tamen in horum nonnullis intelligi partitivum, *solus, unus*, aut *alter:* ut, *Solis quadrupedum talpis visus non est; Quorum unus* [vel *alter*] *Iphitus aevo iam gravior.* Certe in illo Hor. Car. III. 13. 13. *Fies nobilium tu quoque fontium, unus* necessario supplendum videtur: ut et in illo Varronis ap. Gell. XIII. 12. *Ego triumvirum vocatus a Porcio tribuno plebis non ivi.* Vid. ibi Gronovium filium, et Gronov. patrem ad eund. I. 12. n. 15.

Digitized by Google

Curt. III. 11. 27. *Equitum centum quinquaginta interfecti.* Hor. Sat. II. 3. 296. *Stertinius sapientum octavus.* Quibus addi possunt, *Multi, pauci, plerique, medius:* ut, Cic. de Senect. c. 17. *Multae istarum arborum mea manu sunt satae.* Curt. X. 8. 4. *Cum paucis amicorum ad Leonnatum pervenit.* Cic. Fam. V. 21. *Plerique eorum quibuscum vivo necessario.* Ovid. Met. I. 49. *Quarum quae media est, non est, habitabilis aestu.*

IV. Comparativa et superlativa: ut, Hor. Car. IV. 14. 14. *Maior Neronum.* Cic. Tusc. V. 9. *Theophrastus elegantissimus omnium Philosophorum et eruditissimus.*

V. Interrogativa [20]): ut, Sall. Catil. 20. 11. *Queis mortalium tolerare potest?* Cic. Tusc. II. 4. *Quotusquisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus ut ratio postulat?*

Not. 1. Si vox sit collectiva, i. e. in singulari multa significans, ut, *populus, gens, civitas*, etc. genitivus singularis adhibetur: ut, Virg. Aen. I. 96. *O Danaum fortissime gentis Tydide.* Cic. de Amic. c. 1. *Quem unum nostrae civitatis praestantissimum audeo dicere* [21]).

Not. 2. In his omnibus subaudiendum de, e, vel ex numero; quod etiam frequenter ab auctoribus expressum invenimus: ut, Iuv. VI. 584. *Quaedam de numero Lamiarum.* V. Max. V. 4. 6. ext. *Unus e numero Persarum.* Caes. B. C. II. 35. *Ex numero adversariorum circiter sexcentis interfectis.*

Not. 3. Saepe etiam, pro genitivo partitionis, ablativus cum praepositionibus de, e, ex, vel in; vel accusativus cum inter, vel ante, adhibetur: ut, Ovid. Her. XIV. 75. *Surge, age, Belide, de tot modo fratribus unus.* Cic. Div. II. 42. *Qui unus* [22]) *e Stoicis Astrologorum*

---

19) *Singuli* etiam cum genitivo partitive construitur: ut, Curt. VIII. 8. 9. *Nolo singulos vestrum excitare.*

20) Ut, *Quis, uter, quot, quotus, quotusquisque.*

21) Sic, Virg. Aen. I. 329. *An Nympharum sanguinis una?* ubi *sanguinis* collective pro *stirpis* vel *propaginis:* et Cic. pro Rabir. Post. c. 9. *Virum unum totius Graeciae facile doctissimum Platonem;* ubi *totius Graeciae*, pro *omnium Graecorum*, accipiuntur.

22) *Unus* pro numero ita fere semper construi monet Alvarus, pag. 282. ut, Cic. Parad. II. 1. *C. Marium vidimus, qui mihi secundis rebus unus ex fortunatis hominibus, adversis unus ex summis viris videbatur.* Id. pro Planc. c. 32. *Unus enim fuit de magistratibus defensor salutis meae.* At pro *solus* genitivo etiam iungitur: ut, Plin. VII. 41. *Una feminarum in omni aevo Lampido Lacedaemonia reperitur, quae Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuerat.* Id. VII. 1. *Uni animantium* [homini] *luctus est datus, uni luxuria, uni ambitio, uni avaritia.* Id. IX. 17. *Acipenser unus omnium squamis ad os versis contra aquam natando meat.*

Digitized by Google

praedicta reiecit. Cicero de Oratore II. 87. *Acerrimus ex omnibus nostris sensibus est sensus videndi.* Ovid. Met. I. 426. *In his quaedam modo coepta:* nempe, *animalia.* Senec. Contr. II. 9. *Croesus inter Reges opulentissimus.* Mela, II. 2. *Borysthenes inter Scythiae amnes amoenissimus.* Liv. I. 15. *Longe ante alios acceptissimus militum animis.* Virg. Aen. VII. 55. *Petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus, avis latavisque potens* [23]).

☞ Not. 4. Si nullum aliud adsit substantivum, partitiva, etc. cum genitivo plurali genere consentiunt: ut, Ovid. Met. IV. 55. *Pulcherrimus iuvenum.* Virg. Aen. I. 326. *Nulla sororum.* In his enim idem substantivum numeri singularis intelligitur, hoc modo; *Pulcherrimus* [iuvenis e numero] *iuvenum: Nulla* [soror e numero] *sororum* [24]).

☞ Not. 5. At si aliud substantivum accedat, partitiva cum eo genere conveniunt: ut, Cic. Nat. Deor. II. 52. *Indus qui est omnium fluminum maximus.* Plin. VIII. 33. *Solus animalium chamaeleon nec cibo nec potu alitur.* Id. XVIII. 7. *Hordeum omnium frugum mollissimum est* [25]). * Interdum tamen genitivi sui genus sortiuntur: ut, Plin. IX. 8. *Velocissimum omnium animalium est delphinus.* Id. VIII. *Cervis quoque est sua malignitas, quanquam placidissime animalium.* Id. XXV. 4. *Laudatissima herbarum est molyn* [26]).

---

23) Addit Lowaeus, p. 24. n. 5. praepositiones etiam *praeter* et *super*: ut, Suet. Galb. IX. 4. *Multo praeter caeteras altiorem crucem statui iussit*: et Id. Vitell. XIII. 3. *Super caeteras famosissima fuit coena et data.* Sed priore ex his exemplis non rerum partitio, sed inter se comparatio indigitatur. Vid. mox reg. 18. n. 79.

24) Cum collectivo vero numeri singularis genere ut conveniant necesse non est: quia diversum ab eo substantivum semper intelligitur: ut, *Aetatis suae doctissimus*, sc. *vir; Sexus sui pulcherrima*, sc. *femina.* Frustra autem hic post Despauterium excipit Kirkwodus nomen heteroclitum: ut in hoc, *Infimum coelorum Lunam continet: infimum* enim eodem genere quo *coelum*, quod intelligitur, est positum.

25) Sic Tac. Ann. II. 9. 17. *Est genus hominum, qui esse primos*

Digitized by Google

fratrum, *Maximus fratrum*, de tribus aut pluribus, dicatur [31]).

Not. 9. *Uter*, *alter*, *neuter*, itidem de duobus [32]); *quis*, *alius*, *nullus*, de pluribus, dicuntur [33]).

Cariores filiorum, etc. comparatio non instituitur inter plures res diversas, sed inter duas solum rerum eiusdem generis species. Nam *iuniores patrum* cum *senioribus*, *fortiora animalium* cum *minus fortibus*, atque in deinceps, conferuntur, quamvis alterum ex his membrum saepe reticeatur. Nonnunquam tamen utrumque membrum exprimitur; ut in illo Plin. XI. 10. *Adolescentiores apum ad opera exeunt, et supradicta conficiunt; seniores intus operantur.* Tantum autem abest ut his exemplis labefactetur Vallae doctrina, ut stabiliatur potius et confirmetur; cum pluralis semper numerus in iis adhibeatur, longeque aptior sit comparativi quam superlativi usus. Atque hanc esse Vallae ipsius mentem, vel exinde apparet, quod eopse cap. 13. lib. 1. quo hoc praeceptum tradit [med. p. 84. Edit. Steph.] „Non ad singulas res, ait, sed *gradus quosdam*, illa referenda sunt." Et paulo post, „Ut in Troianis, *inquit*, sunt aliqui fortes, et his alii fortiores, atque alii adhuc his fortiores, qui vocantur fortissimi." Poterat enim dixisse, *Troianorum alii fortes, alii fortiores, alii fortissimi*: Et pari modo, *Patrum iuniores, Cariores filiorum*, etc. * His igitur missis, quae nihil adversus Vallam faciunt, non est quod nos morentur sequiorum aetatum exempla: qualo est illud Apul. Met. IX. p. 805. *Iunior e tribus fratribus*; pro *natu minimus*: aut illud Mart. Capellae, *Candidior Atlantidum loeio compressu pignoriaque culmine projecta supervenit*; pro *candidissimo*: aut haec vulgati Interpretis, 1 Corinth. XIII. ult. *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec; maior autem horum caritas.* Sapient. X. 12. *Ut sciret omnium potentiorem esse sapientiam.* Dan. XIII. 4. *Quod esset honorabilior omnium.* Quae nemo purioris styli studiosus imitanda consuerit. Quod vero ex Livio adferunt, I. 53. *Sextus filius ejus, qui minor e tribus erat*, melioribus libris *minimus* legitur. In his vero, Varr. R. R. II. 5. *Boves Epirotici meliores totius Graeciae.* Cicer. Fam. XII. 15. *Quarum* [navium] *minor nulla erat duum millium amphorum.* Et Plin. VII. 30. *Omnium triumphorum lauream adepte maiorem*; Ellipsis est vocum, *prae aliis bubus*, *prae navibus*, *prae laureis*. Vid. Perizon. p. 216. In illo denique Curtii, IX. 4, 11. *In oculis duo maiora omnium navigia submersa sunt*; vel cum Acidalio et Freinshemio, vocibus paulum transpositis legendum est, *in oculis omnium duo m. n. s. s.* vel exponendum, *duo navigia ex numero navigiorum omnium reliquis maiora.* V. eund. Perizon. ibid. et Ursin. p. 64.

31) Superlativus interdum de duobus dictus invenitur, sed rarius: ut, Ter. Adel. V. 4. ult. de duobus fratribus, *Id mea minime refert, qui sum natu maximus.* Mela, de duobus Ponti Euxini angulis, I. 19, 83.

Digitized by Google

2. Adiectiva Dativum regentia.

...alibus damnum quois commoditasve voluptas, ... dolor, aut simile, signabitur, adde dativum.

Adiectiva significantia commodum vel incommodum, ... aut dolorem, et similia, dativum [34]) postu-

---

...antur. Quinctil. Inst. VII. 4. p. 629. *De praemiis quae-... uter dignior, ex pluribus, quis dignissimus.* Sed hanc ... non semper observari notant Grammatici. * *Quis* enim de ... nunquam dici probat idem Saturnius, V. 8. et IX. 30. his ... Liv. XXVII. 40. *Duo celeberrimi nominis duces, — quis* [al. ... prior viciuset. Auct. B. Hisp. c. 5. *Inter duos fit contentio, ... occuparet.* Cic. pro Rosc. Com. c. 7. *Considera,* C. ... *fraudasse dicatur: Roscius Fannium.* Virg. Aen. XII. ... taurorum certamine loquens, *Quis pecori imperitet, quem ... sequantur.* Quibus addit Despaut. p. 253. illud Persii, ... *potior ... patriaeque quis aptior orbis.* Et Boet. Cons. ... 2. *Quis ... existimari potest?* Et Id. II. 5. ... *potius! ... congestae pecuniae?* Adferunt ... Saturnius, IX. ... et Sanctius, loc. cit. hoc Cic. Fam. VII. 3. *Si ... in Italia. ... ne officio deessem: si proficiscerer ad bel-... ... te ... Quo tempore vidisti profecto me ... ... optimum factu.* Ubi quis ... etiam ... de duobus dici putant. At hic forte nihil ... significare voluerit Cicero, quam se in universum animi dubium ... quidam ... non in ... rerum articulo consilii caperet ... itidem de ... Liv. I. 21. *Ita duo deinceps Reges ... alia ... auxerunt.* Plin. XI. 19 ... [sunt apum] *aliarum quae i... ... Themistoclem ...* Vid. Tursellin. c. 18. ... Cortium ad Sall. Cat. 54. 1. et Voss. d... ... ex Caes. B. Civ. III ... *habitationum annua* ... in emendatioribus cod... ... de pluribus dictum invenio ... *Canis parturien-... ... est una quadriremi ...* Senec. Controv. lib. V. 33. *Alte-... ... alium delum...*

Digitized by Google

Ad regulam praedictam Observationes.

OBSERVATIO I.

☞ Ex adiectivis hisce, quae amicitiam vel odium, aut aliam animi affectionem in aliquem notant, I. Quaedam cum solo fere dativo construuntur: ut, *Affabilis*, *arrogans*, *asper*, *carus*, *difficilis*, *fidelis*, *invisus*, *iratus*, *offensus*, *suspectus*, alicui [38]). II. Quaedam fere cum in et accusativo: ut, *Acerbus*, *animatus*, *beneficus*, *gratiosus*, *iniuriosus*, *liberalis*, *mendax*, *misericors*, *officiosus*, *pius*, *impius*, *prolixus*, *severus*, *sordidus*, *torvus*, *vehemens*, in aliquem [39]). III. Quaedam, vel cum dativo, vel cum accusativo, praeeunte in, erga vel ad-

---

G. VII. 15. *Procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges.* Ter. Heaut. III. 3, 8. *Vidin' ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere.* Videndum tamen quid ferat Auctorum consuetudo. Itaque potius, *Ab epistolis, a pedibus alicuius*, quam *alicui*, dicendum monet Ursinus, p. 83. Confer Lowaeum, p. 24. n. 21. et nos supra, p. 42.

38) Reperiuntur et ex his quaedam cum praepositionibus (licet rarius) constructa: ut, Poeta vet. ap. Cic. Nat. Deor. III. 29. *In liberos difficilis.* Iustin. XXXVII. 13. *Fidelis in socii filios.* Liv. *Apud milites pene omnes invisum esse nomen Romanum. Iratus in aliquem*, sed nullo Scriptore laudato, profert D. Shaw, p. 47. * Cum solo dativo constructis adde, *dexter*, *exitialis*, *falsiloquus*, *ferus*, *hospitus*, *inhospitus*, *insociabilis*, *intolerans*, *iucundus*, *laevus*, *morigerus*, *mortifer*, *odiosus*, *placidus*, *propitius*, *scelestus*, *supplex*, *tranquillus*, *trux*: ut, Sil. XIII. 265. *Dexter Poenis Deus.* Id. XV. 177. *Hospita Tarraco Baccho.* Id. I. 237. *Terra inhospita Baccho.* Liv. XXVII. 39. *Omni generi humano insociabiles.* Tac. Ann. XI. 10, 5. *Intolerantior subiectis.* Nepos, Attic. 16, 1. *Seni fuit iucundissimus.* Sil. III. 98. *Fortuna laeva coeptis.* Ter. Aud. I. 5, 59. *Tibi morigera fuit in rebus omnibus.* Senec. Herc. Oet. v. 1027. *Si mori matrem vetas, patri es scelestus.* Cic. pro Planc. c. 8. *Multitudo vobis supplex.* Plaut. Capt. IV. 2, 85. *Deum hancce facias tranquillum tibi.* Ovid. Pont. IV. 6, 32. *Sontibus esse truces.*

39) Invenimus et ap. Suet. Vitell. 7, 5. *Male animatus erga Principem.* Et Iust. XIV. 1. 3. *Ut quomodo circa se animati essent cognosceret.* Senec. Contr. II. *Iniuriosus adversus patrem.* Id. Contr. IV. 24. *Misericors adversus bonos.* P. Syrus, v. 251. *Homo qui in homine calamitoso est misericors, imminit sui.* Liv. *Pius erga propinquos.* V.

versus: ut, *Contumax* [40], *criminosus*, *durus*, *exitiabilis*, *gravis*, *hospitalis*, *implacabilis* [et ita forte *inexorabilis* [41]], et *intolerabilis* [42],] *iniquus*, *saevus*, alicui, vel in aliquem [43]. *Benevolus*, *benignus*, *molestus*, alicui, vel erga aliquem. *Mitis*, *comis*, in, vel erga aliquem, et alicui. *Pervicax* adversus aliquem. *Crudelis* in aliquem, raro alicui. *Amicus*, *aemulus*; *infensus*, *infestus*, alicui, raro in aliquem. *Gratus* alicui, vel in, erga, adversus aliquem [44].

OBSERVATIO II.

☞ Affinis, similis, communis, par, proprius*que*,
Finitimus, fidus, conterminus, *atque* superstes,
Conscius, aequalis, contrarius, adversus*que*,
Cum terno modo iuncta leges, *modo cum genitivo*:
Quos alienus *item dat*, *et* a *praeeunte Latinum*.

☞ I. Haec adiectiva in textu memorata, interdum cum dativo, interdum cum genitivo; cum dativo quidem longe frequentius, *par*, *fidus*, *adversus*, *conterminus*, *superstes*, *contrarius*; cum genitivo saepius *conscius* [45]); caetera vero cum utrolibet fere promiscue, construuntur: ut, Cicer. Catil. 4. 5. *Huic facinori si pauços putetis affines esse*, *vehementer erratis*. Terent.

---

40) Legitur et *Animus contra calamitates contumax*, Senec. N. Q. III. Praef. Item, *Contumax ad concubitum*, Colum. III. 2. Et, *Ad praestandam calamitosis misericordiam contumax est*, Senec. Controv. I. 1. Quod loquendi genus Iohnsono mirum fuisse visum tradit D. Shaw, Synt. p. 29.

41) Cum accus. praeeunte in, constructum notat Iohnson. N. N. p. 26. ut, Cicer. pro Syll. c. 31. *Inexorabilis in caeteros esse visus sum*. Sed et dativo iunctum observat D. Shaw, p. 48. ut, *Amicis inexorabilis*: item, Liv. XXXIV. 4. *Adversus te et liberos tuos inexorabilis*.

42) Diverso paulum sensu *Intolerabilis alicui*, et *Intolerabilis in aliquem*, dici notat Ursin. p. 80. ut et *Grave populo Romano*, et *in populum Romanum*.

43) De diversa horum similiumque adiectivorum structura vid. Ursin. p. 76. etc. Iohnson. N. N. p. 21. seq. et in primis D. Shaw, Synt. p. 20 ad 69.

44) Hic notari potest elegans cum primis dicendi genus, quo adiectiva cum voce *vulgus* et praepositione in construuntur: ut, *Gratus*, *ingratus*, *acceptus*, *ignotus*, etc. *in vulgus*. Sic, Cic. Attic. II. 22. *Id in vulgus gratum esse sentimus*. Id. Attic. IX. 4. *Dies in vulgus ignotus*. Sic, Tac. Ann. I. 46. 4. *Formidolosum in vulgus*. Et Hist. II. 26. 4. *Adverso in vulgus rumore*. Nec dissimile illud eiusd. Ann. XII. 8. 3. *Laetum in publicum rata*. Vid. Turcell. c. 91. §. 21.

45) *Rei* intellige: nam *persona* semper in dativo ponitur, *Conscius mihi*, *conscius sibi*; non *mei*, aut *sui*.

Digitized by Google

Heaut. I. 2. 2. *Neque illarum affines esse rerum quas fert adolescentia.* Curtius, IV. 1. 23. *Somnio similis res videbatur.* Plaut. Amph. I. 1. 28. *Deos esse similes tui putas* [46])? Cic. Sen. c. 19. *Omni aetati mors est communis.* Id. Fin. V. 23. *Haec iustitiae ita propria sunt, ut sint reliquarum virtutum communia.* Ovid. Trist. II. ult. *Ut par delicto sit mea poena suo.* Lucan. X. 382. *Quem metuis, par huius erat* [47]). Quinct. I. 1. *Propria est nobis mentis agitatio atque solertia.* Cic. de Orat. III. 29. *Proprium* [48]) *est Oratoris ornate dicere.* Id. Acad. IV. 21. *Falsa veris finitima sunt.* Iustin. XLIV. 3. 9. *Chalybes fluvii huius finitimi appellati.* Ovid. Met. II. 746. *Tu tantum fida sorori Esse velis.* Virg. Aen. XII. 659. *Regina, tui fidissima; dextra Occidit ipsa sua.* Ovid. Met. IV. 90. *Ardua morus erat, gelido contermina fonti.* Apul Met. *Cum primum iugi conterminos locos appulit.* Ter. Heaut. IV. 4. 7. *Ita mihi atque huic sis superstes.* Cic. ad Q. Fr. I. 3. *Utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem.* Id. pro Cluent. c. 20. *Itaque C. Fabricium conscium illi facinori fuisse arbitrabuntur.* Ovid. Am. II. 7. 11. *Atque ego peccati vellem mihi conscius essem.* Plin. XXXV. 11. *Euphranor in quocunque genere excellens ac sibi aequa-*

---

46) *Similis* et *dissimilis*, cum ad *mores* referuntur, genitivum; cum ad *corporis formam*, dativum frequentius accipiunt. Interdum tamen aliter factum deprehendimus: ut, Cic. Nat. Deor. II, 59. *Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere; chordarum dentes, nares cornibus iis qui ad nervos resonant in cantibus.* Plaut. Menaech. V. 9, 30. *Neque aqua aquae, neque lacte* [pro *lac*] *est lacti similius, quam hic tui est, tuque huius.* In quibus exemplis utraque constructio eadem significatione coniungitur. In hoc autem Ciceronis, Tusc. I. 9. *Quaererem ex eo cuius suorum similis fuisset Africani fratris nepos? facie vel patris: vita omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus*, genitivus utroque sensu adhibetur. * Caeterum *veri simile*, et *sui simile*, gignendi casu, nec aliter, dicendum praecipit Charisius, col. 84. * Alia eius composita crebrius dativo, nonnunquam et genitivo iunguntur: ut, Sueton. Domit. 10, 2. *Arte formaque non absimilis magistro.* Ovid. Pont. II. 2, 85. *Fratribus adsimilis.* Id. Trist. I. 6, 27. *Adsimilemque sui longa assuetudine fecit.* Ter. Heaut. II. 4, 2. *Isti formae ut mores consimiles forent.* Ibid. v. 13. *Cuius mos est consimilis vostrum:* sed hic *moribus* intelligit Donatus, Hor. Art. 6. *Isti tabulae fore librum persimilem.* Cels. V. 26, 11. *Melli albo subsimilis.*

47) Ap. Flor. II. 2, 23. variant tam scripti quam cusi codd. aliis, *Sed ille par tantae calamitatis fuit*, exhibentibus, aliis *calamitati*: prius Grutero et Freinshemio, posterius Heinsio, Salmasio, Ryckio, et Perizonio potius visum.

48) Adiectivorum *communis* et *proprius*, cum genitivo constructorum rationem explicatam vid. ap. Perizon. ad Sanct. p. 258. [I. 334. ed. Bauer.]

Digitized by Google

lis. Cic. Div. I. 20. *Doctus homo et diligens, et aequalis temporum illorum* [49]). Id. Off. III. 32. *Omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam.* Id. Fin. IV. 24. *Vitia sunt virtutum contraria.* Ter. And. I. 1. 57. *Adversus nemini, nunquam praeponens se illis.* Tac. Ann. III. 23. 5. *Lepida illustrium domuum adversa* [50]).

☞ II. *Alienus* cum genitivo etiam, vel dativo, sed frequentius cum ablativo praeeunte praepositione a vel ab, construitur: ut, Cic. Fin. I. 4. *Quis alienum putet eius esse dignitatis?* Id. pro Caecin. c. 9. *Hoc illi causae maxime alienum est.* Id. Verr. IV. 26. *Homo alienus a literis.* Ter. Heaut. I. 1. 25. *Homo sum: humani nihil a me alienum puto* [51]). * Nonnunquam et praepositio intelligitur: ut, Cic. Fam. XI. 27. *Sum admiratus te quidquam a me commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse* [52]).

☞ Not. 1. His adiiciunt Despauterius et alii, *Amicus, familiaris, cognatus, propinquus, vicinus, socius.* At haec et alia eiusmodi [53]), non nisi absolute ac pro

---

49) *Aequalis* genitivo fere iungitur, cum tempus respicit aut aetatem; dativo vero cum ad res alias refertur. At negligi interdum hoc discrimen ostendit illud Cicer. in Brut. c. 18. *Ennius, cui aequalis fuit Livius:* item illud eiusd. Orat. c. 64. *Cretico et eius aequalis Paeon.* Plinius etiam ablativum cum praepositione *cum* adhibuit, N. H. XVI. 44. *Fuit cum ea* [urbe sc. Roma] *aequalis cupressus:* eodem sensu quo idem ibid. *Lotum urbi aequaevum* dicit.

50) His addit Despauterius *conformis;* sed illius cum genitivo constructi haud melius quam ex D. Hieronymo exemplum adducit. * *Peculiaris* quoque genitivum nonnunquam recipere notat Iohnsonus, N. Not. p. 21. sed testimonium non adhibet.]

51) Sic verbum *alieno,* quod longe frequentius cum ablativo et praepositione a vel ab construitur, dativo iunxit Seneca, Epist. 82. *Illa res morti nos alienat.*

52) Sic, ead. Epist. extr. *Quo nec mihi gravius quidquam potest esse, nec te alienius.* * Similiter fere *diversus* construitur. Invenitur enim (si Ursino credimus) *diversum huius, huic, ab hoc,* et *diversi inter se.* Vid. eum p. 52. Genitivi exemplum nondum reperio: nam Colum. III. 7. *Diversum, nostrae sententiae,* dativi esse videtur: quod de illo Quinctil. Inst. XII. 10. p. 1090. *Nihil tam est Lysiae diversum quam Isocrates,* statuit Vossius, Constr. c. 12. Et *diversus morum, diversus animi,* de quibus p. 72. alio sensu dicuntur.

53) Ut, *Aemulus, germanus, inimicus, invidus, necessarius.* Plin. XXXIV. 8. *Aemuli eius fuere Alcamenes, Critias,* etc. Cic. Orat. c. 9. *Germanos se putant esse Thucydidis.* [recentioribus *Thucydidas,* sed prius illud verius puto: nam si morem Graecum secutus fuisset Cicero, *Thucydideas,* aut *Thucydideis,* potius dicendum fuerat.] Id. pro C. Corn. c. 2. *Inimici tribunitiae potestatis.* Id. pro Flacc. c. 1. *Virtutis hostis, laudis invidus.* Id. pro Mur. c. 35. *Virgo Vestalis huius propinqua et necessaria.*

Digitized by Google

substantivis posita, cum genitivo constructa inveniuntur [54]).

☞ Not. 2. Ex supra recensitis quaedam etiam Syntaxin variant. Legimus enim, *Similes, dissimiles, pares, dispares, aequales, communes, inter se.* Et ap. Tac. Ann. II. 59. 3. *Aetate et forma haud dissimili in dominum erat.* ap. Flor. II. 4. 2. *Alpina corpora habent quiddam simile cum nivibus suis,* Sic, *Fidus in Agrippinam,* ap. eund. Tac. Ann. XII. 8. 4.

☞ Not. 3. *Par* et *communis*, vel praesente vel absente dativo; *consentaneus, discors*, absente tantum dativo, ablativum accipiunt cum praepositione cum: ut, Cic. Brut. c. 59. *Erant ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora.* Id. Phil. I. 14. *Illa erat vita, libertate esse parem cum caeteris, principem dignitate* [55]). Id. de Leg. II. 25. *Haec, laudabilia, et lo-*

---

54) Vossius de Constr. c. 11. id quoque locum habere statuit in isthoc Ciceronis, *Platò veritatis amicissimus.* Cuius et idem iudicium de hoc eiusd. Fin. IV. 24. *Conferam autem avum tuum cum C. Graccho, eius fere aequali:* et hoc Lucani, *Quem metuis, par huius erat.* Addo et *familiarissimus Scipionis*, ap. Auct. B. Afr. c. 68. Eodemque forte referri potest *Supplex omnium*, quod nonnusquam Iohnsonus reperit, p. 20. Et *Supplices eorum*, quod Nepotis est, XVII. 5. ult.

55) Ita edidere Gruterus et Gronovius: at Muretus et Graevius, cum MSS. Vaticano, *cum* expungunt, adnotantque praeterea Latine non dici, *parem esse cum caeteris.* De vera huius loci lectione haud contenderim. At illius, quae Gruteri est, Latinitatem satis confirmare videtur illud alterum ex cod. Cicer. consentientibus omnibus libris depromptum exemplum. Cui adde et hoc Sallustii, Iug. 14, 9. *Quem tu parem cum liberis, regnique participem fecisti.* * Et his utcunque defendi potest insolens quidem illud dicendi genus quod ex Floro modo adduximus, *Alpina corpora h. q. simile cum nivibus suis*, ubi quidam MSti *cum* reiiciunt, alii et plures retinent. Sed eam loquendi formulam praeterea confirmant, Seneca, de Ira, II. 22. *Tenuis ante omnia victus, et non pretiosa vestis, et similis cultus cum aequalibus.* Et Iustinianus, Inst. IV. 18. princ. *Neque omnino quidquam simile habent cum caeteris iudiciis.* * Hic porro observanda est a Graecis accepta vocis *par* cum dativo constructio, cum nempe collatio instituitur inter rem et personam, eam tamen rem quae conveniat personae: quomodo in Digestis legitur, *In pari causa caeteris servis habendus est.* Et alibi, *In pari causa ei est.* Item, *In pari causa factori habendus est.* Ubi haec μετωνυμικῶς poni, pro *causae caeterorum servorum, causae eius, causae factoris*, statuit Vossius, Constr. c. 12. Vid. et Scip. Gentil. *Παρέργ.* I. 6. Ursin. p. 75. Nov. Meth. p. 382. * De *similis* simile quid adnotat idem Meth. Auct. I. c. ex loco Horat. Sat. I. 3, 122. *Cum magnis parva mineris Falce recisurum simili te.* Ubi constructio est, *Cum mineris te* [esse] *recisurum parva falce simili magnis*, i. e. *falce simili illi falci qua magna reciduntur:* sententia est, *cum mineris te parva delicta aeque gravi poena ac magna puniturum.*

Digitized by Google

cupletibus fere cum plebe communia. Id. de Sen. c. 19. *Quod illud est crimen senectutis, cum illud videatis cum adolescentia esse commune?* Id. Fam. III. 6. *Quod erat consentaneum cum iis literis, quas ego Romae acceperam.* Liv. II. 25. *Civitas secum ipsa discors.*

☞ Not. 4. Idem apud Poetas [56]) dativum interdum recipit: ut, Hor. Art. v. 467. *Invitum qui servat, idem facit occidenti* [57]). * Oratoribus vero, et aliis, cum qui, vel et, ac, atque, construitur: ut, Cic. Off. III. 4. *Peripatetici quondam iidem erant qui Academici.* Id. Nat. Deor. II. 27. *Dianam et Lunam eandem esse putant.* Ter. Heaut. II. 3. 24. *Est animus erga te idem ac fuit.* Cato R. R. c. 48 *Pomarium seminarium ad eundem modum atque oleagineum facito* [58]). ☞ Interdum etiam cum praepositione cum: ut, Curt. V. 9. 2. *Nabarzanes in eodem consilio erat cum Besso.* Val. Max. VI. 5. 5. *Clara voce iuravit, se eandem cum illo poenam exsilii subiturum* [59]). * Male autem de eadem re, sub diversis nominibus, dicitur, *Vates Andinus est idem cum Virgilio; Paulus est idem cum Saulo.*

---

56) Similia sunt, Ovid. Met. XIII. 50. *Et nunc ille eadem nobis iuratus in arma.* Lucret. III. 1050. *Quorum unus Homerus Sceptra potitus, eadem aliis sopitu' quiete est.* Claudian. Stilich. II. 30. *Huic Divae germana Fides, eademque sorori Corde tuo delubra tenens.*

57) Sed et alii praeter Poetas ita nonnunquam locuti inveniuntur: ut, Cic. Fam. IX. 6. *Quod non eadem illis censuissemus.* Quinctil. Inst. VIII. 4. p. 718. *Nec putet quisquam hoc, quanquam est simile, illi ex argumentis loco, quo maiora ex minoribus colliguntur, idem esse.* Et Iustin. II. 4, 10. *Virgines in eundem ipsis morem, armis, equis, venationibus, exercebant.* Confer Vorst. de Latin. merito suspect. c. 27. Heins. ad Ovid. Am. I. 4, 1. Iac. Gronov. ad Cic. Fam. X. 32. p. m. 2558. Drakenb. ad Sil. XV. 400. et Cort. ad Sallust. Catil. 20, 8. Et adde illud Traiani ad Plin. Epist. X. 84. *Interpretationi tuae, mi Secunde carissime, idem existimo.* In hoc autem Virg. Aen. X. 112. *Rex Iuppiter omnibus idem,* dispar significandi ratio est.

58) Similiter dicimus, *Alius ac, atque* vel *et:* ut, Cic. Orat. c. 71. *Potest enim aliud mihi ac tibi videri.* Id. Fam. I. 9. *Non alius essem atque nunc sum.* Id. pro Coel. c. 28. *Lux denique alia est Solis et lychnorum.* * Interdum etiam, *Similis* et *par* eodem modo construuntur: ut, Cic. Verr. III. 83. *Aliquid ab isto simile atque a caeteris esse factum.* Varr. R. R. II. 7. *Emptio equina similis fere ac asinorum.* Cic. Nat. Deor. III. 1. *Neque mihi par ratio cum Lucullo ac tecum fuit.* Caes. B. G. V. 13. *Pari spatio transmissus, atque ex Gallia est in Britanniam.* * Nonnunquam, pro *idem ac,* vel *atque,* Cicero *idem ut* adhibuit: ut, Acad. IV. 15. *Cum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis quae nullae sint, ut iis quae sint.* Off. I. 14. *Qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia ut si in suam rem aliena convertant.* De Fin. IV. 14. *Quamobrem utrique idem faciunt,*

Digitized by Google

OBSERVATIO III.

☞ Utilis *ac* aptus, *simul his contraria, terno, Aut aliter quarto, voce* ad *comitante, dabuntur.*

☞ Adiectivis nonnullis utilitatem vel aptitudinem, et his contraria, significantibus [60]), vel accusativus [61]) cum

---

ut si laevam partem negligerent, dexteram tuerentur. Vid. Turnell. c. 84. §. 4, 5.

59) Sic, Liv. XXX. 12. *Numidae atque in eadem mecum Africa geniti, quam alienigenae et externi, fidem experiri mallem.* Tac. Annal. XV. 2, 1. *Hunc ego eodem mecum patre genitum in possessionem Armeniae deduxi.* Gell. IX. 10. *Annianus poeta et plerique cum eo eiusdem Musae viri:* et XVIII. 11. *Non hercle idem sentio cum Caecilio.* Quibus adiungas licet illud Cic. Orat. II. 83. *Tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum.* Praeter rationem igitur ab Leodio, aliisque, Iohnsono vitio tribuitur, quod Praef. ad suos Comment. Gramm. init. *Eandem vobiscum nactus provinciam* dixerit. Vide utrumque, Leod. Animadv. p. ult. et Iohnson. Addit. ad Comment. Praef. p. 4. Et confer Perizon. ad Sanct. IV. 6. n. 13. At merito a magno Vossio, Constr. c. 58. Scioppio in Scaligero hypobol. p. 284. seqq. Vorst. Latin. merit. susp. c. 27. aliisque, culpantur illa Erasmi in Annot. ad c. VIII. Matth. *Eundem esse centurionem cum eo de quo meminit Lucas.* Et paulo post, *Gerasam quidam existimabant eandem esse cum Gadara.* Et iata Scaligeri, Castig. in Manil. p. 81. Edit. Raphel. *Minor Ursa eadem est cum Cynosura.* Et in Praef. *Si esset idem cum hoc Plinii.* Quibus geminum est illud Buchanani nostri, Hist. Scot. lib. VII. c. 19. *Hic magistratus idem est cum eo, quem priores Thanum appellabant.* In his enim omnibus, de rebus plane iisdem, sive (ut Scioppius loquitur) quarum unum est *idem*, sermo est: in prioribus vero, de rebus diversis. Immerito autem ab eod. Scioppio, l. c. damnatur hoc Apulei, Met. II. p. 67. *Quod eodem mecum vocabulo nuncupatur.* Diversa enim, vir ipse, eiusque nomen, sunt: illius enim una est atque individua essentia; hoc vero cum aliis commune habere poterit.

60) Talia sunt, *Accommodatus, appositus, aptus, congruus, conveniens, habilis, idoneus, opportunus, utilis:* item, *Ineptus, inhabilis, inutilis.* Accusativum quoque cum praepositione ad haud raro recipiunt quaedam commodi et incommodi et his affinia adiectiva. Sic, *Commodus ad cursum, Salutaris ad ortus puerorum, Necessaria ad victum, Capax ad praecepta, Bonus ad rem aliquam,* ex Auctoribus notat Ursinus, p. 77 et 78. Et, *Acutus ad fraudem, Alacriores ad maleficia, Assuetus ad sceptra manus, Ad omne facinus audax, Callidus ad fraudem, Docilis ad agriculturam,* [*Arida farina ad tussim siccam efficacissima*, Plin. XX. 23.] *Ad belli pacisque munia eximius, Expeditus ad eaedem; Faciles ad iuga populi, Firmus ad dolorem ferendum, Fortis ad aratra, Fatalis ad interitum, Ignavus ad pericula, Ad haec imbecillus, Immaturae ad id vires, Induratus ad patientiam, Gallinae inertes ad incubandum, Furtum ingeniosus ad omne, Ad corpus alendum inimicum, Insolitus ad laborem, Instabilis ad gradum, Intentus ad occasionem, Invictus ad vulnera, Maturus ad arma, Gens ad nova consilia obediens, Placabilis ad iustas preces, Potens ad opem, Promptus ad arma, Rarus ad oscula, Recens ad laborem miles, Rudis ad opera, Ad omnes res salubre, Ad coeptas hora sinistra vias, Sobrius ad lites, Ad alia sterilis, Studiosiores ad opus,*

Digitized by Google

praepositione ad, subiicitur, ut, Ovid. Fast. II. 239. *Puer impubes, et adhuc non utilis armis.* Cic. Off. III. 6. *Homo ad nullam rem utilis.* Hor. Epist. I. 7. 41. *Non est aptus equis Ithacae locus.* Cic. de Orat. I. 54. *Calcei habiles et apti ad pedem.* Id. de Inv. I. 1. *Is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur.* Id. Fin. I. 4. *Quod ad civium usus non inutile est.* Hor. Ep. II. 2. 7. *Idoneus arti cuilibet.* Plaut. Poen. III. 2. 6. *Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos* [62]).

OBSERVATIO IV.

☞ *At* celer *et* tardus, *similemque notantia motum,*
Ad *sibi cum quarto prope solum iungere gaudent.*
Castra *sed, aut* castris, propior, *vel* proximus *effer.*

☞ I. Adiectiva motum vel propensionem ad rem aliquam significantia [63]) accusativum potius cum ad, quam dativum, postulant: ut, Ovid. Pont. I. 2 123. *Sed piger ad poenam Princeps, ad praemia velox.* Cic. Tusc. IV. 37. *Ut quisque natura ad aliquem morbum proclivior; sic animus alius ad alia vitia propensior* [64]).

Ad munera surdus, Ad alia temerarius, Emplastrum ad idem valens, et quaedam alia, observant Iohnsonus, N. N. p. 21. seqq. D. Shaw, Syntax, p. 21. seq. * Peculiaris autem elegantia et in participio *natus*, sive cum dativo, sive cum accusativo constructo: ut, Cic. in Pis. c. 12. *Ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laud atque gloriae.* Id. Brut. c. 68. *Cn. Pompeius vir ad omnia summa natus.* * Ex his quaedam *in* pro *ad* interdum recipiunt: ut, Liv. XXXVIII. 21. *Et quant deprehensi genere pugnae, in quod minime apti sunt.* Tacit. Hist. IV. 76. *Promptus in arma.* Et *Accommodatissimae in omnem sonum tibiarum, Habilis in omnia, quae usus poscebat, In eam rem maxime idonei Athenienses visi, Faciles in sua vota Deos, Fortis in pueri necem. In utrumque paratus, Surdus in vota*; ex bonis Auctoribus notant iidem Iohnson. et D. Shaw, loc. cit.

61) Rei intellige, non personae: neque enim *aptus, opportunus, utilis ad me*, sed *mihi*, dicimus.

62) Dicimus etiam, *Idoneus qui mittatur, quem mittas, cui fidas, Res idonea de qua quaeratur*; et similia. * At singulare est illud Auct. ad Herenn. III. 3. *Rem non idoneam sua dignitate iudicare.* * *Utilis medendi* (quod ex Ovid. Her. V. 147. citat Iohnsonus, N. N. p. 21.) eodem modo dicitur, quo *strenuus militiae, Melior furandi.* At vid. supra p. 75.

63) Qualia sunt, *Celer, tardus, velox, piger, impiger, lentus, praeceps, rapidus, segnis; Declivis, inclinabilis, proclivis, pronus, propensus.* Quibus affinia sunt, *Paratus, promptus, profugus:* ut, Cic. pro Mil. c. 9. *Paratus ad omne facinus.* Ovid. Fast. III. 277. *Prompti ad bella Quirites. Profugus ad rebelles.*

64) Ex his quaedam (pro ad) in etiam recipiunt: ut, Sil. VII. 699. *Celer in pugnam.* Stat. Silv. I. 1, 80. *Tardus in foedera.* Tacit. Hist.

Digitized by Google

II. *Propior* et *proximus*, vel dativum petunt, vel accusativum omissa praepositione [65]): ut, Liv. IV. 37. *Quod*

---

l. 24, 2. *Praeceps in novas cupiditates.* Senec. *Ut in damna, ita ad incrementa, rapidum veloxque tempus est:* ubi duplex structura concurrit. C. Gall. V. 50. *Segnis in Venerem.* Senec. Epist. 94. *Inclinabiles in pravum.* Varro, R. R. I. 13. *Pavimentum proclive in locum.* Hor. Ep. I. 18, 10. *In obsequium plus aequo pronus.* Et de persona, Tac. Hist. II. 58, 8. *Pronus in Othonem.* Cic. Fin. V. 10. exter. *Neutram in partem propensior.* Virg. Aen. II. 61. *In utrumque paratus.* Tac. Ann. XV. 61, 2. *Promptum in adulationes ingenium.* Quibus adde *curvus*: ut, Pers. II. 61. *O curvae in terras animae.* * Quaedam licet rarius, dativum admittunt: ut, Stat. Silv. I. 2, 218. *Segnis votis Aurora mariti.* Sil. XIII. 585. *Sceleri proclivis egestas.* Tacit. Agric. 41, 4. *Pronus deterioribus Princeps*, et de persona, Suet. Galb. XII. 14. *Dolabellae pronior*, i. e. *magis favens.* Ovid. Fast. III. 215. *Acies ferro mortique parutae.* Tac. Annal. XV. 45, 3. *Cuicunque flagitio promptus.* Et de persona, Ann. IV. 60, 5. *Agrippina Neroni promptior erat.* Negat Ursinus, p. 78. *Propensus rei alicui* dici. De persona tamen Iustin. XVI. 1, 1. *Propensior fuisse Alexandro videbatur:* ubi male quibusdam libris, *propensior pro Alexandro*, editum est. Sed et de re dativo utitur Senec. de Clem. I. 15. *Aequis desideriis propensus, iniquis acerbus.*

65) Nempe quia *prope* (quod alibi adverbium, non praepositionem, esse docuimus, Part. I. p. 315. n. 4.) accusativum, a d omisso, adsciscit; *Propius* autem et *proxime* ab eo deducta adverbia, eodem modo quo *propior* et *proximus*, i. e. vel cum dativo, vel accusativo, suppressa semper praepositione, construuntur: ut, Virg. Geo. I. 355. *Propius stabulis arma tenerent.* Caes. B. Civ. I. 72. *Quam proxime potest hostium castris castra communit.* Id. B. G. IV. 28. *Propius Solis occasum.* Sall. Iug. 19, 4. *Proxime Hispaniam.* Vid. Cortium ad Sall. Catil. XI. 1. * *Proximus* quidem et *proxime ad te*, legi ait Iohnsonus, N. N. p. 21. At vellem idoneum rei testem laudasset. Certe quod ex Ovidio adfert Stephanus in Thesauro L. L. *Proximus ad dominam, nullo prohibente, sedeto*, Art. I. 139. emendationibus libris *a domina* legitur: quomodo eleganter Auctores loqui solent: ut, Plin. X. 75. *Somnia a vino et a cibis proxima vana sunt.* Cic. Nat. Deor. I. 31. *Stellae aliae propius a terra, aliae remotius eadem spatia conficiunt.* Et de Senect. c. 21. pr. *Quod eo melius cernere mihi videor, quod ab ea* [morte sc.] *propius absum.* Senec. Epist. 41. *Prope est a te Deus, tecum est, intus est;* non, ut Despauterius, p. 330. legit, *ad eam propius adsum;* et *prope est ad te Deus.* In his autem, Cic. Fin. IV. 10. *Sed ut ad ea propius accedam.* Id. Partit. c. 36. *Accedere propius ad mentem alicuius.* Nepot. Phoc. 2, 1. *Cum prope ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna*, praepositio *ad*, non (quod voluere Sanctius et Perizonius, p. 153.) ad *prope*, sed ad verba motus, *accedo* et *pervenio*, pertinet. Quod si, in posteriore exemplo, cum recentioribus Editt. *permansisset* legamus, eadem erit structurae ratio, ac si *prope* omisso, aut *fere* in eius locum substituto, *cum ad annum octog. prosp. perm. fort.* dictum esset: ubi *ad* pro *usque ad* accipi palam est. Vid. infra reg. 59. n. 80. In illo autem Senec. Cons. ad Marc. c. 23. sub fin. *Quicquid ad summum pervenit, ad exitum prope est*, quaedam edit. *properat* exhibent: at Lipsius (refragante licet Gronovio) se nihil cunctari ait legere *ab exitu prope est*, phrasi Tullii et ipsius Senecae. Addere de posteriore poterat, *qui nusquam fere aliter loquitur.* Vid. eum de vit. beat. c. 1. Epist. 18, 74, etc. et confer infra reg. 64. n. ult.

Digitized by Google

propius vero est. Virg. Aen. V. 320. *Proximus huic, magno sed proximus intervallo.* Sall. Cat. 11. 1. *Quod tamen vitium propius virtutem erat.* Cic. Att. I. 14. *Proximus Pompeium sedebam* [66]).

OBSERVATIO V.

☞ *Junge* bilis *terno, passivaque participantum;*
Qui secus in sextum solet, a praeeunte, resolvi.

☞ Verbalia in bilis [67]), et Participia passiva futuri [nonnunquam et praeteriti [68])] temporis, dativo gaudent, qui resolvi potest in ablativum cum praepositione a vel ab: ut, Cic. Phil. VII. 5. *Pax bonis omnibus optabilis.* Hor. Ep. I. 6. 23. *Hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.* Ter. And. I. 1. 159. *Restat Chremes, qui mihi exorandus est.* Ovid. Art. II. 167. *Pauper amet caute, timeat maledicere pauper; Multaque divitibus non patienda ferat.* [Cic. Amic. c 4. *Sperare videor Scipionis et Laelii amicitiam notam posteritati fore.* Ovid. Pont. IV. 12. 22. *Non mihi, quam fratri frater, amate minus.* Id. ibid. v. 20. *Pene mihi puero cognite pene puer* [69]).]

---

66) Invenitur et *proximus* cum genitivo ap. Vell. Paterc. II. 114, 5. *Vir nominis ac fortunae eorum proximus.* Et ibid. 109, 5. *Qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat.* Nisi mavis, cum Boeclero, genitivum cum *locus* hic construere.

67) Lohmonus, N. N. p. 29. non tantum Verbalia in bilis, sed alia quaevis adiectiva passive significantia huc referri postulat: ut, Sil. I. 137. *Nec Ceteri terra indocilis, nec inhospita Baccho.* Et Ovid. Met. II. 762. *Domus non ulli pervia vento.* Eaque ratione factum sit, ut *facilis* et *utilis* cum dativo personae construantur.

68) Speciatim, notante Alvaro, p. 881. locum habet haec constructio in iis quae nominum naturam induerunt: qualia sunt, *Notus, cognitus, perspectus, exploratus, compertus, dilectus, probatus, acceptus, spectatus, contemptus, despectus, neglectus*: et composita; ut, *incognitus, inauditus, invisus*, etc. Aliter enim participiis praeteriti temporis frequentius ablativum quam dativum Oratores tribuere se sit observasse: ut, Cicer. pro Mil. c. 2. *Diu vexati a perditissimis civibus.* Quinctil. II. 3. *A me familiariter amatus*, etc. Ut vero satis iusta sit haec Alvari observatio; non erat tamen cur alteram illam per dativum loquendi formam apud Oratores et Historicos rarissimam nec facile imitandam diceret Cellarius, Cur. poster. c. 9. p. 342. Ciceronis enim sunt, Att. XIII. 24. *Ego audita tibi putaram.* Brut. c. 58. *Auditus est nobis Laeliae C. F. saepe sermo.* Sic, *Mihi est a puero elaboratum, Intellectum est mihi, Nunquam praestantibus in rep. viris laudata est in una sententia perpetua permansio*, ex eod. profert Ursinus, p. 327. additque se locis Sallustii, Livii, Senecae, Gellii, Apulcii, post Ciceronis illa, proferendis abstinere. Vid. et Farnabium, p. 80. reg. 59. et Gramm. Oxon. p. 185.

Digitized by Google

☞ Not. 1. Verbalia in bilis vix aliter quam cum dativo construuntur: ut, Ovid. Met. XI. 767. *Pectus inexpugnabile amori;* vix, *ab amore* [70]).

☞ Not. 2. At participia in dus, quamvis frequentius quidem dativum, haud raro tamen ablativum cum a vel ab, habent. ut, Cic. Fam. XV. 4. *Admonendum potius te a me quam rogandum puto.* Id. contr. Rull. II. 35. *Non eos in Deorum immortalium numero venerandos a nobis et colendos putatis* [71])?

☞ Not. 3. Participiis vero praeteriti temporis longe usitatius (apud Oratores praesertim) ablativus cum praepositione, quam dativus, subiicitur: ut, Cic. de Orat. III. 3. *Mors Crassi est a multis defleta*, potius quam, *est multis defleta.* * In his autem innumerisque eiusmodi, Cic. Fam. I. 9. *Caesar a Crasso in me est incensus.* Id. Att. VIII. 11. *Haec a te invitatus breviter exposui.* Ovid. Met. XIII. 67. *Proditus a socio est*; dativo vix utendum [72]).

---

69) Etiam verbis passivis, apud Poetas praesertim, dativus pro ablativo personae agentis haud raro substituitur: ut, Ovid. Pont. III. 9, 89. *Cum toties eadem dicam, vix audior ulli;* pro *ab ullo.* Hor. Car. I. 6, 1. *Scriberis Vario;* pro *a Vario.* Cic. Off. III. 9. *Honesta bonis viris, non occulta quaeruntur.* Id. de Senect. c. 11. *Semper in his studiis laboribusque viventi non intelligitur quando obrepat senectus.* Vid. Voss. Constr. c. 38. qui tamen negat his simile esse illud Ciceronis, *Omnibus videbatur probari oratio mea.* „Hic enim dativus, *inquit*, non est ex propria passivi natura, sed ex communi indole verborum, quae acquisitive posita dativum exigunt: qua nimirum ratione in activo dixeris, *Omnibus probo orationem meam.*“ Verum cum et *probari ab aliquo*, ut in hoc eiusd. Cic. Att. IX. 19. *Meum factum probari abs te gaudeo*, dicatur, rem omni dubio haud carere, notat Ursinus, l. c.

70) Sic, Stat. Th. X. 85. *Nulli penetrabilis astro Lucus.* In illis autem Ovidii, Met. XII. 166. *Corpus nullo penetrabile telo.* Et ibid. v. 170. *Nullo forabilis ictu Cygnus*, ablativus est instrumenti vel causae, praepositione *a* vel *cum* intellecta. Sed et ibi nonnulli codices *nulli* habent, quo modo Stat. Theb. II, 653. *Nullique tuum penetrabile telo Pectus.* * Hic autem dignum est observatu, ex adiectivis hisce in bilis quaedam interdum activa significatione adhiberi: ut, Virg. Aen. X. 481. *Penetrabile telum.* Lucret. I. 11. *Genitabilis aura Favoni.* Plaut. Most. V. 2, 40. *Orator impetrabilis.* Val. Max. I. 1, 15. *Venerabilis in Deos.* Confer Scalig. de caus. L. L. IV. 98. p. 251. Goclen. Probl. Gramm. II. 57. Perizon. ad Sanct. I. 15. p. 136.

71) Plura videsis ap. Alvar. p. 382. unde cognoscas non tam raram esse hanc structuram, quam Linacer lib. IV. in fin. cam videri voluit. Et confer Ursin. p. 417.

72) Vid. interim quae diximus paulo ante n. 68. Ea tamen non impediunt quo minus vera sit Alvari observatio: ut mirum sit doctissimum Sol. Lowaeum, Gramm. p. 22. n. 83. contra docere, participia passiva saepius cum dativo, rarius cum ablativo, solere construi: ut, Cic. Attic.

Digitized by Google

5. *Adiectiva Accusativum regentia.*

17. Adiectiva quibus dimensio significatur,
Mensurae adsciscunt quartum; quandoque Latinum,
Aut patrium. Solo excessum sed pone Latino.

I. Adiectiva dimensionem significantia regunt nomen mensurae [73]), frequentius quidem in accusativo; interdum etiam in ablativo, vel genitivo. 1. Accus. ut, Liv. XXXVI. 40. *Gladios habentes tenues longos quaterna cubita.* Plin. VI. 26. *Babylon sexaginta millia passuum complexa, muris ducenos pedes altis, quinquagenos latis.* 2. Ablat. ut, Liv. XXXVII. 37. *Fossam sex cubitis altam, duodecim latam, quum duxisset.* Plin. XXXV. 14. *Longum sesquipede, latum pede.* 3. Genit. ut, Colum. II. 11. *Areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenum facito* [74]). Plin. XXXVI. 15. *Singula latera pedum latera tricenum* [75]), *alta quinquagenum* [76]).

II. 49. *Tu a me observatus.* At eum in errorem hunc traxisse videntur Grammatica Liliana, et Farnabius idem fere docentes.

73) Adiectiva dimensionem in genere significantia sunt, *Longus, latus, crassusque, profundus et altus.* Substantiva mensurae sunt, *Digitus, palmus, pes, cubitus, ulna, passus, stadium, milliare*, etc. * Hic autem notandum est, Adverbia etiam ab his adiectivis deducta similem quandoque structuram sortiri: ut, Cato, R. R. c. 21. *Inter cuppam dextra sinistraque pertundito, late digitos primores quatuor, alte digitos primores tres.* Colum. III. 13. *Alte duos pedes et semissem.* Pallad. Sept. 13. *Alte tribus pedibus.* Vitruv. VII. 4. *Alte circiter pedibus tribus.* Lucil. ap. Charis. col. 182. *Longe tria millia passuum.* * Dicimus etiam, nomine concreto in abstractum converso, *Lapis longitudine cubiti, latitudine palmi.* Sic, Plin. XII. 13. *Frutex palmi altitudine.* Caes. B. G. III. 13. *Transtra digiti pollicis crassitudine.* In quibus subaudi *in*, quod expressit id. Plin. XXVII. 12. *Radices binum cubitorum in altitudine.* Aliter extulit idem Plin. XIII. 25. *Abies cubitali altitudine.* Et IX. 36. *Lingua purpurae longitudine digitali.*

74) Utrumque et ablativum et genitivum eadem sententia coniunxit Columella, III. 13. *Quidam dupondio et quadrante altum sulcum, latum pedum quinque faciunt.*

75) Genitivo tantum locus est, cum de pluribus est sermo: neque enim, *Caulis altus palmi, longus sesquipedis*, recte dixeris. Vid. Ursin. p. 90.

76) In his cum accusativo constructis, Ellipsis est praepositionum *ad* vel *in*, quas nonnunquam et Auctores exprimunt: ut, Varro, R. R. III. 5. *Est lapis a falere pedem et dodrantem alta* [ἀρχαικῶς, pro *altus*:] *ipsum falere ad duos pedes altum: a stagno latum ad quinque.* Plinius, XXVII. 12. *Longa folia habet fere ad tres digitos.* Colum. de Arbor. c. 16. *Deinde sulcum in quatuor pedes longum, in tres altum, in dupondium et semissem latum, cum feceris.* * Cum ablativo iunctis Vossius Constr. c. 14. *a* vel *ab*, Ursinus, p. 90. *tenus*, Lowaeus Gram. p. 22. *in*, intelligit. * Cum genitivo subaudiendum *ad mensuram* vel *spatium*. [Nihil subaudiendum. G. St.]

Digitized by Google

II. Excessus mensurae in solo ablativo ponitur[77]): ut, Curt. V. 1. 26. *Turres denis pedibus quam murus altiores sunt.* Plaut. Trin. IV. 2. 58. *Sequipede est quam tu longior*[78]).

4. *Adiectiva* Ablativum *regentia.*

18. Da medio sextum gradui, per quam reserandum.

Comparativus gradus regit ablativum[79]), qui exponitur per quam[80]): ut, Hor. Ep. I, 1. 52. *Vilius est ar-*

---

77) Mensurae defectus pari modo in solo ablativo ponitur; ut, Plin. XXXVI. 9. extr. *Is vero qui est in campo Martio, novem pedibus minor, a Sesostride* [est excisus:] cui haud multum absimile illud Hor. Sat. II. 5. 93. *Forte minus locuples uno quadrante periret.* * Saturnius, IX. 12. p. 425. defectum quandoque genitivo exprimi ait, in testimonium illum ipsum quem modo citavimus Plinii locum (ubi ex vetustioribus, sed corruptis Edd. pro *novem pedibus*, *novem pedum* legerit) allegans. * Quae adferunt sive excessus, sive defectus exempla Despauterius, p. 845. et Lowaeus, p. 22. n. 9 et 10. *Tota cohors pede non est altior uno*, ex Iuven. XIII. 178. *Et collectus aquae digitum non altior unum*, ex Lucret. IV. 416. prorsus aliena sunt. In his enim rei mensura simpliciter designatur; non vero mensurae inter eam et aliam rem differentia.

78) De verbis nomen mensurae in accusativo vel ablativo, excessus in solo ablativo, simili fere qua adiectiva ratione, postulantibus, postea dicetur reg. 58.

79) Comparativus non per se ipse ablativum postulat, sed propter intellectam praepositionem *prae*: quam expressit Apuleius, Met. VIII. p. 252. *Unus prae caeteris animo fortior exsurgit.* [Nihil supplendum. G. St.] * Variatur et haec constructio per praepositiones *ante*, *praeter*, et *supra*: ut, Virg. Aen. I. 347. *Scelere ante alios immanior omnes.* Suet. Galb. 9. 4. *Multo praeter caeteras altiorem crucem statui iussit.* Solin. *Forma supra hominem augustiore.* * Invenimus etiam per praepositiones hasce positivo functas comparationem fieri: ut, Virg. Aen. V. 570. *Forma ante omnes pulcher Iulus.* Hor. Epod. III. 9. *Ut Argonautas praeter omnes candidum Medea mirata est ducem.* Cic. Fam. IV. 4. *Non tu quidem sacuus molestiis, sed beatus prae nobis*; i. e. *pulchrior et candidior omnibus*, *beatior nobis.* * Male autem exinde colligit Sanctius, IV. 6. p. 679. non in comparativis ipsis, sed in praepositionibus hisce vim comparationis inesse. Rectius Perizonius, qui ibid. n. 12. ostendit praepositionem *prae* comparativo nectere illud cum quo fit comparatio, sed per Pleonasmum quendam significationis, qualis est *Magis mollior*, et *Adire ad aliquem.*

80) Vel per ac aut atque: ut, Plaut. Merc. V. 2. 56. *Amicior mihi nullus vivit atque is.* Ter. And. IV. 2. 15. *Non Apollinis magis verum atque hoc responsum est*; pro, *amictor illo*, *verius hoc responso.* Hom, Cic. Att. XIII. 2. *Mihi Dionysius videtur diutius abfuturus ac nollem.* Sed optimos Oratores rarissime comparativis subiicere *ac* vel *atque* notat Sshwartzius ad Turscll. c. 4. §. 2. * Observat autem Linacer lib. III. p. 190. comparativorum deminutiva constructionem cum voce quam solum habere: ut, Ter. Eun. III. 3. 21. *Thais quam ego sum, maiuscula est.* Plin. N. H. Praef. *Durisculum ac fecit, quam volebat existimari.* Sed hoc posterius exemplum aliter exhibet Harduini editio.

Digitized by Google

gentum auro, virtutibus aurum. Virg. Ecl. VII. 37. *Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae, Candidior cycnis, hedera formosior alba,* i. e. *quam aurum, quam virtutes, quam thymus,* etc.

Not. I. Positivus cum adverbio magis [81]) potest itidem ablativum regere: ut, Virg. Aen. IV. 51. *O luce magis dilecta sorori* [82]). Ovid. Met. II. 856. *Puraque magis pellucida gemma,* sc. *cornua* [83]).

Not. 2. Cum ablativus comparationis exponitur per quam, in casum transit verbo congruentem: ut, Liv. XXX. 30. *Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria* [84]). Ter. Phor. IV. 2. 1. *Ego hominem callidiorem vidi neminem quam Phormionem* [85]).

---

81) Ipsum etiam adverbium magis (quamvis id comparativi gradus in arte Grammatica neget esse Perizonius, p. 214. n. 1. ac elementum comparandi, non vero per se comparativum, dicat Saturnius, IX. 6.) absolute positum cum ablativo construitur: ut, Virg. Aen. I. 15. *Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo.* * Id vero longe insolentius, quod Positivus nonnunquam cum adverbiis *aeque* et *adaeque,* ablativo coniunctus reperiatur: ut, Plaut. Amph. I. 1. 137. *Nullus est hoc meticulosus aeque.* Id. Most. I. 1. 29. *Quo nemo adaeque antehac est habitus parcus.* Id. Cas. III. 5. 45. *Neque est, neque fuit, nec senex quisquam amator adaeque miser.* In his Sanctius, p. 682. praepositionem *prae:* at Perizonius ibid. et rectius, *cum* intelligit. Simile est, similiterque supplendum illud Lucani, IX. 766. *Parvo modo serpens; sed qua non ulla cruentae Tantum mortis habet;* i. e. *tantum mortis cum qua,* sive (venia sit inusitatae locutioni) *tantum mortis quam quae.* Quod magis congruum mihi videtur, quam cum Cl. Oudendorpio, *qua* cum *non ulla* iungere; ut eadem ratione dictum sit, qua *Non alius sapiente, Non alius Lysippo,* etc. Vid. reg. 41. n. 18. * Quod vero vulgatus Interpres, Superlativo ablativum subiiciat, Matth. XIII. 3. *Quod minimum est omnibus seminibus,* pro *omnium seminum,* vel *minus omnibus seminibus,* imitandum non est.

82) Similiter et cum eius contrario *minus*: ut, Plin. XXI. 7. *Novella vetustis minus odorata.* Ter. Eun. II. 1. 20. *Hoc nemo fuit minus ineptus.*

83) Interdum uterque, et comparativus, et positivus cum *magis,* vocum alioquin comparabilium, in eadem sententia miscetur: ut, Ovid. Art. I. 475. *Quid magis est durum saxo, quid mollius unda?* Et Plin. XXI. 7. *Vina mustis odoratiora, et silvestria magis omnia sativis,* supplo *odorata sunt.*

84) Si alius casus quam nominativus vel accusativus praecesserit, addendum est verbum *sum* cum nominativo. Neque enim dixeris, *Utor Cicerone doctiore quam Sallustio: Dedi pecunias Titio fideliori quam Sempronio:* sed *quam Sallustius fuit, quam Sempronius est.* Sic, Gell. X. 1. *Verba M. Varronis, quam fuit Claudius, doctioris.* Cic. Verr. IV. 20. *Homini gratiosiori, quam Cn. Calidius est.* [V. Saturn. p. 416.] Id. Fam. V. 7. *Ut tibi multo maiori quam Africanus fuit, me non multo minorem quam Laelium, et in rep. et in amicitia adiunctum esse patiere,* i. e. ut explicat Perizon. p. 225. n. 8. *quam Laelium fuisse scimus.* Adde Burmann. ad Quinctil. Declam. 321. sub fin. p. 646. * Quin etiam praecedente accusativo, verbum *sum* cum nominativo haud raro adhibetur: ut

Digitized by Google

Not. 3. Quam eleganter duobus comparativis [86]) interponitur: ut, Liv. V. 23. *Triumphus clarior quam gratior* [87]). Cic. de opt. gen. orat. c. 2. *Alius acutiorem se quam ornatiorem esse vult* [88]). [Cfr. Math. Gr. Gr. §. 456].

Not. 4. Pro, *nemo*, *nullus*, Auctores *nihil* cum comparativo neutri generis eleganter utuntur: ut, Cic. Brut. c. 38. *Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius.* Claudian. Eutrop. I. 181. *Asperius nihil est humili cum surgit in altum.* Iuv. VI. 459. *Intolerabilius nihil est quam foemina dives* [89]).

Val. Max. III. 2. exter. 1. *Ut gloriari possis fortiorem aliquanto virum, quam ipse es, tua iussu esse intereptum.* Plaut. Curc. II. 2. 6. *Meliorem quam ego sum, suppono tibi.* Senec. Cons. ad Polyb. c. 34. *Drusum Germanicum, minorem natu quam ipse erat, fratrem, in complexu et osculis suis amisit.* Vid. Saturn. IX. 7. Sanct. II. 10. prope fin. et mox n. 92. * In hoc Virg. Aen. IV. 502. *Graviora timet quam morte Sichaei*, cave putes utramque constructionem coniungi: (Quis enim, ut notat Aldus Manutius, Inst. Gram. fol. 90. diceret, *Amo Catonem meliorem quam Caesare?*) sed est Ellipsis praepositionis in: ut plena oratio sit, *graviora quam ea quae in morte Sichaei acciderunt.* Vid. Despaut. p. 249. Saturn. l. c. et Ursin. p. 116.

85) Si ablativus comparationis fit a nominibus *nemo*, *nullus*, aut relativo pronomine *qui*, non potest commode exponi per *quam*: ut, *Nemine vult videri inferior. Ennius, quo Virgilius poëta praestantior est.* Senec. de Ira, I. 5. *Si hominem inspexerimus, quo quid est mitius, dum in recto animi habitu est?* Neque enim, *Inferior quam nemo*, *Praestantior quam qui*, *Mitius quam qui*, recte dixeris. Confer Alvar. p. 290. Schmid. p. 292. Saturn. p. 417. Despaut. p. 285. Ursin. p. 115.

86) In his posterior comparativus sensu imminui, ac pro positivo quasi accipi videtur, q. d. *Triumphus non tam gratus quam clarus*: vel, *minus gratus quam clarus.* Hoc autem modo comparativi nullos fere post se casus admittunt. Vid. Schmid. l. c.

87) Eadem ratione et indefinito *an* utimur: ut, Gell. XVIII. 4. *Per incertum stolidior an vanior.* Solin. c. 1. de Augusto, *Ut non sit facile discernere calamitosior an beatior fuerit.* Vid. Linac. lib. III. p. 192.

88) Similiter et inter eius gradus adverbia: ut, Liv. XLI. 1. *Repentinus et tumultuarius exercitus acrius primo impetu quam perseverantius pugnavit.* Plin. III. 7. *Oppidum altius quam fortunatius situm.* * Caeterum hoc genus loquendi duobus insuper modis variari posse docet Saturnius, IX. 14. (1) Per *magis* et positiva: ut, Cic. Orat. I. 42. *Artem habebit is magis magnam atque uberem, quam difficilem atque obscuram.* Sed hic *magis* pro *potius* accipitur: neque satis commode eius et positivi loco comparativos, *maiorem*, *uberiorem*, etc. adhibueris. (2) Per comparativum et positivum: ut, Tac. Agr. 4. 6. *Sublime ingenium speciem excelsae gloriae vehementius quam caute appetebat.* Quod autem addit Saturnius, et ex eo Ursinus, p. 115. illud Plin. X. 52. *Tribuit hoc avium generi Natura, ut foecundiores essent fugaces earum quam fortes*, prorsus a re alienum est: neque enim inter foecundas aves et fortes, sed inter fortes et fugaces comparatio hic instituitur.

89) Sic interrogativum *Quid*, et praeunte negativo *quidquam*: ut, Cic. pro Mil. c. 2. *Quid nobis duobus laboriosius, iudices? quid magis sollicitum, magis exercitum dici aut fingi potest?* Id. Dom. III. 7. *Sci-*

Digitized by Google

☞ Not. 5. Cum comparativis iunguntur ablativi, *opinione, spe, aequo iusto, solito, dicto*: ut, Cic. Brut. c. 1. *Opinione omniuni maiorem animo cepi dolorem.* Iuv. XIII. 11. *Flagrantior aequo non debet dolor esse viri, nec vulnere maior.* Virg. Aen. 142. *Sic ait, et dicto citius tumida aequora placat* [90]).

☞ Not. 6. Comparativis etiam addi solent hae intendendi particulae, *tanto, quanto, aliquanto, quo, eo, hoc, multo, longe, paulo, nimio*: Cic. Off. I. 26. *Quanto superiores sumus, tanto nos geramus submissius.* Id. Off. I. 19. *Quo difficilius, hoc praeclarius* [91]). Item haec nomina adverbialiter sumpta: ut, V. Max. IV. 1. 1. *Quantum domo inferior, tantum gloria superior evasit.* Ter. Eun. I. 2. 51. *Eius frater aliquantum ad rem est avidior.*

☞ Not. 7. Interdum pro ablativo comparationis dativus ponitur: ut, Plin. III. 16. *Padus nulli amnium claritate inferior* [92]). Sall. Frag. Hist. II. *Vir gravis et nulla arte cuiquam inferior* [93]).

---

licet contempsi te, nec potest fieri ut quidquam superbius. Ter. Adelph. I. 2. 28. *Homine imperito nunquam quidquam iniustius.* Confer Turnell. c. 187. 8. §. 28. et 198. §. 14.

90) Aliquando hi ablativi per Ellipsin reticentur: ut, Virg. Aen. I. 228. *Tristior, et lacrymis oculos suffusa nitentes*; supple, *solito*. Nepos, Themist. I. 2. *Liberius vivebat, et rem familiarem negligebat*, sc. *iusto*. Virg. Aen. IV. 294. *Ocyus omnes Imperio laeti parent*, sc. *dicto*. Vid. Perizon. ad Sanct. II. 10. n. 6. et Ursin. p. 109.

91) Interdum responsiva particula *eo* vel *hoc* omittitur: ut, Liv. II. 51. *Quo plures erant, maior caedes fuit.* Colum. XI. 3. *Quo saepius id factum est, maius semina capiunt incrementum.* Vid. Turnell. c. 195. §. 2. [Ovid. Epist. IV. 19. *Venit amor gravius quo serius.* Manil. IV. 6. *Pauperiorque est, quo plura requirit.* Cic. de fin. V. 18. Plura dabunt Gronov. ad Liv. XXV. 36. Drackenb. ad XXVI. 20. Etiam *tanto* omittitur. V. Schwarz. ad Plin. Paneg. 73. G. St.]

92) Sic Buchananus noster, H. Scot. lib. IX. c. 3. *Vir fortitudine et rei militaris peritia nulli Regum Scotorum inferior*: et XX. 61. *Omnibus corporis et animi virtutibus iuventutis Scoticae nulli inferior.* In his autem vox *inferior* comparativi vim amittere, ac pro *secundus, concedens*, aut simili, accipi videtur. Caeterum hisce in locis ad vitandum plurium ablativorum concursum, dativus adhibitus videtur. Quanquam Buchananus absente ablativo dativum non refugerit, lib. VII. c. 9. extr. *Ut, si vis in regno parando abfuisset, nemini superiorum Regum fuisset habitus inferior.* Et Livius, contra, aliis concurrentibus, ablativum adhibuerit, XXI. 31. *Allobroges nulla Gallica gente opibus aut fama inferiores.* Aliter porro haec vox, vel cum nominativo, vel accusativo, praecedente *quam*, construitur: quo pacto, quod sciam, Tullius semper loquitur: ut, Off. I. 32. *Timotheus belli laude non inferior fuit quam pater.* Brut. c. 48. *P. Orbius in iure civili non inferior quam magister fuit.* Ad. Q. Fr. I. 1. 6. *Quem ego intelligam prudentia non esse inferiorem quam me.*

Digitized by Google

Not. 8. Interdum magis et plus comparativo per Pleonasmum adiunguntur: ut, Plaut. Capt. III. 4. 112. *Nihil invenies magis, hoc certo certius.* Virg. Cul. v. 78. *Quo magis optato queat esse beatior aevo.* Senec. Controv. IV. *Mitior est plus quam debet* [94]).

Et pro Planc. c. 12. *Nonnullis rebus inferiorem quam te.* Sic Buchananus Hist. Scot. lib. XII. c. 31. *Homini prope novo, ac multum dignitate et opibus quam prior maritus inferiori, nubere cogitur.* Ad quem locum vid. nos, et quae ibi addit Cl. Burmannus.

93) Invenitur et comparativus cum genitivo, extra partiendi significatum, constructus ap. Apul. Met. IX. p. 306. *Nec tamen sui molliorem provocaverat;* pro, *molliorem se*, vel *quam ipse erat.* Atque haud scio an ita interpretandum sit illud Sidonii Apoll. Car. XI. v. 52. *Qua socer Omatius, magnorum maior avorum;* pro, *magnis avis.* Ap. Tacit. quoque Hist. V. 1. 2. *Ut superior sui iam crederetur*, vetustius editi libri praeferunt; tuenturque Acidalius in loc. et Scioppius de Stil. Hist. p. 129. *sui* pro *se* Graecanica constructione positum affirmantes. Lipsius *super fortunam*, alii aliter legunt. Mihi, si coniecturae locus sit, defendi posse vulgata scriptura videtur, si dicamus *superior* hic substantive accipi, eodem fere pacto, quo *Inimicissimus suus*, ap. Cic. pro Mil. c. 9. *meritissimo eius*, ap. Plaut. Asin. III. 3. 147. dicuntur: ut adeo, *superior sui*, idem sonet, quod *victor*, seu *superator sui.* Utut vero res se habeat, nemini ut eam imitetur loquendi formam auctor sim.

94) Plura eiusmodi exempla vid. ap. Voss. Constr. c. 16 et 61. Sanctium, p. 714. et ad eum Perizon. n. 2. et p. 222. n. 5. Ursin. p. 480 et 517. Lowaenum, Append. p. 39, etc. * Notat autem Priscianus, lib. III. col. 605. adverbium *magis* comparativo recte iungi posse, quando ipse comparativus vel ad se, vel ad alium comparatur: ut, *Achilles Aenea fortior magis quam iustior;* et *Aiax Ulysse fortior magis, quam Diomede.* Tale est illud Ulpian. l. 3. §. 9. ff. de adim. legat. *Sed melius est, sensum magis, quam verba amplecti.* Et hoc Hieronymi [ap. Linacr. p. 192.] *Quidam ex fratribus parcior magis, quam iustior.* Sed in his *magis* pro *potius* accipitur, neque ad comparativos, *melius, parcior, iustior*, etc. sed ad verba *amplecti* et *est*, debet referri, ut Goclenio Probl. Gramm. V. 5. sub fin. solerter observatum. Eadem fere mens est acutissimi Saturnii, qui IX. 15 et 17. eiusmodi collationem *electivam* appellat, in qua *magis* aut *potius*, non comparative, inquit; sed discretive collocatur. Is autem eius rei haec adducit exempla. Pallad. I. 17. *Construatur longior magis quam latior.* Senec. de Brev. vit. c. 12. *Qui comptior esse malit quam honestior.* Quibus affinia facit et haec: Val. Max. III. 7. 1. *Uterque nostrum magis invidia quam pecunia locupletior est.* Iustin. III. 2. 7. *Non inventione earum magis, quam exemplo clarior.* * Hic autem e contrario animadvertere liceat, *magis* et *plus*, vel *potius*, interdum per Ellipsin reticeri: ut, Plaut. Rud. IV. 4. 70. *Tacita semper bona est mulier, quam loquens;* pro, *magis bona*, vel *melior.* V. Max. I. 1. exter. 3. *Factum Masinissae animo, quam Punico sanguini conveniens*, i. e. *animo magis* vel *plus*, quomodo libris nonnullis scriptum. Tac. Ann. IV. 61. 1. *Excessit Agrippa claris* [magis] *maioribus, quam vetustis.* Plaut. Menaech. V. 1. 26. *Quin vidua vivam* [potius,] *quam tuos mores perferam.* Confer Popm. de usu antiq. loc. II. 11. p. 318. Vechner. Hellen. I. 5. Schott. Observ. hum. V. 34. Voss. Constr. c. 61. Perizon. ad Sanct. IV. 7. 4. Schwartz. ad Tursell. c. 112. §. 23. Torren. ad V. Max. l. c. et quos illi laudant alios Interpretes.

Digitized by Google

☞ Not. 9. Post comparativa, *plus*, *amplius*, *minus*, eleganter intelligitur quam: ut, Liv. XL. 55. *Capta plus quinque millia hominum.* Virg. Aen. I. 683. *Noctem non amplius unam Falle dolo.* Ovid. Met. XI. 478. *Aut minus, aut certe medium non amplius aequor Puppe secabatur* [95]).

☞ Not. 10. Eleganter nonnunquam post comparativum additur praepositio pro: ut, Liv. XXI. 29. *Praelium atrocius quam pro numero pugnantium editur.* Curt. V. 4. 25. *Maiorem quam pro flatu sonum reddebant*, sc. *silvae* [96]). [Cfr. Math. Gr. §. 449. G. St.]

19. *Praeditus*, et *fretus*, *captus*, cum proleque *dignus*,
Contentus, *carus*, *vilis*, *venalis*, adoptant
Coniungi sextis: *Genitus*, *satus*, *editus* adde,
Et similes voces signant quae sanguinis ortum.
Rite sed haec possunt admittere praeposituram.

1. Haec adiectiva, *Dignus*, *indignus*, *contentus*, *praeditus*, *captus* et *fretus*; et *venalis*, ablativum postulant [97]): ut, Hor. Car. IV, 7. 28. *Dignum laude virum.*

---

95) Atque haec Ellipsis in omnibus casibus, praeter dativum et vocativum, locum habet. Nominat. ut, Liv. XXXIX. 31. *Romam paullo plus sexcenti ceciderunt.* Plin. XI. 38. *Animalibus, quibus plus quaterni pedes, sanguis nullus.* Genit. Liv. X. 38. *Paullo plus viginti millium alius exercitus fuit.* Tac. Hist. IV. 52. 6. *Ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit.* Accus. Ter. Adelph. II. 1. 46. *Plus quingentos colaphos infregit mihi.* Caes. B. Gall. IV. 12. *Cum non amplius octingentos equites haberent.* Abl. Nepos, Themist. V. 2. *Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus.* Liv. XL. 32. *Capta quatuor millia et octingenti cum equis plus quingentis.* Sed in his postremis non semper necesse est subaudiri τῷ *quam*: cum ablativus addi possit particulis istis tanquam comparativis qui ablativum regunt: quod certe statuendum in illo Livii, XXIV. 17. *Plus duo millia hostium eo die caesa traduntur, Romani minus quadringentis.* Vid. Saturn. IX. 16. Maior. de var. orat. p. 56. Perizon. p. 529. Gunther. Lat. restit. Part. II. p. 897. seqq. Et confer nos supra Part. I. p. 138. n. 11. * Magis cum hac Ellipsi constructum, ap. Cic. pro Rosc. Amer. c. 14, *Annos natus magis quadraginta*, tanquam rarissimi exempli observat Schwartzius ad Tursell. p. 602.

96) Non inde tamen recte colligit Sanctius, in his *Ditior opinione*, *Calceus maior pede*, *pro* potius quam *prae* deesse. Aliud enim est (ut ostendit Cl. Perizonius, p. 194. n. 2.) *Ditior opinione* (vel *prae opinione*) et *Ditior pro opinione*. At vero (ut idem notat) *Calceus maior est pro pede*, vix ullum recipit commodum satis sensum. Ast *maior quam pro pede*, recte dicitur hoc sensu, *maior est prae ea ratione, ad quam esse debebat pro magnitudine pedis*, h. e. *prout magnitudo pedis postulat.*

97) Post *dignus*, *indignus*, *captus*, a vel ab; post *contentus*, de vel cum; post *fretus*, in; post *praeditus*, cum; post *carus*, *vilis* et *venalis*, pro, intelligi videntur.

Digitized by Google

Musa vetat mori. Ter. Adel. III. 4. 54. *Haeccine flagitia facere te, haec te admittere, indigna genere nostro,* [supple *decet*, vel *aequum est?*] Hor. Sat. II. 3. 110. *Contentus parvo, metuensque futuri.* Cic. pro Dom. c. 42. *Vir singulari bonitate et modestia praeditus.* Id. Tusc. V. 14. *Oculis et auribus captus* [98]). Curt. VII. 2. 12. *Conscientia fretus in regiam venerat* [99]). Senec. (ex Catone) Epist. 94. *Quod non opus est, asse carum est.* Plaut. Most. I. 3. 139. *Vile est viginti minis.* Propert. III. 11. 49. *Auro venalia iura.*

II. Haec participia generis originem indicantia, *Genitus, natus, satus, ortus, editus*, et similia [100]), ablativum petunt, praepositionibus e, ex, vel de, intellectis [1]) haud raro etiam expressis [2]): ut, Virg. Aen. IX. 642. *Dis genite et genitore Deos.* Cic. Tusc. I. 35. *Filii iusta uxore nati* [3]). Virg. Aen. VI. 125. *Sate sanguine Divum, Tros Anchisiade.* Hor. Car. IV. 5. 1. *Divis orte bonis, optime Romulae Custos gentis, abes iam nimium diu.* Id. Car. I. 1. 1. *Maecenas atavis edite Regibus.* Item Mart. X. 66. *Ex Iberis et Celtis genitus.* Cic. Nat. Deor. III. 19. *Circe e Perseide Oceani filia nata.* Ovid. Fast. IV. 34. *Ilia cum Lauso de Numitore sati.* Sall. Iug. 5. 7. *Quod ortus ex concubina erat* [4]). Ovid. Heroid. V. 9. *Cum te contenta marito, Edita de magno flumine Nympha sui* [5]).

---

98) *Praeditus* et *captus* inter adiectiva copiae et inopiae etiam, et forte rectius, referri possunt.

99) *Fretus* cum dativo constructum legitur ap. Liv. VI. 13. init. *Multitudo hostium nulli rei, praeterquam numero, freta.* Et quamvis Gronovius, eumque secutus Douiatius, legendum censeant *nulla re*, ut alibi loquitur idem auctor lib. IX. 35. *Etrusci omnium, praeterquam multitudinis suae, qua sola freti erant, immemores,* non ausi tamen sunt locum mutare.

100) Ut, *generatus, creatus, prognatus, procreatus, cretus.*

1) Similiter et verbis ipsis, unde haec participia descendunt, praepositio interdum reticetur: ut, Hor. Car. II. 4. 9. *Nasci matre pudenda.* Id. Car. IV. 4. 29. *Fortes creantur fortibus et bonis.* Vid. infra reg. 35.

2) Vel additis, aliorum passivorum more, praepositionibus a vel ab; ut, Cic. Phil. IV. 2. *Mars a quo populum Romanum generatum accepimus.* Hor. Car. II. 3. 21. *Prisco natus ab Inacho.* Ovid. Met. IV. 606. *Ab origine cretus eadem Acrisius.* Hor. Sat. I. 6. 55. *Ab his maioribus orti.*

3) Adde, *Natus summo loco, illustri loco, honesto loco, antiquissima aut amplissima familia*, etc. ap. Caesarem et alios.

4) Horum structuram imitatur *oriundus*: ut, Lucret. II. 990. *Denique coelesti sumus omnes semine oriundi.* Liv. XXIV. 6. *Nati Carthagine, sed oriundi a Syracusis.* Addit et genitivum Despauterius, p. 240. ex Boët. Consol. Pros. 1. *Cuius oriundus sis patriae reminiscaris.*

Digitized by Google

☞ Not. *Dignus*, *indignus*, et *contentus*, cum genitivo interdum construuntur: ut, Balb. ad Cic. Att. VIII. penult. *Suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis.* Virg. Aen. XII. 649. *Magnorum haud unquam indignus avorum* [6]). Paterc. II. 68. 2. *Vixit angusti clavi contentus* [7]).

---

5) Negat Ursinus, p. 416. exempla in quibus *satus* et *editus* cum praepositione construuntur, inveniri. At falli eum haec ex Ovidio petita evincunt.

6) Sic, Sil. XI. 294. *Unde creatus Proles digna Deum tum Dardanus.* Ovid. Met. V. 344. *Utinam modo dicere possem Carmina digna Deae.* Stat. Silv. I. 2. 147. *Digna Deae sedes.* Id. Achill. II. 371. *O dignissima coeli progenies.* Sil. VIII. 385. *Ducit uvis pollens, nec dextra indignus avorum, Scaevola,* Alia eiusmodi exempla, quae non adeo rara, ac quibusdam est visum, suppeditabunt Voss. Constr. c. 11. Mai. de var. orat. pag. 187. Munker. ad Hygin. Astron. p. 367. Sam. Shaw Synt. p. 81. praecipue vero nobiliss. Heinsius ad Ovid. Trist. IV. 8. 57. * Ab eod. autem Maiore, p. 188. seqq. observatum est *dignus* praeterea construi, (1) Cum infinitivo: ut, Ovid. Art. I. 686. *Vincere digna Venus.* (2) Cum coniunctione *ut* et subiunctivo: ut, Mart. X. 34. *Dignus es ut possis totum servare clientem.* (3) Cum relativo *qui*: ut, Ter. Eun. V. 2. 26. *Si ego digna hac contumelia eum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.* (4) Cum praepositione *pro*: ut, Lucret. V. 2. *Quis potis est dignum pollenti pectore carmen Condere pro rerum maiestate hisque repertis.* Et Hor. Epist. I. 7. 24. *Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.* Sed diverso haec sensu dicuntur, quam cum simpliciter ei ablativus iungitur. Unde non satis causae Scioppio est data, cur (Gramm. Philosoph. Edit. Francq. 1704. p. 91.) ubique post *dignus pro* subaudiendum esse existimet. Vid. Ursin. p. 96. [In Edit. autem Amstel. 1659. id non habetur.] * Notat insuper eod. loc. Ursinus *dignus* cum dativo construxisse Plaut. Poen. I. 2. 45. ubi *dignum Veneri diem* memorat. Et, ne quis *Veneri* illic antiquum ablativum esse, pro *Venere*, opinetur; idem ei accusativum cum *ad* adiunxit, Mil. IV. 1. 21. *Ad tuam formam illae una digna est*: quomodo et Silius locutus videtur, XV. 567. *Inde legit dignas tanta ad certamina dextras.* * Contendunt denique Scioppius, d. l. et Voss. Constr. c. 13. *Dignus* cum accusativo construi in illo Terentii, And. V. 4. 38. *Dignus es cum tua religione odium.* At alii aliter hunc locum vel legunt, vel explicant, Interpretes. In his autem Plautinis, Asin. I. 2. 28. *Ne id quidem me esse dignum existimant.* Capt. V. 2. 16. *Non me censes scire quid dignus sim.* Et Pseud. IV. 1. 26. *Si tibi exoptem quantum dignus*: minus mirum esse ait Ursinus, p. 97. hos accusativos, *id*, *quid*, *quantum*, cum *dignus* iungi, cum ii verbis fere quibusque libere iungi soleant, atque inde a Grammaticis Extravagantes, inepte quidem, dicantur.

7) Vid. omnino Heins. ad loc. qui plura ex Ovidio, Iustino, Curtio, Dicty Cretensi, exempla congerit: item Vossium de Constr. c. 11. qui adfert ex Despaut. p. 263. et Linacro, p. 181. Livii illud, XXIV. 29. *Nec iam libertatis contentos esse*: et ex Sciopp. susp. lect. II. 8. illud Apul. Met. IV. p. 111. *Contento manus unicae.* In quibus tamen omnibus variant codices. At in illo Claudii ICti, l. 37. §. 4. in fin. ff. de leg. 3. *Ut contentus esset partis dimidiae dotis*: item Paulli, l. 8. §. 1. ff. de leg. 2. *Uni contentus esse debet*, pro *uniue*, consentientibus fere omnibus libris, legitur. Confer et Pareum Lexic. Crit. p. 272. et Gisan.

Digitized by Google

Adiectiva Genitivum *vel* Ablativum *regentia.*

20. Copia quo verum, vel significatur egestas,
Mobile, nunc patrium gaudet, nunc sumere sextum.

Adiectivum copiae vel inopiae regit genitivum vel ablativum.

I. Copiae [8]): ut, Ovid. Her. I. 12. *Res est solliciti plena timoris amor.* Iuven. V. 66. *Maxima quaeque domus servis est plena superbis.* Virg. Aen. IX. 26. *Dives pictai vestis et auri.* Hor. Art. V. 421. *Dives agris, dives positis in foenore nummis.* Lucan. I. 1. 71. *Amor et melle et felle est foecundissimus.*

II. Inopiae [9]): ut, Tac. Hist. III. 22. 1. *Inops consilii.* Cic. Brut. c. 70. *Lentulus non tardus sententiis, non verbis inops.* Ovid. Her. III. 60. *Sanguinis atque animi pectus inane fuit.* Cic. Att. II. 8. *Nulla abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat.* Ovid. Art. I. 612. *Vacuas caedis habete manus.* Cic. Fam. IV. 14. *Nihil tutum, nihil insidiis vacuum.*

III. Huc etiam referri possunt adiectiva participationem [10]) et privationem [11]), item potentiam et impoten-

---

de L. L. p. 47. * Caeterum Vossius Constr. c. 14. et ex eo Ursinus, p. 98. *de* (quod alias intelligi volunt) a Cic. expressum aiunt, de Amic. c. 6. *De his communis vita contenta est.* Verum e libris melioribus abest praepositio. * Accusativum gerundii cum praepositione ad ei iungi notant Ursinus, d. l. et D. Shaw, Synt. p. 29. in illo Ciceronis, Parad. VI. 1: *Cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit:* sed ibi Ellipsis est vocis *ea*, scil. *possessione.* * Accusativum ei addi, dicique adeo, *Contentus aliquid*, probatum existimat Sciopp. (Gram. Phil. p. Edit. Franeq. 91.) loco Plaut. Capt. I. 2. 73. *Si pauxillum potes contentus esse.* Verum hic *esse* pro *edere*, et *contentus* absolute positum docet Cronov. ad loc. ut sententia sit: *Si pauxillo potes parcus contentusque vesci.* * *Contentus* denique cum infinitivo, ut *dignus* et multa alia adiectiva, nec infrequenter iungitur: ut, Vellei. II. 49. 5. *Contentus retinere titulum:* et II. 112. 6. *Contentus sustinuisse hostes:* et Manil. III. 39. *Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*

8) Qualia sunt, *Abundans, beatus, copiosus, dives, ferax, fertilis, foecundus, foetus, frequens, frugifer, gravis, gravidus, immodicus, largus, praelargus, locuples, mactus, nimius, onustus, opulentus, plenus, refertus, differtus, satur, tentus, distentus, tumidus, turgidus, uber.* Quibus addunt coguata, *Benignus, firmus, instructus, laetus, liberalis, munificus, paratus, prodigus, prosper, satiatus, insatiabilis:* quae alio respectu alio possunt referri. Vid. p. 76. n. 9. in fin.

9) Ut, *Egenus, indigus, inops, ieiunus, inanis, modicus, pauper, sterilis, tenuis, vacuus.*

10) Ut, *consors, particeps*, et (de quibus supra) *affinis, praeditus.*

11) Ut, *captus*, de quo supra, *cassus, expers, exsors, dissors, exsul, extorris, immunis, irritus, mutilus, nudus, orbus, truncus, viduus.*

Digitized by Google

tiam [12]) significantia, et alia his affinia [13]): ut, Curt. VII. 1. 3. *Omnium consiliorum eius particeps.* Cic. Acad. IV. 7. *Si homo est, animal est mortale, ratione particeps* [14]). Paterc. II. 7. 2. *Iuvenis immunis delictorum paternorum.* Id. II. 35. 2. *Omnibus humanis vitiis immunis.* Stat. Th. XII. 262. *Illum, oro; extorrem regni, belloque fugatum, Redde mihi.* Virg. Aen. IV. 616. *Finibus extorris, complexu evulsus Iuli.* Liv. XXVI. 13. *Dum liber, dum mei potens sum.* Virg. Aen. I. 550. *Terra antiqua, potens armis atque ubere glebae.* Senec. Hippol. v. 492. *Spei metusque liber.* Cic. Fin. V. 29. *Liber terrore animus.*

☞ Not. 1. In his tamen plerisque variat constructio. Quaedam enim leguntur

☞ Cum genitivo solo, quantum constat: *Benignus, exsors, impos, impotens, irritus, liberalis* [15]), *munificus, praelargus* [16]).

☞ 2. Cum ablativo solo; *Beatus, differtus, frugifer, mutilus, tentus, distentus, tumidus, turgidus* [17]).

☞ Cum genitivo frequentius; *Compos, consors, ege-*

---

12) Ut, *compos, pollens, potens*: item, *impos, impotens.*

13) Ut, *Liber, solutus, imparatus, infirmus, parcus, purus*: quae alio etiam referri possunt.

14) Ita habent Gruteri, eamque secutae Gronovii, Davisii, Verburgii Editiones; at Victorianas aliasque *rationis* habere testatur idem Gronovius. * *Particeps* etiam dativum personae cum genitivo rei adsciscit: ut, Curt. VI. 7. 6. *Se eius consilii fortibus viris et illustribus participem fuisse.* Addit Ursinus, p. 46. Ovidium etiam *participem studiis*, pro *studiorum*, dixisse dandi casu. Sed (praeterquam quod hoc pacto *studiis* auferendi potius casu dictum videretur) *studii* illic (locus est de Pont. II. 5. 42.) melioribus scriptum notat Heinsius. * *Particeps in bello*: et *Particeps ad omne secretum*, sed nullo Auctore laudato, dici ait D. Shaw, p. 54. Ac prius quidem alioquin fulcitur illo Cic. de Iuvent. II. 30. *Tu particeps factus es in turpissimo foedere.*

15) Quamvis *liberalis* cum solo genitivo constructum reperiatur; malim tamen, cum Ursino, p. 44. *liberalem promissis* aliquem dicere, quam cum Sallustio Graecissante, ut in multis, loqui, qui Catil. 7. 6. *Liberales pecuniae* dixit. Porro nihil impedire idem Ursinus ait, quo minus quis quem *benignum animo*, ut *largum animo*; et inversim, *beatum animi*, ut *felicem, fortunatum animi* dicimus, vocet; quamvis neutrius iam exempla nobis suppeditent. * *Liberalis* cum ablativo, addita praepositione *de*, sed diversa paullum notione, Seneca adhibuit, de Clem. I. 20. *Non est magni animi qui de alieno liberalis est.*

16) Pers. I. 14. *Pulmo animae praelargus.* Quod a Sam. Shaw omissum.

17) Ut, Tacit. Annal. XVI. 6. 8. *Differtum odoribus corpus.* Liv. XXVI. 40. *Frugifera alimentis insula.* Hor. Sat. II. 5. 40. *Pingui tentus omaso.* Virg. Ecl. VII. 8. *Distentae lacte capellae.* Hor. Car. III. 18. 4. *Frons turgida cornibus.* Haec adscribere visum est, quippe a D. Shaw omissa.

Digitized by Google

nus, *exhaeres* [18]), *expers*, *fertilis* [19]), *indigus* [20]), *parcus*, *pauper*, *prodigus* [21]), *sterilis* [22]).

§ 4. Cum ablativo frequentius; *Abundans* [23]), *cassus*, *extorris*, *foetus*, *frequens* [24]), *gravis*, *gravidus*, *ieiunus* [25]), *liber*, *locuples*, *nudus*, *oneratus*, *onustus*, *orbus*, *pollens* [26]), *solutus*, *truncus*, *viduus*. Quibus addi potest *captus*, de quo reg. praeced.

---

18) Sic, *Exhaeres paternorum bonorum filius*, Cic. de Orat. I. 38. *Exhaeredem facere vitae suae*, Plaut. Bacch. IV. 8. 8. dixere. At idem Plaut. Most. I. 3. 77. *Ut ego exhaeredem meis bonis me faciam.* De structura huius adiectivi non meminit D. Shaw.

19) *Fertilis* extra versum cum ablativo se non constructurum, exemplo Maronis, cuius est Geo. II. 185. *Fertilis ubere campus*, ait Ursinus, p. 45. et ante eum Vossius Constr. c. 11. (Addere poterat et Senec. Agam. V. 852. *Arborque pomis fertilis aureis*) sed cum Cic. Nat. II. 52. extr. *Agros fertiles fructuum.* et Liv. V. 34. *Gallia frugum hominumque fertilis*, dicturum. Atqui cum eo casu non semel iunxit soluta oratione Plinius, N. H. V. 5. *Ager arboribus fertilis.* VI. 23. *Fertile auro flumen.* VI. 28. *Fertiles agri palmetis arbustisque.* VII. 5. *Fertilis centena quinquagena fruge campus.*

20) *Indigus* cum solo genitivo construi ait Ursinus, p. 44. nec alii casui iunctum notat D. Shaw, p. 42. At ablativum quoque ei adiicit Lucretius, V. 244. *Nudus humi iacet, infans, indigus omni Vitai auxilio.* * *Indigem liberum*, ap. Plautum conspexisse se, at a quo nominandi casu deflexum nescire, ait Sam. Shaw: at ego nihil tale apud eum Auctorem reperio. Apud Cic. de Orat. II. 46. ex Pacuvio, *Indigem liberum* invenio: quod ab antiquo recto *indiges* vel *indigis*.

21) Cum solo genitivo constructum notat S. Shaw: at cum ablativo usus etiam Plin. IX. 17. *Prodigus huc pisce.*

22) Ursinus, p. 45. nihil causae fuisse Vossio statuit, cur Constr. c. 11. ablativum voci *sterilis* iunctum refugeret, propterea quod Tac. Hist. I. 3. 1. *Sterile virtutum seculum dixerit.* Plinii enim in Paneg. c. 56. *Quod momentum, quod imo temporis punctum, aut beneficio sterile, aut vacuum laude?* Addit et ita Lucretium, II. 844. et uno alterove loco Manilium [sc. IV. 413 et 498.] locutos. At, praeterquam quod Manilii verba alio sensu accipienda videantur, et, fatente ipso Ursino, Persius V. 75. *Steriles veri.* et Curtius, VII. 5. 17. *Solo materiae maxime sterili.* [Addere potuit et VII. 3. 3. *Quia sterilis est terra materiae,*] dixerint, animus mihi magis inclinat ad Vossium, qui tamen non se ablativum refingere, sed genitivo potius uti velle affirmat.

23) *Abundans* huius loci esse negat Goclen. Probl. Gramm. V. 13. quippe quod ablativo iungatur eo iure quo participium regit casum sui verbi; genitivo vero eadem ratione, qua alia participia in *ns*, quae in nomina degenerarunt. Vid. tamen infra reg. 34. n. 25.

24) Cum solo ablativo iunctum meminit S. Shaw: at cum genitivo Tac. Ann. IV. 65. 1. *Frequens silvae mons.* adhibuit.

25) Huius adiectivi nulla ap. S. Shaw mentio: cum solo genitivo construi docet (referente Ursino) Bangius: atqui (ut notat idem Ursinus) Lucretii est, II. 844. *Corpora ieiuna succo:* Et Apul. Met. XI. p. 882. *Nec fuit una visu Deae monituque ieiuna.* Addere potuit ex Plin. XXVIII. 19. *Ieiunus cibo.* Sed neque (quod affirmat Ursinus) cum genitivo iunctum illud reperio.

Digitized by Google

☞ 5. Cum utroque promiscue, aut levi discrimine, *Copiosus*, *dives*, *foecundus* [27]), *ferax*, *immunis*, *inanis*, *inops*, *largus*, *mactus*, [plurimum vocativo *macte* [28]),] *modicus*, *immodicus*, *nimius* [29]), *opulentus*, *plenus* [30]), *potens* [31]), *refertus* [32]), *satur*, *sterilis*, *vacuus*, *uber* [33]).

---

26) De hoc non meminit D. Shaw: eius cum ablativo constructi exempla passim obvia; cum genitivo Plaut. Curc. I. 2. 21. *Pollens vini Liber*, eodem sensu quo *Ceres potens frugum* ab Ovidio dicitur, Amor. III. 10. 35.

27) Lucanus IX. 696. *Foecundaque nulli Arva bono*, diversa paulum notione dixit: quomodo Varro, R. R. I. 9. *Terra foecundior ad multa*, et Iustin. XLIV. 1. 4. *In omnia frugum genera foecunda*. Et Sil. II. 498. *Foecundum in fraudes hominum genus*. Sic, Plin. XXXIII. 4. *Fertiles huic bono montes*, et XI. 41. *Lac bubulum caseo fertilius quam caprinum*. Lucan. IX. 630. *Fertilis in mortes*. Plin. II. 78. *Fertilis ad omnia tractus*: et Senec. ad Helv. c. 9. *Vix ad tutelam incolentium fertilis*. Et, Id. Epist. 25. *Panem et aquam natura desiderat: nemo, ad haec pauper est*. Incert. ap. D. Shaw, *Ad alia sterilis*. Sen. Med. V. 956. *Sterilis in poenas fui*. Vitruv. II. 8. *Infirmus ad vetustatem*. Iustin. XLI. 3. 9. *In cibum parcus*. Plin. Paneg. c. 43. *Feracius et uberius ad laudem*. Cic. Brut. c. 76. *Disciplina ad ornandum inops*. Id. pro Cecin. c. 28. *Homo copiosus ad dicendum*. Id. Attic. I. 13. *Ad dignitatem in rep. retinendam solutus*. Id. Nat. Deor. I. ult. *Homo ad scribendi licentiam liber*. Id. ibid. I. 40. *Locuples ad beate vivendum*.

28) *Macte animi* cum genitivo Poëtae dicunt: at cum aliis vocibus et ipsi et alii Scriptores ablativo utuntur: ut, Cic. Tusc. I. 17. Senec. Epist. 66. Virg. Aen. IX. 641. Hor. Sat. I. 2. 31. *Macte virtute esto*. Stat. Silv. I. 3. 106. *Macte bonis animi*. Plin. Paneg. c. 46. *Macte hac gravitatis gloria*. Et pluraliter, Plin. II. 12. *Macti ingenio este coeli interpretes*. Liv. VII. 36. *Macti virtute milites Romani estote*. Adferunt autem cum genitivo illud Silii, XII. 257. *Agnoscensque decus, macte O virtutis avitae*. At distinguendum cum Heinsio hoc pacto, *Agnoscensque, Decus macte O virtutis avitae*, ut *macte* ad *decus* referatur eadem ratione qua *auctus opes* idem Silius, VIII. 250. consuetissimo Poëtis Graecismo dixit. Sed et hac voce tanquam adverbio vel interiectione Scriptores nonnunquam utuntur: ut, Liv. II. 12. *Iuberem macte virtute esse*. Cic. Att. XV. 29. extr. *Servulos autem dicere eum et agripetas eiectos a Buthrotiis. Macte. Sed amabo te, perscribe mihi totum negotium*. Confer Part. I. p. 126. n. 76.

29) Ut, Liv. VI. 11. *Nimius animi*, et III. 26. extr. *Imperii nimius*: et Tac. Hist. III. 75. 2. *Nimius sermonis*, etc. ita Horat. Car. II. 12. 5. *Nimius mero*, et (si Ursino credimus; pag. 46.) Senec. *Nimius animis*, dixerunt.

30) Quinctiliani seculo (ut ipse docet Inst. IX. 3. init.) *plenus* saepius ablativo quam genitivo tribuebatur; contra quam Ciceronis temporibus factum. Sed et Ciceronem ablativum non refugisse ostendit Rivius ad Sallust. Iug. 38. 10. Porro quod de seculi Ciceroniani usu narrat Fabius, haud usquequaque verum est: quamvis enim Cicero ipse vocem *plenus* plurimum genitivo, raviissime ablativo adiunxerit, Varronem tamen et Caesarem ablativo ubique usos esse observat Victor. var. lect. lib. XXVI. c. 17. Vid. et Vechner. Hellen. I. 18. [Muret. Varr. Lectt. XVII. 4. G. St.]

31) *Potens* cum genitivo quidem vel ablativo, sed diverso respectu, iungitur: alio enim sensu *potens sui*, *potens irae*; alio vero, *potens nobi-*

Digitized by Google

☞ Cum praepositione addita: ut, *Copiosus, firmus, paratus, imparatus, inops, instructus, a re aliqua*; pro, *quod ad rem aliquam attinet* [34]). *Extorris ab solo patrio*, Liv. V. 30. [35]). *Orba ab optimatibus concio*, Cic. pro Flacc. c. 23. *Pauper, tenuis, foecundus, modicus; parcus, in re aliqua* [36]). *Immunis, inanis, liber, nudus, solutus, vacuus* (et hoc saepius) *a re aliqua* [37]). *Potens ad rem* [38]), et *in re* [39]).

☞ Not. 2. Distinguendae in his Scriptorum auctoritates. Quaedam enim, (1) Poetarum sunt propriae: ut,

---

litate, opibus potens, dicitur. Hic enim causa per quam vel propter quam; illic autem obiectum denotatur; neque inverdm *potens se*, vel *ira*; vel *potens nobilitatis, opum*, dicere permittitur. Vid. Urain. p. 45 et 46. V. et mox n. 38.

32) Huic adiectivo multo frequentius ablativus subiicitur; non ita tamen quin satis usitate (contra quam quibusdam visum) genitivus adhibeatur. Nam, ut taceam ita loquutos Iustin. II. 14. 6. *Castra referta regalis opulentiae*: et Gell. I. 8. *Liber multae variaeque historiae refertus*: ipsius Ciceronis sunt, Att. VIII. 1. *Etsi propediem video bonorum, id est, lautorum et locupletium, urbem refertam fore.* Att. IX. 1. *Urbem refertam esse optimatium studio*: pro Rab. Post. c. 8. *Mare refertum praedonum*: de Orat. II. 87. *Referta quondam Italia Pythagoreorum fuit.*

33) Hoc a Sam. Shaw omissum. Cum ablativo iunxit Ovid. Met. IV. 89. *Niveis uberrima pomis, morus*; cum genitivo Hor. Car. II. 19. 10. *Lactis uberes rivi*: cum utroque (quod mirum) in eadem sententia Iustin. XLIV. 3. 4. *Regio cum aeris et plumbi uberrima, tum et minio.*

34) Sic, Cic. Att. V. 18. *Locus copiosus a frumento.* Id. Fam. X. 15. *Ab equitatu firmus.* Fam. X. 8. *Ab omni re paratus.* Att. VII. 15. *Imparatus a pecunia.* Att. I. 1. *Inops ab amicis.* Brut. c. 66. *Instructus a doctrina.* Eademque ratione, Id. Brut. c. 16. *Ab omni laude felicior* dixit. V. Tursell. p. m. 18.

35) Sic, Ovid. Fast. IV. 79. Vid. supra p. 77. n. 12.

36) Ut, Hor. Epist. II. 2. 12. *Meo sum pauper in aere* Id. Art. v. 46. *Tenuis in verbis serendis.* Plin. Epist. I. 22. *Parcus in victu, modicus in cultu.* Sic, Cic. Verr. III. 66. *Consors in lucris atque furtis.*

37) Ut, Vell. II. 14. 3. *Domus liber a conspectu, immunis ab omnibus arbitris.* Prudent. περὶ στέφ. I. 104. *Inanis a marsupio.* Cic. Verr. IV. 2. *Messana ab his rebus vacua atque nuda est.* Id. contr. Rull. I. 9. *Solutus a cupiditatibus, liber a delictis.* Huc adde Apul. Met. I. p. 18. *Civitas ab aquis sterilis.* Et *Egenus ab commeatibus, — Viduos a lumine Phoebi*: quae nonnusquam inventa citat D. Shaw, p. 38 et 68. At Ovid. Heroid. IX. 95. *Serpens — damnis dives ab ipsa suis.* Et Id. ibid. X. 138. *Et tunicas lacrymis, sicut ab imbre, graves*, alio sensu accipienda, et ad causam vel instrumentum referenda sunt. Vid. infra reg. 52. n. 16.

38) Sic, Quinctil. Inst. VI. 1. p. 507. *Potens ad efficiendum.* Ovid. Her. V. 147. *Herba potens ad opem*: quo sensu Senec. de Clem. II. 21. *Dandi auferendique vitam potens*, cum genitivo dixit. Liv. lib. IX. *In res bellicas potens.* Quinctil. VI. 2. p. 524. *In affectibus potentissimus.*

39) De aliis quae cum dativo, vel accusativo cum praepositione *ad* vel *in*, construuntur, diximus paullo ante n. 27.

Digitized by Google

Hor. Art. v. 212. *Liber laborum.* Id. Sat. II. 3. 5. *Vini somnique benignus.* Virg. Ecl. II. 20. *Abundans lactis.* Sil. VI. 19. *Tenuis opum.* (2) Quaedam paulo insolentiores, nec ad usum communem traducendae: ut, *Captus animi*, ap. Tac. Hist. III. 75. 2. *Neque animo aut lingua satis compotes*, ap. Sall. Hist. VI. [40]). *Fama atque fortuna expertes* [41]), ap. eund. Catil. 35. 1. [42]).

Sectio Secunda,
De Regimine Verborum.

Regimen Verborum in tres classes distribui potest; quarum scilicet prima Verborum Personalium, secunda Verborum Impersonalium, tertia denique Infinitivi, Participiorum, Gerundiorum et Supinorum Regimen complectatur.

§. 1. *Regimen VERBORUM PERSONALIUM.*

1. *Verba personalia* Genitivum *regentia.*

21. Officium quoties, possessio, proprietasve
Innuitur, casum sibi sum servire secundum
Postulat. In recto, vice sed Pronomina patrum,
Possessiva volunt tantummodo neutraque poni.

---

40) Hoc pacto Voss. Constr. c. 11. se adiectiva ait *pauper*, *egenus*, *indigus*, *fertilis*, *sterilis*, genitivo quam ablativo sociare malle. De tribus posterioribus sigillatim diximus: *pauper* autem et *egenus* necdum cum ablativo iuncta reperio.

41) *Expers* cum ablativo etiam construxisse Plautum, Amph. II. 2. 81. Asin. I. 1. 81. et Pers. IV. 3. 40. item, Lucret. II. 1091. et VI. 1179. notat Vossius, l. c. quibus addit Cortius ad Sall. l. c. Catull. LXVI. 77. et Diet. Cretensis illud II. 4. *Prorsus nullo aut perpaucis clade belli eius expertibus.* At hoc posteriore loco *cladis* libri mei praeferunt. Utcunque sit, genitivus optimis auctoribus longe usitatior est.

42) Ad huius constructionis causam quod attinet, Grammaticorum doctissimi in eo consentiunt, tam genitivos hosce quam ablativos, non ab adiectivis ipsis, sed aliunde regi: et genitivos quidem vel a Graeca praepositione *ex*, quod genitivum petit; vel (quod potius reor) a vocibus generalibus *re* vel *negotio*, cum praepositionibus *in*, *a* vel *ab*, *de* vel *ex*: quae etiam praepositiones ablativis cum adiectivis hisce constructis supplendae sunt: At qui accuratiorem huius rei investigationem quaerunt, adeant Sanct. II. 8. p. 169. et IV. 12. p. 733. Mariang. Auctar. Epist. III. Voss. Constr. c. 11. Method. Auct. p. 420. praecipue vero Ursin. p. 53. et Perizon. ad Sanct. p. 170. n. 8. [Videlicet casus nominum in talibus non pendent ab omisso aliquo vocabulo, sed quia per suam ipsorum naturam indicant rationem, quam cogitari adiectivorum significatio postulat, hoc modo usurpari existimandi sunt. Quod quum non ignotum sit iis, qui grammatices Graecae rationem a recentioribus emendatam co-

Digitized by Google

I. Sum, quoties possessionem, proprietatem aut officium significat regit genitivum: ut, Cic. Fam. II. 13. *Iam me Pompeii totum esse scis.* Id. Phil. XII. 2. *Cuiusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.* Id. pro Sext. c. 39. *Hoc sentire, prudentiae est; facere, fortitudinis: sentire vero et facere, perfectae cumulataeque virtutis.* Id. Off. I. 3. *Adolescentis est maiores natu revereri* [1]).

---

gnoverunt: tamen ut diligentius aliquando disquiratur de rationibus, quas Latini hoc in genere secuti sint, vehementer optandum est. G. St.]

1) Huc spectant et huiusmodi locutiones: Tac. Hist. I. 15. 7. *Suadere Principi quod oporteat, multi laboris,* supple *est.* Virg. Aen. I. 601. *Grates persolvere dignas Non opis est nostrae.* Cic. pro leg. Manil. c. 7. *Erit humanitatis vestrae cives calamitate prohibere.* Caes. B. G. IV. 5. *Est hoc Gallicae consuetudinis.* V. Max. IX. 10. ext. 2. *Iasonem Thessalum an satis iusta ultio absumpserit, ambiguae aestimationis est.* Plin. VII. 40. pr. *Felicitas cur praecipua fuerit homini, non est humani iudicii.* Senec. Controv. VI. *Incedere splendido cultu non est fortunae meae.* Plin. Epist. III. 21. *Moris antiqui fuit.* Quinctil. Inst. I. 1. p. 28. *Quemadmodum moris est.* Quae etiam per nominativum interpretari licet, *Antiquus mos fuit,* et *mos est;* vel per ablativum cum praepositione, Plin. XVI. 4. *Ludos incunti semper assurgi, etiam ab Senatu, in more est.* Cic. contr. Rull. II. 1. *In more positum est.* Confer Linacrum, p. 373. * Huc addi possunt et illa, *Non est huius loci, temporis, instituti,* etc. item, *Esse fidei tutelaeque alicuius, Esse finium alicuius, Suarum rerum esse.* Vid. Liv. I. 6. fin. III. 38. et XXVIII. 8. et ibi Gronov. et Sigon. et confer Voss. Constr. c. 24. et Ursin. p. 186. Huiusmodi est illa eidem Livio multum frequentata phrasis, *Quod roboris erat* [X. 38. extr. XXI. 46 et 55. XXVII. 14. XXVIII. 2. XXXVII. 4. XXXVIII. 26. 48.] pro, *quod praecipuum erat exercitus robur.* * Huc autem in primis referendum, optimis auctoribus satis usitatum, sed Grammaticorum vulgo minus animadversum aut intellectum loquendi genus, quo participium futurum in *dus*, cum suo substantivo, verbo *sum* subiicitur: ut, Cic. Verr. II. 53. *Quae res evertendae reip. solent esse.* Sall. Catil. 6. 7. *Regium imperium, quod initio conservandae libertatis, et augendae reip. fuerat, in superbiam dominationemque convertit.* Id. Iug. 88. 4. *Quae postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit,* supple *esse.* Liv. III. 39. *Qui vicissitudinem imperitandi (quod unum sit exaequandae libertatis) sustulerint.* Id. V. 3. *Turbare voluit concordiam ordinum, quam dissolvendae maxime tribuniciae potestatis rentur esse.* Id. V. 6. *Adeo quicquid Tribunus plebi loquitur, etsi prodendae patriae dissolvendaeque reip. est, assuestis aequi audire.* Id. VIII. 20. *Etsi meae partes exquirendae magis sententiae quam dandae sunt.* XXVII. 9. *Nam tum quidem quae temere agitassent, ea prodendi imperii Rom. tradendae Annibali victoriae esse.* XXXIV. 54. *Omnia discrimina talia concordiae et libertatis aeque minuendae esse.* XXXVIII. 50. *Nihil tam aequandae libertatis esse, quam potentissimum quemque posse dicere causam.* XXXIX. 16. *Iudicabant enim prudentissimi viri, nihil aeque dissolvendae religionis esse, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur.* XL. 29. *Cum animadvertisset pleraque dissolvendarum religionum esse,* quod Val. Max. I. 1. 12. *ad solvendam religionem pertinere,* extulit. Haec omnia per Ellipsin dici, nemo est qui non perspiciat: at ea quo pacto suppleri

Digitized by Google

II. At, pro Pronominibus primitivis, *mei, tui, sui, nostri, vestri*, eorum possessivis, *meum, tuum, suum, nostrum* [2]), in nominativo [3]) et neutro genere, tantum utimur: ut, Ter. Heaut. III. 2. 38. *Non est mentiri meum.* Id. And. IV. 1. 55. *Tuum est, si quid praeter spem evenit, mihi ignoscere.* Ovid. Fast. IV. 889. *Vestrum dare, vincere nostrum est* [4]).

---

potissimum debeat, haud ita facile est statuere. [Ellipsis hic non magis obtinet, quam ubi dativus commodi vel incommodi ponitur, nec quae disputantur deinceps, demonstrant ellipseos fingendae necessitatem. In his enim genitivus cum substantivo cohaeret, in illis autem cum verbo *esse*. G. St.] Sohmidius in Hypomn. ad Gramm. Philippicam, p. 302. *instrumentum* aut *adminiculum* intelligendum censet. Verum, quia aliis quoque verbis, praeter *sum*, adiungi hi genitivi solent, (ut, Sall. Hist. 1. Orat. Philipp. p. 945. *Exercitum opprimundae libertatis habet.* Et paulo post, *Cum privata arma opprimundae libertatis cepisset.* Et Orat. Lepidi, p. 939. *Omnia retinendae dominationis honesta existimat.* Et Tac. Ann. II. 59. 1. *Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis:* et Hist. IV. 25. 4. *Tum e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris, quam quia unius culpa foret*) quibus harum vocum supplementum neutiquam quadrare potest; rectius alii facere videntur, in quibus Vossius, Constr. c. 7. sub fin. Sanctius, p. 562. Scaliger de causs. L. L. p. 276. et Ursinus, p. 189. qui vocibus magis communibus, *causa, gratia, ergo, ratione*, sententiam in hisce supplendam volunt; sed ita tamen, ut pronominibus illis exemplis participium insuper aliquod sensui accommodatum, ut *constitutum, comparatum*, aut simile, addi oporteat. Caeterum lectu utilissima sunt, quae de hac re edisserit Cl. Cortius ad supra laudata Sallustii loca, Catil. 6. 7. et Iug. 88. 4. * Hic autem dubitari potest, an in hoc Sall. Cat. 46. 2. *Poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reip.* [fore] *credebant*, voces *perdundae reip.* secundo casu an tertio dictae accipiendae sint. Posterius affirmat Perizonius, p. 555. prius vero Cortius in loc. Similiterque de aliis quibusdam ambigi posse videtur: ut, Tac. Ann. XI. 8. 1. *Quaeque alia conciliandae misericordiae videbantur.* Et Ann. II. 37. *Nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero.* Item Plaut. Rud. V. 3. 18. *Iusiurandum rei servandae, non perdendae, conditum est.* Quorum duo priora Perizonius, l. c. eique concinens Lowaeus, p. 23. n. 4. dativo, postremum Vossius, l. c. genitivo, prolata volunt.

2) Similiter etiam et nomina possessiva, pro primitivis suis posita, construuntur: ut, *Humanum est labi. Belluinum est ventri servire. Zenonium est et lentem coquere*, Proverb. pro *hominis, belluae, Zenonis est.* Sic, Cic. Rull. II. 21. *Hoc quam Regium sit, quem praeterit?* Ter. Adel. I. 1. 49. *Hoc patrium est, potius consuefacere filium Sua sponte recte facere, quam alieno metu.* Cic. Tusc. IV. 21. *Gladiatorium id quidem.* Liv. II. 12. *Et agere et pati fortia, Romanum est.* In qualibus, cum neutro semper genere hac notione accepta adhibeantur, *officium, munus*, aut aliquod eius generis substantivum, intelligi palam est. Pluraliter adhibuit Liv. XLII. 47. *Haec Romana esse, non vereutiarum Punicarum, neque callidilatis Graecae: apud quos fallere hostem quam superare gloriosius fuerit.*

3) Nisi verbum sit infiniti modi: ut, Cic. Fam. VI. 5. *Puto esse meum, quid sentiam exponere.* Tac. Ann. II. 11. 1. *Caesar haud Imperatorium ratus*: ubi structura accusativum postulat.

Digitized by Google

Not. 1. In his intelligendum est, *officium*, *munus*, *negotium*, *res*, *proprium* [*opus* nempe, vel *negotium*:] quae quandoque exprimuntur: ut, Ter. And. II. 1. 30. *Neutiquam officium liberi esse hominis puto.* Cic. pro Mil. c. 8. *Principum munus est resistere levitati multitudinis.* Caes. B. Civ. I. 15. *Docent sui iudicii rem non esse.* Cic. Tusc. V. 28. *Sapientis est proprium, nihil quod poenitere possit, facere.* Id. Fam. XI. 5. *Tuum est est hoc munus, tuae partes* [4]) * Aliter praecedens substantivum repeti potest: ut, *Hic liber est* [liber] *fratris.* *Hoc pecus est* [pecus] *Meliboei* [6]).

Not. 2. Sum, cum animi vel corporis affectio significatur, nunc genitivo, nunc ablativo iungi potest: ut, Plin. Epist. IV. 2. *Erat puer acris ingenii.* Cic. Fam. I. 5. *Tu fac animo forti magnoque sis.* Colum. VI. 37. *Sit amplissimi corporis, cervice valida* [7]). Sed de hac constructione dictum supra, reg. 12.

---

4) Si vero substantivum exprimatur, possessivum cum eo genere consentit: ut, Cic. de Orat. III. 36. *Hae partes fuerunt tuae;* pro quo aliter, *Tuum erat*, vel *Tuarum partium erat.* Ovid. Pont. II. 9. 11. *Regia* (*crede mihi*) *res est succurrere lapsis;* pro quo, *Regis est*, et *Regium est*, dicimus. * Huc pertinet et elegans ille loquendi modus, quo verbale loco infinitivi adhibetur: ut, Plaut. Pers. IV. 4. 38. *Tua indicatio est;* pro, *Tuum est indicare.* Liv. XXXIV. 2. *Utrum e republ. sit necne id quod ad vos fertur, vestra existimatio est;* pro, *Vestrum est existimare.* Vid. Ursin. p. 187.

5) Pro quo etiam dicitur, *Tui muneris est:* ut, Ovid. Trist. I. 5. 6. *Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est.* Sic, Hor. Sat. I. 9. 1. *Sicut meus est mos*, pro quo (ut supra notatum) *Moris est* dicimus. Cic. Verr. I. 26. *Negavit moris esse Graecorum.* Quinctil. II. 18. p. 174. *Propter quae mihi semper moris fuit:* ubi non *causa* (quod recte reiicit Iohnson. Noct. Nott. p. 12.) neque (quod inepte alia loco idem substituit) *consuetudo;* sed vox generalis *res*, vel *negotium*, intelligenda est.

6) Sic, Ovid. Fast. II. 126. *Herοi res erat ista pedis*, i. e. [res] *isto erat res heroi pedis.* At in illo Cic. *Iam me Pompeii totum esse scis*, alii *amicum* vel *fautorem*; alii (ut Ursinus, p. 186.) *in potestate*, vel *proprium*, quemadmodum in isto Livii, *Plebi cum unius hominis esset*, intelligunt. In illo autem Auctoris de orig. urb. Romae, *Lupum, picumque Martiae esse tutelae*, animalia; in *Esse finium alicuius*, locum; et sic porro in aliis, idem Ursinus subaudit.

7) Ut *sum*, ita *fio*, *forem*, *appellor*, *habeor*, aliaque eius naturae verba, cum genitivo, et, accedente adiectivo laudis vel vituperii, interdum cum ablativo, construi possunt: ut, Quinctil. VI. 3. p. 553. *Fio commodioris valetudinis.* Liv. XXXV. 34. *Demetrios Aetolorum factus est.* Virg. Geo. IV. 408. *Fiet — fulva cervice leaena.* Liv. XXXIX. 6. *Quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt.* Sic, *Si foret sui iuris*, *Manet implacabilis irae.*

8) *Misereor* et *miseresco* posterioris aevi Scriptores cum dativo etiam construxerunt: unde in sacris, *Miserere mihi, Domine;* et *Miserere nobis:* et Boët. Consol. IV. metr. 4. *Dilige iura bonus, et miserere malis.*

Digitized by Google

22. Vult *satago* patrium, *miseresco* cum *misereri*, Affectusque animi tales signantia quaedam.

I. *Misereor*, *miseresco* et *satago* regunt genitivum: ut, Virg. Aen. II. 143. *Miserere laborum Tantorum*, *miserere animi non digna ferentis*. Id. Aen. VIII. 573. *Arcadii*, *quaeso*, *miserescite Regis* [8]). Ter. Heaut. II. 1. 15. *Is quoque duarum rerum satagit* [9]).

II. Alia quaedam verba animi affectionem significantia cum genitivo nonnunquam construuntur: ut, *Pendeo animi*, *Discrutior animi*, *Fastidit mei*, At de his paulo accuratius sequente Appendice dicetur.

APPENDIX.

De aliis Verbis genitivo constructis.

I. Nonnulla alia verba sunt, affectionem animi significantia, quae, quamvis Latinorum more cum ablativo vel accusativo, vel aliter construuntur, interdum tamen, ad Graecorum imitationem, cum genitivo iuncta inveniuntur: qualia sunt, *Ango*, *decipior*, *desipio*, *discrutior*, *excrucio*, *fallo* et *fallor*, *fastidio*, *invideo*, *laetor*, *miror*, *pendeo*, *studeo*, *vereor*: ut, Plaut. Epid. III. 5. 6. *Absurde facis qui angas te animi.* Hor. Car. II. 15. 38. *Dulci laborum decipitur sono.* Plaut. Epid. I. 2. 35. *Desipiebam mentis.* Ter. Adel. IV. 4. 1. *Discrutior animi.*

At de melioris aetatis Scriptoribus negat Vossius, Constr. c. 39. notatque quae ex utroque Seneca de vit. beat. c. 24. et Controv. I. 2. et Cicer. Tusc. II. 8. dativi exempla proferentur, aliter legi. Hyginus tamen Fab. 58. *Cui Venus, postea miserta est*, et Quinctil. Declam. 272. *Hunc accusari aequum est, cui misereri satis non possumus*, dixerunt: quam utramque lectionem, hic Burmannus, illic Munkerus in Notis probant; et ante eos Mariangelus Scioppianus, Epist. IV. p. m. 25. Diomedes etiam lib. 1. col. 294. et (referente Alvaro, p. 297.) Priscianus ita olim locutos aperte testantur. * Caeterum verbum *miseror* cum accusativo solum ap. probos Auctores constructum legitur. At Conippum Africanum utrumque et *misereor* et *miseror* cum dandi casu iunxisse (ut lib. 1. *Supplicibus miserere tuis*, et lib. 2. *Sponte sua Dominus servis miseratus egenis*) notat Munkerus l. c.

9) Genitivum hic, non a vocula *sat*, quod Sanctius aliique existimarunt, sed ab Ellipsi, *in negotio* vel *nomine* regi, ostendit Perizonius, p. 175. n. 12. Porro, quamvis Latino more addatur praepositio *de* cum ablativo: ut, Gell. IX. 11. *Consulibus de vi ac multitudine hostium satagentibus*, vel, ut aliis legitur, *satis agentibus*, usitatior tamen genitivus videtur: ut ap. eund. Gell. I. 17. de Socrate, *Irarum et molestiarum muliebrium per diem perque noctem satagebat.* [Quod *satagit* cum genitivo construi dicit propter omissa verba *in negotio* vel *nomine*, neminem morabitur, qui didicerit caussam, qua ducti Graeci verbis *copiae* et *inopiae* genitivum addiderunt. G. St.]

Digitized by Google

Id. Phor. I. 4. 10. *Antipho me excruciat animi.* Lucret. V. 98. *Nec me animi fallit.* Plaut. Epid. II. 2. 55. *Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen.* Id. Aul. II. 2. 67. *Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei*[10]). Hor. Sat. II. 6. 84. *Neque illi Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae.* Virg. Aen. XI. 280. *Nec veterum memini, laetorve malorum.* Id. ibid. v, 126. *Iustitiaene prius mirer, belline laborum.* Cic. Fam. VIII. 5. *Ego quidem vehementer animi pendeo*[11]). Poeta vetus ap. eund. Nat. Deor. III. 29. *Qui te nec amet, nec studeat tui*[12]). Ter. Phor. V. 8. 78. *Neque huius sis veritus*[13]) *foeminae primariae*[14]).

---

10) Sic Lucilius ap. Non. IX. 3. *Tristes, difficiles sumus, fastidimus' bonorum.*

11) Sic idem alibi saepius; ut, Att. VIII. 5. Tusc. IV. 16. pr. de leg. I. 8. ut taceam Comicos, Plaut. Merc. I. 18 et 54. Ter. Heaut. IV. 4. 5.

12) De hoc verbo cum genitivo constructo vid. Perizon. p. 349. extr.

13) Sic Afranius ap. Non. l. c. *Optandum uxorem, quae non verea-tur viri,* etc. Similiter et compositum, *revereor,* cum genitivo constructum idem observat ap. Varr. in Sard. venal. *Non te tui saltem pudet, si nihil mei revereatur.*

14) Multa alia sic constructa ab aliis adduntur. Et (1) Ex Livio, *Abhorreo, aspernor, illacrymo, ingemo:* ut, XXII. 18. *Punicum os abhorrens Latinorum nominum,* (uti ex MSS. coniectura legendum putat Gronovius:) Et XXIX. 14. *Aspernatus aliarum gentium.* Et XLV. 4. *Ipse illacrymasse dicitur sortis humanae.* Et XXXVI. 28. *Ingemuerunt quidem Principes conditionis suae.* At ex his primum ad structuram participialium in *ns* [reg. 14.] referri potest: in secundo *equites* (quod praecessit) intelligi. In duobus reliquis, *sorti humanae,* et *conditioni suae,* meliores codices exhibent. (2) *Indoleo* sic construi volunt Despaut. p. 266. Voss. Constr. c. 27. Ursinus, p. 222. in illo Ovid. Met. II. 788. *Successorumque Minervae Indoluit.* Sed ibi *successurum* emendatiores habent. (3) *Contemno* cum genitivo iunoti exemplum adfert Saturnius, p. 33. hoc Cic. Divin. I. 19. init. *Contemnamus hos aut stultitiae aut vanitatis.* Sed illic *Condemnemus* melioribus omnibus editum. (4) *Cupere alicuius,* dici vult Scioppius, Addit. ad Sanct. p. 326. adfertque in eam rem illud Plauti, Trin. IV. 1. 22. *Quamquam domi cupio, opperiar hic,* Donato sic citatum ad Ter. Eun. IV. 7. 46. pro quo tamen libris omnibus *domum* nunc legitur. (5) Porro Schmidius, p. 259. et ipse Vossius, Constr. c. 27. *erubesco* cum genitivo iuncti exemplum adducunt illud Curtii, V. 5. 17. *Dignum esse omni malo qui erubesceret Fortunae.* Sed Freinshemius ibi et Cellarius, dubitante dicet Ursino, p. 224. *fortuita* legunt. (6) *Pluro* denique sic constructum docent Voss. Constr. c. 32. et Ursinus, p. 228. ap. Hor. Epod. XVII. ult. *Plurem artis in te nullum habentis exitum.* At vulgo, *nil habentis exitum;* Bentleius, *nil agentis exitum;* Muretus et P. Manutius, *nil valentis exitum;* Cuninamus, *nil habentis exitus* (in quibus omnibus, nisi forte postremum excipias, *artis* a τῷ *exitum* pendet) legunt. ¶ Apud sequioris aetatis Scriptores, cum genitivo inveniuntur *Cupio, euro, gaudeo, gratulor, insipio, recreo:* ut, Symmach. Epist. I. 8. *Iamdudum vestri cupiunt Lucrina tacita.* Apul. Met. V. p. 144. *Novam nuptam interfecta virginitatis curant.* Id. Met.

Digitized by Google

¶ II. More itidem Graeco cum genitivo interdum construuntur haec verba sequentia; *Abstineo, desino, desisto, quiesco, regno:* item, *adipiscor, condico, credo, frustror, furo, laudo, libero, levo, participo, prohibeo:* ut, Hor. Car. III. 27. 69. *Abstineto (Dixit) irarum calidaeque rixae.* Id. Car. II. 9. 17. *Desine mollium Tandem querelarum* [15]). Virg. Aen. X. 441. *Tempus desistere pugnae.* Quadrig. ap. Gell. IX. 13. *Manu significare coepit, ut quiescerent pugnae.* Hor. Car. III. 10. 11. *Et qua pauper aquae Daunus agrestium Regnavit populorum.* Tac. Ann. VI. 45. 7. *Nihil abnuens, dominationis adipisceretur.* Liv. I. 32. *Quarum rerum condixit pater patratus populi Rom. patri patrato Latinorum* [16]). Plaut. Asin. II. 4. 53. *Cui omnium rerum ipsus semper credit* [17]). Gell. V. 10. *Captionis versute excogitatae frustratus est.* Senec. Theb. v. 41. *Regni Laius furit* [18]). Sil. IV. 260. *Laudabat leti iuvenem* [19]). Ulpian. L. 50. §. 2. ff. de leg. 3. *Quo curae et tutelae liberetur* [20]). Plaut. Rud. I. 4. 27. *Me omnium iam laborum levas* [21]). Id. Cist. I. 3. 17. *Paternum servum sui participat consilii* [22]). Sil. VI. 27. *Captae prohibere nequiret Cum Poenos aquilae* [23]), [24]), [25]).

I. p. 32. *Veti gaudeo.* Id. Met. VII. p. 228. *Quod solum poteram, tacitus licet, serae vindictae gratulabar.* Symmach. Epist. I. 8. *Num vobis videor mentis insipere?* Apul. Met. II. p. 47. *Recreabar animi.* Sed haec auctoribus suis relinquenda, parcissime certe imitanda videntur. ¶ De *esurio* et *sitio* cum genitivo constructis vid. post reg. 34. n. 25.

15) Sic, Sil. X. 84. *Consul non desinit irae.* Confer ibi, et ad XI. 350. Drakenborchium.

16) Hoc est, (uti sententiam integrat Perizon. p. 210.) *de iis rebus quarum rerum nomine condixit,* etc.

17) Vid. eund. Perizon. p. 175. n. 12.

18) Sed potest et *regni rapti* cum eo quod praecedit *sanguineum gerens insigne* construi: quanquam has voces Vossius, Constr. c. 32. et Ursinus, p. 233. a *furit* pendere volunt.

19) Sic idem Sil. V. 561. *Laudande laborum, Quisquis,* dixit. Vid. supra p. 72. et post reg. 28. n. 49.

20) Ita Liv. XLI. 19. *Senatus nec liberavit eius culpae regem, neque arguit.* At hoc ad reg. 28. pertinet.

21) Adfert et Vossius, Constr. c. 33. (iuxta optimos, inquit, codd.) illud Liv. XXI. 62. *Levarunt animos religionis.* At dissentire notat Gronovius MSS. in quibus *Levaverant animos religione* legitur.

22) Notat Cl. Perizonius, p. 349. hoc verbum *participio* ideo a veteribus cum genitivo constructum, quod *particeps* et *expers* cum genitivo construi solent. Addo et haec adiectiva propterea genitivum recipere, quod substantivum *pars* in iis includatur, *particeps* enim *partem capiens, expers extra partem* valet.

23) *Aquilae* hic genitivus est Vossio, Constr. c. 33. et Ursino, p. 233. Mihi tamen dativus potius videtur, ac pari fere ratione adhibitus, qua in illo Plauti, Curc. V. 2. 7. *Parentesne meos mihi prohibeas?* Vir-

Digitized by Google

Not. 1. Pleraeque ex iis, quae numero primo adduximus, exempla Poetarum sunt et Historicorum, nec propterea ad usum communem transferenda. Usitatior autem horum verborum constructio ita se habet, *Angor, desipio, discrucior, fallor, animo* [26]) *Hoc animum meum excruciat. Fastidio* [27]), *miror, vereor, aliquem*, vel *aliquid. Laetor aliqua re* [28]). *Invideo alicui laudes*, vel

---

gilius certe verbo *arceo*, quod eiusdem et significationis et constructionis est, dativum iunxit, Geo. III. 154. *Hunc quoque* [asinum sc.] *arcebis gravido pecori.* Simile est et illud eiusd. Ecl. VII. 47. *Solstitium pecori defendite.* Neque alienum illud Catonis, R. R. c. 5. *Scabiem pecori et iumentis caveto.*

24) Vossius Ursinusque locc. citt. ad certas classes haec verba revocant, hoc pacto, (1) Abstinendi et desinendi, *Abstineo, desino, desisto, quiesco.* (2) Regnandi, *regno, dominor.* (3) Participandi, *participo.* (4) Liberandi, *libero, levo.* (5) Consequendi, *adipiscor, potior.* (6) Frustrandi, *frustror*, et (de quibus supra) *fallor, decipior.* (7) Arcendi et prohibendi, *prohibeo.* (8) Quae ad certum caput referri vix possunt, *condico, credo, furo, laudo.* Sed cum verborum, quae sub hisce classibus comprehendi queunt, pars longe maior hanc structuram omnino respuat, potius nobis visum est, per simplicem singulorum cum genitivo constructorum recensionem, nullo ordine habito, re defungi. § Superioribus addi possunt, *Cavere, promittere, repromittere, satisdare, stipulari damni infecti*, apud ICtos. Vid. l. 7. pr. l. 9. pr. et §. 5 et 11. l. 15. §. 2. et l. 26. pr. etc. de damn. infect. Qua iuris formula usus et Cicero, Topic. c. 4. *Si quis in pariete demoliendo damni infecti promiserit*: et Verr. I. 56. *Qui redemerit, satisdet damni infecti.* In his autem *nomine* intelligi, interdum et exprimi, ostendit Perizon. ad Sanct. IV. 4. n. 41.

25) His adduntur a quibusdam, (1) *Dominor*, et *auxilior.* Sed haec non nisi inferioris aevi, sive Ecclesiastici Scriptores genitivo iunxerunt. Tertull. de hab. mulier. pr. *Ille dominabitur tui.* Iuvenc. Hist. Evang. III. 605. *Dominantur eorum, Exercentque trucem subiectis viribus iram.* Et D. Augustin. de civ. Dei, XIX. 15. *Dominetur piscium maris et volatilium coeli, et omnium repentium quae repunt supra terram.* Ita vet. Interpr. variis locis. Vid. Despauter. p. 267. Vossius de Constr. c. 33. * Item, vet. Interp. Esai. XLI. 10. *In die salutis auxiliatus sum tui.* Sed haec a Graecis tracta constructio vix iam imitanda: meliores enim et Latinam morem secuti Scriptores *auxilior* cum solo dativo, *dominor* cum dativo, saepiusque ablativo, addita vel omissa praepositione, adhibent. Vid. post reg. 25. n. 75. (2) *Eludo* cum genitivo constructi hoc exemplum adfert Voss. Constr. c. 31. et Lowaeus Gramm. p. 21. n. 9. ex Tac. Ann. IV. 25. 4. *Eludentes optatae toties pugnae.* Verum hoc rectius cum Ursino, p. 233. ad constructionem participialium in *ns*, de qua supra reg. 14. retuleris. (3) De *potior* cum genitivo, praesertim vero *rerum*, constructo, postea dicetur reg. 35.

26) Item, *Angi de aliquo*, *Angere aliquem incommodis*; quae Ciceronis sunt, Att. VII. 22. et Amic. c. 3. Addit Ursinus, p. 224. ex Liv. I. 55. *Angebatur ad impensas Regis animus*: sed *augebatur* habent meliores. * *Fallit me animus*, Ciceronis est pro S. Rosc. c. 17. init.

27) *Fastidire in recte factis* exstat ap. Cic. pro Mil. c. 16.

28) Et *Laetor in re aliqua, Laetor de hac re*, et *Utrumque Laetor*, quae Ciceronis sunt, Phil. XI. 4. pro Marcell. c. 11. Fam. VII. 1. init.

Digitized by Google

laudibus alicuius [29]). *Pendeo animi*, vel *animo*: at pluraliter, *Pendemus animis*, non *animorum*. *Studeo alicui*, vel *aliquid* [30]). Ex his etiam quaedam cum infinitivo; aut cum particulis, *quod*, *ut*, *ne*, et subiunctivo, construuntur.

☞ Not. 2. Exempla numeri secundi fere omnia Poetica sunt. Longe autem frequentius dicimus; *Abstineo maledictis*, et *a maledictis*, *animum a scelere*, etc. *Desino aliquid*, et *ab aliquo*. *Desisto incepto*, *de negotio*, *ab illa mente*. *Quiesco a labore*. *Regnare omnibus oppidis*, Cic. Verr. II. 54. subaudito *in* [31]). *Graias regnare per urbes*, Virg. Aen. III. 295. *Adipisci aliquid*. *Condicere operam alicui*; *condicere coenam*, sive *ad coenam*. *Credere alicui omnia*. *Frustrari in re aliqua*. *Furere de aliquo*, Cic. Att. XIV. 19. *Furere recepto amico*, Hor. Car. II. 7. 28. *Furere Inachia*, Id. Epod. XI. 8. *Laudare mortem alicuius*. *Levare aliquem sollicitudine*, et *alicuius sollicitudinem*. *Liberare malo*, et *a malo*. *Participare aliquem aliqua re*, et *aliquid cum aliquo* [32]), et *participare aliquid*, sensu mutato, Cic. Tusc. II. 17. *Prohibere aliquem aliquem aditu*, *a pugna*, et *prohibere aliquid alicui* [33]).

---

29) Vid. reg. 25. n. 94.

30) Item, *In id solum student*, quod Quinctil. est, X. 2. *Si quis in ea re studebat*, quod Gellii, XI. 2. Vid. reg. 25. n. 5.

31) Neque enim cum Saturnio, p. 70. *oppidis* hic dandi casu positum existimem. Vid. Ursin. p. 234.

32) Addit et Perizon. p. 349. extr. *Participare aliquid alicui*: at exemplum desidero. Hoc enim Plauti, Mil. II. 2. 107. *Participavit sermoni suo aliquem familiarium de amica heri*, alienum est. Aliter etiam *sermone* quibusdam legitur. Adde infra reg. 41. n. 21. Et confer Callar. Antibarb. p. 242.

33) De ratione Grammatica, qua verba affectuum aliaque cum genitivo construuntur, magnopere inter se discentiunt Scriptores. Alii enim simplicem Graecorum imitationem in talibus agnoscunt. Alii Latina Ellipsi nominis alicuius substantivi rem expediunt, quibus tamen non una atque concors sententia est. Quidam enim voces generales, *negotio*, *re*, *causa*, *nomine*, cum praepositionibus *in*, *de*, vel *a*, intelligi volunt. Alii ad substantivum cognatae significationis confugiunt: ut, *misereri misericordia*, *fastidire fastidio*, *vereri verecundia alicuius*, etc. Alii denique peculiarius aliquod substantivum, quod sensui maxime conveniens sit, hic arcessunt: ut, *misereri alicuius miseria*; *angi*, *discruciari animi*, sc. *dolore*, sive *sollicitudine*; *Fallit me animi*, sc. *cogitatio*, *mens*, vel etiam *error*; *Invidit illi eiceris*, sc. *copiam*; *Miror iustitiae*, sc. *decora*; *Verari alicuius*, sc. *praesentiam*, vel *potestatem*, etc. Sic, *Abstineto irarum*, sc. *a negotio*; *Regnavit populorum*, sc. *in coetu*; *Levare laborum*, sc. *onere*, etc. Sed de hac re nimis, pro nostro instituto. Plura dabunt Vossius de Constr. locc. supra laudatis; Ursinus, p. 227. et seqq. et p. 234. Perizonius, p. 170. n. 8. et alii. [Neque imitatio Graecorum nec

Digitized by Google

2. *Verba personalia* Dativum *regentia.*

23. Est dandi casum, per habet resolubile, poscit.

Est pro habeo regit dativum personae: ut, Ter. Phor. II. 4. 14. *Suus cuique mos est.* Virg. Ecl. I. 81. *Sunt nobis mitia poma.* Ovid. XVII. 166. *An nescis longas Regibus esse manus* [34]), i. e. *Quisque habet suum morem. Nos habemus mitia poma. An nescis Reges habere longas manus* [35]).

24. Est afferre notans, *habeo, do, verto, relinquo,*
Saepe dabunt geminos, *tribuo, fore, duco*que ternos.

Sum pro afferro [36]) acceptum; item, *forem, do, duco, habeo, tribuo, relinquo, verto* [37]); et quaedam alia, regunt duos dativos, alterum personae, alterum rei: ut, Curt. VIII. 4. 17. *Tibi saluti fuit*, i. e. *salutem attulit.* Cic. Orat. c. 8. *Pergite, ut facitis, adolescentes; atque in id studium, in quo estis, incumbite; ut et vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicae emolumento esse possitis.* Ovid. Met. I. 250. *Sibi enim fore caetera curae.* Virg. Ecl. II. 57. *Fistula, Damoetas dono*

---

omissio vocabuli alicuius rationem huius constructionis satis illustrat. Ne plura dicam, lege modo quae disseruit Aug. Matthiae Gr. Gr. §. 322. p. 440. G. St.]

34) Sic etiam *foret* et *suppetit:* ut, Martial. XIV. 202. *Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.* Ter. Adel. IV. 5, 31. *Quid animi creditis illi misero fore?* Hor. Epist. I. 12, 4. *Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus:* item, *suppeditat*, pro *suppetit* acceptum, Tacit. Hist. IV. 40, 5. *Publio neque animus in periculis, neque oratio suppeditavit.* Aliter hoc verbum active sumitur, accusativum cum dativo regens: ut, Sil. X. 137. *Suppedita mihi tela.* Interdum duos dativos recipit: vid. mox n. 38. * Huc referri possunt contrariae significationis verba, *deest, deforet* et *defit*, pro *non habeo* vel *careo*: ut, Ovid. Art. III. 42. *Defuit ars vobis.* Tac. Annal. XIII. 37, 6. *Non defore Araxidis virtutem fortunamque.* Virg. Ecl. II. 22. *Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.*

35) Dativus nonnunquam animo reticetur: ut, Hor. Epist. I. 16, 54. *Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis;* supple, *tibi.* Sall. Catil. 16, 3. *Si causa peccandi in praesens minus suppetebat;* supple, *illis.* Tac. Ann. XV. 11, 4. *Se fidem, donec vita suppeditet, retenturos;* supple, *sibi.* Ovid. Pont. III. 4, 79. *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas;* supple, *alicui.*

36) Ita plerumque exponi posse intellige, non vero semper: nam haec, *Esse alicui cordi, derisui, praedae*, etc. eam interpretationem non admittunt.

37) Male his addit Methodi auctor, p. 834. verbum *puto*: id enim nunquam gemino dativo adiungitur, nisi cum *esse* vel *fore* expresso vel intellecto.

Digitized by Google

mihi quam dedit olim. Ter. Adel. I. 2. 24. *Tu nunc tibi Id laudi ducis.* Ibid. III. 5. 28. *Utrum studione id sibi habet, an laudi putat fore.* Cic. Fam. II. 16. *Quod illi tribuebatur ignaviae.* Ter. Heaut. III. 3. 42. *Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento.* Hor. Sat. I. 6. 85. *Nec timuit sibi ne vitio quis verteret olim.* Catull. XIII. 14. *Miserunt mihi muneri Fabullus et Verannius.* Ter. Heaut. V. 1. 66. *Me mea omnia bona doti dixisse illi* [38]).

Not. 1. Dativus personae saepe omittitur: ut, Hor. Sat. I. 1. 33. *Exemplo est magni formicà laboris*; supple, *nobis.* Plaut. Capt. III. 4. 122. *Nucleum amisi, reliquit pignori putamina*; supple, *mihi.* Cic. Off. II. 22. *Habere quaestui rempublicam turpe est*; supple, *alicui* [39]).

Not. 2. Pro dativo rei, nominativus interdum vel accusativus ponitur: ut, Curt. VIII. 14. 26. *Caeteris, ut*

---

38) Sic, *Appono, assigno, cedo, comparo, pateo, suppedito, venio, eo, curro, proficiscor:* ut, Ter. And. II. 1, 31. *Postulare id gratiae apponi sibi.* Gell. XI. 9. *Demosthenes gloriae quoque hoc sibi assignavit.* Pompon. l. 69. ff. de usufr. *Ne lucro ea res cedat domino.* Cicer. pro Quinct. c. 1. *Subsidio mihi diligentiam comparavi.* Virg. Aen. I. 298. *Utque novae pateant Carthaginis arces Hospitio Teucris.* Ter. Heaut. V. 1, 57. *Si illi pergo suppeditare sumptibus.* Liv. IX. 48. *Qui Herniciis subactis maturavit collegae venire auxilio.* Item, *Venire, ire, currere, proficisci subsidio alicui,* Cic. pro Font. c. 16. Pompei. ad Marcell. post Cic. Att. VIII. 12. et Phil. V. 17. * Huic structurae accenset Linacer, p. 229. illud Virg. Aen. I. 22. *Venturum excidio Libyae:* et Methodi Auctor, l. c. illud eiusd. Geo. I. 360. *Iam sibi tum curvis male temperat unda carinis.* In quibus tamen haud scio an *Libyae* genitivi potius, *carinis* ablativi, intellecta praepositione *a*, dicenda sint. * Contra hoc eiusd. Virg. Geo. IV. 165. *Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,* non inepte ad hanc regulam retuleris: quamvis *sorti* illic ablativus vulgo existimetur. * Hic vero cum primis notanda elegans illa phrasis, *Esse audientem dicto alicui:* ut, Cic. Verr. IV. 32. *Eos Syracusanis dicto audientes esse iussisti.* Liv. XXIX. 20. *Si Praetori dicto audiens non esset.* Nepos, Datam. 2, 3. *Is Regi dicto audiens non erat.* Adeo autem arctis cancellis circumscripta est haec formula; ut neque vocem *dicto* cum Valla omittere, aut eius loco cum Scioppio *dictis* pluraliter efferre, aut denique cum eodem Scioppio genitivum ei pro dativo adiicere permittat accuratissimus Vorstius de Latin. fals. susp. c. 12.

Digitized by Google

parcius instarent, fuere documentum. Virg. Ecl. III. 101. *Idem amor exitium pecori est pecorisque magistro;* pro, *documento, exitio.* Cic. Att. VII. 2. *Me idem non assequi, dedecus est nostrum;* pro, *dedecori est nobis.* Sic, *Est argumento, indicio, praesidio,* dicimus; vel, *argumentum, indicium, praesidium.* Sic etiam, *dare donum,* et *dono; nuptum,* et *nuptui: Relinquere regnum praedae,* et *praedam,* quomodo loquitur Iustinus, XVII. 2. in fin. Sic, *Habeo rem religioni,* dixit Cicero, Divin. I. 35. pro quo, *Religio est mihi aliquid facere,* usitatius dicimus [40]).

Not. 5. Huc spectant nominandi formulae: in quibus Auctores nominativo, genitivo, et dativo utuntur; rarius quidem genitivo, crebrius autem dativo [41]): (1) Nomin. ut, Cic. Verr. IV. 53. *In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est.* Ter. Hec. Prol. 1. *Hecyra est huic nomen fabulae.* (2.) Genit. ut, Plaut. Amph. Prol. 19. *Nomen Mercurii est mihi.* (3) Dativ. [42]) ut,

---

40) Aliter etiam in his structura variatur, *Esse morae,* et *in mora; noxae,* et *in noxa; vertere crimini,* et *in crimen:* quomodo Livius, XL. 15. *Ea quae gloriae esse debent, in crimen vertis.* Sic, Plin. XXXI. 6. *Ducere in gloria.* Ter. Phor. II. 1, 21. *Deputare esse in lucro.* Suet. Iul. 38, 8. *In magno negotio habere.* Tac. Annal. VI. 5, 8. *In crimen ducere.* Vid. Iohnson. Noct. Nott. p. 66. * In his Plaut. Truc. IV. 4, 30. *Operae ubi mihi erit, ad te venero.* Gell. VII. 17. *Nunc mihi operae non est.* Liv. XLIV. 36. *Non operae est stanti nunc in acie docere,* etc. ambigi potest, an *operae* genitivi sit, an dativi casus. Prius affirmat Scioppius ad Sanct. p. 685. *res* vel *pretium* intelligens: neque dissentit Perizonius ad loc. n. 109. Posterius tamen arridet Vossio, Constr. c. 24. quo et Ursinus, p. 192. inclinare videtur. In illis autem, *Curae est, causae est,* a Scioppio (qui et ea genitivo prolata statuerat) diversus merito abit idem Perizonius, l. c. dativi haud dubie ea esse confirmans. In iathoc autem Plaut. Merc. V. 4, 30. *Ut aliter facias non est copiae* (pro quo alibi eodem sensu *copia est,* idem adhibuit, Capt. III. 3, 14.) posse se ferre Perizonius ait, τὸ *copiae* ita exponi, ut idem sit quod *hoc non est tibi res copiae,* seu *facultatis:* dativo tamen positum sibi potius videri innuens. * Huc pertinere existimat Danesius, Paralip. p. 288. phrasin illam, *Homo frugi,* vel *Homo bonae frugi:* ut integra oratio sit, *Homo qui sibi vel aliis bonae est frugi.* Sed verior Perizonii ad Sanct. IV. 4, 12. sententia, qui *idoneus* vel *natus* hic intelligit. Vid. Part. I. p. 113. n. 27.

41) In his Ovidii, Met. I. 169. *Lactea nomen habet:* et Met. XV. 96. *At vetus illa aetas, cui fecimus Aurea nomen,* etc. *Lactea* et *Aurea,* quasi materialiter ac indeclinabilia ponuntur. Idem forte iudicandum de illo Livii, X. 25. *Camare olim appellabant;* nisi *Camare* ibi neutri generis dicatur.

42) Et hunc prae caeteris loquendi morem Auctoribus arrisisse, in nominibus praesertim mere Romanis, ostendit Gronovius ad Liv. I. 1. supra cit.

Digitized by Google

Liv. I. 1. *Troiae et huic loco nomen est.* Iustin. XXIX. 1. 5. *Ptolomaeus cui cognomentum Philopatori fuit.* Virg. Aen. I. 267. *At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur*, etc. Liv. I. 3. *Mansit Sylviis postea omnibus cognomen* [43]).

25. Omnia pene dabunt, cui quid fit, verba dativum.
Praecipue hoc casu gaudent sum nata, satisque
Queis bene vel male sit iunctum: quoque praepositurae,
Quae super, in, post, prae conflarunt multa, vel ob, cou,
Ante, sub, adiectis ad et inter: Verbaque porro
*Proficio, noceo, foveo*que, *indulgeo, parco,*
*Gratulor, auxilior, studeo, medeor*que et *adulor,*
Pareo, et *invideo, famulor*, simul *impero; mando,*
Derogo, patrocinor, placeo, succenseo, pugno;
*Irascor*que, *minor, fido*, cum *supplico, credo;*
Plurimaque his sensu quae sunt affinia. Verum
Offendo, iubeo, laedo dant, et *iuvo*, quartum.

Quodlibet verbum admittit dativum personae, aut rei, cui qualicunque modo aliquid fit vel acquiritur: ut, Ter. Adel. I. 2. 35. *Si quid peccat, Demea, mihi peccat.* Plaut. Merc. Prol. 71. *Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem et metis.* Cic. Fam. VII. 24. *Non omnibus dormio.* Ter. Phor. II. 2. 16. *Non rete accipitri tenditur, neque milvo.* Virg. Ecl. III. 103. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Hor. Ep. I. 4. 13. *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Ovid. Art. III. 425. *Semper tibi pendeat hamus: Quo minime credis gurgite piscis erit* [44]).

---

43) In hoc L. Pisonis ap. Gell. XV. 29. *Quia Tarquinium nomen esset, Tarquinium* non accusativi casus est, sed nominativi, atque adiective positum, ut *gens Tarquinia, gens Iulia.* Plane autem ineptiunt, qui hinc *Est mihi nomen Petrum* dicendum putant: quamvis Servius ex illo Virg. Aen. III. 267. *Aeneadasque meo nomen de nomine fingo*, hanc loquendi formam adstruat. Verum in hoc Epexegesis est, sive Appositio, quemadmodum in isthoc Livii, I. 1. extr. *Ascanium parentes dixere nomen*, quod Vossius Constr. c. 34. minus bene cum Pisoniano illo comparat. Vid. Ursin. p. 254. et adde Gronov. ad Auson. Edyll. II. 1. et Burman. ad Ovid. Fast. V. 595.

44) Magnam saepe Emphasin his dativis subesse notat Perizon. ad Sanct. II. 4, 5. qualem, ut in superioribus quibusdam, ita in his porro

Digitized by Google

Haec regula multo omnium generalissima: ad eam autem specialius reduci possunt;

I. Composita cum verbo sum, praeter *possum* [45]): ut, Caes. B. G. VI. 12. *Pollio omnibus negatiis non interfuit solum, sed etiam praefuit.* Cic. Off. II. 10. *Nec sibi, nec alteri prosunt* [46]).

II. Verba composita cum adverbiis satis, bene et male: ut, *Satisfacio, satisdo, benefacio, benedico, bene volo, malefacio, maledico.* Cic. Fam. I. 1. *Caeteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio* [47]). Id. Verr. I. 56. *Deridet, cum sibi ipsum iubet satisdare Rabonium.* Sall. Catil. 3. 1. *Pulchrum est benefacere reipublicae; etiam benedicere haud absurdum.*

III. Multa verba cum his decem praepositionibus composita: ad, ante, con, in, inter, ob, post, prae, sub et subter.

---

exemplis videre est. Plaut. Capt. IV. 2, 86. *Esurire mihi videre.* Resp. *Mihi quidem esurio, non tibi.* Ter. Eun. V. 8, 23. *Mihi illam laudas?* Cic. Amic. c. 27. *Mihi quidem Scipio vivit, vivetque semper.* Id. Fam. VI. 6. extr. *Apud quem quicquid valebo vel auctoritate vel gratia, valebo tibi.* Virg. Ecl. VIII. 29. *Tibi deserit Hesperus Oetam.* * Sed et dativos hosce, *mihi, tibi, sibi,* nonnunquam prorsus abundare, idem Perizonius, l. c. et alii observant: ut, Ter. Adel. V. 8. ult. *Suo sibi gladio hunc iugulo.* Hor. Epist. I. 8, 15. *Quid mihi Celsus agit?* Virg. Geo. I. 45. *Incipiat iam tum mihi taurus aratro Ingemere.* Liv. Praef. *Ad illa mihi quisque acriter intendat animum.* Sallust. Catil. 52, 11. *Hic mihi quisquam misericordiam nominat?* Virg. Geo. II. 175. *Tibi res antiquae laudis et artis Ingredior.* Confer Drackenb. ad Sil. I. 46. et quos ibi laudat Scriptores: item, L. Vallam, III. 52. et Broukhus. ad Tibull. I. 4, 47. et I. 7, 69.

45) Iohnsonius Noct. Nott. p. 38. excipit etiam *absum*, negatque quenquam unquam dixisse, *Abest turpitudini, abest urbi.* Verum Ovid. Her. I. 50. *Vir abest mihi:* et Met. XIV. 371. *Abest custodia Regi:* et Pont. IV. 10, 69. *Abfuimus solito dolori.* Hor. Car. III. 24. ult. *Curtae nescio quid semper abest rei.* Varro R. R. II. 2. *Si cui vetustate dentes absint.*

46) Pleraque a verbo sum composita ad alias e frequentibus classes referri possunt: ut et composita a fore (quibus peculiarem hic locum dedit Despauterius, p. 308.) *affore, profore.* Virg. Aen. X. 547. *Vimque affore verbo Crediderat.* Horat. Epist. I. 8, 11. *Quae nocuere, sequar, fugiam quae profore credam,* supple *mihi.* * De *desum* et *defore* diximus supra, reg. 23. n. 84.

47) *Satisfacio* (inquit Sanctius Minerv. p. 380. est *facio satis*, ut *Satis accipio*; nbi *satis*, pro accusativo est. Nihilominus tamen Cato R. R. c. 149. dixit, *Dunicum pecuniam satisfeceris:* ubi (notante Perizonio in loc. n. 122.) duo sunt accusativi, quorum alter est *satis*, alter manifeste additur per Ellipsin praepositionis κατὰ vel *quod ad.* * Eadem ratione ex hoc Gellii, VII. 18. *Atque ita iureiurando satisfacto,* recte collegeris veteres *satisfacere iusiurandum* dixisse.

Digitized by Google

Ad: ut, *Accedo, accresco, accumbo, acquiesco, adno, adnato, adequito, adhaereo, adsto, adstipulor, advolvor, effulgeo, allabor, allaboro, annuo, appareo, applaudo, appropinquo, arrideo, aspiro, assentior, assideo, assisto, aspuesco, assurgo.* Hor. Sat. I. 10. 88. *Quibus haec, sint qualiacunque, Arridere velim.* Virg. Aen. II. 385. *Aspirat primo Fortuna labori.*

Ante, ut, *Antecello, anteeo, antesto, anteverto.* Cic. Arch. c. 3. *Antecellere omnibus ingenii gloria contingit,* Plaut. Amph. II. 2. 18. *Virtus omnibus rebus anteit.*

Con: ut, *Colludo, concino, consono, convivo.* Cic. in Sallust. c. 1. *Ut omnis oratio moribus consonet.* Hor. Art. v. 59. *Puer —— gestit paribus colludere.*

In, ut, *Incumbo, indormio, inhio, ingemisco, inhaereo, insideo, insto, insisto, insudo, insulto, invigilo, illacrymo, immineo, immorior, immoror, impendeo.* Hor. Sat. I. 1. 70. *Congestis undique saccis Indormis inhians.* Cic. Phil. XIV. 15. *Impendent hominibus multa et varia genera mortis.*

Inter: ut, *Intervenio, intermico, intercedo, intercido*[48]), *interiaceo.* Ovid. Met. VII. 453. *Nulli sincera voluptas, Sollicitique aliquid laetis intervenit.* Claudian. Rap. Proserp. I. 183. *Rutilum squamis intermicat aurum.*

Ob: ut, *Obrepo, obluctor, obtrecto, obstrepo, obmurmuro, occumbo, occurro, occurso, obsto, obsisto, obvenio.* Senec. Epist. 4. *Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt.* Virg. Aen. II. 61. *In utrumque paratus, Seu versare dolos, seu certae occumbere morti.*

Post: ut, *Postpono, posthabeo*[49]). Ovid. Met. VI. 211. *Vos est postponere natis Ausa suis.* Virg. Ecl. VII. 17. *Posthabui tamen illorum mea seria ludo.*

Prae: ut, *Praecedo, procurro, praeeo, praesideo, praeluceo, praeniteo, praesto, praevaleo, praeverto.* Cic. Divin. I. 52. *Ut certis rebus certa signa praecurrerent.* Id. Fin. II. 33. *Homo caeteris animantibus plurimum praestat.*

Sub: ut, *Sucoedo, succumbo, sufficio, suffragor, subcresco, suboleo, subiaceo, subrepo.* Caes. B. G. VII. 86.

---

48) *Intercido* brevi penultima intellige, a *cado*: ut, Hor. Sat. II. 4, 6. *Quod si intercideris tibi nunc aliquid, repetes mox*: ubi dativus personae est. Aliter, cum res, non persona significatur, ablativo frequentius, si non semper, utimur: ut, Liv. II. 8. *Credo consulatum memoria intercidisse.* Vid. et V. Max. V. 2. extern. princ.

49) Haec duo, *Postpono* et *posthabeo*, cum accusativum insuper regant, ad reg. seq. potiore iure pertinent.

Digitized by Google

Cohortatur ne labori succumbant. Iuven. X. 168. *Unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis.*

Super: ut, *Supervenio, supercurro, supersto* [50]). Liv. XXXIV. 40. *Huic laetitiae Quinctius supervenit.* Plin. Epist. VII. *Id quod vectigali supercurrit* [51]).

---

50) Liv. XL. 2. *Signa cum columnis, quibus superstabant, evertit.* * Pleraque autem cum super composita in accusativum vi praepositionis feruntur: ut, Virg. Aen. I. 501. *Gradienque deas supereminet omnes.* Lucan. IV. 138. *Tumidum superenatat amnem.* Val. Flacc. III. 554. *Intactas levis ipse superfugit undas.* Quinctil. Inst. VI. Prooem. p. 495. *Muller omnem laudem supergressa.* Virg. Aen. VI. 18. *Chalcidicamque levis tandem superadstitit arcem.* Id. Aen. IX. 709. *Clypeum superinjicit ingens.* Id. Ecl. VI. 81. *Infelix sua tecta supervolitaverit ales.* Colum. XI. 3. *Sentes sepem superscandunt.* Plin. II. 108. *Aquae dulces aliae aliis supermeant.* Liv. XXXI. 38. *Supervadens munimenta victor hostis.* Sedulius op. Pasch. *Vox domini superexstat aquas.* * Quin et *supervenio* (significatione a priore illa nonnihil diversa) accusativo sociatur: ut, Ovid. Met. X. 489. *Cura loquentis Terra supervenit.* Stat. Achill. I. 143. *Nescio quid magnum — teneros supervenit annos.* Hor. Ep. II. 2, 176. *Velut unda supervenit undam.* * *Supersedeo* nonnunquam dativo iungitur: ut, Hirt. B. Afr. c. 75. *Postquam adversarios supersedere pugnae animadvertit.* Apul. Apol. p. 452. *Omnino huic maledicto supersedisset:* [unde apparet, immerito a Despauterio, p. 347. novitatis argui D. Hieronymum, qui contra Pelagianos, *Supersedendum huic labori censeo*, dixerit;] saepius vero ablativo: ut, Cic. Fam. IV. 2. *Supersedeas hoc labore itineris.* Id. de Inv. I. 21. *Quod cum acciderit, omnino narratione supersedendum est.* Ibid. c. 40. *Sunt qui putant nonnunquam posse complexione supersederi.* Liv. VII. 27. *Tributo ac delectu supersessum.* Quo etiam casu dicta videntur, Plaut. Epid. I. 1, 37. *Supersede istis rebus iam.* Caes. B. G. II. 8. *Praelio supersedere statuit.* Liv. VI. 1. extr. *Rebus divinis supersederi iussum.* Crebro et infinitivo iungitur: ut, Plin. Epist. V. 7. *Haec ego publice scribere supersedi.* Liv. XXI. 40. *Supersedissem loqui apud vos.* Sed et cum accusativo construxit Gell. II. 29. *Cognati et affines, operam, quam dare rogati sunt, supersederunt.* Quo etiam spectare videntur et illa, Auct. ad Herenn. II. 17. *Haec causa non visa est supersedenda*, et Apul. Florid. 18. p. 811. *Sed istis omnibus supersessis.* Alio sensu *Supersedeo*, vel accusativo iungitur: ut, Apul. Met. XI. p. 874. *Adhaerebat ansa, quam contorto nodulo supersedebat aspis,* [quomodo inversim Virg. Aen. I. 295. *Saeva sedens super arma*] vel dativo, aut (si mavis) ablativo: ut, Sueton. Aug. 96, 2. *Aquila tentorio eius supersedens.* et Ner. II. 5. *Eques Romanus elephanto supersedens.* * *Superaddo, superfundo, supermitto, superpono, superaterno*, et alia eiusmodi activa ad reg. 29. pertinent. * Sic et *superiacio*: ut, Plin. V. 32. *Troadi Phrygia superiecta.* Colum. VI. 23. *Saxis et canalibus sal superiectus.* Virgilius tamen cum duplici accusativo construxit, Aen. XI. 525. *Scopulos superiacit undam;* quorum alter verbi, alter praepositionis vi regitur: unde et Plin. VII. 2. *Arbores tantae proceritatis, ut nequeant sagittis superiaci*, et IX. 15. exter. *Mugiles tam praecipuae velocitatis, ut transversa navigia interim superiactent*, i. e. *transiliant.* Sed haec alterius loci sunt. Vid. post reg. 68.

51) His addi possunt quaedam composita cum praepositionibus, a, b, de, ex, circum, contra et re: ut, Cic. pro Caecin. c. 34. *Abiu-*

Digitized by Google

IV. Verba variae significationis,

1. Verba proficiendi: ut, *Proficio, prosum, placeo, commodo, prospicio, caveo, metuo, timeo, consulo* pro *prospicio.* Item, *Noceo, officio, incommodo, displiceo, insidior.* Ovid. Met. XIII. 156. *Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi, Profuit ingenium.*

2. Verba favendi, auxiliandi, et eorum contraria: ut, *Faveo, gratulor, gratificor, grator, ignosco, indulgeo, parco, adulor, plaudo, blandior, lenocinor; palpor, assentor, subparasitor.* Item, *Auxilior, adminiculor, subvenio, succurro, patrocinor, medeor, medicor, opitulor.* Item, *Derogo, detraho, invideo, aemulor.* Cic. pro Q. Rosc. c. 10. *Qui diligebant hunc, illi favebant.* Ovid. Pont. I. 2. 125. *Qui vicit semper, victis ut parcere posset.*

3. Verba imperandi, obediendi, serviendi: ut, *Impero* [52]), *praecipio, mando, moderor*, pro *modum adhibeo.*

---

dicere aliquid alicui. Phaedr. I. 3, 5. *Pennas pavoni quae deciderant, exstulit:* ubi, praeter rationem, Willymottus *pavoni* antiquum ablativum vult esse, pro *pavone;* Ovid. enim Amor. III. 10, 36. aperte huic verbo dativum adiungit, *Deciderant longae spicea serta comae.* Sic, Manil. IV. 77. *Degenerant nati patribus.* Claudian. VIII. 365. *Cum Pergama solus Verteret, et patri non degeneraret Achilli.* [V. Bronkh. ad Propert. IV. 1, 81.] Ita Hor. III. 27, 54. *Antequam tenerae succus defluat praedae.* Virg. Aen. I. 174. *Silici scintillam excudit Achates.* Mart. I. 97. *Excidit mihi nomen.* Plaut. I. 3, 95. *Excludere alicui oculum.* Stat. Silv. V. 1, 153. *Remurmurat undae.* Cic. Phil. V. 8. *Cum eius promissis legiones fortissimae reclamarent.* Liv. XXXVII. 54. *Regiones quae circumiacent Europae.* Ovid. Met. IV. 360. *Circumfunditur iuveni.* Liv. XXXIV. 28. *Circumiecta urbi loca.* Quinctil. IX. 2. p. 791. *Pater ei contradicit.* Tac. Ann. XIV. 45. *Sententiae alicuius contraire.* Confer Ursin. p. 240. et Iohnson. Noct. Nott. p. 66. * Ex verbis autem sic compositis pleraque praepositionis casum potiunt.

52) *Impero* quandoque accusativum regere probatum existimat Saturnius, I. 19. hoc Columellae, I. 8. *Non est nostri ingenii senem imperare, alterum docere,* sive (ut in melioribus habetur) *Non e. n. negotii alterum imper. al. doc.* At ibi *senem* vel *alterum* verbi infiniti suppositum, non appositum est, q. d. *ut alter imperet.* * Olim tamen hoc verbum accusativum sibi sociasse ostendit ei passiva voce nominativus personae praepositae: ut, Hor. Epist. I. 5, 21. *Haec ego procurare et idoneus imperor;* pro *mihi et idoneo imperatur.* Vid. post reg. 41. App. 2. n. 45. * In his autem et similibus, quibus accusativus rei verbo *impero* adiungitur, *Imperare pecuniam, tributum, arma, naves,* etc. *dari, praeberi, subministrari,* aut eiusmodi aliquis infinitivus, intelligi videtur: quam Ellipsin auctores, vel ignorantes, vel non attendentes, *Tributum imperatur, Arma imperantur, Pecuniae imperatae, Obsidibus imperatis,* dixerunt. Vid. Plaut. Epid. II. 2, 43. Caes. B. Civ. I. 6. III. 32. et B. Gall. VI. 4. Quamvis enim et in his *dari* seu *praeberi* intelligere possis, ex Analogiae tamen norma, hoc verbum, cum neutrum sit, non nisi impersonaliter passiva voce debuit usurpari. [Cur accusativus rei

Digitized by Google

Item, *Pareo, ausculto, obedio, obsequor, obtempero, morem gero, morigeror, obsecundo.* Item, *Famulor, servio, inservio, ministro, ancillor.* Item, *Repugno, obsto, reluctor, renitor, resisto, refragor, adversor.* Et apud Poetas, *Pugno, certo, bello, contendo, concurro, luctor.* Hor. Ep. I. 10. 47. *Imperat, aut servit collecta pecunia cuique.* Virg. Aen. IV. 50. *Placitone etiam pugnabis amori?*

4. Verba minandi et irascendi: ut, *Minor, comminor, interminor, irascor, succenseo.* Cic. Fam. V. 2. *Tertio quoque verbo orationis suae me appellabat, mihi minabatur* [53]). Sil. VII. 555. *Succensere nefas patriae.*

5. Verba fidendi: ut, *Fido* [54]) *confido, credo, diffido.* Hor. Epist. I. 19. 22. *Qui sibi fidit, Dux regit examen.* Virg. Ecl. II. 17. *O formose puer, nimium ne crede colori.*

---

non possit pendere ab verbo *imperare*, nulla est ratio. Itaque ne hoc quidem supplemento opus est. G. St.]

53) At *minor* eiusque composita, cum activae potius quam neutralis significationis videantur, rectius forte inter ea quae accusativum simul et dativum regunt, possunt referri. In illo autem Ciceronis, *mihi minabatur, malum, perniciem, poenam*, quae longe frequentius exprimi solent, intellige.

54) *Fido* (quanquam id neget Servius ad illud Virg. Aen. VII. 290. *Iam fidere terrae*) ablativo, et forte saepius, iungi invenitur: ut, Cicer. Acad. II. 20. *Meas cogitationes dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram, Qua fidunt duce nocturna Phoenices in alto:* Et Nat. Deor. II. 41. *Hac fidunt duce nocturna*, etc. Ovid. Met. VII. 545. *Fidere cursu.* Cic. I. 28. *Animus prudentia consilioque fidens.* Nep. Lysand. 3, 5. *Pecunia fidens.* Id. Chab. 1, 2. *Fidens victoria.* Liv. XXIV. 48. *Marte pedestri fidens.* Virg. Geo. III. 31. *Fidentemque fuga Parthum:* et Aen. X. 845. *Fidens primaevo corpore Clausus.* Ovid. Pont. IV. 9, 78. *Hic arcu fisos terruit ense Getas.* Quin et superius citato Maronis loco, *fidere terra* legunt Despauterius, p. 317. Linacer, p. 278. Meth. Auct. p. 579. et Stephanus in Thesauro L. L. atque ita legisse videtur Priscianus, lib. XVIII. col. 1185. quemadmodum a Putschio editum est; quamvis antiquiores, Venet. 1488 et 1496. et Ascens. 1517. *terrae* exhibeant. Caeterum dativo iunxerunt Liv. III. 18. *Ulli rei fidere*, et IV. 4. *Fidens innocentiae animus*, et c. 18. *Satis fidens sibi.* Tacit. Annal. III. 56. *Suae magnitudini fidebat.* Ovid. Met. XV. 826. *Coniunx Aegyptia, tacdas Non bene fisa.* Virg. Aen. IX. 378. *Fidere nocti*, et XI. 851. *Fugae fidens:* nisi forte (quod vix reor) hoc postremum genitivo profatum, ut *Fidens armorum*, ap. Lucan. IX. 378. Eodem pacto construitur *confido*: vel cum dativo scil. ut, Cic. pro Flacc. c. 2. *Sibi confidere:* et Flu. I. 9. extr. *Confidere causae.* Lucan. X. 82. *Formae confisa suae Cleopatra:* vel cum ablativo; ut, Cicer. Tusc. V. 14. *Confidere corporis firmitate:* et ibid. c. 8. *Aliqua arte confidere:* et Fam. XII. 14. *Nulla alia confisus urbe.* Sueton. Iul. 86. 2. *Confisus iureiurando.* Vitruv. p. 126. 8. *Confisus magna scientia.* Lucan. IV. 667. *Robore quanquam Confisus Latio.* Liv. XXIV. 5. *Patenti duce confisos.* Nempe in his praepositio in supprimitur; quod expressit Hirtius, B. Afr. c. 19. *Quippe qui in illorum sibi confideret multitudine.* Aliter *confido* cum infinitivo

Digitized by Google

6. Alia quaedam verba, quae in locos communes redigi vix possunt: ut, *Nubo, excello, haereo, supplico, cedo* [55]), (pro *locum do,*) *despero, operor, praestolor, praevaricor, recipio tibi,* (i. e. *promitto,*) *pepigi,* (i. e. *promisi,*) *renuncio,* (i. e. *abstineo* et *alieno me,*) *respondeo,* (pro *satisfacio*) *tempero* (pro *abstineo,*) *studeo, vaco,* (i. e. *operam do,*) *convicior.*

† E superioribus verborum classibus excipe *Iubeo, offendo, laedo et iuvo* [56]), quae non dativum, sed accusativum petunt: ut, Lucan. I. 298. *Dextraque silentia iussit* [57]). Hor. Art. V. 550. *Cur ego amicum Offendam*

---

saepissimè iungitur: ut, *Confido fore, confido rem, ut volumus, esse,* et alia eiusmodi passim. * Sic etiam *Diffido*: ut, Cic. ad Q. Fr. I. 1. init. *Diffido rem confici posse.* Secus autem *diffido* hoc sensu solum dativum recipit: ut, Cicer. Fam. IV. 5. *Prudentiae alicuius diffidere.* Quinctil. VI. 1. sub init. *Diffidens memoriae iudicum.* * *Confidere* autem et *diffidere de salute alicuius,* et similia, alia notione dicuntur.

55) *Cedo* verbum neutrum, non activum esse, et cum ei accusativus iungitur (ut, *Cedere locum alicui,*) per Ellipsin praepositionis dici, pro *cedere alicui quod ad locum,* docet Perizonius, p. 601. n. 58. Caeterum huic verbo subiicitur, et quidem longe frequentius, casus sextus: ut, Cic. pro Mil. c. 27. *Quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset.* Id. Attic. XIII. 41. *Cum se domo cesturum filio diceret.* Liv. XXIV. 6. *Aequum censebat Sicilia sibi omni cedi.* Vid. Max. IV. 1. exter. 7. *Milesii mensam Thaleti dederunt; ille ea cessit Bianti.* [al. *eam*] Iustin. XXIX. 2, 6. *Cedere se illi regno profitetur.* Suet. clar. Gramm. XI. 4. *Postquam Tusculana villa creditoribus cesserat.* Adde Heins. ad Vell. Paterc. II. 85. 5. Gronov. ad Liv. loc. cit. Burmann. ad Quinctil. Declam. 10, 6. et ad Buchanan. Hist. Scot. 1, 32. * Praepositio autem de (quae in his intelligitur) nonnunquam etiam exprimitur: ut, Cic. anteq. ir. in exil. c. 8. *Cedo invitus de repub. de fortuna, de dignitate.* [Nihil intelligendum. G. St.]

56) Haec igitur verba (nisi forte *iubeo* excipias) activa sunt, ad reg. 26. pertinentia.

57) Hic autem accusativus, non proprie a *iubeo* regitur; sed a sequente infinitivo, cuius suppositum est, pendet: ut, Cic. pro Deiot. c. 14. *Iubes eum bene sperare.* Ter. Adel. III. 4, 14. *Hegionem salvere iubeo.* Qui infinitivus interdum reticetur, ut in superiore exemplo, *Dextra silentia iussit,* supple *fieri.* Sic, Cic. pro Balb. c. 16. extr. *Iubere legem,* sc. *esse.* Lucan. II. 528. *Iubere classica,* sc. *canere.* Flor. II. 6, 2. *Iubere tributa,* sc. *dari.* Liv. I. 22. *Tullum Hostilium Regem populus iussit,* sc. *creari.* Cic. Fam. XIII. 26. *Iubere aliquem aliquid,* sc. *facere.* Confer Voss. Constr. c. 36. et Burmann. ad Petron. c. 71. * Interim tamen hoc verbum, quasi vere activum, atque accusativum vi sua regens, passive haud raro adhibetur: ut, Ovid. Heroid. II. 52. *Quaque iubentur, eunt:* et Met. XIV. 437. *Dare vela iubemur.* Iuven. IV. 144. *Proceres exire iubentur Concilio.* Tacit. Hist. IV. 76, 3. *Germanos non iuberi, non regi.* Virg. Aen. X. 444. *Socii cesserunt aequore iusso.* Cic. de Orat. I. 14. *De legibus iubendis, aut vetandis, dicere.* Vid. supra not. 52. de verbo *impero,* quod eiusdem fere cum *iubeo* naturae est. * *Iubeo* nonnunquam et dativum admittere multis exemplis ostendere

Digitized by Google

in nugis [58])? Cic. pro Muren. c. 40. *Iniuste neminem laesit.* Ovid. Met. VII. 505. *Iuvit facundia causam* [59]).

☞ Not. 1. Quae supra recensuimus verba, cum dativo magis peculiari modo constructa, omnia fere neutra sunt, aut neutralis significationis. De activis autem accusativum una cum dativo regentibus paulo inferius dicetur.

☞ Not. 2. Pleraque huius structurae verba hic sigillatim sunt enumerata: quod eo consilio a nobis factum, ne quis imprudens existimet alia omnia eiusdem, sive compositionis, sive significationis verba, pari ratione dativum recipere. Longe enim plurima sunt cum praepositionibus ad, ante, con, etc. composita, quae huiusmodi dativum plane respuunt: ut, *Accolo, antegredior, ineo, intercurso, obsideo, postvenio, praevenio, subsilio,*

---

conantur, Sanct. p. 183. Perizon. ibid. n. 6. Munker. ad Hygin. Fab. 196. Saturnius, I. 18. Davisius ad Caes. B. Civ. III. 98. Scioppp. Gram. Phil. Praef. Rhenius, p. 561. Ursin. p. 240. etc. In contrarium tamen nituntur Voss. Constr. c. 36. Gronov. Observ. I. 17. et ad Liv. XXVII. 24. Cellarius Antibarb. p. 268. et Cur. poster. p. 98. Burmann. ad Petron. l. c. Drakenborg. ad Sil. XII. 607. Cortius ad Sallust. Iug. 84, 1. qui vel infinitivum in his intelligi, vel corrupta loca, aut seqioris aetatis esse contendunt. * Similis inter eosdem lis est, an *Iubeo te ut facias* Latine dicatur. Et negant quidem Vossius et Burmannus loc. cit. itemque Scioppius, Styl. Hist. p. 118. quenquam de meliore nota Scriptorem sic loqui. Saturnius etiam, I. 18. extr. hoc loquendi genus usque adeo rarum, ut vix aliud quicquam rarius, pronunciat. Adfert tamen Perizon. l. c. ex Plaut. Stich. II. 3, 71. *Iube famulos rem divinam mihi apparent:* et ex Suet. Vesp. 23, 3. *Nunciantes legatos decretam sibi statuam, iussit ut continuo ponerent.* His addit Ursinus, p. 240. et ante eum Saturnius, l. c. ex eod. Plaut. Men. V. 5, 52. *Tu servos iube* [ut] *hunc ad me ferant.* Item, sed absque accusativo, Cellarius, cur. post. p. 180. ex Liv. XXXII. 16. *Iussitque ut quae ex sua classe venissent naves, Euboeam peterent:* et Tac. Ann. XI. 32, 2. *Iussit, ut Britannicus et Octavia in complexum patris pergerent:* et Plaut. Amph. I. 1, 50. *Iubet sententiam ut dicant suam:* et Ovid. Met. VI. 508. *Absentes iubet ore salutent:* ubi tamen alios *rogat* legere, ipse observat. Adde Pallad. Octob. t. 9. init. *Graeci iubent, si uvam nimius imber insiderit, ut ad alia vascula transferatur:* et confer Priscianum lib. XVIII. col. 1131. qui, *Iubeo tibi currere*, et *Iubeo te currere:* item, *Iubeo facias, iubeo dicas*, in quo deest *ut*, ex Latina consuetudine dici posse affirmat. * *Veto* similiter cum subiunctivo construi notat Sciopp. Praef. Gramm. Philos. An vero, *Veto tibi queri* (quod idem illic docet) dicere liceat, multum dubito. Quamvis Plaut. Pseud. I. 2, 72. *Amor amatoribus prohibet, faciant adversum lectionem quod volunt*, dixerit.

58) Dicitur et *Offendere aliquem* vel *aliquid*, pro *invenire*, Ter. Eun. V. 8, 34. Cic. Verr. III. 58. Item; *in re aliqua*, pro *peccare*, Cic. de Orat. I. 28. Item, *ad aliquid*, vel *rei alicui*, vel *in re aliqua*; pro *impingere*; Colum. II. 3. Hor. Sat. II. 1, 78. Ovid. Pont. IV. 14, 21.

59) De *Iuvat* impersonali postea dicetur, reg. 89.

Digitized by Google

supernato, etc. [60]). Innumera itidem sunt, commodum, auxilium, favorem, et contra, significantia; quae tamen non cum dativo, sed cum accusativo, vel aliter, construuntur: qualia sunt, *Levo*, *erigo*, *alo*, *nutrio*, *amo*, *diligo*, *vexo*, *crucio*, *aversor*, etc. [61]).

Not. 3. Quin etiam ex iis quae supra posita sunt, haud pauca aliter constructa inveniuntur; idque vel eadem significatione, vel diversa.

I. *Verba neutra, sub eadem significatione varie constructa* [62]).

Accedere muris, *Liv.* XXIV. 20. ad urbem, *Sall. Catil.* 48. 4. in oppidum, *Cic. Verr.* IV. 23. accedere domos infernas, *Virg. Aen.* V. 732. accedere alicui, *i. e.* assentiri, *Quinctil.* IX. 4. *pr.* [63]).

---

60) Nongenta amplius ejusmodi verba (non multum utili labore) nobis conservavit Lohmannus, Noct. Nott. p. 40. et seqq. Verum in nonnullis ipse hallucinatus est. Nam ex iis *Allatro*, *concino*, *convenio*, *immoror*, *interjaceo*, *intermico*, *intervenio*, *obambulo*, *obumbro*, *obnitor*, cum dativo constructa inveniuntur: ut, Cic. Nat. Deor. I. 7. *Antiocho Stoici ad obcinere videntur*, *verbis discrepare*. Quinctil. Inst. II. 16. *Ne terrenis immorer*. Justin. II. 8, 16. *Quindecim annis pacandae Asiae immorati*. Tac. Hist. II. 6, 1. *Manu hostibus obniti*. Caeterorum exempla in textu habentur. * *Indoleo* etiam cum dativo junctum quidam existimabunt in his Ovid. *Indoluisse adversis suis*, Trist. V. 4, 38. *Indoluisse malis*, Trist. II. 370. *Indoluit facto*, Met. IV. 128. Vid. Ursin. p. 226. at mihi haec ablativo prolata videntur: quomodo idem alibi, Fast. IV. 202. *Indoluit fertilitate sua*: similiter et cum verbo simplice, Met. VI. 130. *Doluit successu flava virago*. * *Praevaleo* quoque cum dativo constructum habent quaedam Edit. ap. Phaedr. I. 13. ult. *Virtutis at semper praevalet sapientia*. At melioribus *virtute* legitur: quin et doctissimi Interpretes totum versum Phaedro abjudicant.

61) Vid. Alvar. p. 308.

62) De varia verborum activorum structura suis postea locis dicetur.

63) Item, eodem sensu, *Accedere ad sententiam alicujus*, Plaut. Aul. II. 8, 13. et *Accedere sententiae alicujus*, Plin. Epist. IV. 10. At persona hac notione semper dativo ponitur: ut, Quinctil. IX. 4. *pr. Accedam in plerisque Ciceroni*, non, *ad Ciceronem*. Id enim, *ad eum ibo*, non, *cum eo consentiam*, significaret. * Pro *superaddi*, utramque structuram recipit: ut, Ovid. Trist. I. 8, 47. *Hoc accedit damnis*. Terent. Andr. I. 3, 10. *Ad haec mala hoc mihi accedit*. Sed et hic quoque persona fere semper dativo ponitur: ut, Cic. pro Quinct. c. 1. *Accedit nobis illud incommodum*. Hoc sensu, *Huc*, *eo*, *eodem accedit*, *quod*, dicimus, quae trita sunt. * Pro *contingere*, soli dativo jungitur: ut, Cicer. pro Cluent. c. 4. *Huic nihil possit offensionis accedere*. * Pro *pervenire*, et pro *similitudine aliqua referre*, soli accusativo cum *ad*: ut, *Si sine magnis artificiis*, *ad quae pauci accedunt*, *nec videre*, *nec audire possemus*. *Quis ita ad venustatem Aesopi accedat*. Item in his Ter. Phor. Prol. 30. *Voluntas vestra si ad Poetam accesserit*. Cic. pro S. Rosc. c. 1. *Ad rempublicam accedere*, i. e. *munus aliquod publicum capessere*.

Digitized by Google

Accidit auribus, *Plin. Paneg.* 92, 5. ad aures, *Liv.* VIII. 24. genibus, *Id.* XLIV. 31. ad genua [64]), *Suet. Iul.* 20. 9. in te isthuc verbum, *Ter. And.* V, 5. 14.

Accubare horreis, *Hor. Car.* IV. 12. 18. scortum, *Plaut. Men.* III. 2. 11. alicui in convivio, *Cic. Cat.* II. 5. apud aliquem, *Id. Att.* XIV. 12. *Sic*,

Accumbere epulis, *Virg. Aen.* I. 79. in epulo, *Cic. in Vatin. c.* 12.

Acquiescere rei alicui, *Sen. Ep.* 24. *pr.* aliqua re, *Cic. pro Mil. c.* 37. *at saepius*, in aliqua re, *Id. Fam.* IV. 3.

Adambulare lateri alicuius, *Apul. Met.* III. *p.* 85. ad ostium, *Plaut. Bach.* IV. 5. 8.

Adequitare portae, *Plin.* XV. 18. adequitare Syracusas, *Liv.* XXIV. 31.

Adesse pugnae, *i. e.* praesentem esse, *Cic. Phil.* II. 30. in pugna, *Sall. Iug.* 101. 5. ad exercitum, *Plaut. Amph.* I. 3. 6. adesse amicis, *i. e.* auxiliari, *Cic. Senect. c.* 11.

Adhaerere lateri, *Liv.* XXXIX. 25. ad turrim, *Caes. B. G.* V. 46. in me, *Cic. pro Dom. c.* 24. fronte, *pro* in fronte, *Ovid. Met.* V. 58. *Sic*,

Adhaerescere institiae, *Cic. Off.* I. 25. ad saxum, *Id. Acad.* IV, 2. in hanc materiam, *Id. pro Dom. c.* 5. *extr.*

Adhinnire equae, *Ovid. Rem.* 634. equam, *Plaut. ap. Prisc. l.* 3. *col.* 617. ad orationem, *Cic. in Pis. c.* 28.

Adiacere mari, *Liv.* XXVI. 42. mare, *Nep.* XIII. 2. 1.

Adnare navibus, *Liv.* XXVIII. 36. *extr.* naves, *Caes. B. Civ.* II. 44.

Adnatare insulae, *Plin.* VIII. 25. ad manum, *Id.* IX. 29.

Adrepere virorum animis, *Tac. Ann.* III. 50. 4. ad amicitiam alicuius, *Cic. Verr.* III. 68.

Adstare mensis nummi, *Mart.* VIII. 56. trabes, *V. Flacc.* V. 640. ad Achillis tumulum, *Cic. pro Arch. c.* 10. in conspectu, *Id. Cat.* IV. 2. propter aquas, *Ennius ap. Varr. de L. L.* VI.

Adstrepere alicui, *Tac. Ann.* XI. 17. 3. aures alicuius, *Plin. Paneg.* 26. 2.

Adsultare vallo, *Sil.* VII. 401. moras portarum, *Stat. Th.* XI. 244.

Advenire alicui, *Tac. Ann.* I. 18. 3. urbem, *Virg. Aen.* I. 38, ad urbem, *Ovid. Trist.* I. 9. 41. *Sic*,

---

* Contra, Plin. Epist. VI. 19. *Accessit pretium agris*, i. e. *agri ceteris fiunt*, non *ad agros* dicendum. Vid. Iohnson. N. Nott. p. 69.

64) Quidam ap. Sall. Iug. 14, 7. *Quos accidam?* absque praepositione legendum contendunt; adducti verbis Donati ad Ter. Hec. III. 3, 18. ita (ut illis visum) hunc locum citantis. At illic, *Quo accedam*, aut *quos accedam?* MSStos omnes et meliores editos praeferre notat Corsius. Priore tamen illa lectione deceptus Scriptor aliquoin purissimus Seb. Castellio, Dial. sacr. IV. 18. *Quid me ita accidis?* pro, *Quid ad meа genua cadis?* dicere sustinuit.

Digitized by Google

Adventare alicui, *Tac. Ann.* VI. 35. 4. portis, *Stat. Th.* XI. 202. locum, *Tac. Ann.* II. 44. 3. ad Italiam, *Cic. Fam.* II. 6.

Adversari alicui, *Cic. de Orat.* I. 18. *extr.* aliquem, *Tac. Hist.* I. 1. 4. [65]).

Advigilare alicui, *Tib.* II. 5. 93. ad custodiam ignis, *Cic. de Leg.* II. 12.

Adulari alicui, *Curt.* IV. 1. 19. aliquem, *Cic. in Pis. c. ult. fin. Colum.* VII. 12. *Tac. Ann.* XVI. 19. 4. [66]).

Advolare rei, vel homini, *Plin.* X. 40. *Virg. Aen.* X. 511. ad equites, *Liv.* II. 20. advolat rostra Cato, *Cic. Att.* II. 14.

Afflare alicui rei *vel* personae, *Hor. Sat.* II. 8. 94. *Tib.* II. 1. 80. aliquem *vel* aliquid, *Virg. Aen.* II. 548. *Ovid. Met.* I. 542. aliquid alicui, *Virg. Aen.* I. 591. *Tibull.* II. 4. 57.

Affluere alicui, *Ovid. Rem.* 148. ad aliquid, *Cic. Fin.* I. 11.

Allabi oris, *Virg. Aen.* VI. 2. ad extra, *Liv.* XXV. 16. aures alicuius, *Virg.* IX. 474.

Allatrare alicui, *Aur. Victor, de vir. illust. c.* 49. aliquem, *saepius, Liv.* XXXVIII. 54. *Plin.* II. 68. *Colum.* 1. *Praef.*

Alludere alicui, *Plin.* IX. 8. ad mulierem, *Ter. Eun.* III. 1. 34.

Anniti hastae, *Virg. Aen.* IX. 229. ad aliquid, *Cic. de Amic. c.* 25. aliquid, *i. e.* conari perficere, *Plin. Ep.* VI. 18.

Antecedere alicui rei, *Cic. Div.* I. 1. *extr.* aliquem, *Id. Fam.* XI. 13. antecedere aliquem aetate, nobilitate, magnificentia, *Iustin.* XXXIV. 3. 7. *Suet. Aug.* 45. 1. *raro* alicui.

Antecellere alicui, *Cic. pro Arch. c.* 3. *rarissime* aliquem [67]).

Anteire alicui, *Cic. contr. Rull.* II. 54. aliquem, *Tac. Ann.* III. 66. 5. alicui aetate, *Cic. Tusc.* I. 5. omnes gloria, *Sall. Iug.* 6. 1. caeteros virtute, *Cic. Off.* II. 10.

---

65) In hoc tamen (ut et aliis similibus Taciti locis) *aversari* Pichena Freinshemiusque legendum contendunt. * Aliter autem dicimus, *Adversari contra, adversus, quo minus.* Plaut. Cas. II. 8, 35. et Merc. II. 3, 43. et Cic. Fin. III. 20.

66) Quinctil. IX. 3. init. *Adulari huic* suo aevo, *adulari hunc* antiquioribus dictum notat. Tacitus tamen, quamvis ei aetate suppar, quartum casum adhibere maluit. Vid. eum Annal. XVI. 19, 4. et Hist. I. 32, 2. Seneca etiam de Ira, II. 31. *Adulantes dominum* dixit. Confer Taubmann. Dissert. de L. Lat. p. 90.

67) Proferunt ex Cic. pro C. Cornel. ap. Priscian. lib. X. col. 897. *Qui eloquentia caeteros antecellit.* At melioribus tam Ciceronis quam Prisciani codicibus *caeteris* invenio. *Antecellere* tamen *aliquem* veteres dixisse non inepte colligitur ex illo Auct. ad Herenn. II. 30. *Qui omnibus his rebus antecelluntur.* * Similiter, i. e. cum dativo vel accusativo, construi volunt *praecello*: at accusativi exempla nondum reperi.

Digitized by Google

Antestare caeteris virtute, *Gell.* IX. 13. caeteros robore, *Apul. Met.* IV. *p.* 109.

Antevenire rei alicui, *Plaut. Caes.* II. 3. 1. aliquem, *Sall. Iug.* 56. 2. tempus, *Claud.* XXIII. 152.

Anteverterè alicui, *i. e.* ante eum venire, *Ter. Eun.* IV. 5. 12. *Sic*, antevertere damnationem veneno, *i. e.* praevenire, *Tac. Ann.* XIII. 30. 3. *At*, antevertere rem rei, *est*, praeponere, *Plaut. Bacch.* III. 5. 1.

Apparere alicui, *i. e.* officii aut obsequi causa praesto esse: *ut*, Lictores apparent Consulibus, *Liv.* II. 55. Apparent ad solium Iovis, *Virg. Aen.* XII. 849 [68]).

Appropinquare Britanniae, *Caes. B. G.* IV. 28. portam, *Hirt. B. Hisp. c.* 5. [69]). ad portam, *Id. B. Afr. c.* 23. appropinquat alicui poena, *Cic. Phil.* IV. 4.

Arridere alicui, *i. e.* placere, *Hor. Sat.* I. 10. 88. arridere ridentibus, *Id. Art.* v. 101. aliquid, *Gell.* VI. 9.

Aspirare coeptis, *Ovid. Met.* I. 3. ad aliquem, *i. e.* pervenire, *Cic. Brut. c.* 21. ad laudem, *i. e.* contendere, *Id. Orat. c.* 41. in curiam, *Id. Verr.* II. 31.

Assidere aegro, *Senec. Ep.* 9. Assidet insano, *i. e.* proximus est, *Hor. Ep.* I. 5. 13. Assidere aliquem, *Sall. Iug.* 11. 3. [70]).

Assistere alicui, *Plin. Ep.* X. 85. 6. ad fores, *Cic. Verr.* I. 26. super aliquem, *Virg. Aen.* X. 490. contra aliquem, *Cic. de Leg.* II. 4. assistere equos, *i. e.* sistere, *Stat. Th.* III. 299.

Assuesco, assuefacio, assuefio, re aliqua: Genus pugnae quo assueverant, *Liv.* XXXI. 35. Puro sermone assuefacta domus, *Cic. Brut. c.* 5. Assuescere rei alicui, *Liv.* XXXIX. 9. operi assuefecit, *Id.* XXIV. 48. assuescere ad homines, *Caes B. G.* VI. 27. in hoc assuescat, *Quinctil.* II. 4. [71]). assuescere mentem pluribus, *Hor. Sat.* II. 2. 109. animis bella, *Virg. Aen.* VI. 833.

Attendere Caesari, *Pliu. Paneg.* 65. 2. attendere aliquem, *Cic. Fin.* III. 12. attendere iuri, *Suet. Galb.* V.

---

68) Pro *conspici* aut *manifestum esse*, dativo fere soli adiungitur: ut, Hor. Sat. I. 2, 100. *Apparet mihi res.* Liv. I. 50. *Cui non apparere, affectari eum imperium in Latinos?* Varro tamen R. R. I. 40. pr. *Apparet ad agricolas*, pro *agricolis*, dixit. Vid. Iohnson. Noct. Nott. p. 57.

69) Ita citat hunc locum Despaut. p. 316. itaque vetustis quibusdam edit. legitur. At praestantioribus omnibus *ad* adiicitur.

70) Vid. Cortium in loc. et Heins. ad V. Flacc. V. 586.

71) Vid. supra p. 69. n. 5. et Iohnson. N. Nott. p. 60. qui Ciceronem ablativo constanter uti; alios autem, Virgilium, Caesarem, Celsum, Livium, Senecam, Plinium, Quinctilianum, dativum haud raro, vel accusativum cum *ad* vel *in*, adhibere ostendit. Addere potuit Proper-

Digitized by Google

1. attendere animum, *Ter. Phorm. Prol.* 24. attendere animum ad rem aliquam, *Cic. Rull.* II. 15. attendere res hostium, *Sall. Iug.* 88. 2. [72]).

Auscultare alicui, *Ter. And.* I. 3. 4. aliquem, *Plaut. Trin.* III. 2. 36.

Blandiri sensibus, *Cic. Acad.* IV. 45. igneam saevitiam, *Colum.* VII. 6.

Colludere alicui, *Hor. Art.* v. 259. cum aliquo, *Cic. Verr.* II. 24.

Confido, *v.* Fido.

Congruere alicui, *Ter. Phor.* IV. 5. 14. cum re aliqua, *Cic. Fin.* II. 31. inter se, *Id. pro S. Rosc. c.* 22.

Constare sibi, *Cic. Fin.* II. 11. secum, *Id. Inv.* II. 14. constat inter omnes, *Nep.* VII. 1. 1. res mihi cum aliis constat, *Auct. ad Herenn.* I. 9.

Consuescere alicui, *Ter. Adel.* IV. 5. 32. cum aliquo, *Plaut. Cist.* I. 1. 88. libero victu, *Colum.* VIII. 15. *fin.* iuvencum aratro, *pro* consuefacere, *Id.* VI. 2.

Consulere alicui, *Ter. Heaut.* IV. 3. 36. famae alicuius, *Cic. Phil.* II. 2. de salute sua, *Id. Att.* X. 9. durius in aliquem, *Tac. Agr.* 16. 3. in longitudinem, *Ter. Heaut.* V. 2. 10. in commune, in medium, in publicum, *Ter. Andr.* III. 3. 16. *Luc.* V. 46. *Plin Ep.* IX. 13. 21. [73]).

Convenire alicui, *Cic. Off.* I. 28. cum re aliqua, *Id. Div.* II. 15. convenit in eum haec suspicio, *Id. pro S. Rosc. c.* 23. cothurnus convenit ad pedem, *Id. Fin.* III. 14. conveniunt mores, *Ter. And.* IV. 2. 15. maiestas et amor non conveniunt, *Ovid. Met.* II. 846. Aetatem aliam aliud factum convenit, *Plaut. Merc.* V. 4. 24. aliquid mihi convenit cum adversariis, *Auct. ad Herenn.* I. 10. convenimus inter nos, *Plaut. Pseud.* I. 5. 150. inter omnes convenit, *Cic. Tusc.* IV. 28. saevis inter se convenit ursis, *Iuven.* XV. 164.

Deficiunt mihi vires, *Caes. B. G.* III. 5. me vires, *Cic. Verr.* V. 28. Deficior viribus, *Senec. Hippol.* v. 375. omnibus rebus, *Colum.* II. 16. ab arte, *i. e.* destituor, *Ovid. Heroid.* V. 150 [74]).

---

tium, III. 8, 6. *Assuescent Latio parta tropaea Iovi.* Et Sueton. Aug. 88, 2. *Assuescere reipublicae.* Confer et Ursin. p. 250. * Ablativo etiam utuntur Flor. I. 1, 7. *Assuetae sanguine et praeda aves*; et Iustin. XXXI. 1, 8. *Assuetus immoderata licentia militari.* Male autem (quamquam id probet Methodi Auctor, p. 570.) Muretus aliique variarum lectionum Scriptores ablativum ubique, praesertim ap. Ciceronem, in dativum mutarunt. Vid. Perizon. p. 328. n. 31.

72) Veteres *Attendo legentem* dixisse, posteriores *Attendo legenti*, observat Diomedes, col. 305.

73) Vid. paullo post, p. 145.

74) Vid. Part. I. p. 301. n. 8. et paullo inferius, p. 145. et Heins. ad hoc. Ovid. cit. [*Deficiunt mihi vires* es fehlen mir Kräfte. *Deficimur me* fis verlaßen mich. G. St.]

Digitized by Google

Degenerare patri, *Claudian.* VIII. 369. aliquem, *Ovid.* Pont. III. 1. 45. degenerat Venus animos, *i. e.* degeneres facit, *Colum.* VII. 12. degenerare a virtute maiorum, *Cic. pro Flacc. c.* 11. [75]).

Derogare alicui, *Cic. pro S. Rosc. c.* 32. legi *Auct. ad Herenn.* II. 10. de lege, *Cic. Invent.* II. 45. ex equitate, *Ibid. c.* 46. fidem alicui, *Id. Div.* II. 71. de fide alicuius, *Id. pro Caecin. c.* 1.

Desperare saluti alicuius, *Cic. pro Clu. c.* 25. de republica, *Id. Att.* VIII. 11. pacem, *Ibid. Ep.* 15. rempublicam, *Id. Fam.* XII. 14.

Desuescere honori, *Sil.* III. 576. desueta bello agmina, *Virg. Aen.* VII. 695. *At hoc dativo an ablativo dictum, incertum* [76]).

Desunt verba dolori, *Ovid. Heroid.* XII. 133. In Antonio defuit hic ornatus, *Cic. de Orat.* III. 4. Paucae ei centuriae ad Consulatum defuerunt, *Id. Brut. c.* 67.

Dominari cunctis oris [77]), *Virg. Aen.* III. 97. in caetera animalia, *Ovid. Met.* I. 77. in civitate, *Cic. pro Caecin. c.* 25.

Excellere alicui dignitate, *Cic. pro leg. Manil. c.* 14. in aliqua re, *Id. de Orat.* II. 54. super alios arte aliqua, *Liv.* XXVIII. 37 [78]). praeter caeteros, *Cic. de Orat.* II. 54. inter aliquos, *Id. Inv.* I. 21.

Facere ad aliquid, *pro* prodesse, *aut* convenire, *Ovid. Heroid.* XV. 10. *et alii frequenter. Raro hac notione,* facere alicui, *Prop.* III. 1. 20. *et Hor. Ep.* I. 11. 17. [79]).

---

75) Vid. Heins. ad cit. Ovid. loc. et Broukh. ad Propert. IV. 1, 81.

76) Vid. supra, p. 70. n. 5.

77) Alvarus, p. 807. *oris* hic dandi casu positum existimat. Eo certe casu Claudianus in Ruffin. I. 148. *Toti dominabere mundo,* dixit. Eoque *Dominor Graecis* dativo potius cum eod. Alvaro, quam cum Diomede, col. 800. et Vossio Constr. c. 33. ablativo, prplatum putem: In his autem Ciceronis, pro Rab. Post. c. 14. *Dominatus est Alexandriae:* et Virg. Aen. I. 285. *Victis dominabitur Argis,* similem structuram agnoscit Alvarus, atque in illis, *Natus est Romae, Mortuus est Athenis.* Eadem et mens est Vossio l. c. et Ursino, p. 235. Confirmatque haud parum ipsorum sententiam, quod idem Virg. Aen. VI. 766. *Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba* dixerit, intellecta praepositione *in,* quam Cicero, loco in textu cit. et idem Virg. Aen. II. 827. *Incensa Danai dominantur in urbe,* expresserunt. * Additur ei nonnunquam et praepositio *inter* cum accusativo: ut, Caes. B. G. II. 31. *Inter quos dominari consuessent:* et Ovid. Amor. III. 6. *Tu centum aut plures inter dominabere Nymphas.* Confer Schmid. p. 289. et Hypomn. p. 325. * *Dominabitur tui,* et *Dominabitur gentium,* ap. vulg. Interp. Gen. III. 16. et Psal. XXI. 29. aliaque eiusmodi imitanda non sunt. Vid. supra reg. 22. n. 25.

78) Adfert hoc exemplum Stephanus in Thesauro L. L. et ex eo Method. Auct. p. 577. sed libris melioribus *inter alios* illic legitur.

79) Praeter rationem igitur dativi hoc significatu usum reiicit Alvarus, p. 806. [et Meth. Auct. p. 578.] nisi addatur (inquit) adverbium ali-

Digitized by Google

Fidere, confidere rei alicui, *Virg. Aen.* IX. 578. *Cic. Fin.* I. 9. re aliqua, *Id. Acad.* II. 20. *et Tusc.* V. 14. in re aliqua, *Hirt. B. Afr.* c. 19. [80]).

Gratulor tibi hanc rem, *Cic. Verr.* I. 7. hac re. *Cael. ap. Cic. Fam.* I. 7. in hac re, *Id. pro Planc.* c. 37. [81]).

Haeret laeteri, *Virg. Aen.* IV. 73. curru, *Id. Aen.* I. 476. alicui in visceribus, *Cic. Att.* VI. 1. [82]).

Ignoscere alicui, *Ter. Heaut.* V. 5. 5. vitio, *Ovid. Art.* I. 249. peccatum suum alicui, *Plaut. Amph.* I. 1. 101.

Illudere alicui, *Virg. Aen.* II. 64. aliquem, *Ter. Phor.* V. 8. 22. aliquid, *Virg. Aen.* IX. 654. in aliquem, *Ter. Eun.* I. 4. 20. in aliquo, *Id. And.* IV. 4. 19.

Illabi rei alicui, *Virg. Aen.* III. 89. in rem aliquam, *Cic. Leg.* II. 15. Pernicies illapsa civium animos, *Id. Leg.* II. 15. ad eos illabi, *Id. Fin.* I. 11.

Illuxit dies alicui, *Liv.* XXXVIII. 52. aliquem, *Plaut. Bacch.* II. 3. 22.

Imminere rei alicui, *Ovid. Met.* I. 146. in fortunas alicuius, *Cic. Phil.* V. 7. [83]). ad caedam, *Id. pro Dom.* c. 6.

Immorari rei alicui, *V. Max.* IX. 11. *extern.* 4. in re aliqua, *Quinctil.* XI. 2. *sub init.*

Immori studiis, *Hor. Epist.* I. 7. 85. in vino, *Plin.* XXIX. 4. [84]).

Impendere alicui, *Cic. Tusc.* IV. 16. aliquem, *Ter. Phor.* I. 4. 2. in aliquem, *Cic. pro S. Rosc.* c. 11.

Incessit cura, cupido, timor, alicui, *Liv.* IV. 57. V. *Max.*

---

quod, ut *bene, praeclare, benigne*, aut simile, veluti Plin. XXII. 19. *Radix coeliacis praeclare facit in cinere tosta.*

80) Ubi persona significatur, dativo solum utendum docet Despaut. p. 817. ut, *Confido tibi*, non *te*. Vid. paulo ante n. 54. * Porro accusativo iunctum notat Priscianus lib. XVIII. col. 1185. in illo Statii, Th. II. 572. *Martisque e semine Theron Terrigenas confisus avos.* Ubi *esse* subaudiendum putat Ursinus, p. 250. Mihi potius per Synecdochen dictum, intellecto *quod ad*, videtur. Quibusdam, sed male, *confessus*, legitur.

81) De primaria huius verbi origine acutissime, ut solet, disputantem vide Perizon. ad Sanct. p. 6 et 7.

82) *Haerere in amorem*, dixit Plautus, Epid. V. 2. 7. Et ex Varrone, *Ad quem haereat*, notat Despaut. p. 817. nisi *ad* hic pro *apud* diversa paulum notione dictum: quomodo Plaut. l. c. *haerere apud aliquem*; et Quinctilian. VIII. Prooem. p. 665. *haerere circa singula*; et apertius Cic. Nat. Deor. II. 54. *Ad radices linguae haerens stomachus.* * In illo Virg. Aen. X. 361. *Haeret pede pes*, Sanctio, Scioppio, aliisque, *pede* antiquus dativus habetur, pro *pedi*. Poterit tamen et ablativus esse, intellecta praepositione cum. Vid. quae de priscis eiusmodi dativis disserit Cortius ad Sall. Cat. 2. 9.

83) Item, *Imminere fortunis*, id. Cic. pro Mil. c. 35.

84) Ita citat Steph. in Thesauro; neque aliter exhibent Edit. And. Portiliae Anno 1480. et Bern. Benhalii Anno 1497. aliaeque vetustiores: at recentioribus omnibus, *immortuus vino* legitur.

Digitized by Google

Praef. Sall. Cat. 51. 3. aliquem, *Liv.* IV. 50. *Tac. Hist.* II. 2. 4. in aliquem, *Ter. And.* IV. 3. 15.[85])

Incubare ovis, *Col.* VIII. 8. ova, *Plin.* IX. 10. pecuniae, thesauris, *Cic. pro Cluent.* c. 26. *Liv.* VI. 15. Si una natura omnes incubaret, *Plin.* II. 1. Incubant in contrarias partes, *Id.* II. 54.

Incumbere toro, *Virg. Aen.* IV. 660. gladium, *Plaut. Cas.* II. 4. *ult.* in gladium, *Cic. Invent.* II. 51. labori, *Sil.* IV. 820. ad laudem, *Cic. Fam.* X. 10. ad studia, *Id. Att.* II. 16. in studium, curam, cogitationem, *Id. de Orat.* I. 8. *et Fam.* X. 5. super brachium, super praedam, *Petron. c.* 54 *et* 80.[86])

Incurro et incurso rei alicui, *Suet. Tib.* 26. 3. *Plin.* XXVIII. 9. rem aliquam, *Liv.* XXVI. 25. *Plaut.* IV. 1. 5. in rem aliquam, *Cic. Art.* XII. 21. *A. ad Herenn.* IV. 39.[87])

Indulgeo illi, *Ter. Heaut.* IV. 8. 20. me, *Id. Eun.* II. 1. 16.[88]). aliquid alicui, *Suet. Aug.* 41. 3.

Ingemere, ingemiscere rei ali-

---

85) Dativum adsciscere more Graeco, notat Vossius, de Constr. c. 48. idque voluisse videtur Servius, qui Virg. illud, Geo. IV. 68. *Regibus incessit magno discordia motu*, figuratum esse affirmat, nam (inquit) *incessit Regee* dicimus. Structuram tamen illam cum tertio casu non adeo insolentem, atque eam tum Servius, l. c. tum Cortius ad praed. Sallustii loc. existimasse videntur, insuper ostendunt illa Curtii, III. 1. 16. et VII. 11. 4. Colum. II. 10. pr. *Sterilitas annonae incessit hominibus:* et Tac. Annal. III. 86. 2. *Incessebat deterrimo cuique licentia*, al. *incedebat*, Profert etiam Vossius ex eod. Curt. IV. 2. 16. *Ingens animis militum desperatio incessit;* itaque scriptos habere testatur Modius: quanquam plerisque editis *animos* iam legatur.

86) Ubi nulla metaphora aut translatio locum habet, dativo tantum utendum praecipit Valla, Eleg. III. 44. ut, *Incumbere remis*, ap. Virgil. Aen. V. 15. non *Incumbere ad* vel *in remos.* * De persona, *Incumbere alicui* suo aevo dictum, Ciceronis vero, *in illum*, notat Quinctil. IX. 3. pr. Sed et *Incumbere in illo* meliores codices habent, ap. Cic. ad Q. Fr. III. 8. pro quo *illum* Lambinus reposuit. * Cum figurate a corpore ad animum transfertur, accusativum cum *ad* vel *in* recipit: ut, Cic. pro leg. Manil. c. 7. *Omni studio ad bellum incumbere.* Id. Att. II. 16. *Incumbamus ad illa praeclara studia.* Et Att. XV. 24. *Incumbe in hanc curam.* Plin. Epist. IV. 7. *Mirum est quam efficiat, in quod incubuit.* Ea autem significatione dativo uti, ac *Incumbere Philosophiae*, vel *iuris studio*, dicere, vix permissum iudicat Vossius de Constr. c. 59. Lactantius tamen, II. 1. 8. *Incumbere voluptatibus* dixit, et Auct. Dial. de Orat. c. 3. *Novae cogitationi toto pectore incumbere.* Nec multum absimile illud Plin. Epist. VII. 27. *Ceris et stilo incumbit*, i. e. *scribendis literis operam dat*, etsi ibi corporis potius habitum, quam mentis intentionem describi, notet Burman. ad Quinct. l. c. Cfr. de hoc verbo Linacr. p. 287.

87) Vid. Cortium ad Sall. Iug. 101. 8. et Burmann. ad Ovid. Met. II. 205.

88) Sic, Ter. Heaut. V. 2. 8. *Te indulgebant; tibi dabant*, Sciopp. Rudim. Gramm. p. m. 58. *me* antiquum dativum esse vult: Cortius vero ad Catil. 2. 9. ablativo positum existimat. At veteres huic verbo accu-

Digitized by Google

cui, *Liv.* XXXVI. 28. *V. Max.* V 19. 2. re aliqua, *Curt.* IX. 3. 20. in re aliqua, *Cic. Att.* VII. 23.

Ingemnere iacentem Inachidae, *Stat. Th.* IX. 2. Ingemere interitum alicuius, *Virg. Ecl.* V. 27.

Inhaereo *et* inhaeresco rei alicui, *Ovid. Heroid.* II. 91. in re aliqua, *Cic. Tusc.* IV. 11. *et Nat. D.* II. 57.

Inhiare auro, *Flor.* III. 11. 12. bona alicuius, *Plaut. Mil.* III. 1. 121. *Virg. Geo.* II. 465.

Innare aquae, *Liv.* XXI. 26. fluvium, *Virg. Geo.* III. 142.

Innasci rei alicui, *Ter. And.* IV. 1. 1. in re aliqua, *Cic. Off.* I. 19. innati eodem solo, *Iustin.* II. 6. 4.

Innatare flumini, *Plin.* VIII. 25. undam, *Virg. Geo.* II. 451. in concham, *Cic. Nat. D.* II. 48.

Inniti rei alicui, *Stat. Th.* XII. 144. re aliqua, *Liv.* IV. 19. in re aliqua, *Cic. de Haruspic. resp. c.* 27. in aliquem, *Plin.* VII. 55.

Insidere rei alicui *vel* personae, *Virg. Aen.* VIII. 479. *et Aen.* I. 719. collem, *Plin.* V. 13. locum, *Liv.* XXI. 54. in memoria, in animo, in medullis, *Cic. de Orat.* II. 28. *pro Deiot. c.* 5. *Tusc.* IV. 24.

Insidunt apes floribus, *Virg. Aen.* VI. 707. pardi insidunt condensa arbore, *Plin.* X. 73.

Insilire rei alicui, *Lucan.* X. 252. in equum, *Liv.* VI. 7. tauros, *Suet. Claud.* 21. 8. supra lignum, *Phaedr.* I. 3. 20.

Insistere curae, rerum, *Plin.* XXVIII. 1. vestigiis alicuius, *Cic. de Orat.* III. 9. limen, *Virg. Aen.* VI. 563. viam, *Ter. Eun.* II. 3. 3. via, *Id. Phor.* I. 4. 14. in re aliqua, *Cic. Nat. D.* I. 20. in dolos, *Plaut. Mil.* II. 4. 4. negotium, *Id. ibid.* III. 3. 55. [89]).

Inspuere rei alicui, *Plin.* XXVIII. 4. aliquid, *Id.* X. 34. *Sic,*

Insputare alicui et aliquem, *Plaut. Capt.* III. 4. 21. et 23. [90]).

Instare operi, *Virg. Aen.* I. 504. victis, *Liv.* XXVII. 14. rectam viam, *Plaut. Asin.* I. 1. 39. currum Marti, *i. e.* instanter fabricare, *Virg. Aen.* VIII. 433. unum, *i. e.* instanter urgere, *Ter. Heaut.* V. 1. 22.

Insuere rei alicui, *Ovid. Met.* III. 312. pelle inuenci, *Id.*

---

sativum iunxisse ostendit illud Lucilii, ap. Non. IV. 246. *Iram indulges nimis:* ita enim legitur antiquioribus Edd. citantque Stephanus in Thes. Despaut. p. 310. et Ursin. p. 248. quamvis Editione D. Gothofredi *irae* habetur. Caeterum illam cum accusativo structuram non iam imitandam iidem pronunciant.

89) De hoc verbo *insisto*, Vid. Despaut. p. 310. et Linacr. p. 256.

90) In hoc tamen posteriore Plauti loco, *Quibus insputari salutii fuit*, ad *quibus* ad *saluti fuit* pertinere notat Ursin. p. 245.

Digitized by Google

in Ibin. v. 321. culeo, *V. Max.* I. 2. 13. in culeum, *Cic. Rosc. Am.* c. 11.

Insuescere rei alicui, *Tac. Ann.* VI. 32. 4. re aliqua, *Colum.* VI. 4. *extr.* insuevit hoc me pater, *Hor. Sat.* I. 4. 105.

Insultare alicui rei *vel* personae, *Suet. Iul.* 22. 3. *Cic. Verr.* V. 50. fores, *Ter. Eun.* II. 2. 53. patientiam alicuius, *Tac. Ann.* IV. 59. 5. in miseriam alicuius, *A. ad Herenn.* IV. 39. bonos, *Sall. Hist.* VI. *p.* 1006.

Insuti rei alicui, *Sen. Ep.* 9. in re aliqua, *Cic. Nat. D.* I. 42.

Insurgere regnis alicuius, *Ov. Met.* IX. 444. in miseros, *Stat. Th.* I. 627.

Insusurrare alicui, *Cic. Att.* I. 16. in aurem alicuius, *Id. Verr.* V. 41.

Intercedit mihi tecum amicitia, *Cic. pro Coel.* c. 13. inter nos, *Id. Fam.* XIII. 65. [91]).

Interdicere alicui provincia, *Suet. Aug.* 66. 5. aqua et igni, *Cic. Phil.* I. 9. foeminis usum purpurae, *Liv.* XXIV. 7. Interdicere de vi hominibus armatis, *Cic. pro Caec.* c. 8. [92]).

Interesse alicui, *Cic. de Sen.* c. 3. in re aliqua, *Id. pro Rosc. Am.* c. 38. [93]).

---

91) Nonnunquam absolute ponitur: ut, Cic. pro Cluent. c. 26. *Unus et alter dies intercesserat*; supple, *inter hoc et illud factum.* Item, Cic. Fam. I. 2. *Senatus auctoritas intercessit*, i. e. *medium se interposuit*, vel *impedivit*: quo sensu Seneca de Clem. II. 5. *Quoties poterit, sapiens Fortunae intercedet*, i. e. interpretante Lipsio, *eius vim et cursum impediet.* Eademque fere notione de sponsionibus fuit usurpatum: ut, Attic. VI. 1. *Intercessisse se pro iis magnam pecuniam*, i. e. *pro pecunia quae mutua sumebatur spopondisse.* An vero, *Intervedere pro aliquo*, pro *supplicare alicui pro aliquo*, vel, ut Cicero loquitur, Fam. VI. 15. *adesse alicui ad deprecandam eius calamitatem*, dicatur, inter doctos controversum est. Negat enim Cellarius Cnr. poster. p. 410. et Antibarb. p. 188. Affirmat autem Ol. Borrichius, Analect. p. 118. Ipsos vide.

92) *Interdico aliquem re aliqua*, rarissimum est: quanquam ita dictum colligere possis ex hoc Nepot. Hamilc. c. 3. *Moribus eorum non poterat interdici socero gener*: Et Gell. XV. 11. *Philosophi urbe et Italia interdicti sunt*: ut, *Interdicta voluptas*, ap. Hor. Epist. I. 6. 64. et *Interdictae spes*, ap. Ovid. Met. X. 336. et similia, omittam. Caeterum *Interdicor aqua et igni*, quod Lexica et Auctor Methodi, p. 582. adferunt, nondum reperio. In quibusdam quidem Ciceronis exemplaribus, quae Despauterio, p. 805. et Alvaro, p. 806. fraudi fuerunt, invenitur, pro dom. c. 18 et 31. *Ut M. Tullio aqua et ignis interdicatur*: et, *Ut mihi aqua et ignis interdiceretur.* At melioribus utrobique *aqua* et *igni* legitur. Multo minus dicendum, *Interdico te aqua et igni*, quod existimavit Despaut. l. c. deceptus illo Caesaris, B. G. I. 46. *Omni Gallia Romanos interdixisset.* Nam in omnibus quos viderim libris, *Romanis* habetur. Videsis et de hoc verbo Perizon. ad Sanct. p. 848, 849.

93) Diverso sensu dicitur, Cic. Off. I. 4. *Inter hominem et belluam hoc maxime interest.* Ter. Adel. I. 1. 51. *Hoc pater ac dominus interest.* Id. Eun. II. 2. 1. *Stulto intelligens quid interest?* h. e. *inter se haec differunt.* Cic. Catil. III. 5. *Tiberis inter eos et pons interest*, i. e. *intercedit.* De *interest* cum genitivo vid. post reg. 37. et illic n. 9.

Digitized by Google

Interiacere sulcis, *Col.* XI. 3. duas Syrtes, *Plin.* V. 4. Haec inter eam et Rhodum interiacet, *Id.* V. 12.

Intervenire alicui rei, *Tac. Hist.* IV. 84. 4. cognitionem, *Id. Ann.* III. 23. 1.

Invasit timor improbis, *Cic. Fam.* XVI. 12.[94]). Vis avaritiae in animos invaserat, *Sall. Iug.* 32. 4. Invadere urbem, *Virg. Aen.* II. 265. in fortunas alicuius, *Cic. pro S. Rosc.* c. 5. in arcem causae, *Id. Fam.* I. 9.

Invidere honori alicuius, *Cic. contr. Rull.* II. *extr.* honorem alicui, *Hor. Sat.* I. 6. 49. aliquem, *Ovid. Her.* XIII. 157.[95]) in re aliqua, *Cic. de Orat.* II. 56. Invidet igne rogi miseris, *Lucan.* VII. 798.[96]).

Latet res mihi, *Lucan.* I. 417. Latet me, *Virg. Aen.* I. 130.[97]).

---

94) Quibusdam Edd. *improbos* legitur: at vid. Victor. et Gebhard. qui ita locutos notant Varron. ap. Non. IX. 7. *Invasit honorum cupiditas plerisque;* et Accium ap. eund. II. 891. *Vastitudo invasit mihi.* Adde Gell. XIX. 4. *Quibus invasit timor.*

95) Cl. Heinsius pro *Troadas invideo*, quod antea in cit. Ovidii loco habebatur, *Troasin* reposuit. At veteres accusativum quoque personae huic verbo iunxisse fere ostendit illud Hor. Art. v. 56. *Ego cur acquirere pauca Si possum, invideor?* Clarius Accius ap. Cic. Tusc. III. 9. *Quisnam florem liberum invidit meum: male Latine*, inquit Cicero, *sed praeclare: ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori. Nos consuetudine prohibemur.* Haec ille. Caeterum de structura huius verbi videndus Perizon. ad Sanct. III. 3. 81. in primis vero accuratissimus Burmannus ad Quinctil. IX. 3. pr. qui antiquos omnes et praesertim Ciceronem, *Invideo tibi hanc rem* dixisse, posteriores vero etiam, *Invideo tibi hac re*, proindeque, in controverso illo Quinctiliani loco, legendum, *Ut hac re invidere, non ut omnes veteres, et Cicero praecipue, hanc rem*, propemodum demonstrasse videtur. Confer Voss. de Constr. c. 34. et I. Fr. Gronov. ad Tac. Ann. I. 22.

96) Vid. Diomedem, lib. 1. col. 305. et Burmannum, ad Quinctil. l. c. similia ex Plinii Epistolis adferentem. Addit Diomedes l. c. *Invideo tibi gloriae* (ut *gloriae* secundi sit casus) ad Horatii loc. respiciens supra cit. p. 115.

97) Gifanius, Observ. p. 342. et Scioppius Gramm. Phil. Praef. et Infam. Famiani, p. 104. et alibi, negant hanc phrasin, *Latet me*, i. e. *nescio*, Latinam esse, aut ea certe prorso sermone utendum. Eam tamen tuetur Borrichius, Defens. Stradae, p. 294. auctoritate nixus non solum Poëtarum, Virgilii, l. c. Ovid. Fast. V. 861. V. Flacc. VI. 609 et 708. sed etiam aliorum, Varr. R. R. I. 40. pr. Plin. II. 20. Iustin. XXXI. 2. 2. et XIII. 8. 6. et ipsius Ciceronis pro Sull. c. 23. *Lex populum Romanum latuit;* (nisi, quod Scioppio videtur, scriptum per Notas P. R. plenis literis Librarii expresserint, casum ex suo ingenio formantes.) Caeterum Vossius de Constr. c. 85. et cum eo plerique omnes Graecismum hic agnoscunt, alteramque illam per dativum locutionem consuetudini Romanae consonantiorem esse; qua propter ea usos observant eund. Varronem L. L. lib. VIII. Lucret. III. 280. Lucan. l. c. et Cic. post red. c. 6. et Catil. I. 6. Confer Cellar. Antibarb. p. 289. et cur. poster. p. 99. et Graev. ad Cic. Off. I. 1.

Digitized by Google

Maledicere alicui, *Ovid. Met.* XIII. 298. *raro* aliquem, *Petron.* c. 58. *extr.* c. 74. *et* 90.

Mederi alicui, *Cic. de Orat.* I. 37. cupiditates, *Ter. Phor.* V. 4. 3. contra serpentum ictus, *Plin.* IX. 31. *Sic,*

Medicari alicui, *Virg. Geo.* II. 135. ictum cuspidis, *Id. Aen.* VII. 756.

Moderari animo, *Cic. ad Q. Fr.* I. 1. 13. gentibus, *Sall. Cat.* 51. 25. navim, *Cic. Inv.* II. 51. omnia, *Id. Acad.* IV. 37.

Nocere alicui, *Cic. Off.* III. 5. *rarissime* aliquem, *Plaut. Mil.* V. 18. [98]).

Nubere alicui, *Cic. Div.* I. 46. in clarissimam familiam, *Id. pro Coel.* c. 14. nupta cum aliquo, *Id. Verr.* IV. 61. una nupta apud duos, *Gell.* I. 23. [99]).

Obambulare muris, *Liv.* XXXVI. 34. ante portas, *Id.* XXV. 39. Aetnam, *Ovid. Met.* XIV. 188.

Obequitare castris, *Liv.* II. 45. agmen, *Curt.* III. 10. 4.

Obrepere alicui, *Cic. Fam.* XVI. 21. in animos dormientium, *Id. Div.* II. 67. ad honores, *Id. in Pis.* c. 1. Tacitum te obrepet fames, *Plaut. Poen. Prol.* 14.

Obstrepere laudi alicuius, *Sen. Herc. fur,* v. 1031. Avium vox obstrepit aures, *Virg. Cul.* v. 104.

Obtrectare alicui, *Cic. Fam.* IX. 11. laudibus alicuius, *Liv.* VIII. 36. vires, *V. Max.* VII. 2. *exter.* 7.

Obversari oculis, *Liv.* XXXV. 11. ante oculos, *Id.* II. 59. ad aures, *Lucr.* IV. 1056. somno, *Liv.* II. 36. insomnis, *ibid.*

Obumbrat sibi vinea, *Plin.* VII. 21. obumbrant Solem nubes, *Id.* II. 42.

Occumbere morti, *Virg. Aen.* II. 62. mortem, *Cic. Tusc.* I. 42. morte, *Liv.* I. 7.

Palpari alicui, *Plaut. Amph.* I. 3. 9. palpare aliquem, *Iuven.* I. 55.

Parcere alicui, *Cic. Fam.* XIII. 8. labori, *Ter. Hec.* II. 1. 29. pecuniam, *Plaut. Curc.* III. 10. Ut parcerent sibi vitam, *Gell.* XVI. 19. Talenta natis parce tuis, *Virg. Aen.* X. 531. Ut a caedibus

---

98) Sic alerique codd. tuenturque Meursius, et Tan. Faber ad Iustin. XLIV. 4. 6. ubi passivum legitur, *Itaque cum non solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur.* Duo etiam similia loca ex Vitruvio adfert Borrichius, Cogit. p. 177. itemque ex Solino, c. 4. *Si pars alterutra noceatur.* Quae autem ex Seneca, Plinio aliisque admiscet, aliena esse admonet Ursinus, Tom. I. p. 459. Adfert et tria a prioribus diversa exempla Saturnius, I. 27. unum ex Liv. lib. III. *Qui Deorum quenquam nocuerit,* alterum ex Senec. Epist. 103. *Non ne te noceant, sed ne fallant.* tertium ex Senec. Controv. lib. V. *Dum filium vindico, ubi me gravissime nocere possit,* ostendit. Verum omnibus scripturae vitium inesse haud dubitem: certe ap. Senec. melioribus libris abest *te.*

99) Sic, *Denubere alicui,* Tac. Annal. XV. 37. 4. Et *Denubere in domum alicuius,* Id. Ann. VI. 27. 1.

Digitized by Google

parceretur, *Liv.* XXV. 25. Parcite oves nimium procedere, *Virg. Ecl.* III. 94.[100]).

Pepigit mihi aliquid, *Ovid. Her.* XVI 35. Pepigit cum aliquo, *Suet. Iul.* 29. 4. Pepigerunt inter se, *Auct. Herenn.* II. 13. *Sic*, Paciscor alicui, *Cic. pro Sext. c.* 25. cum aliquo, *Id. Verr.* III. 14. pacisci vitam ab aliquo *Sall. Iug.* 26. 1. vitam pro laude, *Virg. Aen.* V. 250.

Plaudere alicui, *Hor. Sat.* I. 1. 66. aliquem, *Stat. Silv.* V. 5. 140. choreas pedibus, *Virg. Aen.* VI. 644.

Praecedunt vestrae fortunae meis, *Plaut. Asin.* III. 3. 59. praecedere aliquem virtute, *Caes. B. G.* I. 1. omnes in re aliqua, *Plin.* XVIII. 3. agmen, *Virg. Aen.* IX. 47.

Praecurrere alicui, *Cic. Catil.* IV. 9. aliquem, *Id. de Amic. c.* 17. ante omnes, *Caes. B. Civ.* II. 54.

Praeire alicui, *i. e.* praecedere aliquem, *Stat. Th.* VI. 519. Praeire alicui verba, sacramentum, *i. e.* dictare, *Liv.* VIII. 9. *Tac. Hist.* I. 36. 3. Praeire verbis, *Plaut. Rud.* V. 2. 48. voce alicui, *Cic. Mil. c.* 2. de scripto, *Plin.* XXVIII. 2. [1]).

Praeiacens Asiae vastum mare, *Plin.* IV. 12. Praeiacere castra, *Tac. Ann.* XII. 36. 3.

Praeminere omnibus, *Senec. Med.* v. 93. [2]) malos, *Tac. Ann.* XV. 34. 3.

Praesidere urbi, imperio, *Cic. pro Sall. c.* 31. exercitum, Italiam, littora Oceani, *Tac. Ann.* III. 39. 1. IV. 5. 1. *et* IV. 72. 5.

Praestare alicui, *Cic. Fin.* II. 53. omnibus humanitate, *Id. de Orat.* II. 67. omnes eloquentia, *Nep.* XV. 6. 1. [3]).

Praestolari alicui, *Cic. Att.* II. 15. aliquem, *Ter. Eun.* V. 6. 5. [4]).

Praevertere aliquid rei alicui, *Liv.* II. 24. uxorem praerepublica, *Plaut. Amph.* I. 5. 30. Cursu pedum praevertere ventos, *Virg. Aen.* VII. 807. *Et passive*, Praeverti hoc certum est rebus aliis omnibus, *Plaut. Cist.* V. 8.

---

100) Notat Saturn. p. 71. hoc verbum *veniam* significans dativum tantum requirere: *Abstinentiam* vero vel *parsimoniam*, tum dativum, tum accusativum, tum ablativum.

1) *Praeire caeteros honore*, dixit Boëtius de Consol. lib. III. Pros. 8. Et ibid. *Praeire tigres velocitate*, quod non temere imitandum. Citatur quidem in Gramm. Philipp. p. m. 265. ex Ovidio, *Ver praeit aetatem*: at id nusquam apud eum Auctorem comparere puto.

2) Aliter *praemitere* legitur.

3) Item, *Dici vix potest, quid gnavus operarius ignavo et cessatore praestet*, Colum. XI. 1. *Praestitit inter suos aequales*, Cic. Brut. c. 64. Vid. et p. 146.

4) Cicero non tantum l. cit. sed alibi semper, ut Att. III. 20. et Catil. I. 9. huic verbo dativum tribuit: at alii omnes accusativum, ut Plaut. Cas. III. 3. 15. Epid. II. 2. 37. et alibi constanter, Ter. Eun. V. 6. 5 et 7. Caes. B. Civ. II. 28. Vid. Voss. de Constr. c. 34. et Ursin. p. 247.

Digitized by Google

Ut bellum praeverti sinerent, *Liv.* III. 22. Volucremque fuga praevertitur Hebrum, *Virg. Aen.* I. 317.

Procumbere terrae [5]) *Ovid. Met.* II. 347. genibus alicuius, *Id. Het.* XIII. 585. ad genua, *Liv.* XXV. 7. ante pedes, *Ovid. Heroid.* XII. 186. in armos, *Martial.* I. 61.

Providere rei frumentariae, *Caes. B. G.* V. 8. rem frumentariam, *Id. B. G.* VI. 9. de re frumentaria, *Id. B. C.* III. 34.

Quadrare alicui, *Cic. Brut. c.* 11. in aliquem, *Id. pro Coel. c.* 29 ad multa, *Id. Att.* IV. 18. acervum, *i. e.* in quadrum redigere, *Hor. Epist.* I. 6. 35.

Respondere alicui, *Cic. Att.* I. 16. his, *Caes. B. G.* I. 14. ad haec, ad postulata, *Id B. G.* I. 36 et 44. ad nomen, *Liv.* XXXIV. 27. votis alicuius, *i. e.* satisfacere, *Virg. Geo.* I. 47. ad spem, *Liv.* XXVIII. 6.

Servire inservire alicui, *Hor. Ep.* I. 10. 47. *Cic. pro Marc. c.* 9. aliquem, *Plaut. Most.* I. 3. 59. *Turpil.*

Studere rei alicui, *i. e.* operam dare, *Cic. de Orat.* I. 3. literas, *Id. post red. c.* 6. aliquid, *i. e.* cupere, *Cic. Fam.* I. 6. *Ter. And.* I. 31. in eam rem, *Quinctil.* X. 2. in ea re, *Gell.* XI. Studere alicui, *i. e.* favere, *Cic. pro Coel. c.* 4. [6]).

Subesse rei alicui, *Cic. Nat. Deor.* III. 28. in re aliqua, *Id. pro S. Rosc. c.* 10.

Subire muro, *Virg. Aen.* IX. 371. feretro, *Id.* V. 222. Subeunt mihi cunctarum fastidia, *Ovid. Her.* XVI. 97. Subire tecta, *Virg. Aen.* III. 854 limina, *Id. Aen.* VIII. 365. ad moenia, *Liv.* XXVI. 42. ad portas, *Id.* XXXIV. 15. in locum alicuius, *Ovid. Met.* I. 130. in coelum, *Plin.* XXXI. 5. sub acumen styli, *Cic. de Orat.* I. 53. *At* Subire onus, labores, poenam, periculum, *etc. Item,* Subiit animum, mentem, *fere semper dicuntur* [7]).

Subiacere monti, *Plin. Epist.*

---

5) Nisi hic forte *terrae* genitivus sit, ut in illo Virg. Aen. V. 481. *Procumbit humi bos, in solo* utrobique intellecto. Vid. infra reg. 53. n. 8.

6) *Studeo*, cum *favere* vel *operam dare* significat, solum dandi casum poscere; cum *velle* vel *cupere*, solum accusativum, notat Vossius, Constr. c. 84. At nullam distinctioni causam subesse, hocque verbum utraque significatione utrumque casum admittere docet Ursinus, p. 247. non nudum desiderium, sed cum effectu coniunctum illis locis, quae pro cupiendi notione adducuntur, inesse observans. Idem tamen verbum *studeo*, cum in personam fertur *favendi* significationem referens, dativo soli iungi fatetur. Porro accusativum qui ei iungitur, neque a verbo *facere*, ut Vossius censet, neque ab ipso verbo *studere* octive accepto, quae Sanctii sententia est; sed a praepositione *in* vel *circa* intellecta, ostendit post Perizon. III. 8. n. 126. idem Ursinus l. c. * De *studeo* cum genitivo supra diximus, reg. 22. [Ellipsi non est locus. G. St.]

7) *Subire invidiae orationis*, ap. Cic. Divin. in Caecil. c. 14. legit Asconius; additque „quasi Latine dixit, ut *Magno ponderi subire*:" at

Digitized by Google

V. 6. *pr.* ad aliquid, *Quinctil.* III. 6.

Succedere penatibus, *Virg. Aen.* VIII. 123. muro, *Liv.* XXXI. 45, murum, *Sall. ap. Ser. ad Virg. Ecl.* V. 5. praeoccupatum tumulum, *Liv.* XXII. 28. *extr.* [8]). ad urbem, *Liv.* XXVI. 44. sub primam aciem, *Caes. B. G.* I. 24. in pugnam, *Liv.* IX. 27. Succedere alicui, *et* in locum alicuius, *Cic. pro Flacc.* c. 14. *et Phil.* II. 25. Superstare alicui rei, *Liv.* XXVII. 18. aliquem, *Virg. Aen.* X. 540.

Supervenire alicui, *Liv.* XXIV. 55. Unda supervenit undam [9]), *Hor. Epist.* II. 176.

Venire alicui, *Ovid. Her.* XV. 51. *multo frequentius* ad aliquem, *Cic. Fin.* I. 5. Venire subsidio alicui, *Id. pro Font.* c. 16. Venire suppetias, *Hirt. B. Afr.* c. 5. adversum alicui. *Plaut. Most.* IV. 2. 29. sub ictum telorum, *Liv.* XXVII. 18. [10]).

---

invidiam ibi meliores omnes habent. * Cum absolute dicitur, *Subiit cogitatio, memoria, cura*, etc. *animum* vel *mentem* (quae saepius exprimuntur) intellige. Eodem sensu, *Subiit Regem sera poenitentia*, dixit Curtius, III. 2. 20. Et, *Quoties pugnantis imago Me subit*, Ovid. Fast. II. 758. Et, accusativo suppresso, *Subiit cari genitoris imago. Subiit deserta Creusa*, Virg. Aen. II. 560, 562. at, *Subeant animo Latmia saxa tuo*, dixit Ovid. Heroid. XVIII. 62. [Vid. ibi Burmann.] et Quinctilian. Declam. 6. 11. *Cogitationi nostrae subit miseratio.* Adde Serv. ad Virg. Aen. VIII. 125.

8) Sic Sil. X. 597. *armatos succedere muros.* Apul. Met. V. p. 147. *Larem nostrum laetae succedite.* Calphurn. Declam. 29. *Ne pecora quidem iugum, nisi paria, succedunt.* Vid. Heins. ad Ovid. Met. XIII. 611. et Gronov. ad Liv. XXXIII. 45. item Perizon. p. 884. n. 127.

9) Vid. supra n. 50.

10) Ex hoc syllabo consulto excepimus, I. Omnia fere activa diversae structurae verba. II. Pleraque quae per Ellipsin praepositionis κατὰ vel *quod ad* accusativo iunguntur: qualia sunt, *Assentior, obsequor, pareo, succenseo*: ut, Cic. Orat. III. 48. *Illud assentior Theophrasto.* Ter. Adel. V. 9. 38. *Iusta iniusta obsequor.* Stat. Achill. I. 660. *Parebimus omnia matri.* Ter. And. II. 3. 2. *Si id succenseat.* Item, *Nocere noxam, Servire servitutem.* Vid. paulo inferius, p. 151. III. Quae a vetustis aliisque Grammaticis, sed nulla vel prava auctoritate innixis memorantur: ut, *Favere aliquem*, ap. Charis. c. 265. *Supplicare aliquem*, ap. Priscianum, col. 1184. *Subvenire senem*, ap. Saturn. p. 78. [ex Plaut. Merc. V. 4. 35. male dispuncta sententia.] IV. In hunc censum referri possunt, *Suadeo, benedico* et *maledico*, quibus scriptores Ecclesiastici, contra veterum normam, personam in accusativo vice dativi tribuerunt: ut, Tertull. de hab. mul. c. 1. *Tu es, quae eum suasisti.* Vet. Interp. Paul. LXVII. 8. *Benedicat nos Deus noster.* Et Act. XXIII. 5. *Principem populi tui non maledices*; pro, *ei, nobis, Principi.* Vid. Voss. Constr. c. 21 et 35. Non ignoro Petronium, *Maledicere aliquem*, non uno in loco [vid. supra p. 139.] dixisse, Ciceronisque etiam esse de Prov. Consul. c. 17. *Me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, sed etiam rogavit.* Et Fam. XIII. 4. *Haec eo spectant, ut te horter et suadeam.* At in priore affectatum et plane insolentem Graecismum agnoscunt Interpretes: posterior ad ver-

Digitized by Google

His addi possunt verba, quae apud Poetas praesertim et more Graeco, cum dativo construuntur; at frequentius, et more Latino, ablativum cum praepositione recipiunt: ut,

1. Verba contendendi et certandi: ut, *Contendo, certo, bello, pugno alicui,* pro *cum aliquo.* Sic, Propert. I. 14. 7. *Non tamen ista meo valeant contendere amori.* Virg. Ecl. v. 8. *Solus tibi certet Amyntas.* Stat. Th. VIII. 505. *Magno bellare parenti,* [11]), [12]).

---

ba *rogavit* et *hortet* animo respexisse videtur. In his autem *Suadere alicui rem aliquam,* et *Suadere legem, pacem, nefas,* etc. Ellipsis est praepositionis κατά. Ex veteribus, solus, quod sciam, Plautus hoc verbo passive utitur. Trin. III. 2. 44. *Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet:* at cadentis Latinitatis temporibus id satis frequens ostendit Barthius ad Claudian. Paneg. Mallii, v. 218. * Similiter, quamvis *Persuadere aliquid alicui* dicatur, vix *Persuadere aliquem,* eoque longe frequentius meliusque *Persuasum est mihi,* quam *Persuasus sum;* ita tamen nonnunquam loqui bonos Auctores: ut, A. ad Herenn. I. 6. *Si persuasus auditor fuerit,* et Justin. II. 11. *Nihil erat difficile persuadere, persuasis mori,* ostendit Burmann. ad Buchananum, Hist. Scot. XIII. 8. Adde Ovid. Art. III. 679. *Iamludum persuasus erit.* V. Omisimus denique quaedam verba activa, quae inversa ratione, cum dativo interdum, vice accusativi, aut construuntur, aut construi perhibentur. * Hoc pacto, *Audire alicui,* pro *audire aliquem,* sive *dicto alicui audientem esse,* dici posse quidam existimant, confirmantes illo Plauti, Capt. II. 2. 53. *Quum dicto haud audiebas.* At (quod Vossio, Constr. c. 59. notatum) melioribus omnibus illic legitur, *Meminī cum dicto haud audebat, facto nunc laedat licet.* Magis appositum, etsi Auctoris minus probati, est illud Apulei, Apol. p. 532. *Improbo ac nefario homini ne auscultarent, sibi potius audirent.* Ut non omni prorsus exemplo (quod affirmare videtur Cl. Burmannus) destitutus fuerit Buchananus noster, qui Psal. CXIX. 100. *Illuic quod audiam, senecta astutior sum callida,* dixerit. Pro Buchanano etiam facere videtur illud Pacuvii ap. Cic. Divin. I. 57. *Nam istis, qui linguam avium intelligunt, Plusque ex alieno iecore sapiunt quam suo, Magis audiendum quam auscultandum censeo,* nisi cum quibusdam, *istos* illic legendum sit. * Haec autem ap. Plaut. Amph. II. 2. 5. *Ita Dis placitum, voluptati ut moeror comes consequatur.* Et Cic Tusc. V. 85. *Caetera quae comitantur huic vitae,* Graeciam sapere (ut ἔχεσθαι τῇ ἡδονῇ, et ξυνέπεσθαι τούτῳ τῷ βίῳ) notat Farnabius, Syst. Gramm. p. 70. Priore autem loco *voluptatem* praeferunt libri meliores; posteriore vero Platonis dicta ad verbum redduntur. * Illa denique Plaut. Truc. I. 2. 25. *Alienis rebus curas.* Macrob. V. 17. *Stabulo regio curantes.* Apul. Apol. p. 463. *Usque adeo rebus meis curat:* caeca esse idem Farnabius d. l. observat. Confer et Voss. Constr. c. 84.

11) De *pugno* exemplum supra dedimus, p. 58. * Adde *Luctor:* ut, Hor. Car. I. 1. 15. *Luctantem Icariis fluctibus Africum Mercator metuens.* Clarius Sil. X. 296. *Luctatur morti.* * Huic classi quidam accensent *concurro,* de quo mox.

12) Aliter etiam dicimus, *Contendere contra,* vel *adversus aliquem,* Cic. Off. I. 31. et Anton. ap. eund. Att. XIV. 18. * *Certare inter se,* Id. Verr. II. 16. * *Pugnare contra,* vel *adversus aliquem,* Quinctil. II. 5. Plin. VIII. 11. *inter se,* Curt. X. 8. 16. et (quam caeteris mundio-

Digitized by Google

2. Distandi, dissentiendi, differendi: ut, *Distare, dissentire, discrepare, dissidere, differre rei alicui*, pro *a re aliqua*. Sic, Hor. Car. IV. 9. 29. *Paulum sepultae distat inertiae Celata virtus.* Sen. Ep. XX. *Ne orationi vita dissentiat.* Hor. Ep. II. 2. 195. *Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.* Id. Car. II. 18. *Dissidens plebi.* Id. Sat. I. 4. 48. *Nisi quod pede certo differt sermoni, sermo merus* [13]).

5. Coëundi et miscendi: ut, Hor. Art. v. 12. *Ut placidis coëant immitia.* Ovid. Met. XII. 595. *Concurrere hosti.* Propert. II. 12. 16. *Concubuisse Deae.* Virg. Aen. VII. 661. *Mista Deo mulier*; pro, *cum placidis, cum hoste, etc.* [14]).

4. Arcendi et propulsandi: ut, Virg. Geo. III. 155. *Arcebis gravido pecori.* Id. Ecl. VII. 47. *Solstitium pecori defendite* [15]); pro, *a pecore* [16]).

Verba passiva: ut, Ovid. Trist. v. 10. 37. *Non intelligor ulli.* Id. in ibid. v. 419. *Filius et Cereris frustra tibi semper ametur*; pro, *ab ullo, a te.* Hor. Sat. I. 6. 116. *Coena ministratur pueris tribus*; pro, *a tribus pueris* [17]).

---

rem rationem censet Gellius, XVII. 2.) *pugnare in aliquem*, Liv. VIII. 6. extr.

13) Dicitur etiam, *Distant, dissentiunt, discrepant, dissident, differunt, inter se*, Cic. Orat. I. 49. Fin. II. 6. Invent. II. 49. Att. I. 13. Tusc. IV. 11. *Distare meta*, Ovid, Met. III. 145. *Dissentire, dissidere cum aliquo*, Cic. de Harusp. c. 25. Id. Acad. IV. 47. Et *Differt inter opinionem meam et tuam*, Id. in Caecil. c. 19.

14) Item dicimus, *Coire, concurrere, inter se*, Virg. Aen. XII. 709. Liv. XXVI. 51. Et *Miscere vinum*, vel *aliud quid aquae, cum aqua*, et saepius, intellecta praepositione, *miscere aqua.* [Vid. Colum. VII. 5. extr. Ovid. Met. XII. 521. Plin. VII. 56.] Virgil. quoque Aen. V. 470. *mistos in sanguine dentes*, et X. 398. *Mixtus dolor et pudor*, pro *Dolor mixtus pudore*: et XII. 714. *Fors et virtus miscentur in unum*: et Columella, VII. 5. *Ad amurcam album helleborum miscere*, dixerunt.

15) Alia huius locutionis exempla vid. ap. Heins. ad Ovid. Heroid. V. 16. et ad Claudian. de Laud. Stilich. III. 171. et Drakenborg. ad Sil. V. 490. et adde Gell. IX. 1. * Huc refer *depellere* ut, Ovid, Heroid. XIV. 130. *Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.* Val. Flacc. VI. 652. *Nato non depulit ictus Iuppiter.* Virg. Aen. V. 726. *Qui classibus ignem Depulit*: quanquam in posterioribus *nato* et *classibus* ablativi dici possint; ut, *Leo lacte depulsus*, ap. Hor. Car. IV. 4. 15. * An et *prohibeo* hoc sensu dativum recipiat vid. supra, p. 116. n. 28. * Caeterum haec omnia ad verba auferendi, de quibus reg. 29. revocari possunt.

16) Dicimus etiam, *Defendere aliquem*, Cic. de Orat. I. 39. *Defendere iniuriam*, i. e. *propulsare*, Id. Off. III. 18. Item, *Arcere aditu, sacris, finibus*, Cic. de Leg. II. 10. Plin. VII. 28. Cic. de Harusp. resp. c. 8.

17) Confer supra, p. 95. n. 69. et infra, reg. 41. n. 4.

Digitized by Google

II. *Verba sub diversa significatione varie constructa.*

Accedo tibi, *i. e.* assentior: *item*, accresco [18]).
Accedo ad te, *i. e.* adeo *vel* venio.
Aemulor tibi, *i. e.* invideo.
Aemulor te, *i. e.* imitor.
Animadverto aliquid, *i. e.* observo.
Animadverto in aliquem, *i. e.* punio.
Ausculto tibi, *i. e.* obtempero.
Ausculto te, *i. e.* audio.
Caveo tibi, *i. e.* prospicio tibi, *ut amico.*
Caveo te, *i. e.* vito, *ut inimicum.*
Cavere de re aliqua, *i. e.* cautionem dare [19]).
Cedere alicui, *i. e.* locum dare [20]).
Cedere iure suo, *i. e.* de iure suo decedere.
Consulo tibi, *i. e.* prospicio *vel* provideo. *Sic*, consulo in te [21]).
Consulo te, *i. e.* consilium a te peto.
Consulo boni, *i. e.* bonum iudico.
Convenit hoc mihi, *i. e.* conveniens est mihi [22]).
Convenit mihi cum illo, *i. e.* cum illo consentio.
Conveniam hominem, *i. e.* hominem alloquar.
Cupio tibi, *i. e.* faveo.
Cupio aliquid, *i. e.* desidero, *seu* expeto.
Deficit mihi, *i. e.* deest [23]).
Deficit me, *t. e.* destituit.
Deficere ab aliquo, *i. e.* desciscere.
Detrahere alicui, *i. e.* eius famam minuere.
Detrahere aliquem, *i. e.* ex superiore loco trahere.
Do tibi literas, *i. e.* alii perferendas.
Do ad te literas, *i. e.* ad te scribo.
Foenero *vel* foeneror tibi, *i. e.* do tibi ad usuram *vel* lucrum.
Foeneror abs te, *i. e.* foenori accipio, *seu* ad usuram.
Horrere alicui, *i. e.* timere alicui, *Plin. Paneg. c.* 27.
Horrere aliquem, *i. e.* horrere

---

18) Vid. paullo ante p. 129. n. 63.

19) Dicitur etiam, *Cavere aliquid alicui*, Plaut. Bacch. I. 2. 10. pro *securum aliquem praestare, ne quid ei mali eveniat. Obsidibus de pecunia cavere*, Caes. B. G. VI. 2. i. e. *obsides dare, quoad pecunia dissolvatur. Pecuniam alicui cavere*, l. 89. ff. de solut. i. e. *cautionem de eius solutione dare.* Item, *Obsidibus inter se cavere*, i. e. *obsidibus invicem datis suae securitati prospicere*, Caes. B. G. VII. 2. *Mihi tecum cavendum est*, Plaut. Most. V. 2. 21. i. e. *patronus vel fideiussor, in hac quae mihi tecum est lite, est adhibendus*, Confer etiam p. 116. n. 23 et 24. et infra reg. 41. n. 10.

20) Adde supra, p. 127. n. 55.

21) Vulgo docent et *Consulere alicui* dici, pro *alicui consilium dare.* At neminem probae notae Scriptorem ita loqui ostendit Vorstius de Lat. merit. suspect. c. 80. Adde etiam supra, p. 138.

22) Adde supra, p. 138.

23) Adde supra, p. 138. n. 74.

Digitized by Google

concuti propter aliquem, *tanquam hostem.*
Imponere alicui, *i. e.* decipere aliquem.
Imponere aliquid alicui, *i. e.* superimponere, *ut onus.*
Manere *absolute*, *i. e.* commorari.
Manere aliquem, *i. e.* exspectare.
Metuo tibi, *i. e.* sollicitus de te sum, *ut amico.*
Metuo te, *vel* a te, *i. e. ut hostem, ne mihi noceas.*
Peto aliquid alicui, *i. e.* cupio dari.
Peto abs te, *i. e.* rogo.
Peto poenas de aliquo, *i. e.* sumo supplicium de aliquo.
Peto aliquem gladio, *i. e.* adorior, *vel* percutio.
Peto locum, *i. e.* adeo *vel* tendo ad locum.
Praeire alicui, *i. e.* ante aliquem ire [24]).
Praeire verba, *i. e.* ea prius proferre, *ab alio mox recitanda.*
Praestare alicui silentium, *i. e.* dare, concedere [25]).
Praestare aliis *vel* alios virtute, *i. e.* antecellere.
Praestare se virum, *i. e.* praebere *vel* exhibere.
Praestare culpam vel damnum, *i. e.* in se transferre.
Praestabo eum facturum, *i. e.* recipio *vel* fideiubeo eum esse facturum.
Prospicio, provideo tuae saluti, *i. e.* salutem tuam procuro.
Prospicio, provideo periculum, *i. e.* praevideo.
Recipio tibi, *i. e.* promitto. *Sic*, Recipio in me.
Recipio me in locum, *i. e.* confero.
Refero tibi, *i. e.* narro.
Refero ad Senatum, *i. e.* Senatui consultandum propono.
Referre aliquem, *i. e.* alicui similem esse.
Renuncio muneri, hospitio, *i. e.* repudio munus, hospitium.
Renuncio consulem, *i. e.* declaro, proclamo.
Solvo tibi aliquid, *i. e.* persolvo, numero.
Solvo aliquem, *i. e.* vinculis libero [26]).
Sufficere alicui, *i. e.* satis esse.
Sufficere alicui arma, *i. e.* subministrare.
Sufficere aliquem, *i. e.* in alterius locum substituere.
Temperare linguae, manibus, *i. e.* modum imponere.
Temperare caedibus, *et* a caedibus, *i. e.* abstinere.
Temperare orbem, vires, ratem, *i. e.* regere, *vel* intra ordinem *ac* mensuram suam cohibere.

---

24) Adde supra, p. 140, 141. et ibi n. 1.
25) Iunge supra, p. 141.
26) Sic, *Solvere fidem*, ap. Ter. And. IV. 1. 19. non est (quod Stephanus in Thes. L. L. et Turnerus in Gramm. Exerc. p. 10. interpretantur) *fidem rumpere*, sed contra, *promissa facere*, seu *implere*: quo sensu Plin. Epist. II. 12. *fidem exsolvere*, Sueton. Claud. 9. 5. *fidem liberare*, dicunt.

Digitized by Google

Timeo tibi, *ac* te: *ut* metuo [27]). Vacare ab officio, *i. e.* cessare, otiosum esse.
Vacare rei alicui, *i. e.* operam dare. *Sic*, in *vel* ad aliquam rem, *Ovid. Pont.* III. 1. 142. *et* III. 3. 56.
Vacare culpa, *i. e.* carere.
Vacat mihi, *i. e.* otium est mihi.

APPENDIX.

☞ Hortor *et* invito, voco, provoco, pertineo*que*,
Atque animo, specto, stimulo, conformo, lacesso,
Ad *sibi cum quarto sociant; et verba localem*
Plurima quae motum signant: sed et his vice quarti
Saepe dedit vates ternum. Variataque demum
In quibus ad *iunctum est verbis, structura notanda est.*

☞ I. Haec verba, *Hortor*, *invito*, *voco*, caeteraque in textu posita, non dativum, sed accusativum, cum praepositione ad recipiunt: ut, Cic. de Prov. cons. c. 4. *Cum ad laudem milites hortaretur* [28]). Id. Off. III. 14. *Ad coenam hominem invitavit* [29]). Virg. Aen. I. 151. *Eurum ad se Zephyrumque vocat.* Cic. Tusc. IV. 22. *Ut ipsum Hectorem provocasse ad pugnam poeniteret.* Liv. VIII. 33. *Tribunos plebis appello, et provoco ad populum.* Cic. pro Rosc. Am. c. 7. *Non est obscurum ad quem suspicio maleficii pertineat*, etc. [30]).

---

27) Sic, *Formido mihi*, sc. *ne quid mali mihi eveniat*: et *Formido euro*, sc. *ne surripiatur*, ex Plauto profert Stephan. in Thes.

28) Interdum abest praepositio: ut, Cic. Att. VII. 14. *Equidem pacem hortari non desino.* Vid. Graev. in loc. et Gronov. ad Senec. Epist. 121. n. 5.

29) In his, Cic. Verr. IV. 11. *Invitare aliquem tecto ac domo*: et Phil. XII. 9. *Invitare hospitio*: item in hoc Sall. Hist. IV. p. 991. *Cum se ibi somno vinoque laeti invitarent*, dubitari potest, an *tecto*, *hospitio*, etc. tertii sint an sexti casus: prius affirmat Vorstius ad Iustin. IX. 8. 4. eiusque sententiam probans Cortius ad d. Sall. loc. posterius vero Graevius, qui ad citt. Cic. et Iust. loca, *invitare* illic *liberaliter excipere* interpretatur, cuius et mihi magis arridet opinio.

30) Sic Claudian. Rapt. Pros. III. 386. *Animare ad crimina.* Cic. Fam. XIV. 5. *Ad arma res spectabat.* Tac. Hist. II. 44. 7. *Saepius ad iram, quam in formidinem stimulabatur.* Cic. Fam. I. 8. *Ipse me conformo ad eius voluntatem.* Liv. II. 45. *Lacessere aliquem ad pugnam.* * His adde, *Arcesso*, *pertingo*, *formo*, *compono*: ut, Cic. Att. XIV. 8. *Pelopem ad te arcesses.* Caes. B. Civ. III. 68. *Munitio quam pertingere a castris ad flumen supra demonstravimus.* Plin. XI. 37. *Venas ab oculis ad cerebrum pertingere peritissimi auctores tradunt.* [Sed illic Davisius, hic Dalechampius et Harduinus *pertinere* legunt. Pro *Pertinget oculos*, ap. Lucret. IV. 278. etiam *perterget* meliores habent: ut hoc verbum, hodie multum frequens, exemplo prorsus certo destitui videatur.] Liv. I. 21. *Quum ipsi se homines in Regis mores formarent.* Claudian. VIII. 298. *Componitur orbis Regis ad exemplum.* * Caeterum in his omnibus (ut et in praecedentibus) occultus aliquis motus significari videtur.

Digitized by Google

¶ II. Item verba motum de loco in locum significantia; qualia sunt, *Eo*, *vado*, *curro*, *propero*, *festino*, *pergo*, *fugio*, etc. Et *Porto*, *fero*, *lego*, *-as*, *praecipito*, *tollo*, *traho*, *duco*, *verto*, etc. Item, *Incito*, *suscito*, *tendo*, *vergo*, *inclino*, et similia propensionem ad rem notantia, accusativum petunt cum ad vel in: ut, Ter. Phor. V. 7. 10. *Ire ad mercatum.* Nep. XXV. 6. 5. *In ius de sua re nunquam iit.* Ovid. Met. X. 33. *Serius aut citius sedem properamus ad unam.* Id. Pont. II. 2. 125. *Tendit ad ardua virtus.* Stat. Sil. IV. 4: 70. *Vergimur in senium.*

¶ † At Poetae dativo nonnunquam, pro accusativo cum praepositione, utuntur: ut, Virg. Aen. V. 451. *It clamor coelo.* Id. Aen. I. 6. *Inferretque Deos Latio*; pro, *ad coelum*, *in Latium.* Sic id. Virg. Ecl. II. 50. *Hoedorumque gregem viridi compellere hibisco.* Ovid. Met. IV. 91. *Lux tarde discedere visa Praecipitatur aquis*; pro, *ad hibiscum*, *in aquas* [31]).

¶ III. Verba cum praepositione ad composita varie construuntur, 1. Enim quaedam solum fere dativum admittunt: ut, *Assideo*, *assurgo*, *adversor* [32]) *alicui*. 2. Quaedam solum fere accusativum, cum ad vel in: ut, *Accio*, *accurro*, *adhortor*, *advoco*, *allicio*, *alligo*, *attraho* [33]). 3. Quaedam utrumque: ut, *Accedo*, *accido*, *adhaeresco*, *adrepo*, *affluo*. Item, *Accingo*, *accommodo*, *addo*, *affero*, *adhibeo*, *adiicio*, *affigo*, *allido*, *appono*, et multa alia [34]). 4. Quaedam accusativum dempta praepositione:

---

31) *Propinquo* tamen, non apud Poëtas modo, sed et alios Scriptores, cum dativo fere semper constructum invenio: ut, *Propinquare castris*, *foribus*, *scopulo*, ap. Virgilium, *Propinquare campis*, *littori*, *portae*, *silvis*, *urbi*, ap. Tacitum. At *Propinquare amnem*, dixit Sallust. Hist. IV. pag. 992. eadem ratione qua *prope*, *propior* et *proximus* huic casui absque praepositione junguntur. Cum accusativo etiam (sed sensu activo) usi Virg. Aen. X. 254. *Tu rite propinques augurium*: et Sil. II. 281. *Mortem licet arma propinquent.*

32) Plaut. Merc. II. 3. 48. *Nolo adversari tuam adversus sententiam*, dixit. Vid. p. 131. n. 65.

33) Ex his tamen nonnullis dativus interdum subiicitur: ut, Plin. VIII. 5. *Homines stipitibus alligati.* Hor. Car. IV. 11. 13. *Quibus advocaris Gaudiis.* Quinctil. XI. 1. p. 969. *Causae quibus advocamur.* Et [illegible], ut ap. Vellei. [illegible] dicitur, *sibi* intelligi videtur. Iohnsonus tamen Noct. Nott. p. 50. 55 et

ut, *Advehor*, *affor*, *alloquor*, *alluo*, *attono*. 5. Quaedam denique accusativum, praepositione vel addita vel dempta: ut, *Adeo*, *adveho*, *advento*, *aggredior*, *ascendo*, *aspicio* [35]).

3. *Verba personalia* Accusativum *regentia.*

26. Active quartum significantia verba reposcunt.

Verbum active significans regit [1]) accusativum rei aut personae in quam transit [2]) actio, sive activi generis sit, sive deponens aut commune: ut, Cic. pro Arch. c. 7. *Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent.* Pub. Syr. Sent. 254. *Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.* Ovid. Pont. I. 1. 62. *Estque pati poenas quam meruisse minus.* Ter. Eun. V. 2. 16. *Hanc metui, ne me criminaretur tibi.* Claudian. XVII. 143. *Superbia —— comitatur honores* [3]).

Not. I. Interdum verbum regens per Ellipsin reticetur: ut, Virg. Geo. III. 515. *Di meliora piis, erroremque hostibus illum*, sc. *dent.* Cic. Att. I. 10. *Quid multa*, sc. *dicam*, vel *loquar*. Ter. Eun. I. 1. 20. *Egone illam? quae illum? quae me?* supple, *patiar*, *recepit*, *exclusit*, aut similia. Cic. Fam. VII. 25. *Manum de tabula*, sup. *aufer*.

---

luo; de quibus aliisque activis dativum cum accusativo regentibus, paulo inferius agetur. Confer et Iohnson. Noct. Nott. p. 49. seqq.

35) Sunt et quaedam quae vel dativo iunguntur, vel accusativo sed absque praepositione: ut, *Adequito*, *adiaceo*, *adno*, *adstrepo*, *adsulto*. V. supra p. 130, 131. Quaedam denique triplicem admittunt structuram: cum dativo soil. vel accus. addita aut omissa praepositione: ut, *Advolvi genibus*, *genua*, *ad genua*, Liv. XXVIII. 34. Tac. Ann. I. 13. 6. Plin. XI. 37. Buchan. Psal. LXXII. 9. Sic, *Accedo*, *advenio*, *advolo*, *allabor*, *appropinquo*. Vid. supra p. 129, 131 et 132.

1) Haec una certa est et indubitata verbi ex se rectio. Dativus enim (ut supra diximus p. 84. n. 34.) omnibus fere orationis partibus communis est, nec ab iis proprie regitur, sed tanquam finis vel obiectum, cui aliquid fit vel acquiritur, illis adiungitur. Alii autem casus, puta genitivus vel ablativus, non a verbis ipsis, sed a voce aliqua intellecta, reguntur.

2) Quam ob rationem ea verba Transitiva, neutra vero Intransitiva appellari solent.

3) Non omnia verba active significantia accusativum regunt, verum in iis usus spectandus est. Nam *Defendo te* recte dicitur; at non *patrocinor te*. Latinum quoque est *luvo*, *laedo*, *te*; non item *auxilior*, *officio te*, sed *tibi*. Quaedam utrumque recipiunt: ut, *Obtrectare laudes* vel *laudibus*, *Desperare rei* vel *rem*, *Medicari malo* vel *malum*, etc. de quibus paulo ante diximus. Huius autem diversitatis nulla alia ratio reddi potest, quam quod ita voluerit Latine loquentium consuetudo. Vid. Alvar. p. 513.

Digitized by Google

Not. 2. Nonnunquam et ipse accusativus intelligitur: ut, *Obiit*, sc. *mortem*, Ter. Eun. IV. 7. 10. *Solus Sannio servat domi*, sc. *res quae sunt domi*. Id. Eun. II. 3. 84. *Facile ut pro Eunucho probes*, sc. *te*. Virg. Aen. II. 9. *Nox humida coelo Praecipitat*, sc. *se* [4]). Id. Ecl. III. 77. *Cum faciam vitula*, sc. *sacra* [5]).

Not. 3. Interdum accusativi vices supplet verbum infinitum, vel alia oratio: ut, Hor. Ep. I. 7. 25. *Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum*. Gell. I. 9. *Poenitere tanti non emo*; pro, *poenitentiam*. Ter. Adel. II. 1. 8. *Quod te purges, huius non faciam*; pro, *purgationem tuam* [6]).

Not. 4. Quaedam verba activa constructione variant: ut, *Appellare tribunos*, et *ad tribunos*; *Cavere malum, a malo* et *malo*; *Cognoscere ex aliquo aliquid*, et *de re aliqua*; *Colere, incolere, habitare locum*, et *in loco*; *Queri iniuriam*, et *de iniuria*, etc. [7]).

---

4) Hic accusativus pronominis reciproci [se] multis verbis activis intelligitur, quae vulgo absoluta, sive intransitiva, creduntur: qualia sunt, *Abstinere, celerare, festinare, maturare, properare, declinare, decoquere, durare, emergere, erumpere, penetrare, pergere, ruere, sistere, surgere, vergere*, etc. Vid. Voss. Anal. III. §. 4 et 22. Perizon. ad Sanct. p. 277. ipsum Sanct. IV. 8. p. 546. Maior. de var. orat. p. 269. Ursin. p. 268. Gronov. ad Liv. XXXVI. 7. Cortium ad Sallust. Frag. p. 991. [Poterit huc referri etiam verbum *convertere* et *vertere*, quod neutraliter dici ostenderunt Bentleius ad Horat. Carm. IV. 10. 5. Cortius ad Sallust. Iugurth. 85. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 78. Itaque ap. Cic. Epist. ad Divv. III. 12. equidem teneho veterem lectionem *deinde ad me convertam*. G. St.]

5) Sed et cuilibet verbo activo abesse potest accusativus, quum nuda ipsius actio, obiecto in incerto relicto, significatur. Vid. Part. I. p. 288. n. 8. * Hic porro animadvertendum est, accusativum nonnunquam verbis activis iungi, qui tamen non ab ipsis, sed a praepositione aliqua suppressa regatur; verum autem verbi activi accusativum animo reticeri: ut, *Conserere praelium*, pro *conserere manum ad praelium faciendum; Ferire, icere, percutere, foedus*, pro *ferire*, etc. *porcum ad sanciendum foedus. Plangere funera, damna sua*; pro, *plangere lacertos, pectus, ad funera, ad damna sua*. Vid. Ursin. p. 268. [Videlicet in his per breviloquentiam quandam duae notiones copulantur tanquam arcte inter se coniunctae, neque necesse est ad ellipsin confugiamus. G. St.] * In nonnullis Catachresis est ex vulgi negligentia orta: qualis in *Depascere herbas, Luere poenam* vel *supplicium*, de quibus Perizon. ad Sanct. p. 281, et 301.

6) Sic id. Ter. And. I. 1. 10. *Feci e servo libertus ut esses mihi*; pro, *Feci te libertum*. Et, *Vereor ne a doctis reprehendar*; pro, *doctorum reprehensionem*, quod dixit Cic. in Orat. c. 1. Adde Voss. Constr. c. 22. extr.

7) Sic *Confiteri crimen*, et *de crimine*, Cic. Phil. II. 7. Nat. Deor. II. 4. *Declinare locum*, et *a loco*, Id. pro Planc. c. 41. et Attic. XIV. 17. *Intueri aliquem*, et *in aliquem*, Id. de Prov. c. 9. et Tusc. II. 13. *Penetrare coelum*, et *in* vel *ad coelum*, Virg. Geo. II. 504. Cic. Acad. IV. 39. *Propugnare aliquem*, et *pro aliquo*, Suet. Iul. 23. 8. Cic. Anteq.

Digitized by Google

APPENDIX *de verbis Neutris, sive Absolutis.*

Neutra quoque et quartum cognati significatus
Admittunt, primos aliterque novantia sensus.

☞ Verba neutra admittunt post se accusativum;

☞ 1. Suae orginis: ut, Plaut. Pers. III. 1. 18. *Modice et modeste melius est vitam vivere.* Id. Mil. II. 6. 1. *Neque herile negotium plus curat, quam si non servitutem serviat.* Senec. de vit. beat. c. 12. *Insaniam insanire.* Ter. Phor. III. 2. 10. *Cantilenam eandem canis* [8]).

☞ Cognatae significationis: ut, Virg. Aen. IV. 467. *Longam incomitata videtur Ire viam.* Hor. Car. IV. 9. 19. *Non pugnavit ingens Idomeneus Sthenelusque solus Dicenda Musis proelia.* Plaut. Aul. V. 1. 21. *Soleo hercle garrire nugas.* Id. Cas. I. 1. 30. *Lucebis novae nuptae facem* [9]). Huc etiam referri possunt, *Prandere olus*, ap. Hor. Ep. I. 17. 13. et *Coenare aprum*, ap. cund. Sat. II. 3. 234.

☞ 3. Cum sensu metaphorico, aut aliter a primitiva eorum significatione mutato, accipiuntur: ut, Virg. Ecl. II. 1. *Corydon ardebat Alexin*, i. e. *vehementer amabat.* Hor. Ep. I. 7. 84. *Sulcos et vineta crepat mera*, i. e. *cum crepitu memorat.* Id. Sat. I. 5. 63. *Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat* i. e. *Cyclopa saltando repraesentaret.* Iuven. II. 3. *Qui Curios simulant, et Bacchanalia vivunt*, i. e.

---

c. 4. *Renunciare aliquid*, et *de aliqua re*, Id. Verr. I. 34. et Fam. IV. 5. *Respicere, spectare, visere, revisere aliquem*, et *ad aliquem*, Inven. X. 275. Ovid. Met. I. 628. Ter. Hec. I. 2. 114. Gell. II. 26. pr. Lucret. II. 360. *Vitare malum* et *malo*, Plaut. Curc. II. 3. 19. Confer Voss. Constr. c. 48. et Ursin. p. 265. In his autem plerisque, aut verba genus suum mutare, et ex activis absoluta fieri, aut pronomen se intelligi videtur.

8) Ita Cic. Fam. VIII. 2. *Puto, ut suum gaudium gauderemus.* Id. Fam. VII. 25. *Ne rideamus risum Sardonium.* Ter. Eun. III. 5. 8. *Consimilem luserat iam olim ille ludum.* Virg. Aen. XII. 680. *Hunc, oro, sine me furere ante furorem.* Cic. Fam. V. 2. *Magna voce iuravi verissimum pulcherrimumque iusiurandum.* Plaut. Rud. II. 6. 24. *Sceldstiorem coenam coenavi tuam, Quam quae Thyestae quondam anteposita est et Thereo.* Ibid. v. 27. *Pulmoneum aedepol nimis velim vomitum vomas.* Id. Asin. II. 2. 20. *Metuo in commune ne quam fraudem fraunus sit.* Liv. IX. 10. *Quandoquidem hice homines iniussu populi Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt.* Gell. XX. 11. *Nullas hoc genus vigilias vigilarunt.* Vid. Vechner. Hellenol. I. 22. et Voss. Constr. c. 22.

9) Sic Apul. Met. IX. p. 269. *Somnum humanum quievi.* Id. Met. II. p. 88. *Dum hunc et eiusmodi sermonem altercamur.* Virg. Aen. XII. 758. *Mille fugit refugitque vias.* Vid. Linac. lib. IV. p. 219. et Vechn. et Voss. locc. citt.

Digitized by Google

vita sua exhibent speciem Bacchanalium. Pers. III. 21. *Sonat vitium percussa fidelia*, i. e. *sono suo vitium indicat* [10]). Similiter fere exponi possunt, *Olet hircam*, Hor. Sat. I. 2. 27. *Spirat Deam*, Apul. Met. V. p. 149. *Anhelat crudelitatem*, Auct. ad Herenn. IV. 55.

☞ 4. Cum significationem quasi activam induunt: ut, Iustin. XXXVI. 1. 2. *Abolere maculam.* Stat. Th. III. 279. *Laborare arma.* Virg. Aen. IV. 674. *Clamare aliquem nomine.* Hor. Epod. II. 6. *Horret iratum mare.* Catull. LXIX. 163. *Annuit omnia omnibus.* Ter. Adel. IV. 1. 17. *Ego illius sensum pulchrè calleo.* Hor. Car. III. 27. 27. *Mediasque fraudes Palluit audax* [11]).

☞ Not. 1. Verbis neutris, pro accusativo, vel suae originis, vel cognatae significationis, saepe ablativus subiicitur: ut, Cic. ad Q. Fr. III. 3. *Patiamur illum ire nostris itineribus.* Virg. Aen. I. 669. *Nostro doluisti saepe dolore.* Plaut. Pers. V. 1. ult. *Bene ei, qui hoc gaudio gaudet.* Senec. Ep. 69. *Bella res est mori sua morte.* Suet. Aug. 4. 1. *Morte obiit repentina* [12]).

---

10) Paria his sunt, Virg. Aen. I. 328. *Nec vox hominem sonat*, i. e. *Vox sono suo te hominem non esse arguit.* Propert. II. 25. 25. *Lynceus ipse meos seros insanit amores*, i. e. *insaniendo exhibet.* Virg. Ecl. IV. 30. *Et durae quercus sudabunt roscida mella*, i. e. *sudore suo expriment.* Plin. XVII. 10. *Si roraverit quantulumcunque imbrem*, i. e. *roris instar imbrem effuderit.* Vid. Perizon. ad Sanct. p. 293, 303 et seqq. Huc referri potest et illud Cic. Fin. II, 34. *Si Xerxes Hellesponto iuncto, et Athone perfosso, maria ambulavisset, terramque navigasset*, i. e. *terram quasi in mare, et mare in terras convertisset; ut per hoc pedibus incedi, per illum navibus vehi posset.*

11) Sic Stat. Theb. IX. 686. *Notamque tremiscit Silva Deam*: et v. 724. *Tu dulces lituos, ululatuque praelia gaudes*, i. e. *cum tremore Deae metum indicat; cum gaudio lituos et praelia vides vel sectaris*; nisi malis utrobique *ob* intelligere. Ita, *Manere aliquem*, pro *manendo expectare:* ut, Hor. Car. I. 28. 15. *Omnes una manet nox.* Virg. Aen. VII. 596. *Te triste manebit supplicium:* nisi rectius sit, *propter* vel *ob* supplere; ut in hoc Plauti Stich. I. 2. 87. *Mane pulvinum.* Vid. Perizon. ad Sanct. p. 354. n. 86. Sed et hoc verbum eodem sensu, licet rarius, dativo iungitur: ut, Virg. Aen. IX. 302. *Haec eadem matrique tuae generique manebunt.* Id. Aen. V. 348. *Munera vobis Certa manent, pueri.* Vid. Sanct. p. 180. * Sic *operiri* vel *opperiri aliquem.* Et *morari aliquem* vel *aliquid:* quarum phrasium rationes acute, ut solet, explicantem vid. Perizon. p. 282. Vid. Part. I. p. 278. n. 57. praecipue vero infra reg. 41. n. 30.

12) Sic Plaut. Pers. IV. 3. 24. *Faciam ut mei memineris dum vita vivis*, al. *vitam.* Id. Capt. II. 1. 50. *Ne me secus honore honestes, quam ego te.* Id. ibid. II. 3. 88. *Facile memoria memini.* Et v. 62. *Ut laudetur laudibus.* Cic. Fam. VIII. 6. *Nos hic frigore frigescimus.* Propert. IV. 7. *Cur nardo flammae non oluere meae.* Virg. Geo. IV. 169. *Redolentque thymo fragrantia mella.* Sic *Ludere aleam*, Suet. Aug. 70. 5. *Ludere alea*, Hor. Car. III. 24. 58. Sic. *Manare, pluere, rorare, stillare, sudare, aliquo*, aeque ac *aliquid.* Vid. Voss. Constr. c. 45. Ursin. p. 268.

Digitized by Google

☞ Not. 2. Poetae [13]) accusativos adiectivorum in neutro genere utriusque numeri, verbis neutris [14]) eorumque participiis, adverbiorum loco adiiciunt: ut, Virg. Aen. VII. 394. *Torvumque repente clamat*; pro, *torve*. Hor. Car. II. 19. 5. *Mens laetatur turbidum*; pro, *turbide*. Virg. Geo. III. 499. de victore equo, *Et pede terram Crebra ferit*; pro, *crebro*. Id. Ecl. III. 8. *Transversa tuentibus hircis* [15]); pro, *transverse*.

☞ Not. 3. Frequens est Ellipsis praepositionis circa, vel propter, in accusativis *hoc, id, quid, aliquid, quicquid, nihil, idem, illud, tantum, quantum, multa, pauca, alia, caetera, omnia*: ut, Plaut. Cist. II. 1. 45. *Propter te haec pecco*. Ter. Eun. V. 1. 13. *Num id lacrumat*

Linacr. p. 222. et Lowaeum, pag. 24. n. 10. marg. o.. * *Erubesco* cum quarto casu adhibuit Virg. Aen. II. 541. *Sed iura fidemque Supplicis erubuit.* Claudian. Rapt. Proserp. 68. *Erubuitque preces.* Curt. V. 1. 19. *Dignum esse omni malo qui erubesceret fortuita.* At usitatius sexto iungitur: ut, Tac. de mor. Germ. 28. 8. *Origine erubescunt.* Curt. IV. 5. 4. *Ubi paucitate suorum erubescendum sit.* Plin. Paneg. c. 31. *Erubescebat fame.* Ovid. Trist. V. 11. 6. *Teque rear nostris erubuisse malis.* Nec male cum infinitivo coniungitur: ut, Curt. VI. 5. 5. *Ne senex equo vehi erubesceret.* Rarius cum *de* construitur: ut, Senec. Controv. 11. *De aliis erubescam.* Rarissimus dativus ac vix imitandus: Augustin. contra Iulian. IV. 14. *Unusquisque sibi vel alteri erubuerunt.* Vid. omnino Burmann. ad Quinctil. VI. 4. p. 571. et nos supra, p. 115. n. 14. et adde Cellar. Antibarb. p. 282.

13) Historici etiam, sed rarissime, ita loquuntur: ut, Tac. Ann. IV. 60, 8. *Tiberius torvus aut falsum renidens vultu.* Et Ann. VII. 87, 2. *Nunciavere accolae, Euphraten nulla imbrium vi, sponte et immensum attolli.* Similiter locutos Mart. Capellam et Apuleium non uno loco, testatur Vossius, Constr. c. 61.

14) Interdum et active significantibus: ut, Horat. Car. I. 22. ult. *Balagen amabo dulce loquentem.* Ita accipit D. Sam. Shaw, Append. ad Diction. Gramm. p. 111. illuc eiusd. Horat. Car. II. 14, 25. — *Mero Tinget pavimentum superbum*, etc. pro *superbe*: quod mihi durum admodum videtur.

15) Sic Sil. Ital. II. 213. *Intonuere letiferum.* Id. II. 245. *Gemuere raucum.* Id. VI. 540. *Densum teritur.* Id. VIII. 639. *Rubuit letule.* Et IV. 285. *Sonat tremendum*: et X. 6. *Increpat horrendum.* Item, Virg. Aen. VII. 510. *Immane spirans*: et VI. 288. *Horrendum stridens.* Sil. IV. 299. *Immane sonans.* Hor. Car. III. 27, 67. *Perfidum ridens.* Item, Lucret. II. 359. *Et crebra revisit ad stabulum.* Virg. Aen. IX. 794. *Asper, acerba tuens.* Id. Aen. I. 226. *Alulta gemens ignominiam.* Id. Geo. IV. 122. *Nec sera comantem Narcissum — tacuissem.* Id. Aen. VIII. 248. *Incuta rudentem Desuper Alcides telis premit.* Nec abludit hoc Caecinae ad Cicer. Fam. VI. 7. *Cum ignoverit omnibus qui multa Deos venerati sunt contra eius salutem.* Aut Taciti hoc, An. III. 11, 2. *Reo patronos petenti, iisque diversa excusantibus, M. Lepidus et L. Piso adfuere.* Confer Farnab. Syst. Gramm. p. 71. Ursin. p. 267. praecipue vero Vechner. Hellen. p. 129. et Voss. Constr. c. cit. Et adde Heins. ad Ovid. Pont. IV. 10, 43.

Digitized by Google

virgo? Plaut. Epid. IV. 2. 8. *Scio quid erres.* Hor. Ep. I. 2. 14. *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi*[16]), [17]).

16) Sic Cicer. Fam. V. 10. *Illud cave dubites.* Id. Divin. II. 89. *Quasi vero quidquam sit tam valde quam nihil sapere vulgare.* Plaut. Pers. II. 1, 9. *Id tuus scatet animus.* Hor. Sat. I. 3, 115. *Tantundem ut peccet idemque.* Stat. Achil. I. 660. *Parebimus omnia matri.* In his autem, Sall. Cat. 27, 3. *Multa de eorum ignavia questus.* Auson. Ephem. init. *Tibi causa somni Multa quod potas,* et similibus, *multa* pro *multum* adverbialiter posito accipitur. Confer Vechner. p. 196. Urain. Tom. 1. p. 456. et Tom. 2. p. 267.

17) De verbis hisce neutris, id in universum notandum; quotiescunque fere iis accusativus subiicitur, praepositionem aliquam intelligendam videri. [Mirum est hominem perspicacissimum non vidisse, neutralem verborum significationem cum activa esse vel permutatam vel etiam coniunctam. Ita *Ardere aliquem* est *amare aliquem et eo amore ardere; deperire aliquem* i. q. *amare aliquem ita ut depereas; iurare Iovem* i. q. *obtestando Iovem iusiurandum facere.* G. St.] Sic, *Abnuere aliquid, fastidire aliquem, horrere conspectum alicuius,* supple *ad. Ardere, calere, tepere aliquem,* supple *ad* vel *in. Me meae latrant canes,* Plaut. Poen. V. 4, 64. *Populus me sibilat,* Hor. Sat. I. 1, 64. sup. *ad* vel *in* pro *adversus. Pallere, pavere, tremere, trepidare aliquid,* sup. *ad* vel *ob. Delirare, dubitare, errare, peccare, perseverare aliquid,* sup. *circa. Perire, deperire aliquem,* sup. *ob* vel *ad. Dolere, gemere, flere, plorare, lacrymare vicem* vel *casum alicuius,* sup. *ob. Ambulare, currere, ire, procedere, vadere, venire viam.* Sic, *Iurare Iovem, vigilare noctem, dormire hyemem, natare undas, navigare aequor, equitare flumen,* sup. *per.* Vid. Ursin. To. 1. p. 456. In his *Praesidere provinciam, praeiacere castra, praeminere caeteros,* Perizonius, p. 307. subaudit *praeter.* Ursin. l. c. *ad* sive *quod ad* intelligi mavult. Quod ad accusativos vel suae originis vel coguatae significationis verbis neutris appositos attinet, Sanctius quidem, III. 2 et 3. (eumque secutus Scioppius Gramm. Phil. p. 83, et 122. et Mariang. Auctar. Arg. IV.) qui nulla verba neutra sive absoluta agnoscit, accusativos ab hisce tanquam vere activis natura sua regi, atque, cum absunt, intelligi, contendit: ut, *Ego egestatem, erubesco erubescentiam, palleo pallorem, eo iter* vel *viam, dormio dormitionem,* vel *somnum,* etc. At Cl. Perizonius (qui nomen et ius suum neutris restituit) ostendit in hisce omnibus Ellipsin esse, vel in constructione, vel sensu: ut ap. Cic. Fam. V. 2. *Iuravi verissimum clarissimumque iusiurandum,* i. e. *iurans expressi et exhibui tale iusiurandum;* vel *iuravi tali iurciurando,* seu *secundum, in aut per tale iusiurandum.* Et Ter. And. V. 5. ult. *Hunc scio mea solida solum gavisurum gaudia;* i. e. *Scio hunc suis gaudiis integre exhibiturum in hoc negotio eadem et paria meis,* vel *gavisurum ob* vel *propter mea gaudia.* Vid. ipsum Peris. p. 274, 293, et 305. Neque obstat quod eiusmodi verba passive cum nominativo constructa inveniantur: ut, *Via ambulatur, navigatur mare, Bellum hoc tibi militabitur,* Hor. Epod. I. 23. *Pugna summa contentione pugnata,* Cic. pro Mur. c. 22. etc. Has enim locutiones ex licentia atque abusu a Poetis primum formata, deinde ab aliis recepta, exinde apparet, quod eadem Catachresi dicta reperiamus, *Tota mihi dormitur hyems,* Mart. XIII. 59. *Iam tertia vivitur aetas,* Ovid. Met. XII. 183. *Noctes vigilantur amarae,* Id. Her. XII. 169. In quibus tamen active positis, *Dormio hyemem, Vixit tres aetates, Vigilavi totam noctem,* nemo hosce accusativos, *hyemem, aetates, noctem,* proxime a verbis ipsis, sed a praepositione ad temporis durationem exprimendam adhiberi solita,

Digitized by Google

27. Verba recordandi, quaeque his contraria, quarto
Vel patrio gaudent: memini sed dispare sensu
Accipit aut patrium, vel de mediante Latinum.

I. Verba memoriae et oblivionis, scil. *Recordor*, *memini*, *reminiscor* [18]) et *obliviscor*, promiscue vel Accusativum vel genitivum postulant. Accus. ut, Cic. in Rull. II. 27. *Est operae pretium diligentiam maiorum recordari.* Virg. Ecl. IX. 45. *Numeros memini; si verba tenerem* [19]). Cic. Fam. IV. 5. *Ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt.* Id. pro Ligar. c. 12. *Oblivisci nihil soles, nisi iniurias.* Genit. ut, Cic. in Pis. c. 6. *Ipse certe cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur.* Mart. II. 59. *Ipse iubet mortis te meminisse Deus.* Caes. B. G. I. 11. *Si bello persequi perseveraret, reminisceretur et veteris incommodi populi Romani, et pristinae virtutis Helvetiorum.* Cic. Tusc. III. 30. *Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum* [20]).

II. Memini, pro *mentionem facere*, cum genitivo, vel ablativo et praepositione de, iungitur: ut, Quinctil.

---

régi affirmaverit. Vid. eund. Perizon. p. 308. et seqq. et confer quae nos Part. I. p. 278. n. 51. p. 286. n. 5. et p. 299.

18) Despauterius, p. 272. verbis *memoriae* addit *memoror*, cuius cum genitivo constructi exemplum adfert ex Cic. Catil. IV. *Sui oblitus, alii memoretur*, pro *alius*. Verum ego nil huic simile tota ea oratione reperio, praeterquam c. 19. *Habetis ducem memorem vestri, oblitum sui.* Illa autem, *Memoraberis domini tui*, et, *In die tribulationis commemorabitur tui*, quae ex D. Augustino et Hieronymo idem Despauterius adducit, imitanda non sunt. Eundem cum Despauterio errorem errevit Methodi Auct. qui p. 584. ex eo quem diximus Ciceronis loco, apparere dicit, quam sine ratione Valla reprehenderit illud vulgati Interpretis, Luc. I. 72. *Memorari testamenti sui sancti.*

19) Vossius Gramm. minore, p. m. 54. negat *memini* cum accusativo personae construi debere. At contrarium multis exemplis ostenduut Bangius (referente Ursino, p. 218.) et Auctor Methodi, p. 388. ut, Cic. de Amic. c. 2. extr. *Memineram Paullum, videram Gallum.* Id. Phil. V. 6. *Cinnam memini, vidi Sullam, modo Caesarem.* Id. de Orat. III. 50. *Antipater ille Sidonius quem tu probe meministi.* * Libentius tamen cum Despauterio I. c. *Memento mei, Meminit nostri*, quam *me* aut *nos*, dixerim: et cum Capro de Orthog. col. 2289. *Oblitus ne sis nostri*, quam *nos*.

20) *Decipitur laborum*, ut, *obliviscitur*, cum genitivo construxit Hor. Car. II. 13, 38. Vid. supra reg. 22. Addunt quidam *dememini*, pro *non memini*, ap. Mart. II. 59. At falsa eos lectione niti, locumque ut in textu eum modo protulimus se habere, monuit Vossius, Anal. III. 39. Usus tamen hoc verbo Scriptor alioquin Latinissimus, P. Burmannus, Orat. in obitu Iani Broukhusii, p. 17. *Ut ipsius artificis fere dememinisse videar.*

Digitized by Google

XI. 2. *Neque omnino huius rei usquam meminit Poeta* Id. [21]). *De quibus multi meminerunt* [22]).

Not. 1. *Recordor, et memini*, pro *memoria teneo*, etiam cum ablativo et praepositione de, inveniuntur: ut, Cic. Tusc. I. 6. *Tu si meliore memoria es, velim scire ecquid de te recordere.* Id. Attic. XV. 27. *De Planco memini.* Id. ibid. *Et de Herode et Mettio meminero, et de Herode et Mettio meminero, suspicabor* [23]).

Not. 2. In significatione *recordandi* frequens etiam est phrasis, Venit mihi in mentem; quae sic construitur, *Venit mihi in mentem haec res, huius rei, de hac re:* ut, Cic. Att. XII. 36. *Si quid in mentem veniet.* Id. Fam. VII. 3. *Mihi solet venire in mentem illius temporis, quo fuimus una.* Plaut. Most. I. 5. 114. *Ut lapide atque astute in mentem venit de speculo* [24]).

Not. 3. Haec omnia cum infinitivo, vel alia oratione, pro casibus quos alioqui recipiunt, construuntur: ut, Ter. And. II. 5. 18. *Virginem bona forma memini videre* [25]). Cic. Brut. c. 60. *Nihil turpius, quam quod in scrip-*

---

21) Despauterius, l. c. Alvar. p. 298. Vossius de Constr. c. 28. Ursinus, p. 218. aliique, qui de verbo *memini* hac significatione agunt, hoc unum illius cum ablativo et praepositione constructi exemplum adferunt, quidam Quinctilianum Auctorem simpliciter, alii addito lib. XI. cap. 2. allegantes. Sed neutiquam locum ipsum ap. Quinctil. certe non eo capite, invenio. Neque adhuc qui ita loquutus est Scriptor quispiam alius occurrit.

22) Fallitur igitur Methodi Auctor, qui, p. 389. *Meminisse alicuius*, pro *aliquem memoria tenere; Meminisse de aliquo*, pro *mentionem de eo facere*, tantum dici putet: cum utraque utrique phrasi significatio ex aequo congruat. [Vid. mox in text. Not. 1.] Quin et pro *mentionem facere* acceptae genitivus usitatius adhiberi videtur. Ita enim, praeter Quinctil. modo cit. loquitur Caes. B. Civ. III. 108. *Achillae, cuius supra meminimus.* Plin. Epist. I. 5, 13. *Tu qui huius iudicii meministi.* Et Apul. Apol. p. 558. *Testamentum in quo mei officiosissime et honestissime meminit.* At quam rarum sit hoc sensu, *Meminisse de aliquo*, proxima nota diximus. * *Meminisse aliquem*, pro *eius mentionem facere* (quod dici aliud agens docet Kirkwodus, p. m. 70.) nusquam reperiter. Vid. et Saturn. p. 66. * *Recordor* autem, pro *mentionem facio*, vel *commemoro*, cum accusativo, et eo forte solo, construitur: ut, Cic. Off. II. 8. *Externa libentius in tali re, quam domestica recordor.* Vid. eund. Saturn. p. 101.

23) Addit Vossius, Constr. c. 28. et *Reminiscor de re aliqua.* At id non satis certum: nam in illo Cic. pro Ligar. c. 12. *Spero te de aliis quibusdam Quaestoribus reminiscentem recordari*, malim cum Alvaro, p. 298. voces *de Quaestoribus* ad *recordari*, quam cum Bangio, Obs. 3. ad *reminiscentem* referri. Vid. Ursin. l. c.

24) Hoc exemplo, sine causa de hoc loquendi genere, *Venit mihi in mentem de re aliqua*, dubitare Maiorem de var. orat. p. 270. probat Ursinus, p. 219.

Digitized by Google

tis oblivisceretur, quid paulo ante posuisset. Virg. Aen. IV. 59. *Nec venit in mentem quorum consederis arvis* [26]), [27]).

APPENDIX, *de verbis Vestiendi.*

Induor, accingor, *passivaque talia, quarto*
Saepe solent vates, alii sociare Latino.

☞ Verba passiva [28]) vestiendi, qualia sunt, *Induor, amicior, cingor, accingor;* item, *exuor, discingor* [29]), eorumque participia, saepe apud Poetas accusativo [30]) iun-

---

25) Negat L. Valla contra Ant. Raudensem, p. m. 28. *memini* cum praesente, Agraetius, col. 2268. cum praeterito infinitivi, recte iungi. Sed utrumque magnopere falli multis exemplis ostendit Despauterius, p. 273. ut, Virg. Ecl. I. 17. *De coelo tactas memini praedicere quercus.* Cic. Verr. IV. 14. *Memini Pamphilum hospitem meum mihi narrare.* Gell. XI. ult. *Memini legere me in libro Aristonis.* Et e contrario, Cic. Acad. IV. 19. *Memini Antiochum sententia destitisse.* Id. pro Sext. c. 22. *Memineram C. Marium senile corpus paludibus occultasse.* Id. Verr. II. 73. *Meminero me non sumpsisse quem accusarem; sed recepisse quos defenderem.* Plin. Epist. II. 14, 9. *Ita certe ex Quinctiliano Praeceptore meo audisse memini.* Plura videlis ap. Voss. Constr. c. 52. Goclen. Observ. L. L. p. 30. Borrich. Analect. p. 42. et Cellar. cur. poster. p. 96. at usitatius cum praesente hoc verbum coniungi duo posteriores observant. [Discrimen utriusque constructionis hodie satis notum est. G. St.]

26) Nonnunquam his verbis subiicitur ablativus, vel absolute, vel cum praepositione cum: ut, Plaut. Capt. II. 3, 33. *Istuc ne praecipias: facile memoria memini.* Id. Trin. IV. 3, 10. *Non pudet te — memoria esse oblitum.* Ovid. Pont. I. 8, 31. *Vos animo dulces reminiscor amici.* Cic. pro Cluent. c. 25. extr. *Si cum animis vestris recordari C. Staleni vitam et naturam volueritis.* Plauti etiam est, Capt. II. 1, 51. *Qui fueris et qui nunc sis meminisse ut memineris.* Vid. Ursin. pag. 218. et Maior. de var. orat. p. 269.

27) Horum verborum cum genitivo structuram Ellipticam esse fere omnes consentiunt. Et Sanctius quidem p. 605. Vossius, l. c. aliique, *memoriam*, vel *recordationem*, post priora illa, *memini*, *recordor*, etc. et ante *Venit in mentem*, *memoria* vel *recordatio*, intelligi volunt; simplicius Perizonius, ad Sanct. l. c. *negotium*, vel *quod ad negotium*, sive *in negotio.* * Quin etiam ubi accusativus his verbis additur (cum natura sua non activa sed neutra sint) intelligendam praepositionem *ad*, *quod ad*, κατὰ, docet ibid. idem Perizonius. Addit tamen, si quis hoc verbum *memini* excipere velit, et pro vero etiam habere activo quibusdam certe in locutionibus, se non valde repugnaturum. [Vana haec sunt. G. St.]

28) De horum in voce activa constructione vid. post reg. 30. n. 67.

29) *Velor, tegor, calceor, coronor, spolior,* vix aliter quam cum ablativo reperiuntur.

30) Accusativum hic intelligimus vestimenti vel rei indutae, non vero corporis aut eius partis: quamvis et his quoque accusativus apud poëtas, interdum et alios, adiungitur: ut, Ovid. Met. I. 699. *Pinuque caput praecinctus acuta.* Hor. Car. I. 2, 31. *Nube candentes humeros amictus.* Vid. supra p. 62 n. 47.

Digitized by Google

guntur; apud alios vero ablativo: ut, Ovid. Met. II. 425. *Protinus induitur faciem cultumque Dianae.* Virg. Aen. II. 510. *Inutile ferrum cingitur* [31]). Stat. Th. VI. 832. *Terrificos humeris Aetolus amictus Exuitur.* Sic Virg. Aen. II. 275. *Exuvias indutus Achillei.* Claud. I. 269. *Hyems non frigore torpens, Non canas vestita nives.* Sil. V. 15. *Verum ardens puero, castumque exuta pudorem,* * At cum ablativo, Curtius, VII. 2. 17. *Polydamas veste Arabica induitur* [32]). Liv. VII. 10. *Hispano cingitur gladio.* Cic. de Orat. III. 32. *Eleus Hippias gloriatus est, annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse.* Tac. Ann. XVI. 33. 1. *Exutus omnibus fortunis* [33]).

Verba activa *alium casum una cum* Accusativo *regentia.*

(1) Genitivum *cum* Accusativo *regentia.*

28. *Accuso, absolvo, damno,* cum fratribus, optant
Criminis aut poenae patrium superaddere quarto.
Saepe sed in sextum, modo de praecunte, secundus
Vertitur, interdum dempta quoque praepositura.
Has etiam leges imitantur verba monendi:
Quae quandoque duos videas capientia quartos.

I. 1. Verba accusandi, absolvendi et damnandi, cum accusativo personae regunt etiam genitivum criminis aut poenae.

---

31) Huc refert Priscianus, col. 1159. illud Virg. Aen. IV. 493. *Magicas invitam accingier artes:* mihi potius intelligendum hic *ad* videtur, eodem sensu, quo *Accingi ad opus* vel *operi* quis dicitur, sive (ut Servius interpretatur) *praeparari.*

32) Sed et idem Curtius Poetas imitatus huic verbo interdum accusativum adiungit: ut, IX. 7, 13. *Itaque revocatus vestem fratris, eam ipsam quae in sella posita fuerat, induitur:* et V. 6, 7. *pretiosissima vestium induti.* Item, Plin. XIII. 4. de palma arbore loquens, *Facilis ad scandendum orientis populis praebent, vitilem sibi arboremque induis circulum.* Et Suet. Ner. 51, 3. *Plerumque synthesinam indutus.*

33) Horum omnium Syntaxis Elliptica est: accusativo enim *ad,* seu *quod ad* vel *per,* ablativo *cum* intelligitur. [Vix opus est, ut de huius rationis vanitate verbum dicamus. Res ita habet. Construuntur illa verba in activo vel cum accusativo personae v. c. *accingere aliquem,* vel cum accusativo rei v. c. *accingere gladium.* Unde quando passive usurpantur, utraque constructione coniuncta accusativus rei servatur, et persona per nominativum s. personam verbi indicatur. Vid. Matthiae Gr. Gr. §. 420 — 22. G. St.]

Digitized by Google

Accusandi: *Accuso, ago, appello, arcesso, anquiro, arguo, incuso, insimulo, postulo, alligo, astringo:* ut, Plaut. Truc. I. 2. 58. *Qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet.* Ter. Phor. II. 2. 11. *Si horum insimulabis avaritiae, male audies.* Id. Eun. IV. 7. 41. *Hic furti se alligat.* Plaut. Poen. III. 4. 27. *Homo furti sese astringet* [34]).

Absolvendi: *Absolvo, libero, purgo:* ut, Auct. ad Herenn. II. 13. *C. Caelius iudex absolvit iniuriarum eum, qui Lucilium poetam in scena nominatim laeserat.* Liv. XLI. 19. *Senatus nec liberavit eius culpae Regem, neque arguit* [35]).

Damnandi: *Damno, condemno, infamo, noto:* ut, Ovid. Remed. v. 3. *Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido.* Cic. de Orat. I. 58. *Caeteros non dubitabo primum inertiae condemnare, post etiam impudentiae* [36]).

---

34) Sic Cic. pro Cael. c. 7. *Aliquem ambitus accusare.* A. ad Herenn. I. 12 et 14. *Cum aliquo furti aut iniuriarum agere.* Sall. Iug. 32, 1. *Quos pecuniae captae arcessebant.* Liv. II. 52. *Cum capitis anquisissent.* Cicer. pro C. Rabir. c. 9. *Summi sceleris aliquem arguere.* Suet. Iul. 4, 1. *Dolabellam repetundarum postulavit.* * His adde, *Coarguo, capto, defero, increpo, increpito, interrogo, urgeo:* ut, Cicer. Verr. V. 59. *Aliquem avaritiae coarguere.* Plaut. Amph. II. 2, 189. *Tu ai me impudicitiae captas, non potes capere.* Tac. Ann. XIV. 48, 2. *A Cossutiano Capitone maiestatis delatus est.* Suet. Galb. XV. 4. *Etiam saevitiae populum increpuit.* Sil. IX. 6. *Ac modo segnitiae Paullum increpitare.* Tac. Ann. XIV. 21, 4. *Dum Capitonem repetundarum interrogant.* Id. Ann. VI. 29. *Male administratae provinciae, aliorumque criminum urgebatur.* Item, *Convenire, obstringi, obligari, teneri furti,* ap. vet. ICtos. Taciti etiam est, Ann. XI. 7, 5. *Quem modum egressi repetundarum tenerentur.* * His accenset Ursinus, p. 208. verbum *cito*, exemplum adferens illud Cic. pro C. Rabir. c. 11. *Omnes hi absente capitis C. Rabirii nomine citantur.* At in meis *rei capitis* invenio. * Adiicinut denique Despauterius, p. 263. aliique, *Corripio, reprehendo, criminor, carpo, calumnior:* sed horum cum genitivo constructorum exempla adhuc desidero. Vid. mox Not. 2.

35) Sic Liv. XXVII. 28. *Quibus purgantibus civitatem omnis dicti factique hostilis.* Apul. Apol. p. 544. *Me omnium quae insimulastis abunde purgavi.* Et diverso paullum vocis usu, Hor. Sat. II. 3, 27. *Et morbi miror purgatum te illius.* * Similiter interdum et simplex *solvo* construitur: ut, Cic. pro Sext. c. 7. *Hanc tetram immanemque belluam — solvit subito legum Consul:* et Hor. Car. III. 17. ult. *Cum famulis operum solutis.*

36) Sic Senec. Ep. 22. *Non est quod quisquam illos apud te temeritatis infamet.* Gell. IV. 12. *Si quis Eques Rom. equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, ignobilitiae notabatur.* * His affinia sunt, *Convinco, prehendo, deprehendo, iudico, plector:* ut, Cic. Phil. II. 4. *Teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae.* Plaut. Bacch. IV. 4, 45. *Quem mendacii prehendit manifesto modo.* Apul. Met. IX. p. 289 *Eorum noxae deprehensus.* Liv. XXVI.

Digitized by Google

2. Genitivus criminis, maxime cum his verbis, *Accuso*, *arguo*, *defero*, *postulo*, *appello*, *absolvo*, *damno*, *condemno*, *purgo*, in ablativum cum praepositione de mutari potest: ut, Cic. Att. I. 6. *Non committam posthac, ut me accusare de epistolarum negligentia possis.* Id. Phil. II. 2. *Cutus etiam familiares de vi condemnati sunt* [37]).

3. Ex his multa, ut, *Absolvo*, *libero*, *damno*, *condemno*, etc. crimen poenamve in ablativo sine praepositione admittunt: ut, Liv. II. 8. *Latas deinde leges, quae Consulem regni suspicione absolverent.* Cic. Att. XIII. 22. *Ego librarios tuos culpa libero.* Virg. Ecl. V. 80. *Damnabis tu quoque votis* [38]). Sen. Epist. 91. *Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt* [39]), [40]).

---

8. *Tum Sempronius perduellionis se iudicare Cn. Fulvio dixit.* [Vid. Gronov. ad eund. XXIII. 14.] Apul. Apol. p. 402. *Ut obtentu eius actitulae ipse insimulationis falsae non plecteretur.* * Eadem structura, *Quem ego capitis perdam*, dixit Plautus, Mil. II. 4, 18. *Castigat se ipsum dementiae* Lactantius, lib. VI. Et, *Hic ego me potissimum capitis periclitatum memini* Apuleius, Met. VIII. p. 265. Profert denique Despauterius, p. 269. ex Quinctil. Declam. VI. *In utroque parricidii pecras.* At ea illic verba haud invenio.

37) Item Cic. de Inv. II. 10. *Negare oportebit de vita eius et moribus quaeri, sed de eo crimine quo de arguatur.* Id. pro Sext. Rosc. c. 10. *Ut nomen huius de parricidio deferrent.* Id. Fam. VIII. 8. *Pilius de repetundis eum postulavit.* Liv. XXVI. 38. *Blasius de proditione Dasium appellabat.* Cic. ad Q. Fr. *Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus.* Id. Verr. I. 13. *Quod in M. Attilio, qui de maiestate damnatus est, planum factum est.* Id. pro Sext. Rosc. c. 14. *De luxuria purgavit Erucius.* Liv. VI. 20. *Per Duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos.* * Additur quibusdam praepositio in cum ablativo: ut, Cic. ad Q. Fr. II. 2. *In quo te accuso.* Id. de Inv. II. 10. *In peccato convictus.* Cic. Verr. II. 78. *In manifesto peccatu tenebatur.* Plaut. Cas. II. 8, 71. *Manifesto teneo in noxa inimicos meos.* Gell. VI. 2. *Quum in culpa et in maleficio revicti sunt. In furto, adulterio, scelere deprehensus*, passim dicuntur. * *Libero* cum *a* vel *ab* invenitur: ut, Cic. pro Marc. c. 5. *A scelere certe liberati sumus.*

38) Frequentius cum genitivo dicitur, *Damnatus voti*: ut ap. Nep. XX. 5. 3. Liv. V. 25. VII. 28. X. 37. et XXVII. 45. eodem pacto quo *Voti reus*, ap. Virg. V. 236. De quibus phrasibus videsis Perizon. ad Sanct. IV. 4, 14.

39) Sic id. Senec. de vit. beat. c. 23. *Nemo sapientiam paupertate damnavit.* Et Ep. 71. *Omne humanum genus, quodque est, quodque erit, morte damnatum est.* Claudian. I. 170. *Glacieque niger damnabitur Indus.* Et XLVII. 17. *Et loca continuo Solis damnata vapore.* * Notat Despauterius, p. 269. Boëtium verbum *damno* nove cum dativo posuisse, lib. 1. pros. 4. *Morti proscriptionique damnamur.* Verum ita locatus et Lucretius VI. 1230. *Morti damnatus ut esset.* Eodemque (quod mihi haud dubium videtur) casu Apul. Met. X. p. 853. dixit *mulierem bestiis esse damnatam*, pro quo ICti *ad bestias*. Sic Sueton. Cal. 27, 4.

Digitized by Google

Not. 1. Haec nomina crimen et caput, vel in genitivo, vel in ablativo, sed in posteriore fere absque praepositione, pronuntur: ut, Apul. Apol. p. 402. *Nunquam tam cunctanter hominem extraneum tot tantorumque criminum postulasset*[41]). Suet. Calig. 2. 2. *A Senatu capitis damnatus*

Condemnari ad metalla, ad viarum munitiones; et in Ner. 31, 13. *Damnari ad opus.* Aperte Ovid. Art. II. 387. *Nec mea vos uni damnat censura puellae.* Cui simile facit Heinsius [ad loc.] illud Stat. Th. VI. 82. *Cuncta ignibus atris damnat atrox.* Neque absurde mea sententia quis existimaverit haec sequentia dandi potius quam auferendi casu prolata: Virg. Aen. IV. 699. *Stygioque caput damnaverat Orco.* Sil. XV. 76. *Degeneres animas tenebris damnavit Avernis.* Vall. Flacc. III. 260. *Ut mea fatali damnastis pectora somno!* Lucan. II. 733. *Phariae busto damnantur arenae.* Et IX. 87. *Me cum fatalis leto damnaverit hora.* Sed neque prorsus manifestum est in cit. Virg. loc. Ecl. V. 80. *votis* ablativo efferri.

40) His adde, *Accuso, alligo, anquiro, appello, arcesso, arguo, arripio, astringo, compello, -as, insimulo, multo, noto, obligo, obstringo, postulo, teneor*: ut, Cic. Verr. I. 16. *Suis eum certis propriisque criminibus accusabo.* Id. pro Flacc. c. 17. *Metuit homo doctus et sapiens, ne L. Flaccus nunc scelere se alliget.* Liv. VIII. 33. *Capite anquisitum ob rem male bello gestam de Imperatore nullo ad eam diem esse.* Id. XXVI. 3. *Pecunia anquisitum.* Quinctil. V. 13. *Magna pecunia appellabaris a creditoribus.* Cicer. Off. II. 14. *Ne quem unquam innocentem iudicio capitis arcessas.* Id. pro Rabir. c. 29. *Eodem crimine aliquem in summum capitis periculum arcessere.* Nep. IV. 3, 7. *Nullum erat apertum crimen quo argui posset.* Suet. Iul. 23, 1. *Aliquot criminibus arreptus est.* Cic. pro Sext. c. 50. *Quis fuit, qui non eius voce maculari remp. aequa, si eum audiret, scelere astringi arbitraretur.* Nep. VII. 4, 1. *Hoc crimine ab inimicis compellabatur.* Ovid. Heroid. VI. 22. *Utinam temeraria dicar Criminibus falsis insimulasse virum.* Cicer. de Orat. I. 48. *Vitia hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte, multantur.* Suet. Tib. 42, 4. *Olim ab Augusto ignominia notatus.* Cic. pro Dom. c. 8. *Cum populum Rom. scelere obligasses.* Id. Phil. XI. 12. *Ut is qui nefario patriae se parricidio obstrinxerit, poenae meritas debitasque persolvat.* Tacit. Annal. III. 38. *Acharius Priscus Caesium Cordum postulaverat repetundis.* Cic. ad Q. Fr. II. 3. *Teneri poena.* Et, *Teneri actione furti, crimine peculatus*, etc. ap. ICtos. * Huc referes et phrases illas, *Interrogare, postulare, compellare aliquem lege*, vel *legibus*: ut, ap. Cicer. pro dom. c. 29. et Liv. XXXVIII. 50. Cicer. in Vatin. c. 14. pr. et Fam. VIII. 12. Vid. Cort. ad Sall. Catil. 18, 2. Item, *Cadere causa*, ap. Suet. Calig. 39, 1. et *Cadere crimine coniurationis, repetundarum*, ap. Tac. Ann. VI. 14, 1. et Hist. I. 77, 5. * Valla, Eleg. III. 32. et ex eo Despauterius, p. 267. aliique, docent has voces, *alterq, neutro, utro, utroque, ambobus*, (quibus Linacer, p. 237. addit superlativa et quaedam alia, ut *nullo, alio, omnibus*,) in solo ablativo poni debere; ut dicendum sit, *Teneturne sacrilegii, an furti, an utroque, vel ambobus, vel neutro?* Item, *Accusasne hunc furti, an sacrilegii, an incesti, an omnibus*, vel *an nullo*, vel *an maximo ex iis?* non autem *utriusque, amborum, omnium*, etc. At nulla huius praecepti habenda ratio est absque veterum testimoniis, quae merito hac in re Alvarus desiderat, p. 318 et 321.

Digitized by Google

est. Hor. Sat. II. 3. 278. *An commotae crimine* [42]) *mentis Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem?* Cic. Fam. II. 1. *Si iniquus es in me iudex, condemnabo eodem ego te crimine.* Id. Tusc. I. 41. *Nec ob eam rem capite damnarer.* * At, *capite plectere*, vel *punire*, tantum dicimus [43]) non *capitis* [44]), [45]).

☞ Not. 2. Non omnia verba accusandi, etc. hic locum habent: neque enim *carpo, corripio, culpo, reprehendo, sugillo, taxo, traduco, vitupero, calumnior, cri-*

---

41) *Accuso te criminis*, barbare dici ait Sanctius. At contrarium ostendit Perizonius ad eum II. 3, 3. et IV. 4, 21. exemplo Taciti supra cit. *Male administratae provinciae aliorumque criminum urgebatur.* Cui addit Ursinus, p. 210. illud Apuleii a nobis in textu positum: item ex Cic. pro Rabir. c. 9. *Non intelligis quales viros mortuos summi criminis arguas.* Verum in emendatioribus cod. *sceleris* illic legitur. Quod autem idem Ursinus, post Alvar. p. 318. et Danes. p. 281. adiicit ex Marcello lib. 46. Pandect. *Reo criminis postulato interim prohibet recte pecuniam a debitoribus solvi.* Et Iust. IX. 4, 9. *Cum potentissimi quique rei eius ipsius criminis postularentur; criminis* potius a *reo*, quam a *postulor*, regi videtur: Eodem nimirum tum sensu, tum structura, quo aliquis *agi reus criminis, duritiae, legum spretarum*, ab Ovid. Remed. v. 588. Trist. I. 8, 46. Met. XV. 86. Et *Deferri reus criminis* a Quinct. XI. 1, 979. dicuntur. Clarius illud Tac. Ann. IV. 13, 4. *Eiusdem criminis Gracchus absolvitur.* Et Boet. Cons. Philos. lib. 1. pros. 4. *At cuius criminis arguimur summam quaeris?* Eadem enim horum omnium Analogia.

42) *Capite anquiri, damnari, plecti*, absque praepositione semper dicuntur: Vossius etiam Constr. c. 26. cum generale *criminis* nomen est, abesse semper debere praepositionem docet, dicendumque *Postulare aut accusare crimine, scelere*; non, *de crimine, de scelere.* At *Argui de crimine* dixisse Cicer. de Inv. II. 10. [supra cit.] notat Ursinus, p. 214. * Verbum *multo* cum solo ablativo, omissaque semper praepositione, construitur: ut, *Multare poena, pecunia, bonis, agris*, etc. Vid. ante n. 40. Neque enim illud vulg. Interp. Esd. III. 1, 36. *Multavit gentem argenti talenta centum, et auri talentum unum*, iam imitandum. Vid. Despaut. p. 269 et 335. Nec, *Multo te magnae pecuniae*, quod exempli loco edidit id. Despauterius, p. 268. probati cuiusquam Scriptoris auctoritate fulcitur.

43) *Capitis* tamen *perdere* dixit Plautus non uno in loco. [Vid. Gronov. ad Gell. I. 3. n. 5.] Et *Perielitari capitis* Apuleius. Vid. supra n. 36.

44) Vid. Cic. de leg. III. 20. Suet. Oth. 1, 5.

45) Harum constructionum rationes non sunt difficiles investigatu. Ablativo enim his verbis iuncto, praepositionem de, ubi ea abest, intelligi palam est: genitivis autem, aliquam ex his vocibus, *crimine, peccato, culpa, poena, actione, multa, nomine, causa, ergo*, sensui maxime convenientem subaudiendam esse ostenderunt Voss. l. c. Sanct. et in eum Perizon. p. 566. Ursinus, p. 215, etc. [Scilicet ne in talibus quidem casus nominum pendent ab omissis vocibus; sed ponuntur quia per suam ipsorum naturam indicant rationem, quam cogitari iubet verbi significatio. G. St.]

Digitized by Google

minor, *excuso*, *punio*, *multo*, cum genitivo construuntur. Dicendum ergo, ex. gr. non, *Culpare aliquem pertinaciae*, *reprehendere avaritiae*, *taxare ambitionis*, etc. sed, *Culpare alicuius pertinaciam*, *reprehendere avaritiam*, *taxare ambitionem*. Quae structura interdum etiam invenitur in iis accusandi verbis, quae alioquin genitivum recipiunt. Nam non tantum dicitur, *Accusare adolescentes inertiae*; sed etiam, *Accusare inertiam adolescentium*. Sic enim loquitur Cicero de Orat. I. 58. pr. Et Tacitus Hist. IV. 42. 7. *Incusare segnitiam alicuius*; pro, *aliquem segnitiae*. Porro nec dixero, *Excuso me tibi tarditatis*, *Multo te exsilii*; sed, *Excuso tibi tarditatem meam*, *Multo te exsilio*. Peculiare denique est, *Ago tecum furti*, *iniuriarum* [45]).

☞ Not. 3. Usus Auctorum hic consulendus, auctoritatesque probe distinguendae. Sic, *Accuso* vel *damno furto*, *Arguo mendacio*, non dixerim: quia neminem ita locutum invenio. Similiter, *Increpare aliquem avaritiae*, ap. Suet. Calig. 59. 2. *Notare aliquem incuriae*, ap. Gell. IV. 12. *Castigare se dementiae*, ap. Lactant. lib. VI. observanda potius quam imitanda. Tu potius ita loquare, *Increpare alicuius avaritiam*, *Notare incuriam alicuius*, *Castigare suam dementiam* [47]).

☞ Not. 4. *Accuso*, *incuso*, *insimulo*, interdum cum duobus accusativis inveniuntur: ut, Plaut. Trin. I. 2. 59. *Si id me non accusas.* Ter. Phor. V. 8. 21. *Quae tute dudum coram me incusaveras.* Pleut. Amph. II. 2. 229. *Sic me insimulare falsum facinus tam malum* [48]), [49]).

---

46) Addo Voss. l. c. Alvar. p. 317. Ursin. p. 210 et 215.

47) Sic etiam, *Liberare aliquem culpa*, *Purgare se apud aliquem*, vel *alioui de re aliqua*, dicere malim, quam cum Liv. XLI. 19. *Liberare aliquem culpae*: aut, cum eod. XXXVIII. 28. *Purgare dicti factique hostilis civitatem.* Haec autem, *Urgeri male administratae provinciae*, *Interrogari facti alicuius*, *Infamari temeritatis*, *Plecti falsae insimulationis*, *Perdi capitis*, *Captare impudicitiae*, *Damnatus longi laboris*, auctoribus suis, Tacito, Senecae, Apuleio, Plauto supra cit. et Horatio Car. II. 14, 19. libentius reliquerim, certe non promiscue adhibuerim. Vid. Ursin. p. 215.

48) Alter ex hisce accusativis fere pronomen est, *id*, *illud*, *quod*, et similia. Sic ipse Cic. pro Caecin. c. 1. extr. *Id iurati dicunt*, *quod ego iniuratus insimulo.* Est autem locutio Elliptica, subaudita praepositione *κατὰ*, *circa*, vel *quod ad*.

49) Verbis accusandi, etc. adiiciunt Despauterius, pag. 269. et alii, verba laudandi: ut, *laudo*, *miror*, *commendo*, *probo*: ut, Sil. IV. 260. *Laudabat leti iuvenem.* Iustinian. Instit. III. 2. §. 3. med. *Laudamus quidem Praetoris suae humanitatis.* Virg. Aen. XI. 126. *Iustitiaeque prius mirer.* Sed haec ad Hellenismum referenda, nec temere imitanda

Digitized by Google

II. Verba monendi, *Moneo, admoneo, commoneo, commonefacio*, hoc modo construuntur:

1. Cum accusativo personae genitivum rei accipiunt: ut, Tac. Ann. I. 67. 1. *Milites temporis ac necessitatis monet.* Liv. XXXV. 13. *Qui admonerent foederis eum Romani.* Quinctil. I. 5. *Grammaticos officii sui commonemus.* Auct. ad Herenn. IV. 24. *Cum ipse te veteris amicitiae commonefaceret.*

2. Saepe, pro genitivo, ablativum cum praepositione de habent: ut, Cic. Att. XI. 16. *Ut Terentiam moneatis de testamento.* Id. pro leg. Manil. c. 15. *De quo vos paulo ante admonui.* Id. Verr. V. 42. *Te neque praesens filius de liberorum caritate, neque absens pater de indulgentia patria commonebat?*

3. Interdum duos accusativos [50]) admittunt: ut, Cic. Catil. II. 10. *Sed eos hoc moneo, desinant furere.* Ter. Heaut. II. 3. 112. *Ridiculum est te isthuc me admonere, Clitipho.* Quorum posteriorem passive retinent: ut, Cic. N. Deor. II. 66. *Multa ostentis, multa in extis admonemur* [51]).

☞ Not. Haec verba frequenter cum infinitivo vel subiunctivo praecedente *ut* vel *ne*, construuntur: ut, Cic. Inv. II. 22. *Pietas erga parentes officium conservare monet.* Id. ad Q. Fr. I. 1. 13. *Sed te illud admoneo, ut te ante compares, quotidieque meditere, resistendum esse*

---

supra notavimus ad reg. 22. p. 117. Haec autem Despauterii, *Commendo te pietatis aut pietate, Probo te honestatis aut honestate*, praeter exemplum, quod sciam, dicta sunt.

50) Horum alter plerumque aut pronomen est: ut, *hoc, id, quod*, etc. aut ad numerum vel quantitatem pertinet: ut, *unum, duo, tria, multa, pauca, nihil, nonnihil.* Quare, etsi Cic. Att. IX. 9. *Illud me praeclare admones* dicat: non tamen, *Errorem me praeclare admones; sed erroris*, vel *de errore*, dicturum se Vossius ait, Constr. c. 28 et 40. At, *Scit se non falsa moneri*, dixit Ovid. Met. X. 427. et Plaut. Pseud. I. 2, 17. *Officium vestrum ut vos malo cogatis commonerier.* Citatque, nescio quo Auctore, Iohnsonus, Noct. Nott. p. 32. *Cuius varietatem mutationemque si ex hoc commentario fuerit praemonitus.* Regitur autem hic accusativus rei a praepositione intellecta, quae Graecae κατὰ respondeat. [Vide Matthiae Gr. Gr. l. c.]

51) Verbis monendi duos accusativos sibi iungentibus addunt quidam *hortor* et *cohortor*: ut, Cic. Catil. I. 5. *Quod te iamdudum hortor.* Sall. Iug. 49, 6. *Pauca pro tempore milites hortatus.* At in his praepositio ad longe frequentior est: ut, *Hortor te ad virtutem. Cohortor ad pacem. Moneo* autem vel *admoneo ad virtutem* nullus dixerit. Vid. post reg. 80. n. 75.

Digitized by Google

iracundiae. Hor. Car. IV. 7. 7. *Immortalia ne speres, monet annus* [52]).

(2) Dativum *cum* Accusativo *regentia.*

29. Haec casum ternum cum quarto verba requirunt;
Comparo, do, reddo, narro, nego, vindico, mitto,
*Acquiro, solvo, paro, debeo, polliceor*que:
Aufero cum *demo*, quaeque his conformia, iunge.

Verba comparandi, dandi, narrandi et auferendi regunt dativum cum accusativo.

1. Comparandi: *Comparo, compono, confero, aequo, aequiparo*: item, *Antepono, antefero, praepono, praefero;* et, *postpono, post habeo, postfero*, etc. ut, Virg. Ecl. I. 24. *Sic parvis componere magna solebam.* Cic. Fam. X. 27. *Hoc animo scito esse omnes sanos, ut mortem servituti anteponant.*

2. Dandi: *Do, tribuo, largior, praebeo, ministro, suggero, suppedito.* Quibus affinia sunt verba Reddendi, *Reddo, restituo, retribuo, rependo, remetior;* Acquirendi, *Quaero, acquiro, paro, pario;* Promittendi, *Promitto, polliceor, recipio, spondeo.* Item, *Debeo, solvo, assero, vindico, mitto, relinquo*: et innumera alia; ut, P. Syr. v. 38. *Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.* Senec. Thyest. v. 619. *Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri.*

3. Narrandi: *Narro, dico, memoro, loquor, nuncio, refero*, etc. et his cognata, Declarandi, *Declaro, aperio, expono, explico, significo, indico, monstro, ostendo*, etc. Negandi, *Nego, inficior*; Confitendi, *Fateor, confiteor*, etc. ut, Ter. Eun. V. 5. 28. *Tu isti narrato omnem rem ordine.* Ovid. Her. III. 96. *Et patriae rigida mente negavit opem.*

4. Auferendi: *Aufero, adimo, eripio, eximo, demo, surripio, detraho, excutio, extorqueo*, etc. ut, Cic. Att. III. 5. *Inimici mei mea mihi, non me ipsum, ademerunt.* Senec. Phoen. v. 101. *Eripere vitam nemo non homini potest; At nemo mortem.*

5. His denique addi potest infinitus pene, nec ullis certis classibus comprehendendus verborum activorum numerus: ut, *Facio tibi iniuriam, Habere alicui fidem,*

52) Genitivis verbis monendi subiunctis, ablativum *causa*, vel potius *in re*, vel *negotio*, intelligit Vossius, cap. cit. 28. in fin. [Vid. ad Not. 45. annotata. G. St.]

Digitized by Google

Ago vobis maximas gratias, *Gerere alicui morem*, *Venienti claudere portas*, Ovid. Met. III. 560. *Odi ego aurum*, *multa multis saepe suasit perperam*, Plaut. Capt. II. 2. 7. Plurima denique ex activis et praepositionibus ad, in, ob, prae, sub, composita: ut, *Addo*, *adfero*, *adiicio*, *adiungo*: *Infigo*, *iniungo*, *inscribo*, *insero*, *irrogo*: *Oppono*, *offero*, *offundo*, *obiicio*: *Praecludo*, *praeficio*, *praeparo*, *praescribo*: *Subdo*, *subiungo*, *submitto*, *suppono*, etc. de quibus exempla passim occurrunt [53]), [54]).

Not. 1. *Compáro*, *compono*, *confero*, saepius cum ablativo et praepositione, cum construuntur: ut, Cic. Verr. IV. 54. *Ut hominem cum homine comparetis.* Quinctil. VII. 2. med. *Causam nostram cum adversarii causa componimus.* Cic. Verr. IV. 52. *Conferte hanc pacem cum illo bello* [55]).

---

53) His adde quaedam in quibus accusativus per Ellipsin supprimitur: ut, *Suppliicare alicui*, sc. *genua*. Vid. Despaut. p. 885. *Nubere alicui*, sc. *se* vel *vultum*: flammeo enim Sponsa *nubebat*, h. e. *velabat* vultum. *Imponere alicui* (pro *decipere*) supple *sarcinam*, vel *ridiculi quippiam*. *Detrahere alicui*, sup. *laudem*. *Ignoscere alteri*, nempe *culpam* vel *delictum*. *Prospicio*, *provideo tibi*, sup. *bonum* vel *utile quid*. *Cavere sibi* vel *alii ab aliquo*, puta *malum*. Vid. Voss. Constr. c. 23. init. et 89. extr. et confer Sanct. et in eum Perizon. p. 360, 348, 329, 343, 374, et 318. Addit Voss. eod. c. 39. *Consulere sibi*, sc. *utile* vel *commodum*. *Praelucere alicui*, nempe *facem*. *Cedere alicui*, sc. *locum*. Sed haec verba neutra, non activa esse, adeoque accusativum vi sua nentiquam regere, ostendit Perizon. ad Sanct. III. 3. n. 32. n. 85. n. 22.

54) Quin et pleraque verba activa, cum, una cum actionis obiecto, persona vel res cui ea fit vel acquiritur, significatur, dativum simul et accusativum recipere possunt: ut, *Doce mihi filium*, *Frange mihi panem*, *Legam tibi Virgilium*. *Aptare annulum digito*, Suet. Tib. 73. 5. *Purgare se alicui*, Plaut. Amph. III. 2. 28. *Miscere alicui mulsum*, Cic. Fin. II. 5. *Gaudenti mensae posuere ministri*, Ovid. Met. XI. 119. *At tibi nascenti — Nerunt fatales fortia fila Deae*, Id. Pont. I. 8. 63. Sed in re infinita nimius sum.

55) Dicimus etiam *Comparere res inter se*, Cic. Off. I. 43. * Illud vero Terentii, Eun. IV. 4. 14. *Ne comparandus hic quidem ad illum est*, de infinita distantia dictum volunt; ut *illi*, vel cum *illo*, de qualibet alia. Vid. Ursin. p. 244. * Dicimus etiam non solum, *Aequare*, *aequiparare*, *rem rei*, Liv. XXXI. 7. et V. 23. et Plaut. Trin. V. 2. 2. sed etiam, *Aequare rem cum alia*, i. e. *aequalem facere*. Virg. Aen. I. 193. et, *Aequiparare virtutes suas ad virtutes alterius*, Plaut. Mil. I. 1. 12. Item, *Aequare*, *aequiparare aliquem re aliqua*, i. e. *in ea re se parem alicui praebere*, Liv. I. 53. pr. Cic. Tusc. V. 17. Virg. Ecl. V. 48. * Verbum *Contendo*, pro *comparo* acceptum, easdem cum illo construendi formulas recipit. Invenimus enim *Contendere aliqua inter se*, et *contendere aliquid ad aliquid*, *cum aliquo*, et *alicui*: ut, Gell. II. 23. extr. *Quum autem Graeca comparo et contendo*. Tac. Ann. XIII. 3. 4. *Quibus otiosum est vetera et praesentia contendere*, supple *inter se*. Attius ap. Non. IV. 68. *Video te, mulier, more multarum utier, Ut vim contendas tuam ad ma-*

Digitized by Google

Not. 2. Verba auferendi haud raro ablativum recipiunt, cum praepositionibus, a, ab, de, e, ex: ut, Cic. Verr. IV. 16. *Ab hoc abaci vasa omnia abstulit.* Id. Div. II. 52. *Eripite nos ex miseriis.* Plaut. Trin. II. 2. 68. *De magnis divitiis si quid demas, plus fit, an minus?* Interdum apud Poetas sine praepositione: ut, Virg. Aen. VI. 579. *Vaginaque eripit ensem* [56]). Ovid. Met. XI. 115. *Demptum tenet arbore pomum* [57]).

Not. 3. In quibusdam structura commutatur: ut, *Afflare alicui venenum*, Auct. ad Herenn. IV. 49. *aliquem veneno*, Virg. Aen. II. 649. Ovid. Met. III. 49. *Aspergere labem alicui.* Cic. in Vatin. c. 17. *aliquem labe*, Id. pro Planc. c. 12. *Circumdare oppido moenia*, Id. Tusc. V. 20. *oppidum moenibus*, Id. Fam. XV. 4. *Donare alicui rem*, Hor. Car. IV. 7. 1. *aliquem re*, Cic. Verr. III. 80. *Impertire alicui salutem*, Cic. Att. II. 12. *aliquem salute*, Ter. Eun. II. 2. 59. *Induere sibi vestem*, Cic. Fin. II. 22. *se veste*, Id. de Orat. III. 32. [58]) *Interludere alicui com-*

---

testatem viri. Cic. pro S. Rosc. c. 33. *Quicquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contenditio: ita facillime causa Sex. Roscii cum tua conferetur.* Hor. Epist. I. 10. 26. *Non qui Sidonio contendere callidus ostro Nescit Aquinatem potantia vellera fucum*, etc. ubi *contendere* pro *comparare* seu *conferre* accipi, non (quod post Acronem et Lambinum, voluit Dacierius) pro *pretio* vel *praestantia certare*, pene mihi demonstrasse videtur nobilissimus eius Scriptoris Interpres Torrentius. Frustra autem est Dacierius, qui eius sententiam eo everti existimat, quod *contendere aliquid aliquo*, sine praepositione, nusquam dictum reperiatur: *tò ostro* enim non auferendi hic, sed dandi casu positum statuit Torrentius. Et quid quaeso impedit, quo minus, ut *comparare* seu *conferre aliquid alicui*, ita *contendere* ea notione acceptum eandem structuram admittat?

56) Sic in illo Ter. Adel. II. 1. 44. *Domo me eripuit, domo* ablativo positum existimat Burmannus ad Buchanan. Psal. LX. 7. Clarius Ovid. Met. XIII. 344. *Suaque eripere aede Deam.* Et XV. 136. *Ereptae viventi pectore fibrae.* * Caeterum contrario fere sensu ap. Ovid. Met. I. 358. *Si sine me fatis erepta fuisses*, et ap. Virg. Aen. II. 788. *Fato erepta Creusa*, dicuntur. Altero enim loco *a morte liberata*, altero *e vivis sublata* sive *exstincta* significatur; proindeque hic ablativus, illic dativus adhiberi censendus est.

57) *Abduco, deduco, decutio, deripio, detrabo, eximo, extrabo:* item, *segrego, seiungo, sepono, semoveo, removeo, submoveo*, longe frequentius ablativum petunt, saepius quidem addita, nonnunquam et suppressa, apud Poëtas praesertim, praepositione.

58) Dicitur etiam, *Induere se in laqueum*, Cic. Verr. II. 42. pr. *in captiones*, Id. Divin. II. 17. *in nubem*, Ibid. c. 19. *in florem*, Virg. Geo. I. 188. *in vultus ferarum*, Id. Aen. VII. 20. Quorum exemplo Buchananus noster, Hist. Scot. II. 42. *Nunquam in tantas tenebras se induisset.* Adde supra p. 158. n. 32. et infra reg. 30. n. 67. et adde Budaeum Comment. L. Gr. p. 397. Davis. ad Cic. Divin. II. 17. et Burmann. ad Petron. c. 4. et Quinctil. I. 1. p. 15.

Digitized by Google

meatum, Plaut. Mil. II. 2. 68. *aliquem commeatu*. Caes. B. G. I. 48. *Mactare Deo hostiam*, Ovid. Met. XIII. 185. *Deum hostia*, Cic. in Vatin. c. 6. *Prohibere alicui rem*, Plaut. Curc. V. 2. 7. *aliquem re*, Cic. pro leg. Manil. c. 6. *aliquem a re*, Id. Phil. II. 18. [59]). *Restituere alicui sanitatem*, Plin. XX. 6. *aliquem sanitati*, Id. ibid. [60]), [61]).

☞ Not. 4. Plurima denique sunt, quae dativum permutant praepositione cum suo casu: ut, *Mittere, scribere epistolam alicui*, vel *ad aliquem*; *Imprimere aliquid animo*, *in animum*, et *in animo*; *Inducere soleas pedibus*, et *in pedes*; *intendere telum alicui*, et *in aliquem*, *Rescribere literis*, et *ad literas*; *Suspendere aliquid aliquid arbori*, *in arbore*, *de arbore*; *Incidere aeri*, *in aes* [62]), et *in aere* [63]).

---

59) De hoc verbo, ut et *arceo* et *defendo* similiter constructis, vid. supra p. 116. n. 23. et p. 145. n. 15 et 16.

60) Talia, licet minus frequentia, sunt haec; Ter. Hec. III. 2. 24. *Adiutae iis onera*; pro, *adiuta eos in oneribus portandis*, *Cedere cognomini alicuius*, et *Cedere cognomine alicui*. Vid. Gronov. ad Liv. XXIV. 6. et XXXVII. 58. *Iudicare alicui perduellionem*, et *perduellionis*; pro vulgato, *Iudicare aliquem de perduellione*. Vid. eund. ad Liv. XXIII. 14. et XXVI. 3. *Liberare urbis obsidionem*, pro *urbem obsidione*. Vid. eund. ad Liv. XXVI. 8. et XXXVI. 25.

61) Eiusmodi sunt, quae per Hypallagen dicuntur: ut, Virg. Ecl. III. 43. *Needum illis labra admovi*; pro, *illa labris*. Id. Aen. II. 61. *Dare classibus Austros*; pro, *classes Austris*, etc.

62) Sic, *Committere se alicui*, Cic. pro S. Rosc. c. 40. *in fidem alicuius*, Ter. Hec. I. 2. 33. *aliquem cum aliquo*, Tac. Germ. 10. 7. *omnes inter se*, Suet. Cal. 56. 3. * *Dedere se alicui*, Ter. Aud. V. 3. 26. *in ditionem alicuius*, Plaut. Amph. I. 1. 103. *ad aliquem*, Liv. XXVII. 16. pr. * *Dividere nummos viris*, Cic. Att. I. 18. *in viros*, Plaut. Aul. I. 2. 30. * *Exprobrare vitium alicui*, Ovid. Met. XIII. 69. *in aliquo*, Cic. de Orat. II. 75. * *Imponere onus alicui*, Id. Att. IX. 6. *in aliquem*, Plaut. Bacch. III. 3. 92. * *Includere rem orationi suae*, Cic. Att. I. 10. *aliquem in carcerem*, Id. Verr. V. 55. *in carcere*, Id. Att. II. 1. *inclusus cavea*, Ovid. in Ibin. v. 521. * *Intercertere pecuniam alicuius*, Petron. c. 107. Suet. Vitell. 7. 4. *aliquem pecunia*, Plaut. Pseud. III. 2. 110. *aliquem pecuniam*, Id. Asin. II. 2. 92. Vid. Gronov. Obs. IV. 5. * *Occupare pecuniam alicui*, Cic. pro Flacc. c. 21. *apud aliquem*, Id. Verr. I. 36. i. e. *pecuniam foenori locare*. * *Litare Deum sacris*, Senec. Octav. v. 757. et (quanquam id improbet Servius ad Virg. Aen. IV. 50.) *Litare sacra Deo*, Propert. IV. 1. 24. Stat. Th. X. 838. Senec. Med. v. 1019. Ovid. Fast. IV. 630. Confer Voss. Constr. c. 22. pr. et Broukh. ad Propert. l. c. Addunt et ex Suet. Oth. 8. 6. *Victimas Diti patri caesas litavit*: sed libris melioris notae *victima D. p. caesa lit.* legitur. * *Opponere se periculis*, Id. pro Corn. Balb. c. 10. *ad pericula*, Id. pro Mur. c. 40. * *Referre alicui gratiam*, Cic. Amic. c. 15. *mandata alicui*, Virg. Aen. VII. 267. *ad aliquem*, Caes. B. C. III. 58. *in numerum Deorum*, Suet. Iul. 88. 1. *in numero Deorum*, Cic. Nat. Deor. I. 12.

Digitized by Google

(3) *Duos* Accusativos *regentia.*

30. *Celo* petit geminos, et verba rogantia quartos,
Quaeque *docere* notant: alias sed et omnia formas
Sumere structurae, quas carmine dicere nobis
Haud facile est, glossae monstrabunt rite sequentes.

---

quid, Id. ib. I. 57. *in tabulas*, Id. pro Flacc. c. 9. *in codicem accepti et expensi*, al. *endice*, Id. pro Q. Rosc. c. 2. *aliquem inter cognatos*, Ovid. Heroid. XI. 18. *ad aliquem de re aliqua*, Cic de Orat. I. 56. * *Restituere rem alicui*, Hor. Car. IV. 15. 6. *ad aliquem*, Liv. XXIV. 47. Vid. Gronov. * *Renunciare aliquid alicui*, Cic. Verr. I. 34. *ad aliquem*, Plaut. Bacch. I. 2. 49. * *Vindicare rem sibi*, Cic. Orat. c. 19. *ad se*, Liv. III. 20. *aliquem in libertatem*, Cic. Fam. II. 5. *se ad suos*, Id. pro Rabir. Post. cap. 9. *ab oblivione hominum*, Id. de Orat. II. 2. *fame exercitum*, Curt. IX. 10. 18. Vid. Burmann. ad Vellei. II. 28. p. 245. § His adde plurima cum praepositione ad composita: ut, * *Accingere se operi*, et *ad opus*, Virg. Aen. II. 235. Liv. IV. 2. * *Accommodare ensem lateri*, Virg. Aen. II. 393. *clypeum ad dorsum*, Plaut. Trin. III. 2. 93. *Addere decus rei alicui*, Virg. Aen. I. 592. *diem ad festos dies*, et *diem sacris diebus*, Ovid. Her. XVI. 92. et Fast. I. 14. * *Admovere turres muro*, Liv. VIII. 16. *aliquid ad corpus*, Cic. pro Rab. Post. c. 9. * *Adscribere aliquem civitati*, *in civitatem*, et *civitate*, Cic. pro Arch. c. 4 et 5. * *Affigere aliquem lecto*, Hor. Sat. I. 1. 81. *literam ad caput*, Cic. pro S. Rosc. c. 20. extr. * *Alligare aliquem stipiti*, Plin. VIII. 5. *ad palum*, Cic. Verr. V. 6. * *Applicare navem terrae*, Liv. XXVIII. 17. *ad terram*, Caes. B. Civ. III. 101. * *Appellere classem Ausoniis oris*, Virg. Aen. VII. 38. *Appulit in Italiam classe*, supple *se*, Liv. VIII. 8. *navis terram appulit*, Tac. Ann. II. 24. 3. *Appellitur navis Syracusas*, Cic. Verr. V. 25. *ad nostram villam*, Id. Attic. XIII. 21. *Appellere mentem ad Philosophiam*, Id. de Orat. II. 37. * *Assumere aliquid sibi*, Cic. Off. I. 1. *aliquem in societatem*, Liv. II. 22. Sed infinitum esset omnia persequi: qui plura desiderat, ea ex Methodi Auctore, pag. 567. seqq. Urain. p. 248. seqq. Iohnsoni Noct. Nott. p. 50. seqq. et melioris notae Lexicis, petat.

63) *In marmore incisae sunt literae, in gemma, in lapide, in ligno, in auro;* non autem *in marmor, in gemmam*, etc. e diverso, *in aes*, non *in aere*, dicendum, praecipit Valla, Eleg. III. 18. At hanc distinctionem, ut nulla ratione subnixam, ita prorsus falsam, ostendunt Ascensius in loc. et Despauterius, p. 290. Nam, ut Liv. III. 57. extr. *Leges decemvirales, quibus Tabulis duodecim est nomen, in aes incisas in publico proposuerunt:* et Suet. Iul. 28. 2. *Ac mox lege iam in aes incisa.* Ita Cic. Verr. IV. 65. *Id in aere incisum nobis tradiderunt:* et Plin. Paneg. c. 75. *Quae vos in publica acta mittenda, et incidenda in aere censuistis*, dixerunt. Neque dubium quin pari ratione, quanquam de priore exempla non suppetant, *Incisum in marmor* et *in marmore*, et ita de aliis, dicere liceat. In his autem dativi usus satis est frequens: ut, Suet. de Clar. Gramm. 17. 4. *Marmoreo parieti incisus.* Plin. Paneg. c. 54. *Trabibus aut saxis incidi.* Gell. II. 12. *Leges axibus ligneis incisae.* Hor. Art. v. 399. *Leges incidere ligno.* Ap. Ovid. XV. 813. *Incisa adamante perenni Fata*, sine praepositione, quibusdam codd. legitur, aliis *inclusa* vel *insculpta.*

Digitized by Google

I. *Celo*, cum verbis rogandi et docendi duos admittunt accusativos, priorem personae, posteriorem rei.

1. *Celo*: ut, Ter. Adel. I. 1. 29. *Ea ne me celet, consuefeci filium.*

2. Verba rogandi: *Rogo, oro, exoro, precor, posco, reposco, flagito* [64]): ut, Mart. XII. 25. *Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo, inquis.* Virg. Aen. XI. 362. *Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes.* Hor. Car. II. 18. 12. *Nec potentem amicum Largiora flagito* [65]).

3. Verba docendi: *Doceo, edoceo, dedoceo, erudio* [66]); ut, Cic. in Pis. c. 50. *Quid nunc te, asine, literas do-*

---

64) Sic Ter. Eun. V. 9. 54. *Unum hoc vos oro.* Plaut. Bacch. V. 2. 82. *Hanc veniam illis sine te exorem.* Cic. pro Quinct. c. 31. extr. *Itaque te hoc obsecrat.* Lucan. II. 699. *Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur.* Cic. Verr. IV. 51. *Ut ad Verrem adirent, et eum simulacrum Cereris et Victoriae reposcerent.* * Hoc sensu *lacesso* cum duobus accusativis iunxit Hor. Car. II. 18. 11. *Nihil supra Deos lacesso*, i. e. rogo.

65) His adde Interrogandi verba, *interrogo, percontor, consulo, postulo*: ut, Cic. Tusc. I. 24. *Pusionem quendam Socrates interrogat quaedam Geometrica.* Plaut. Aul. II. 2. 33. *Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.* Id. Menaech. IV. 3. ult. *Ibo et consulam hunc rem amicos.* * De *postulo* nullum exemplum exstare ait Sanctius, II. 5. sub fin. Et certe quod huc adfert Bangius e Plin. Epist. III. 4. *Iterum me iam praesentem advocatum postulaverunt*, prorsus alienum est, cum illic (quod Ursino, p. 279. notatum) duo accusativi eiusdem personae sunt, de qualibus mox dicetur. At satis ad rem appositum est, quod ex Suet. Cal. 18. 7. profert Perizonius, *Commisit et subitos* [Circenses ludos] *quum e Geloclana apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis moenianis postulassent.* * Prisci etiam dicebant, *Exigor pecunias, portorium:* unde ut *Exigo te pecunias, portorium*, dixisse videntur; quae seculum eruditius reiecit. Vid. Nonium, II. 294. in primis vero Gellium, X. 14. Adferunt quidem Despauterius, p. 335. et Linacer, p. 239. ex Cic. de Leg. I. 1. *Te veritatem exigant*; at melioribus omnibus abest pronomen, abesseque debere docet loci sententia. * Caeterum hanc structuram omnino respuunt, *quaero* cum compositis, *vendico, imploro, obtestor, scitor, scisciter, supplico*, et (quod male a quibusdam superioribus accensetur) *peto*. Bina quidem huic illius verbi constructioni firmandae exempla proferunt Despaut. et Linac. locc. citt. unum Taciti, Ann. XII. 14. 2. *Experimentis cognitum est, Barbaros malle Romam petere Reges quam habere* alterum Plinii, III. 1. *Turduli iura Cordubam petunt.* At, praeterquam quod quidam codices, et prior etiam loco accuratiores, *Roma* et *Corduba* exhibeant, haec alia ratione dicta notat Alvarus, p. 329. ea nimirum qua *Petere aliquid in Indos, in Elymaeos, in Carmanos, ad Seras, ad Troglodytas*, idem Plinius dixit, XII. 7. 17. et prooem. eius lib. addita scil. his, quae propriis oppidorum nominibus detrahi solet, praepositione. Cum vulgato autem Interprete Luc. XI. 11. *Quis autem ex vobis patrem petit panem*, nolim dicere.

66) *Addoceo, imbuo, instruo, instituo, informo*, et, si quae alia sunt, praeter iam dicta, docendi verba, nondum cum duobus accusativis constructa invenl. * *Dedoceo* quoque duos accusativos agnoscere negat Sanctius, l. c. at duo in contrarium exempla adfert, post Ursin. p. 277. Pe-

Digitized by Google

eam? Plaut. Trin. II. 2. 91. *Ego istam volo me rationem edoceas.* Stat. Th. X. 501. *Et quae te leges praeceptaque fortia belli Erudiit genitrix* [67]).

II. In his omnibus structura variat. Nam

1. Dicimus etiam, *Celo tibi* [68]) *rem*, et *Celo te de re*: ut, Nep. VII. 5. 2. *Id Alcibiadi diutius celari non potuit.* Cic. Fam. VII. 20. *Bassus noster me de hoc libro celavit* [69].

2. Verba tum rogandi, tum docendi, nomen personae saepissime ablativo tribuunt; haec cum praepositione de, illa cum a, ab vel ex: ut, Plaut. Trin. III. 3. 29. *Ab amico alicunde argentum roges.* Cic. Fam. IV. 13. *Quid tua vita, quid studia a te flagitent, tu videbis* [70]).

---

rizonius, sc. Cic. Fin. I. 6. *Si a Polyaeno familiari suo Geometriam discere maluisset, quam illum etiam ipsum dedocere:* et Stat. Th. II. 409. *Moneo regnorum gaudia temet Dedocetae.* * Porro *Erudire aliquem artes* Poëtis relinquam.

67) Hic vulgo addunt verba monendi et hortandi, de quibus supra p. 163. n. 50 et 51. et mox n. 75. * Perperam vero, et praeter veterum auctoritatem, his adiiciuntur verba vestiendi: ut, *Vestio, induo, cingo, accingo*, etc. Non enim, si *Induitur vestem*, *Cingitur ferrum*, Poëtae, et hos nonnunquam imitati Historici, dicunt, [Vid. supra, p. 167.] inde recte colligitur dici etiam posse, *Induit se vestem*, *Cingit se ferrum*: ut bene iam monuerant Sanctius, II. 5. et Alvarus, p. 331. Vulgati quidem Interpretis sunt, Eccl. XLV. 9. *Induit eum stolam gloriae.* Act. XII. 8. *Calcea te caligas tuas:* et Coloss. III. 9. *Exspoliantes vos veterem hominem.* At firmiori praesidio ad hoc genus dicendi stabiliendum nobis est opus. Neque multo potior Hygini auctoritas, cuius est Fab. 69. *Operuit se pellem leoninam.* Is enim plebeius et incertae aetatis Scriptor, certe ab eo Hygino qui Ovidio familiaris, cuiusque opera a veteribus laudata interierunt, prorsus diversus.

68) Rarissimum hoc loquendi genus, unicoque illo quod mox subiicitur, quantum noverim, exemplo subnixum. Adfertur quidem a Despauterio, p. 335. Alvar. p. 330. et Sanctio, p. 180. ex Terent. Phor. V. 4. 6. *Si hoc celetur patri* [Sanctio *fratri*] *in metu sim:* et a Stephano in Thes. L. L. ex Hirtio Bell. Alex. c. 7. *Quod neque celari Alexandrinis possent.* At priore loco libris melioribus abest *patri*, *fratri* autem sensus non patitur. Posteriore *Alexandrinos* legitur. Vid. Ursin. p. 246. et Perizon. ad Sanct. l. c. n. 3. Apud Ovid. Amor. III. 6. 40. de Nilo, *Qui patriae tantas tam bene celat aquas*, uno Heinsii libro scriptum testatur Burmannus: at plerisque aliis *patriam tantas aquas*, i. e. *originem* vel *fontem.*

69) Ita frequentissime hoc verbum, praesertim passive adhibitum, construitur a Cicerone: ut, pro Deiot. c. 6. extr. *De armis, de ferro, de insidiis celare te voluit;* pro Cluent. c. 66. *Non est profecto de illo venenum celata mater.* Fam. V. 2. *Debes existimare te maximis de rebus a fratre esse celatum.* Vid. Alvar. l. c. [In his *De* est *im Betreff, was angeht*, et *celare* absolute positum est. G. St.]

70) Sic Virg. Aen. XI. 368. *Ipsum obsecremur, veniamque oremus ab ipso.* Plaut. Trin. II. 2. 44. *Res quaedam est, quam volo ego me abs te exorare.* Id. Bacch. IV. 9. 102. *Si me fas est obsecrare a te, pater,*

Digitized by Google

Id. pro Dom. c. 12. *Quid est tam arrogans, quam de rebus divinis collegium pontificum docere.* Sallust. Catil. 48. 4. *De itinere hostium Senatum edocet* [71]): [Facile patet pro diversa constructione diversum esse harum formularum sensum. Aliud est *flagitare aliquem aliquid*

Cic. pro Mur. c. 1. *Quae deprecatus sum a Diis immortalibus, — eadem precor ab iisdem Diis immortalibus.* Id. Verr. IV. 16. *Non debebam ego abs te has literas poscere.* Id. ibid. III. 1. *Legem sibi ipsi dicunt innocentiae, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitae reposcunt.* Item, Auct. ad Herenn. II. 15. *Ab adversariis percontabitur Orator, quid futurum sit.* Cic. Anteq. iret, c. 1. *Illud a vobis postulo.* * Et (quae cum praepositione semper construuntur) *peto, exigo, quaero, scitor, sciscitor:* ut, Cic. Fam. XIII. 7. *A te maiorem in modum peto atque contendo,* etc. Id. de Orat. II. 29. *Quo facilius id a te exigam, nihil tibi a me postulanti recusabo.* Id. de Inv. II. 1. *Zeuxis illico quaesivit ab eis quasnam virgines formosas haberent.* Ovid. Met. I. 775. *Gradare et scitabere ab ipso.* Cic. Nat. Deor. I. 9. pr. *Ab utroque sciscitor, cur mundi aedificatores repente exstiterint.* * At *interrogo, consulo a te,* vix dicitur; sed *interrogo, consulo te de re aliqua,* [Cic. Partit. c. 1. Suet. Aug. 99. 3.] * Haec autem, *percontor, quaero, scitor, sciscitor,* saepius cum ex construuntur: ut, Cic. Brut. c. 46. *Percontari ex anicula quadam.* Ter. Heaut. IV. 1. 45. *Quaerere ex aliquo.* Plaut. Capt. II. 2. 18. *Accede huc, nam sunt ex te quae solo scitari volo.* Cic. Nat. Deor. I. 7. *Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam.* Item, *Quaero de te,* pro *abs* vel *ex te,* Liv. IV. 40. * *Peto* autem *abs te,* non *ex te,* semper dicitur. * Dicimus etiam *Percontari, consulere aliquem de re aliqua,* Cic. Somn. Scip. 1. et de Leg. II. 16. et absolute, *scitor, sciscitor aliquem,* Virg. Aen. II. 114. Suet. Calig. 28. 1. item, *precor, deprecor, consulo, aliquem* vel *aliquid,* Ovid. Met. I. 367. Cic. Fam. IV. 7. extr. Ovid. Fast. IV. 158. Id. Pont. I. 2. 59. Virg. Aen. IV. 64. * *Oro* sp. Comicos interdum cum praepositione cum construitur: ut, Plaut. Rud. III. 4. 68. *Tecum oro senex.* Ter. Hec. IV. 4. 64. *Ego atque oravi tecum, uxorem ut duceres.* * In his autem res quaesita per particulam aliquam indefinitam, *an, num, quomodo, quemadmodum, quid,* sequente subiunctivo, saepissime effertur; quorum exempla passim obvia; saepe etiam per *ut* vel *ne,* sequente eodem subiunctivo: ut, Cic. Att. XI. 1. *Idque ut facias te obtestor atque obsecro.* Ter. Hec. III. 2. 8. *Ne quid sit huius oro.* Confer Alvar. p. 885. Rhenium, p. 874. seqq. Ursin. p. 883. Danes. Paral. p. 300.

71) Sic Cic. Fam. II. 12. *Literae tuae me erudiant de omni republica.* * At *doceo, edoceo,* vix aliter ablativum cum praepositione de adsciscunt, quam cum pro *commonefacere,* aut *certiorem facere,* accipiuntur: qua etiam notione *super* pro *de* usus est Gellius, II. 22. *Petebamus ut super caeterorum nominibus regionibusque nos docere vellet.* Parce autem, vel nunquam, *Docere te de Grammatica* dicendum, recte praecipit Despauterius, p. 334. Invenimus autem *Doctus ad legem,* Cic. pro Mil. c. 4. *ad malitiam,* Ter. Hec. II. 1. 6. *Erudire ad modestiam,* Cic. Tusc. I. 26. *ad institutа maiorum,* Id. Verr. III. 69. Item, *Erudire aliquem in iure civili,* Id. Orat. I. 59. extr. Et, *Doctus, eruditus literis Graecis,* Id. Brut. c. 46. et Orat. II. 7. Vid. supra reg. 14. n. 3 et 5. * In hoc autem Cic. Fam. IX. 22. *Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen,* ellipsin intelligi monet Despaut. p. 335. Qua Ellipsi, *Discere fidibus,* d. Cic. de Sen. c. 8. extr. et *Scire fidibus,* Ter. Eun. I. 2. 58. dixerunt.

Digitized by Google

aliud *flagitare aliquid ab aliquo*: nec recte dixeris *quid studia te flagitent.* G. St.]

5. *Instruo, instituo, formo, informo aliquem artibus.* absque praepositione fere semper dicuntur [72]). Item, *Imbuo aliquem artibus*, vel *praeceptis*; vix *in*, vel *ab artibus* [73]).

☞ Not. 1. Sunt alia verba, quibus gemini accusativi, alter personae, alter rei, iuncti reperiuntur: ut, Ter. Phor. V. 8. 54. *Argentum, quod habet, condonamus te* [74]). Cic. Fam. XIII. 26. *Literas ad te a M. Lepido Consule, non quae te aliquid iuberent, sumpsimus.* Ter. Eun. II. 3. 47. *Scin' quid ego te volebam* [75])?

---

72) Dicimus etiam, *Ad omne officii munus instruere*, Cic. de Senec. c. 9. *In hoc sit instructus*, Quinctil. V. 10. *Instruere ignorantiam alicuius*, Plin. Ep. X. 97. * Item, *Instituere aliquem ad lectionem*, Quinct. I. 7. *ad turpitudines*, Cic. Verr. III. 69. et *Instituere artem aliquam*, Id. de Orat. I. 41. * Sic, *Formare ad studium*, Virg. Geo. III. 168. *Formare mentem studiis*, Hor. Car. III. 24. 54. et *Formare studia alicuius*, Quinct. lib. 1. prooem. * Et absolute *Informare Oratorem*, Cic. Orat. c. 11. i. e. *instituendo perficere.*

73) Saturnius, p. 83. τοῦ *imbuo* cum genitivo constructi exemplum adfert ex Tacito de Orat. 31. 11. *Veteres Oratores Grammaticae, Musicae et Geometriae imbuebantur:* at in libris melioribus *Grammatica, Musica et Geometria* editum est.

74) Eadem ratione passive idem dixit, Eun. Prol. v. 16. *Habeo alia multa quae nunc condonabitur.* Vid. Voss. Constr. c. 21.

75) Sic, *Cogo, circumduco, defraudo, eludo, emungo, interverto, iuvo, adiuvo, adiuto, obiurgo, remitto:* ut, Virg. Aen. III. 56. *Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames?* Plaut. Pseud. I. 5. 114. *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, Eam circumducam lepide lenonem*, al. *Ea:* at vid. Gronov. Observ. IV. 5. p. 73. Varro ap. Non. *Aes defraudasse cauponem.* Plaut. Cure. V. 2. 31. *Annulus quem parasitus hic te eluit.* Id. Epid. III. 4. 58. *Qui me emunxisti mudicum.* Id. Asin. II. 2. 92. *Argentum intervortam et adventorem et Sauream.* Ter. *Non quo me aliquid iuvare posses.* Id. Heaut. V. 2. 29. *Neque me quicquam consilio adiuvas.* Id. Eun. I. 2. 70. *Id, amabo, adiuta me.* Plaut. Merc. Prol. v. 46. *Obiurgare pater haec me noctes et dies.* Ter. Hec. III. 2. 14. *Num si remittent quippiam Philumenam dolores*, al. *Philumenae.* [at vid. Bentlei. in loc.] * His adde verba accusandi et monendi, de quibus supra, p. 169 et 170. Item, *Hortor* et *cohortor*, de quibus etiam, p. 170. n. 51. Caeterum quod illic ex parte notavimus, alter ex his accusativus, pronomen ut plurimum est neutri generis, *id, quid, hoc, illud, aliquid, quidpiam*; aut numerum vel quantitatem exprimit: ut, *unum, multa, pauca, nihil, nonnihil*, et similia. Qualis etiam accusativus aliis interdum verbis adiungitur: ut, Sall. Cat. 27. 3. *Multa de ignavia eorum questus:* et ibid. 45. 4. *Multa prius de salute sua Pontinum obtestatus.* Nep. Epam. 6. 1. *Cum in oratione sua multa invectus esset in Thebanos.* Confer supra, p. 159. n. 15, 16. * De *multo* cum duobus accusativis antea diximus, p. 168. n. 42. * Huc denique referri potest solennis illa apud veteres iurandi formula, *Iovem lapidem iuro.* [Vid. Cic. Fam. VII. 12. et Gell. I. 21.] Item illud Virg. Aen. XII. 197. *Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera, iuro.*

Digitized by Google

☞ Not. 2. Plurima verba activa[76]) sunt, quae duos accusativos sibi adsciscunt ad eandem rem personamve pertinentes: ut Cic. Fam. I. 6 *Praesta te virum.* Ter. Heaut. III. 1. 91. *Me cepere arbitrum.* Iuven. X. 265. *Sed te Nos facimus, Fortuna, Deam.* Ovid. Met. I. 616. *Petit hanc Saturnia munus.* Plin. V. 1. *Africam Graeci Libyam appellavere*[77]).

---

76) Ea nimirum, quae in passiva voce usurpata nominativum sibi utrinque adsciscere supra docuimus reg. 8. qualia sunt, 1. Verba nuncupandi: ut, *Apello, dico, nomino, nuncupo, perhibeo, voco.* 2. Eligendi: ut, *Constituo, creo, declaro, designo, iubeo, lego, deligo, eligo.* 3. Existimandi et cognoscendi: ut, *Censeo, duco, existimo, habeo, puto, reputo, cognosco, comperio, deprehendo, invenio, iudico,* etc. 4. Variae significationis: ut, *Cupio, desidero, peto, postulo, quaero, volo, do, addo, praebeo, iungo, adiungo, facio, efficio, paro, praesto, reddo, fero, affero,* etc.

77) Superest ut de harum constructionum causis nonnihil dicamus. Et I. In verbis duos diversos accusativos adsciscentibus, posteriorem (qui fere rei est) accusativum a praepositione, sive Graeca κατὰ, sive Latina *ad, secundum, circa, ob,* regi, cordatiores Grammatici, Sanctius, Scioppius, Vossius, Perizonius, alii, consentiunt. Ergo, *Celare aliquem librum, Rogare patrem veniam, Doceo puerum Grammaticam;* integre erit, *ad* vel *circa librum, veniam, Grammaticam.* Item, *Obiurgabat haec me pater,* plene erit *ob haec.* [Imo nihil intelligendum. Est potius in his formulis duarum constructionum confusio facta, de qua recte Ursinus disputavit, quem Ruddimannus in seqq. laudat. G. St.] At in his, *Si quid me voles;* et, *Quae te aliquid iubeant,* convenientius videtur intelligere infinitivum *facere,* quod etiam in illo Virgilii, IV. 412. *Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?* non absurde suppleveris. Sed neque naturae aut rationi (quod existimant Sanct. II. 5. sub fin. et Voss. Constr. c. 40. med.) repugnare id censendum est, si quis utrumque interdum accusativum ab eodem verbo regi statuat. „Quid enim impedit, (ut Ursini verbis utar, p. 282.) quo minus unum verbum diverso respectu duos accusativos ita regat, ut unus obiectum, alter effectum; vel unus obiectum personale, alter reale signet? ac proinde, ut divisim *Rogo te, rogo nummos;* et, *Doceo puerum, Doceo Grammaticam:* ita coniunctim, *Rogo te nummos, Doceo puerum Grammaticam,* absque Ellipsi dicatur." Sed quoniam accusativus rei manet etiam in passivo, a quo regi non potest (quod recte urgere Methodi Auctorem, p. 401. idem notat) ut, quemadmodum in hoc, sic in activo, aliunde pendeat, rationi consentaneum est. * In illa autem formula, *Iovem lapidem iurare,* duplex eiusdem praepositionis Ellipsis videtur, *Per Iovem, per lapidem;* vel posteriori accusativo possis supplere *tenens.* Nam (ut Festus rem explicat) *Lapidem silicem tenebant iuraturi per Iovem, haec verba dicentes: Si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis eiiciat, uti ego hunc lapidem.* In hoc autem Virg. supra cit. *Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera, iuro,* duplex est et diversae praepositionis Ellipsis. Plena enim sententia est, *In haec eadem, in quae tu iurasti, iuro et ego per terram,* etc. Vid. Perizon. p. 352. n. 82. [De illo Virgilii: *Quid non mortalia pectora cogis?* non erit dubitatio hodie, ubi de Graeco ἀναγκάζειν τινά τι satis constat. De formula autem *Iovem lapidem iurare* equidem ita sentio. *Iurare Iovem,* ut supra vidimus, idem est quod *Iovem obtestantem iusiurandum dare.* Similiter dictum est *Iurare lapidem, h. e. lapidem obtestando iurare.* Etenim verba neutralis significationis interdum assumunt

Digitized by Google

APPENDIX *ad tres regulas praecedentes.*

31. Quorum vox binos casus activa receptat,
His quoque posterior poterit patientibus addi.

Quorum activa duos casus regunt, eorum passiva posteriorem retinent. Hoc igitur pacto.

1. Passiva accusandi, absolvendi, etc. retinent genitivum vel ablativum: ut, Cic. Verr. IV. 15. *Quod in ipso iudicio, eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur, suspicionem augeret.* Id. Brut. c. 48. *Quo accusante P. Sextius damnatus est ambitus.* Id. pro Cluent. c. 41. *Itaque maiestatis absoluti sunt permulti.* Martial. XI. 80. *Arguimur lentae crimine pigritiae.*

2. Passiva comparandi, dandi, etc. retinent dativum: ut, Cic. Orat. c. 4. *Parva magnis saepe rectissime conferuntur.* Lucr. III. 742. *Dolus vulpibus et fuga cervis A patribus datur.* Caes. B. G. I. 23. *Ea res per fugitivos hostibus nunciatur.* Propert. II. 7. 1. *Eripitur nobis iampridem cara puella.*

3. *Celor*, et passiva rogandi et docendi retinent accusativum rei: ut, Terent. Hec. IV. 4. 23. *Nosne hoc celatos tam diu?* sup. *oportuit.* Liv. XXXVII. 14. *Is primum rogatus est sententiam* [78]). Hor. Car. III. 6. 21. *Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo* [79]).

---

vim activam. Iam utraque formula idem fere significans in unam confusa efferebatur sic: *Iovem lapidem iurare*, ut et ipse deus nominaretur et signum, quo voti ratio atque modus significabatur, indicaretur. Quod denique Virgilii verba attinet: *Haec eadem — terram, mare, sidera, iuro, ista terram, mare, sidera* per appositionem intelligenda sunt, et *Haec eadem iuro* eodem modo dictum, quo *Iovem iurare.* G. St.] II. Ubi uterque accusativus ad eandem rem spectat, vel subaudiendum *esse:* ut in talibus *Iudico te virum*, Ter. Adel. IV. 2. 25. *Iubere aliquem Consulem:* Vel supplenda praepositio ad vel in: ut, *Dabo agrum dotem;* pro *ad* vel *in dotem: Coronam auream donum afferebant;* pro, *in* vel *ad donum.* In quibusdam simplex Appositio videtur: ut in his Ovid. Met. XIV. 292. *Florem Moly vocant superi.* Virg. Ecl. I. 20. *Urbem quam dicunt Romam*, etc. De quibusdam dubites, ex. gr. *Praesta te virum*, utrum per Appositionem exponi debeat, an per Ellipsin verbi esse. *Cepere me arbitrum*, utrum, *ceperunt me esse arbitrum*, an *ad arbitrum.* Grain. p. 287. [Haec merae argutiae sunt. Nam appositionem his inesse facillime intelligitur. G. St.]

78) Sic Ovid. Met. I. 137. *Nec tantum segetes alimentaque debita dives Poscebatur humus.*

79) In his Ellipsin esse praepositionis κατά, vel *quod ad*, modo ostensum. [Nihil ostensum est. Accusativus rei eodem modo servatur, quo in Graecorum lingua fieri solet, ut supra monui. Cfr. Matthiae Gr. Gr. §. 420. sqq. G. St.]

Digitized by Google

4. *Verba personalia* ABLATIVUM *regentia.*

32. Verba volunt sexto pretium. Dabis at sine fixo
In patrio *pluris*, *tanti*, *quanti*, atque *minoris*;
Cum fixo in sexto. Patitur *valeo* quoque quartum.

Pretium rei a quovis verbo [1]) in ablativo regitur: ut, Plin. VII. 5. *Viginti talentis unam orationem Isocrates vendidit.* Plaut. Mil. II. 3. 45. *Non emam vitiosa nuce.* Liv. XXIII. 30. *Multo sanguine ac vulneribus ea Poenis victoria stetit.* Id. XXIX. 37. *Sextante sal et Romae et per totam Italiam erat.*

Exc. Excipiuntur hi genitivi, *tanti*, *quanti*, *pluris*, *minoris* [2]): ut, Cic. Off. III. 14. *Emit homo cupidus tanti, quanti Pythius voluit.* Id. ibid. c. 12. *Vendo meum non pluris quam caeteri; fortasse etiam minoris* [3]).

---

1) Non solum verba, quae aperte emptionem venditionemque significant: ut, *Emo*, *caëmo*, *redimo*, *mercor*, *vendo*, *divendo*, *distraho*, *venundo*, *veneo*, *sto*, *consto*, *liceo*, *liceor*, *licitor*, *addico*, *loco*, *conduco*, *taxo*, *aestimo* (pro *taxo*) *est* (pro *valet*) sed etiam quaevis alia, huc spectantia ut, Varro R. R. III. 17. *Piscinae aedificantur magno, implentur magno, aluntur magno.* Plin. XXXV. 18. *Neminem minoris docuit talento.* Ter. And. II. 6. 20. *Vix drachmis est obsonatum decem.* Lucan. X. 409. *Aere merent parvo.* Iuven. II. 152. *Nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.* Cic. pro Cael. c. 7. *Triginta millibus dixistis eum habitare.*

2) Addo et eorum composita, *Quanticunque*, *quantiquanti*, *tantidem*: ut, Senec. Ep. 80. *Non concupisces ad libertatem quanticunque pervenire?* Cic. Att. XII. 28. *Quantiquanti, bene emitur quod necesse est.* Id. Verr. III. 88. *Ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi vendidisset. Tantivis, quantivis, quantilibet*, sic etiam construi posse, quamvis desint veterum testimonia, agnoscit Alvarus, p. 357. * *Maioris* auctoritate defici, proque eo Classicos *pluris* uti, idem notat ibid. Alvaroque hac in re succinunt Vossius, Constr. c. 29. Rhenius, p. 389. Ursinus, p. 298. et Lowaeus Not. ad Gramm. p. 24. n. 7. At exemplum suppeditat Phaedrus, II. 5. ult. *Multo maioris alapae mecum veneunt:* et (cum substantivum adiicitur) in ablativo, Liv. XXII. 59. *Nec maiori pretio redimi possumus quam hi emuntur.*

3) Sed neque hae voces solum, *tanti*, *quanti*, etc. sed aliae etiam (contra quam docet Laur. Valla, Eleg. III. 1.) in genitivo verbis taxandi et mercandi iunctae inveniuntur: ut, Naevius ap. Cic. de Orat. II. 63. *Quanti addictus? mille nummum* [pretio intellige.] Varro ap. Gell. XV.

† At si substantivum addatur, ablativo tantum utendum: ut, Cic. pro S. Rosc. c. 46. *Domus referta vasis Corinthiis, in quibus est authepsa illa quam tanto pretio nuper mercatus est.* Liv. XXII. 57. *Hic miles magis placuit, quum pretio minore redimendi captivos copia fieret* [4]).

† *Valeo*, cum ad pretium refertur, longe quidem frequentius ablativum recipit: ut, Plin. XXXIII. 3. *Ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis.* Interdum et accusativum admittit: ut Varro, de L. L. IV. 56. *Denarii dicti, quod denos aeris valebant, quinarii quod quinos* [5]).

---

ferunt etiam iidem Scriptores ll. citt. itemque Sanctius, p. 551. illud Columellae, III. 3. *Quem vulgus parvi aeris comparari posse putat.* At alium esse istius loci sensum docet Perizonius in Addend. ad p. 629.

4) *Tantidem* ablativo carere alibi docuimus, ac proinde substantivum hoc casu respuere. * Alvarus etiam pro *pluri pretio*, quod Valla ausus est dicere, *maiori pretio* aut *carius* dicendum mavult, l. c. Ursinus vero, p. 298. quamvis haec praeferat, illud tamen non omnino improbandum censet, tum quia *pluris pretii coquum* dixit Sall. Iug. 85. 39. tum quia absolute *plure* sic usurpatur: ut, *Plure foras venduni*, Lucil. *Plure venit*, Cic. *Plure altero tanto quanto eius fundus est*, Plaut. omnia ap. Charis. col. 84 et 189. itaque, ut *magno*, et *magno pretio*; sic *plure*, et *plure* seu *pluri pretio*, dictum videri. Horatius autem, Sat. I. 6. 14. *Non unquam pretio pluris licuisse*, diversis casibus extulit. Confer Part. I. p. 158. n. 11. * Olim etiam, *quanto*, *tanto*, absolute, pro *tanti*, *quanti* dictum ostendit modo citatus Plauti locus: clarisque illud Plinii, XII. 18. extr. *Tanto nobis deliciae et foeminae constant.* * Hic porro observandum discrimen est inter *Emi equum magno* vel *parvo pretio*, et *Emi equum magni* vel *parvi pretii*. Priore enim illud quod pro equo datur, posteriore autem verum eius valorem, sive laudem vel vituperium, significamus. Sicque hoc Terentii, Heaut. I. 1. 11. *Agrum in his regionibus meliorem, neque pretii maioris nemo habet*, perinde est ac si dicas, *Ager summae fertilitatis*, *Homo magni ingenii.* Confer Sanct. IV. 4. p. 630. et Linac. p. 247.

5) Miror Vossium, Constr. c. 29. p. 406. *valeo* natura sua accusativum requirere, adfirmare: cum verbum natura sua neutrum sit, accusativumque non ex se, sed propter praepositionem ad quae intelligitur, adsciscat. [Uterque erravit. Accusativus per se spectatus ad pretium et valorem indicandum adhibetur. G. St.] Porro hic ipse accusativus (ubi rei alicuius valor desinite exprimitur) rarissime, et forte unico hoc Varronis loco, huic verbo subiunctus reperitur: quanquam Budaeus, Scioppius aliique recentiores frequentius eam loquendi formam usurpent. In his autem quae a Despauttrio, p. 271. adferuntur, Quinctil. lib. 9. *Idem significent atque idem valeant*: et A. ad Herenn. II. 10. *Plus valet sanctio permissione*, diversa paullum est significandi ratio. Diversi prorsus in hac re abeunt Saturnius et Lowaeus, hic enim, Gramm. p. 24. n. 8. *valeo* accusativo frequentius, ablativo rarius, iungi docet: ille autem p. 64. cum accusativo construi interdum notat, at mox id perquam rarum affirmat. Caeterum *valeo*, ut alia pretii verba, genitivos *tanti*, *quanti*, etc. postulat: ut in Digestis; *Tanti valet res, quanti vendi potest.* Item, *Pluris hereditas valeret.* V. Voss. l. c. Ablativum etiam adhibuit Ulpianus Dig. lib. XIX. t. 13. §. 5. de act. empt. *Quasi minimo valeret hereditas.*

Digitized by Google

Not. 1. *Magno, permagno, parvo, paululo, minimo, plurimo* [6]), saepe sine substantivo reperiuntur, ut, Senec. Epist. 17. *Parvo fames constat, magno fastidium.* Cic. Verr. III. 39. *At permagno decumas eius agri vendidisti.* Ter. Eun. I. 1. 29. *Quid agas, nisi ut te redimas captum quam queas Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas.* Cic. Off. III. 12. *Frumentum suum quam plurimo vendituras* [7]).

☞ Not. 2. In quibusdam solam adverbialiter loqui licet, *Emi care, carius, carissime; bene, melius, optime; male, peius, vilius, vilissime:* ut, Brut. ad Cic. Ep. 17. *Valde care aestimas tot annos, quot ista aetas recipit.* Cic. pro Dom. c. 44. *Emit domum prope dimidio carius, quam aestimabat.* Plin. XVIII. 6. *Quicquid per aselium fieri potest, vilissime constat* [8]).

☞ Not. 3. Ablativus pretii non proprie a verbis ipsis, sed ab intellecta praepositione pro regitur, quae etiam nonnunquam, sed rarissime [9]), exprimitur, ut, Liv.

---

6) His adde *plure, vili, nimio:* ut, Cic. ap. Charis. l. c. *Plure venit.* Plaut. Epid. I. 1. 49. *Quanti eam emit?* Th. *Vili.* Plaut. Most. III. 3. 2. *Num nimio emptae tibi videntur?* sc. *aedes.* * De *multo, pauco, dimidio, duplo, paulo, maximo, immenso,* quae adiiciunt Saturnius, I. 9. et Lowaens, p. 24. n. 7. exempla nondum suppeditant. In his autem Cic. Verr. III. 16. extr. *Multo minoris vendidit quam tu;* et Att. XIII. 29. *Ambulatiuncula prope dimidio minoris constabit isto loco, multo* et *dimidio* ablativi sunt defectus, de qualibus supra, p. 97. n. 77. diximus. * De *caro empta* quod est ap. Quinctil. Declam. 9. 9. dubitat Vossius, Constr. c. 47. praeeunte Alvaro, p. 356. quia Cicero, Varro, aliique antiquorum *care* solent dicere; et ap. ipsum Quinctil. ead. Declam. c. 10. *care redemptus legitur.* Diomedes tamen, lib. 1. col. 399. (non diffitente Alvaro) *caro* et *vili* aestimationis adverbia vocat. Et *impenso* [*aere* intellecto] sic adhibuit Horat. Sat. II. 3. 245. *Luscinias soliti impensa prandere coëmptas.* Vid. Ursin. p. 296.

7) Nonnunquam substantivum apponitur, *pretio, aere, impendio,* aut simile: ut, Mart. VI. 66. *Parvo cum pretio diu liceret.* Lucan. X. 409. *Aere merent parvo.* Sic Cic. Verr. IV. 60. *Vendere aliquid parvo pretio.* Et (quod Horatius loc. proxime cit. absolute) plene Caes. B. G. IV. 2. et Cic. Att. XIV. 13. et Liv. II. 9. *impenso pretio,* extulerunt. * *Caro* tamen et *vili* cum substantivis necdum lecta observat Alvarus, pag. 356. * Cum eodem etiam, p. 357. *maiori pretio* vel *carius,* quam *plure* seu *pluri pretio* dicere malim.

8) *Vilissimo* tamen, intellecto *pretio,* adhibuit Ulpianus, l. 2. §. 8. sub fin. Dig. de eo quod cert. loc. *Res stipulatoris vilissimo distracta est;* qua ratione Plautum *Vili emere* dixisse modo notavimus: ubi de *caro emere* aut *vendere* (quod dici negat Rhenius, p. 389.) quid habendum itidem monuimus. * Caeterum diversa formula Plautum, Aul. II. 8. 3. *Pisces indicant caros, agninam caram, omnia care,* extulisse, notat id. Rhenius l. c.

9) Plura hic congerit exempla Sanctius, p. 688. et 684. sed quae parum aut nihil ad hanc rem quadrare videntur: qualia sunt, Plaut. Asin.

Digitized by Google

XXXVIII. 11. extr. *Dum pro argenteis decem aureus unus valeret* [10]). Lucil. ap. Charis. col. 189. *Plure foras vendunt quod pro minore emptum* [11]).

APPENDIX *de verbis Aestimandi.*

33. *Aestimo*, *taxo*, *puto*, quaeque his sunt consona sensu,
Ante dabunt dictos patrios, cum *plurimi*, et *assis*,
Et *magni*, *parvi*, *nihili*, *floccique*, *pilique*,
Et similes. *Aequi facio* cum *consulo* poscunt,
Atque *boni*. Quaedam poteris et ponere sexto.

I. Verba aestimandi, praeter praedictos genitivos, *tanti*, *quanti*, *pluris*, *minoris*, hosce etiam genitivos admittunt, *Magni*, *parvi*, *maximi*, *minimi*, *plurimi*; item, *assis*, *nihili*, *nauci*, *flocci*, *pili*, *teruncii*, *huius* [12]).

I. 8. 20. *Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.* Id. Aul. III. 8. 8. *Pro vapulando abs te mercedem petam.* Caes. B. C. I. ult. *Pecuniam pro iis rebus dissolvit.* Ter. Eun. I. 2. 89. *Heri minas viginti pro ambobus dedi.* Virg. Aen. V. 230. *Vitamque volunt pro laude pacisci.* Neque enim his abesse praepositionem Latinitas patitur. Idem huc adfert insulsum cuiusdam poëtae (quem falso Horatium nominat Ursinus, p. 300.) versiculum, *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Is autem a proletario quodam Scriptore corruptus videtur ex Lucani illo, IV. 227. *Si bene libertas unquam pro pace daretur.* * Notat porro Johnsonus, N. Nott. p. 72. pretio nonnunquam adiici praepositionem ad: ut, *Emere ad viginti minas*, *Ad eam summam emere*, *Ad eam summam offerre.* Quae exempla, duo quidem Ciceronis, tertium et probi scriptoris esse, sed a nullo vel Grammatico vel Lexicographo hactenus, quod ipse deprehenderit, animadversa, is affirmat. [In his *ad* est *gegen*. G. St.]

10) E Seneca, sed loco non indicato, *Aliquando una res pro duabus valet*, profert etiam Ursinus, l. c.

11) Ad structurae huius rationes quod attinet, ablativo pretii intelligendam esse praepositionem pro ex hac Nota 8. satis liquet. [Non video. Ablativus indicat instrumentum quo quid comparatur, emitur, venditur etc. ut non opus sit praepositione. G. St.] In his autem, *Quanti hoc emisti*, *Tanti valet res*, *quanti vendi potest*, Iuv. VII. 187. *Res nulla minoris constabit patri quam filius*, et similibus, praeterea animadvertendum, *aeris pretio*, seu *pondere*, sive inversim *pretii* vel *ponderis aeris*. Vid. Ursin. p. 205 et 297. et adde mox reg. aeq. n. 17. [Probabiliora docuit Matthiae Gr. Gr. §. 341. G. St.]

12) His vulgo addunt *multi* et *maioris*: at de his testimonia desiderari notant Alvarus, p. 324. et Ursinus, p. 202. Interim vide quae de *maioris* diximus, p. 174. n. 2. Et adde illud Varr. R. R. I. 18. *Itaque illorum villae rusticae erant maioris quam urbanae.* * Genitivis hisce adnumerat Despauterius *infiniti*; at nullo Auctore id dictum confirmat. * Sed neque omnibus aestimandi verbis promiscue iunguntur genitivi praedicti. *Pili enim*, *teruncii*, *huius*, cum solo verbo *facio*; *nauci* cum *facio* et *habeo*; *assis* cum *facio* et *aestimo*; *nihili* cum *facio* et

Digitized by Google

Verba autem aestimandi sunt, *Aestimo, existimo, duco, facio, habeo, pendo, puto, taxo* [13]): ut, Cic. Fin. II. 17. *Magni aestimabat pecuniam.* Ter. Heaut. IV. 3. 37. *Tu fortasse quid me fiat, parvi pendis.* Id. And. III. 3. 42. *Merito te semper maximi feci, Chreme.* Plaut. Most. I. 1. 73. *Abiit, neque quod dixi, flocci existimat.* Ter. Adel. II. 1. 8. *Tu quod te posterius purges, huius non faciam.* Senec. Consol. ad Marc. c. 19. *Tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus* [14]).

II. Singularia sunt, Aequi bonique, vel Aequi boni facio; Boni consulo: ut, Ter. Heaut. IV. 5. 39. *Equidem isthuc, Chreme, aequi bonique facio.* Cic. Att. VII. 7. *Tranquillissimus animus meus, qui totum isthuc aequi boni facit.* Senec. Benef. I. 8. *Hoc munus, rogo, qualecunque est, boni consulas* [15]).

III. Interdum verbum *aestimo* ablativos adsciscit, *magno, permagno, parvo, nihilo*: ut, Senec. de Ira, III. 32. *Data magno aestimas, accepta parvo.* Cic. Verr. IV. 7. *Tu ista permagno aestimas.* Id. Fin. IV. 23. *Quia sit non nihilo aestimandum.*

---

pendo; flocci denique cum *facio, pendo* et *existimo*, sociata inveniuntur. Vid. Catull. X. 13. Plaut. Capt. III. 1. 17. Ter. Adel. II. 1. 8. Plaut. Bacch. V. 1. 16. Cic. Div. I. 58. Senec. Epist. 123. Catull. V. 3. Plaut. Mil. II. 2. 13. Ter. Eun. I. 2. 14. Cic. Att. XIII. 50. Ter. Eun. III. 1. 21. Plaut. Most. I. 1. 73. Confer etiam, si libet, Alvar. p. 324. * Genitivis praedictis addi potest *pensi*, praecedente *non, neque, nihil*: ut, Sallust. Catil. 5. 6. *Neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat.* Liv. XXXIV. 31. *Vobis quid faciatis minus pensi est.* Val. Max. I. 9. 3. *Nec pensi duxerat.* Plaut. Truc. IV. 2. 52. *Nec mihi adest tantillum pensi iam, quos capiam calceos*; i. e. *neque iam curo.* * *Facere compendii, facere lucri*, vel conjunctim *compendifacere, lucrifacere*, item *sumptifacere*, quae huc referunt Despaut. p. 271. et Ursinus, p. 203. proprie huius loci non sunt; neque enim haec aestimandi notione dicuntur. Adde mox n. 17. in fin.

13) His adde *sum* et *fio*, pro *aestimor* accepta: ut, Cic. pro Sext. c. 68. *Quis Carthaginiensium pluris fuit Annibale consilio, virtute, rebus gestis.* Id. Fam. XV. 15. *Magni mihi erunt tuae literae.* Id. Amic. c. 16. *Tertius vero ille finis deterrimus, ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis.* * *Curo* perperam his accenseri ex corrupta lectione loci Terentiani, Heaut. IV. 3. 37. iam pridem ante Vossium, Constr. c. 29. docuerat Alvarus, l. c.

14) Sic Sallust. Iug. 32. *Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat.* Cic. Att. XII. 21. *Cum unum te pluris, quam omnes illos putem.* Id. Fam. IV. 5. *In illis rebus exercitus animus callere iam debet, atque omnia minoris aestimare.*

15) Invenimus et ap. Liv. V. 6. *Adeo quicquid Tribunus plebi loquitur, assuestis aequi audire*; i. e. *aequo animo* seu *libenter audire.* Sed hic non satis liquet an *aequi* genitivo singulari, an recto plurali sit positum. Mihi autem ut posterius credam animus magis inclinat.

Digitized by Google

Not. Dicitur etiam, *Pro nihilo habeo, puto, duco* [16], [17].

84. Copia cui verbum dedit aut penuria nomen,
Crebrius exoptat sextum: quandoque secundum.
Ast *ottero, privo, ligo, vestio, libero, solvo,*
Cum sociis, gaudent prope solum sumere sextum.

---

16) Ut, Cic. pro Dom. c. 15. extr. *Dixi apud Pontifices, istam adoptionem pro nihilo esse habendam.* Id. Fin. III. 8. *Omnia quae cadere in hominem possint, despicere, et pro nihilo putare.* Id. Verr. II. 16. *Tu ausus pro nihilo prae tua praeda tot res sanctissimas ducere?* Item cum *videor*: ut, Cic. Fin. II. 13. *Quae Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo.* In hoc autem eiusd. Att. XIV. 9. *Dii immortales, quam mihi ista pro nihilo; sunt*, vel *habentur* intellige. * Idem denique, Tusc. I. 8. *Me esse mortuum nihil aestimo*, dixit: pro quo quidam, sed minus probati codices, *nihili* habent.

17) Horum verborum cum genitivo constructorum ratio sic explicari potest. Primum quae ex hisce adiectiva sunt, ut *magni, parvi, minoris*, etc. supplenda sunt nominibus substantivis, *pretii, aeris, ponderis, momenti*, sensui convenientibus. Substantivis autem, ut *flocci, pili, assis*, etc. (ut et his quorum modo meminimus, *pretii, aeris*, etc.) intelligendum aliud substantivum; idque vel in accusativo, v. g. *rem, hominem, virum*, aut simile, qui in verbo passivo modo finiti transit in nominativum: vel in ablativo a praepositione pro recto; ut *re, pretio, aere, pondere, impendio.* Hoc pacto, *Magni aestimo*, integrum erit, *Aestimo hanc* vel *illam rem, hunc* vel *illum hominem, esse rem* vel *hominem magni pretii.* Sic, *Facere flocci, Pendere nihili*, plene erit, *Facere, pendere rem* vel *hominem flocci* seu *nihili.* Vel aliter, *Aestimo hanc* vel *illam rem, hunc* vel *illum hominem, pro re* vel *homine magni pretii*; Et *Facere, pendere rem* vel *hominem, pro re* vel *homine flocci* vel *nihili*, aut *pro pretio*, vel *pondere flocci* aut *nihili.* Haec Ursinus, p. 205. qui porro addit, cum de hominibus est sermo, potius *homo*, vel specialius, *vir, femina*, quam cum Perizonio communissimum illud ac nimis vagum *res* aut *negotium*, se intellecturum. Tuetur tamen sententiam suam Perizonius, p. 166. n. 2. ac usitatius esse ait et concinnius, quod ad sensum, si phrasin, *Ego te non facio flocci*, supplevoris, *Ego te non facio rem flocci*, potius quam *hominem flocci.* Sed, quod ipse paulo post subiicit, non est tanti haec res ut in controversiam abeat. * Cum dicitur, *Habere, ducere, esse, pensi*, Scioppius ad Sanct. IV. 4. p. 618. *negotii* intelligit: quo, dum commodius quid forte succurrat, interim contentum se fore ait Ursinus, p. 206. * Quod ad formulas attinet, *Aequi bonique facio, Boni consulo*, Vossius Constr. col. 50. quem sequitur Methodi Auctor, p. 423. eas sic interpretatur et explet, *Statuo* vel *censeo esse aequi et boni animi* vel *hominis officium* aut *factum; Consulo boni*, i. e. *interpretor esse boni animi* vel *viri munus* aut *factum.* Guyetus ad Ter. Heaut. IV. 5. 39. p. 164. utrumque per *causa* integrat: quo pacto *aequi* et *boni* neutra erunt, voce *negotii* supplenda. At aptior simpliciorque Perizonii ratio videtur, qui loco modo cit. hoc Terentii, *Equidem isthuc aequi bonique facio*, sic explet, *Facio isthuc rem aequi et boni negotii.* * Eadem ratione exponenda existimem, ap. Nepot. Thrasyb. I. 3. *Quae ille universa naturali quodam bono fecit lucri*: et ap. Plaut. Bacch. II. 2. 6. *Compendi verba multa iam faciam,*

Digitized by Google

I. Verba copiae et inopiae plerumque ablativum regunt.

1. Verba copiae sunt, *Abundo, affluo, exubero, redundo, scateo*[18]): item, *Impleo, compleo, expleo, repleo, saturo, refercio, ingurgito*, et similia[19]): ut, Ter. Heaut. III. 2. 17. *Quasi is non divitiis Abundet, gnatus eius profugit inopia.* Cic. Fin. II. 28. *At miser, si in vitiosa et flagitiosa vita affluaret voluptatibus.* Virg. Aen. I. 729. *Implevitque mero pateram.* Id. Ecl. X. 30. *Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.*

2. Verba inopiae sunt, *Careo, egeo, indigeo, vaco*, pro *careo:* item passiva, *deficior, destituor*[20]): ut, Cic. in Sallust. c. 8. *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere.* Virg. Aen. II. 521. *Non tali auxilio, nec defensoribus istis, Tempus eget.* Cic. Off. I. 2. *Nulla vitae pars vacare officio potest.* Id. pro Cluent. c. 65. *Abundat audacia, consilio et ratione deficitur*[21]).

II. Ex his *egeo* et *indigeo* genitivo frequenter iunguntur: ut, Cic. Fam. IX. 3. *Gravitas morbi, ut medicinae egeamus.* Id. de Orat. I. 54. *Non tam artis indigent, quam laboris.* * Interdum etiam *impleo* et *compleo:* ut, Liv. I. 4. *Celeriter adolescentem suae temeritatis implet*[22]). Cic. Verr. v. 57. *Cum completus iam mercatorum carcer esset*[23]).

---

tibi, i. e. *fecit hanc rem lucri*, *Faciam verba rem compendii.* [Explicationem illam genitivi pretii iam antea reprehendi laudata Matthiae Gr. Gr. §. 341. In his autem *lucri facere*, *compendii facere* genitivus ita explicandus est, ut formulae idem valere existimentur quod *facere ut quid in lucro ponendum vel pro compendio habendum sit.* G. St.]

18) Item, *circumfluo, diffluo, superfluo.* His alii iungunt simplex *fluo*, et cognata, *mano, pluo, roro, stillo*, quibus addi potest et *sudo.* Sed haec ad neutra accusativum vel ablativum cognatae significationis adsciscentia (de quibus supra, p. 152. n. 12.) cum Ursino, p. 300. retulerim.

19) His adiiciunt, *Augeo, macto, satio, cumulo, opulento, onero, premo, opprimo, beo, potior:* de quorum aliquibus mox n. 32. de aliis reg. seq. dicetur.

20) Quibus vulgo adduntur privandi verba, *Privo, orbo, nudo, spolio, fraudo, emungo, viduo:* et vacuandi, *Vacuo, evacuo, exhaurio, inanio, exinanio, depleo*, de quibus mox §. III.

21) De hoc verbo vid. supra p. 138. et ibi n. 74.

22) Ita frequenter alibi Livius loquitur: ut, III. 68. *Ne ita omnia Tribuni potestatis suae implerent.* IV. 41. *Noctemque omnia erroris mutui implesse.* V. 28. *Religionis iustae implevit:* et XXXVI. 12. *Implevit spei socios.* Genitivo usus et Virg. Aen. I. 215. *Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae:* et ipse Tullius, Fam. IX. 18. *Ollam denariorum implere.*

23) Et Plaut. Amph. I. 2. 9. *Erroris ambo ego illos et dementiae complebo:* et Menaech. V. 5. 8. *Parasitus qui me complevit flagitii et formidinis.* * *Expleo* etiam cum genitivo iunxit Virgilius (aut quicunque

Digitized by Google

* Et apud vetustiores, *careo*, *scateo*, *saturo*, *obsaturo*: ut, Ter. Heaut. II. 4. 20. *Omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves; Praeterquam tui carendum quod erat.* Lucret. v. 41. *Ita ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatet*[24]). Plaut. Stich. I. 3. 18. *Hae res vitae me, soror, saturant.* Ter. Heaut. IV. 8. 29. *Ne tu propediem, Ut istam rem video, istius obsaturabere*[25]).

☞ Not. 1. *Careo* et *egeo* apud antiquiores cum accusativo etiam reperiuntur: ut, Plaut. Curc. I. 2. 46. *Quia id quod amo, careo*[26]). Cato ap. Gell. XIII. 25. *Vitio vertunt, quia multa egeo*[27]).

☞ Not. 2. Ablativus cum verbis copiae aut inopiae iunctus, non ab ipsis regitur, sed a praepositione aliqua intellecta, quae nonnunquam et expressa invenitur: ut, Mart. XIV. 12. *Hos nisi de flava loculos implere moneta, Non decet: argentum vilia ligna ferant*[28]). Liv. VII. 1.

---

istius periochae auctor est) Aen. II. 586. *Animumque explesse iuvabit Ultricis flammae.*

24) Et ita prisci sermonis sectator Gellius, I. 17. *Xantippe irarum et molestiarum muliebrium per diem perque noctem scatebat.* Nisi ibi potius cum L. Carrione *satagebat* legendum. Vid. Gronov. in loc. et supra reg. 22. n. 9. et adde Voss. Constr. c. 30.

25) *Abundo* etiam cum genitivo construxit Lucillus ap. Non. IX. 6. *Quarum et ubundemus rerum, et quarum indigeamus:* quae verba citantem Vossium, de Constr. c. 30. miror postea eod. cap. *abundo* cum genitivo negare inveniri, sed solum *abundans;* quod participium est, inquit, in nomen degenerans. Quod idem fere Goclenium affirmasse supra monuimus, p. 108. n. 23. * Notat porro idem Vossius, l. c. *esurio* et *sitio*, pro *careo* sumpta, genitivum similiter additum habere ap. Apul. de Deo Socr. p. 700. *Non quidem fluentum illum fugitivum captat, et fallacis undae sitit, sed verae beatitudinis, id est, secundae vitae et prudentiae fortunatissimae esurit et sitit.* * Huc denique refert Vossius illud eiusd. Apul. Met. V. sub fin. *Cum eius pinnas, quas meo gremio nectarei fontis infeci, praetotonderim:* ut hic *inficere fontis* eadem ratione qua *implere aquae* dicatur. At alii, quibus magis assentior, Hypallagen hic agnoscunt, pro *nectareo fonte mei gremii.*

26) Sic Turpilius ap. Non. IX. 5. *Meos parentes careo.*

27) Sic Plaut. Menaechm. I. 2, 12. *Nec quicquam egeo:* et quibusdam libris, Sallust. Iug. 98, 3. *Pauca munimento egebat*, al. *quaerebat;* praeferentibus priorem lectionem Grutero et Wassio, posteriorem vero (cui et potius accedo) Cortio. * *Scateo* cum accusativo quoque iunxit Plaut. Pers. II. 1, 9. *Id tuus scatet animus.* Sed *id* ibi, pro *ob id*, dictum notat Ursinus, ut in illo Terent. Eun. V. 7, 4. *Nunc id prodeo.* [Vid. p. 154. not. 16.] In prioribus etiam Ellipsin praepositionis esse idem post Vossium, l. c. existimat.

28) Adfert et Vossius, l. c. illud Cic. Acad. IV. 27. *De quibus voluminа impleta sunt, non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo.* At *de quibus* hic alia notione, ac pro *super quibus rebus*, dictum acceperim. Idemque de hoc eiusd. Cic. Orat. I. 19. *Quaerebat cur de prooemiis, et de epilogis, et de eiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri*, existimandum. V. Vallam Eleg. III. 38.

Digitized by Google

Ne quando a metu ac periculis vacarent. Ovid. Heroid. V. 150. *Deficior prudens artis ab arte mea* [29]).

III. Verbis praedictis affinia sunt verba onerandi et levandi, astringendi et solvendi: item, privandi, vestiendi, et alia his similia, quae ablativum fere semper absque praepositione sortiuntur.

1. Verba onerandi et levandi: *Onero, cumulo, premo, opprimo, obruo;* et *levo, exonero:* ut, Virg. Aen. I. 562. *Naves, quae forte paratae, Corripiunt, onerantque auro.* Cic. Att. IX. 7. *Epistola tua non me solum, sed meos omnes aegritudine levavit* [30]).

2. Astringendi et solvendi: *Astringo, ligo, alligo, devincio, impedio, irreto, illaqueo,* etc. item, *solvo, exsolvo, libero, laxo, expedio:* ut, Cic. de Prov. c. 14. *Una atque altera aestas potest totam Galliam sempiternis vinculis astringere.* Virg. Aen. II. 26. *Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu* [31]).

3. Privandi: *Privo, nudo, orbo, spolio, fraudo, emungo:* ut, Cic. Acad. IV. 19. *Tune eam Philosophiam sequere, quae confundit vera cum falsis, spoliat nos iudicio, privat approbatione, omnibus orbat sensibus?* Ter. Phor. IV. 4. 1. *Emunxi argento senes* [32]).

4. Vestiendi: *Vestio, amicio, induo* [33]), *cingo, tego, velo, corono, calceo;* et contraria, *exuo, discingo:* ut,

---

29) Haec verba cum genitivo construuntur eadem Ellipsi qua nomina adiectiva copiam vel inopiam significantia; subaudito scil. cum praepositione, nomine aliquo ablativi casus, *re, negotio, causa, praesentia, ope, copia,* aut simili. Vid. supra p. 110. n. 42. [Minime!]

30) *Levo* interdum cum genitivo construi supra docuimus, p. 116.

31) De *solvo* et *libero* cum genitivo constructis vid. supra p. 165. et illic n. 85. * Qua etiam structura in verbo *dissolvo* usum Tibullum, I. 8, 40. *Bacchus et agricolae magno confecta labore Pectora tristitiae dissolüenda dedit,* notat Broukhusius, pro *dissolvenda* seu *liberanda a tristitia.*

32) His addunt verba augendi et ditandi, *Augeo, macto, dito, locupleto, opulento.* Sed haec melius ad ea quae instrumentum, causam vel modum notant, revocari possunt: quo etiam et alia quaedam hic posita non absurde retuleris.

33) Hoc verbum varie construi supra notavimus, p. 173. et ibi n. 58. Alias enim res in accusativo, persona in dativo ei subiicitur: ut, Cicer. Fin. II. 22. *Ex eius spoliis sibi et torquem et cognomen induit.* Alias res in ablativo, persona in accusativo ponitur: ut, Virg. Geo. IV. 142. *Pomis se fertilis arbos Induerat.* * In his autem, Caes. B. G. VII. 73. *Se ipsi acutissimis vallis induebant.* Ovid. Amor. II. 10, 31. *Induat adversis contraria pectora telis Miles.* Senec. Oedip. v. 341. *Iuvenca ferro semet imposito induit,* et similibus, dubitari potest, an *vallis, telis,* etc. ablativi sint an dativi casus. Pro posteriore nonnihil facit, quod Senec. de Clement. I. 4. *Ita se induit reipublicae Caesar,* dixerit. Ad

Digitized by Google

Cic. N. Deor. II. 57. *Natura oculos tenuissimis membranis vestivit et sepsit.* Plin. XXXVI. 5. *Ut alii calcearent soccis* [34]). Mart. IX. 105. *Peltatam Scythio discinxit Amazona nodo* [35]), [36]).

---

priorem tamen magis inclinat mihi animus, adducto illo Virg. Aen. X. 681. *An sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat*, ita enim legit Servius; atque in aliis plerisque codicibus sic haberi testis Pierius, qui tamen Romano codice *mucroni* scriptum memorat, et ap. Priscian. col. 1206. *mucronem*, quomodo quidem in vetustioribus editionibus, at in Putschiana, *mucrone* et illic et col. 1199. legitur: et hanc veram esse scripturam utriusque loci contextus ostendit. Caeterum anteferendi casu dictum accipit Pierius illud Caes. modo cit. Confer de hoc verbo Alvar. p. 335. et Frischlin. Gramm. p. 210. et supra p. 177. n. 67.

34) Perperam quibusdam codd. *soccos* legitur.

35) Sic Ovid. Met. IV. 590. *Teque his infelix exue monstris.* At Met. VII. 773. *Iamdudum vincula pugnat Exuere ipse sibi.* Itidem Liv. XXXIV. 13. extr. *Exuere se iugo:* et XXXV. 17. *Exuere sibi iugum.* Cum eod. tamen Liv. XXIX. 2. *Exuere hostem castris*, et Caes. B. G. VII. 42. *Exuere hostem impedimentis:* non *Exuere castra* vel *impedimenta hosti*, dixerim. * De verbis vestiendi passivis vid. supra p. 157.

36) His accenseri possunt plurima alia variae significationis verba, ablativo, praepositione omissa, iungi solita: veluti (1) Verba vacuandi, *Vacuo, evacuo, exhaurio, exinanio:* ut, Frontin. Stratag. III. 2, 2. *Vacuatum auxiliis oppidum.* Cicer. in Pis. c. 35. *Civitates omnibus bonis sunt exhaustae.* Hirt. B. Afr. c. 20. *Omnem regionem Africae frumento exinanisse.* Sed et haec inter privandi verba numerare possis. (2) Verba miscendi, *Misceo, permisceo, tempero:* ut, Hor. Art. v. 343. *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.* Id. Car. II. 16, 26. *Et amara lento temperat risu.* Vid. etiam supra p. 144. et ibi n. 14. (3) Verba informandi et instruendi: ut, *Formo, informo, doceo, erudio, instruo, imbuo*, de quibus supra, p. 171. et illic n. 71, 72, 73. (4) Verba excessum, sive exsuperantiam notantia, *Antecedo, anteeo, antesto, antecello, emineo, excello, praecello, praesto, supero, vinco*, etc. ut, Suet. Aug. 43, 1. *Magnificentia spectaculorum omnes antecessit.* Cic. Inv. II. 2. *Aristoteles suavitate et brevitate dicendi praestitit.* (5) Verba facultatem sive potentiam significantia, *Possum, polleo, valeo:* ut, Cicer. pro Quinctil. c. 1. *Ut ego, qui neque usu satis, et ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer.* Dion. Cato Distich. II. 9. *Consilio pollet, cui vim natura negavit.* Cic. Fam. I. 7. *Qui plus opibus, armis, potentia valent.* (6) Verba finiendi, metiendi et pensandi, *Finio, definio, termino; Metior, dimetior; Penso, compenso:* ut, Cic. pro Sext. c. 31. *Imperium populi Rom. orbis terrarum terminis definire.* Virg. Aen. I. 287. *Imperium Oceano, famam qui terminat astris.* Cic. Phil. XII. ult. *Totum huiusce rei consilium, non periculo meo, sed utilitate reipubl. metiar.* Liv. XXXVII. 1. *Veteribus beneficiis nova pensantes maleficia.* Ovid. Her. III. 61. *Tot tamen amissis te compensavimus unum.* (7) Denique, verba ornandi, seu honestandi, et eorum contraria, *Orno, honoro, honesto, decoro, venusto, colo, excolo, floreo:* item, *dehonesto, dedecoro, foedo, inquino, polluo:* ut, Cicer. Phil. II. 11. *Qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam honoraret*, [al. *oneraret*] *alienis.* Stat. Sil. I. 4, 36. *Sperne coli tenuem lyra.* Phaedr. I. 2, 1. *Athenae cum florerent aequis legibus.* Ovid. Met. II. 793. *Afflatusque suo populos, urbesque, domosque Polluit.* Sed haec ad structuram causae, vel modi,

Digitized by Google

¶ Not. Verbis liberandi et solvendi saepe additur praepositio a vel ex: ut, Cic. anteq. ir. c. 4. *Arcem urbis ab incendio ac flamma liberavi.* Liv. XXXII. 5. *Laxare animum a laboribus.* A. ad Herenn. IV. 59. *Solvere belluam ex catenis* [37]).

35. Dant sextum casum *Vescor, fruior, utor, abutor, Gaudeo,* cum *fungor, nascor, communico, dignor, Prosequor, afficio, fido, beo, vincio, dono, Sto, creor,* et *nitor, potior,* cum *spargere, muto, Constat* et *impertit,* quae pluraque prosa recludet; Structurae varius sed in his quoque cernitur usus.

Haec verba singularia, *Utor, abutor, fruor, fungor, potior, vescor,* caeteraque in regula memorata, ablativum postulant: ut, Virg. Aen. XII. 932. *Utere sorte tua.* Cic. Cat. I. 1. *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra.* Id. Phil. VII. 6. *Si pace frui volumus, bellum gerendum est* [38]). Id. Tusc. I. 45. *Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere* [39]). Virg.

---

possis referre. ¶ De his autem Not. Praepositionem interdum addi: ut, Ovid. Met. IV. 309. *Miscere otia cum suis venatibus.* Cic. Orat. c. 28. *Nec suam copiam cum illis duobus generibus temperavit.* Id. Inv. I. 4. *Antecellere aliis in re aliqua.* Ter. Heaut. Prol. v. 13. *Hic actor tantum potuit a facundia.* Plaut. Aul. II. 2, 9. *Valere a pecunia.* Cic. Fin. II. 30. *Compensabitur cum summis doloribus laetitia.*

37) Etiam verbis vestiendi Poetae nonnunquam a vel ab adiiciunt: ut, Ovid. Met. V. 546. *Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis.* Id. Pont. II. 8, 69. *Getici si cingar ab armis.* Eiusdem etiam est Pont. I. 2, 110. *Ossa hec a Scythica nostra premantur humo.* Sed de his aliisque eiusmodi, in quibus ablativus tanquam instrumentum vel causa considerari potest, Vid. infra reg. 53. * Invenimus etiam, ut *Induere se in laqueos,* Cic. Verr. II. 42. pr. ita ap. eund. Verr. V. 58. *Si ex his laqueis te exueris:* et Verr. II. 42. pr. *Quorum ex nullo se unquam expediret.* Item ad Attic. III. 20. *Te ab omni occupatione expediisti:* et Ovid. de Medic. fac. v. 54. *Exue de palea tegminibusque suis Hordea.* * Ap. Hor. Car. I. 27. ult. *Non illigatum te triformi Pegasus expediet Chimaerae,* quidam codd. habent, at plures et meliores *Chimaera.* Sed, et priore illo modo, *Chimaerae,* non ab *expediet,* sed ab *illigatum* pendere videtur.

38) Ut *abutor,* ita aliud ab *utor* compositum, *deutor,* a solo C. Nepote usitatum, construitur, Eumen. II. 3. *Non hoc convenire Antigoni prudentiae, ut sic deuteretur victo,* pro *abuteretur.* * Ut *fruor* sic eius compositum *perfruor:* ut, Senec. Thyest. v. 396. *Leni perfruar otio.*

39) Sic eius composita, *defungor* et *perfungor:* ut, Cic. Fam. X. 24. *Neque ego libenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungar orationis.* Id. pro Marc. c. 10. *Respublica perfuncta est hoc misero fatalique bello.* Addita autem praepositione, *Defungi in hac re cupio,*

Digitized by Google

Aen. I. 172. *Egressi optata potiuntur Troës arena.* Cic. Orat. c. 9. *Quae est in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur.* Lucan. IX. 403. *Gaudet patientia duris.* Hor. Car. II. 4. 19. *Nasci matre pudenda.* Plaut. Mil. I. 1, 51. *Communicabo te semper mensa mea.* Ovid. Trist. III. 14. 51. *Qualemcunque igitur venia dignare libellum.* Cic. Phil. XIV. 11. *Grata eorum virtutem memoria prosequi qui pro patria vitam profuderunt* [40]). Id. pro Mil. c. 28. *Magna laetitia populum Rom. cunctam Italiam, nationes omnes affecit* [41]). Ovid. Met. VII. 545. *Non aper irasci meminit, non fidere cursu Cerva* [42]). Hor. Ep. II. 2. 121. *Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua.* Plaut. Mil. II. 3. 50. *Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico* [43]). Virg. Aen. V. 561. *Hoc iuvenem egregium praestanti munere donat* [44]). Cic. pro Flacc. c. 21. *M. Gratidius legatus actionem se daturum negavit, re iudicata stari ostendit placere* [45]). Hor. Car. IV. 4. 29. *Fortes creantur*

---

dixit Terentius, Phor. V. 8, 82. Sic, *Defungi labore, praelio, certamine, scelere,* etc. i. e. *laborem,* etc. *perficere* seu *finire.*

40) Sic, *prosequi aliquem amore, benevolentia, votis, lacrymis, omnibus officiis,* etc. Exempla e Lexicis pete. * Additur interdum et praepositio cum: ut, Liv. II. 31. extr. *Decedentem domum cum favore ac laudibus prosecuti sunt:* et XXXIX. 55. *Prosecuti cum donis legatos sunt.* Plin. Epist. VIII. 6, 5. *Quod et ipse cum summo honore mentionem eius prosecutus esset.* Vid. Sanct. p. 689. * Alia etiam a *sequor* composita, ablativo sine praepositione, iunguntur: ut, *Assequi coniectura, precibus,* Cic. Verr. III. 89. et de Orat. I. 80. *Consequi memoria,* Id. Verr. IV. 26. *Insequi clamore,* Id. pro Cluent. c. 8. *Persequi bello,* Id. ad Brut. Ep. 5. *Resequi dictis,* Ovid. Met. XIII. 749. Sed haec fere omnia ad instrumentum vel modum referri possunt.

41) Sic *Afficere honore, praemio, beneficio, ignominia, iniuria, morte, sepultura,* etc.

42) De hoc verbo eiusque compositis *confido* et *diffido* vid. supra p. 131. nt 54.

43) Sic *vivo,* Hor. Epist. II. 1, 123. *Vivit siliquis et pane secundo.* Claudian. III. 215. *Vivitur exiguo melius:* et praepositione addita, Ovid. *Vivitur ex rapto:* et Cic. Fam. IX. 17. *De lucro iam quadriennium vivimus.* * His addunt *alo,* et *nutrio:* ut Lucret. IV. 634. *Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur.* Ovid. Remed. v. 807. *Nutritur vento, vento restinguitur ignis.* Sed hi ablativi ad causam vel instrumentum rectius referri videntur.

44) Atque ita, eodemque sensu, construi videtur *Largior* in illo Plauti, Pers. II. 3, 13. *Nunc amico homini bobus domitis mea ex erumena largiar.* Vid. Voss. Constr. c. 48. qui ut *dono bobus,* ita et *largior bobus, cum* utrobique intellecto dictum putat. Hoc tamen interest discriminis, quod *Dono tibi bobus,* nusquam invenimus, sed *Dono tibi boves,* vel *Dono te bovibus.* Vid. mox Not. 8.

45) Sic id. Cic. pro Cluent. c. 47. *Utrque Censor Censoris opinione standum non putavit.* Liv. VIII. 40. extr. *Nec quisquam aequalis illis temporibus Scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur.* Id. XXI. 19.

Digitized by Google

fortibus et bonis [46]). Claudian. VIII. 219. *Virtute decet, non sanguine niti* [47]). Virg. Ecl. V. 40. *Spargite humum foliis* [48]). Hor. Ep. I. 1. 100. *Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis* [49]). Quinct. II. 17. *Medicina, ut quibusdam placet, tota constat experimentis.* Suet. Ner. 37. 7. *Neque advenienti, neque proficiscenti, quenquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem.*

☞ His addi possunt, *Assuesco, amplector, complector, comprehendo, incesso, insector, munero, remuneror, supersedeo.* Item, *glorior, laetor, oblecto, delector, laboro,* pro *male me habeo, conficior, conflictor, pericliter, pascor, epulor*: quorum tamen pleraque ad regulam instrumenti, causae et modi revocari possunt, ut, Cic. Orat. III. 15. *Assuescere labore* [50]). Id. pro Q. Rosc. c. 12. *Amplecti verbis.* Id. pro Marc. c. 5. *Complecti benevolentia.* Id. Orat. I. 54. *Comprehendere memoria.* Tac. Ann. III. 41. 4. *Incessere telis.* Cic. Fin. II. 25. *Insectari maledictis* [51]). Id.

Etsi priore foedere staretur. Vid. eum XXVIII. 45. et XXXIV. 22. Hinc illae locutiones, *Stare decreto, pacto, promissis, conventis, conditionibus,* [Vid. Voss. Constr. c. 48.] quae omnia ablativi, non (quod multi idiotismo sermonis vulgaris decepti existimant) dativi casus sunt. * Eodem et casu *Maneo* sic acceptum construitur ap. Virg. Aen. II. 160. *Tu modo promissis maneas, servataque serves Troia fidem*: et Aen. VIII. 643. *At tu dictis, Albane, maneres.* Pro quo, praepositione addita, Cic. Verr. I. 6. *Manere in conditione atque pacto*: et Mela, I. 7. *Postquam in eo quod convenerat, non manebatur.*

46) De participiis ab hoc verbo *creor,* ut et *nascor,* aliisque, descendentibus, similiter cum ablativo constructis, dictum supra, n. 19. * Ovidius etiam activum *creo* cum ablativo, absque praepositione, adhibuit, Met. VI. 126. *Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit;* pro *ex equo,* vel *ex se in equum mutato.* * Aliter vero his verbis *creo, creor,* et *nascor,* ut et *orior, gigno, genero, procreo,* et similibus, apud prosa saltem scribentes semper additur praepositio: ut, Cic. Tusc. I. 28. *Principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit. Omnia creata sunt ex nihilo.* Cicer. l. c. *E principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest.* Ovid. Met. I. 431. *Ab his oriuntur cuncta duobus.* Cic. de Univ. c. 8. *Animum ex sua mente et divinitate genuit Deus.* Tac. Hist. I. 16, 3. *Generari et nasci a Principibus fortuitum est.*

47) Sic *subnitor,* vel eius participium *subnixus,* construitur: ut, Liv. XXV. 41. pr. *Qui Annibalem subnixum victoria Cannensi repulisset.* At *innitor rei alicui, re aliqua,* et *in re aliqua* dicimus. V. p. 142. supra.

48) Ita et eius composita: ut, Cicer. Nat. Deor. III. 36. *Hostiam immolare noluit, ne aram sanguine adspergeret.* Id. pro Planc. c. 41. *Complexus est, conspersitque lacrymis.*

49) Sic *permuto*: ut, Hor. Car. III. 1, 47. *Cur valle permutem Sabina Divitias operosiores.*

50) Vid. supra reg. 25. n. 71.

51) Eadem ratione qua *Insequi saxum morsibus,* Ovid. Met. XIII. 568. Vid. paulo ante n. 39.

Digitized by Google

pro Dejot. c. 6. *Munerare re aliqua.* Caes. B. G. I. 34. *Remunerari praemio.* Cic. Inv. I. 20. *Supersedere verborum multitudine* [52]). Sic, *Gloriari alienis bonis, Laetari omine* [53]), *Oblectare se ludis, Delectari literis, Laborare febri, Confici moerore, Conflictari morbis, Periclitari capite, Pasci cibo mendicato,* Ovid. Trist. V. 8. 14. *Epulari dapibus opimis,* Virg. Aen. III. 224. [54]).

Not. 1. *Potior, fungor* et *vescor,* interdum accusativum accipiunt; et apud vetustiores etiam *utor, abutor* et *fruor*: ut, Cic. Tusc. I. 37. *Ego cur doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem* [55]). Tac. Ann. III. 2. 1. *Ut suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur* [56]). Tibull. II. 5. 64. *Sic usque sacras innoxia laurus Vescar* [57]). Ter. Adel. V. 3. 29. *Mea, quae praeter spem evenere, utantur sine* [58]). Id.

---

52) Vid. supra reg. 25. n. 50.

53) Ita eius contraria, *tristor, contristor, doleo* et *indoleo* nonnunquam construuntur. Vid. supra p. 68. n. 48. et p. 134. n. 60. * De *laetor* cum genitivo Vid. p. 121. et not. ibi 28.

54) His adiiciunt, (1) *Sterno, condio, perfundo, permuleeo*: ut, Virg. Aen. IX. 666. *Sternitur omne solum iaculis.* Sic *Condire cibum sale, Perfundere animum gaudio, Permulcere aures voluptate.* Sed haec aliaque his similia ad regulam instrumenti, causae vel modi potius referenda sunt. Parque in his adiectivis structurae ratio est, *Distentus lacte, Redimitus sertis, Delibutus gaudio, Obsitum nubibus coelum, Perditus egestate, Fultus benevolentia alicuius, Loca septa situ,* Virg. Aen. VI. 462, etc. (2) Item, *Abire magistratu, Abdicare se magistratu, Evertere omnibus fortunis*: in quibus ablativus a praepositione verbis ipsis inhaerente pendere dici potest.

55) Adferunt alia e Cicerone loca, sed quorum controversa lectio est. Vid. Voss. Constr. c. 22. Caeterum accusativo cum hoc verbo usi, non tantum Plaut. Rud. I. 3, 7. *Potiri laborem.* Ter. Adel. V. 4, 22. *Hic potitur gaudia,* et Lucr. III. 1051. *Sceptra potitus*: sed etiam Nepos, XVIII. 3, 4. *Potiri summam imperii.* Tacit. Ann. XI. 10, 8. *Potitus regiam.* A. B. Afr. c. 47. *Castra potiri*: et Iustinus non uno in loco, ut XXXVII. 1, 4. *Potiri administrationem regni.* XII. 7, 10. *Potiri regnum.* VI. 4, 8. *Potiri victoriam.*

56) Sic, *Hominum officia fungi,* ap. eund. Ann. IV. 38, 1. *Quo religiosius et minore cum molestia Senatoria munera fungerentur,* ap. Suet. Aug. 35, 4. *Petita venia commendatisque qui suam vicem fungerentur,* ap. eund. ibid. 45; 2. Et *Datames militare munus fungens,* ap. Nepot. XIV. 1, 4. Ut praeteream Plautum et Terentium ita saepius loquentes. Vid. Voss. l. c. et Iohnson. N. Nott. p. 74. * Sic *defungor* construit Tibullus, III. 3, 9. *Praemensae defunctus tempora lucis*: ita enim legit Broukhusius; alii *permenso tempore.*

57) Sic Phaedr. I. 31, 11. *Qui regnum adeptus coepit vesci singulas.* Tac. Agric. 28, 3. *Eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum mox sorte ductos vescerentur.* Plin. VIII. 50. *Si caprinum iecur vescentur*: qui, testante Vossio, crebro sic loquitur. Confer Broukhus. ad Tibulli l. c.

Digitized by Google

And. Frol. 5. *In prologis scribundis operam abutitur* [59]). Id. Heaut. II. 4 21. *Non licere meo modo ingenium frui* [60])!

☞ Not. 2. *Potior* etiam frequenter genitivum admittit: ut, Cic. Fam. I. 7. *Si explaratum tibi sit, posse, te illius regni potiri.* Sall. Cat. 47. *Se tertium, cui fatum foret urbis potiri.* Caes. B. G. I. 3. *Totius Galliae esse potiri posse sperant*[61]). * Et Potiri rerum, pro *summam imperii administrare*, semper dicimus, non *res*, aut *rebus*: ut, Cic. pro S. Rosc. c. 25. *Dum civitas Atheniensium rerum potita est* [62]).

☞ Not. 3. In aliis quoque constructio variatur. Nam, *Dono te equo*, dicimus, et *Dono tibi equum. Aspergere sale carnes*, et *Aspergere salem carnibus. Impertire aliquem salute*, et *alicui salutem.* Et, *communicare*

---

58) Sic Plaut. Asin. I. 3, 47. *Caetera quaeque volumus uti, Graeca mercamur fide.* Id. Poen. V. 3, 128. *Profecto uteris, ut voles, operam meam.* Cato ap. Gell. XIII. 22. *Si quid est quod utar, utor.* Confer Charis. lib. V. col. 266. Diomed. col. 300. et Sanct. III. 3. extr.

59) Ita saepissime Plautus: ut, Becch. II. 3, 126. *Abuti auxum.* Trin. III. 2, 56. *Abuti rem patriam*, etc.

60) Addit Ursinus, p. 309. illud Plauti Asin. V. 2, 68. *Ut einat sese alternás cum illo noctes hanc frui:* at libris emendatioribus *hac* invenio. * *Fruiscor* quidem, sive *fruniscor*, verbum antiquum ab *fruor* deductum, veteres illi nunc accusativo nunc ablativo iunxerunt: ut, Claud. Quadrig. ap. Gell. XVII. 2. *Domus suas quemque ire iubet, et sua omnia frunisci.* Plaut. Rud. IV. 3, 73. *Hinc tu, nisi malum, frunisci nihil potes.* Metell. Numid. ap. Gell. l. c. *Summa gloria fruniscor.* Confer Nonium, II. 343.

61) Sic Sall. Iug. 25, 10. *Uti prius quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur.* A. ad Herenn. IV. 25. *Athenienses potiti sunt Spartiatae.* Hirt. de B. Afr. c. 61. *Partim occiderunt, partim vivorum potiti sunt.* Tac. Ann. IV. 3, 4. *Postquam primi flagitii potitus est:* et Ann. XIII. 6, 1. *Pulso Rhadamaesto, qui saepe regni eius potitus.* Et ita frequenter Nepos, ut X. 5, 5. *Totius eius partis Siciliae potitus est.* V. 1, 4. *Classis hostium est potitus.* XVII. 2, 1. *Simulatque imperii potitus est.* Sallustius Iug. 75. extr. utrumque casum secundum et sextum una sententia miscuit, *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti.* Ita enim legendum contendit doctissimus Cortius. Plautus autem sensu passivo, *Potiri hostium*, pro *in hostium potestatem venire*, Capt. I. 2, 41. et III. 5, 104. et Epid. IV. 1, 35. dixit: et voce activa Amph. I. 1, 28. *Eum nunc potivit pater servitutis*, pro *servum fecit.* Etiam ap. Terent. Phor. III. 1, 5. *Ne quid propter tuam fidem decepta potiretur mali*, se legisse testatur Donatus, additque hoc verbum *ἐκ τῶν μέσων* fuisse: at plerique illic codd. *pateretur* habent. Confer Part. I. p. 288. n. 14. * Caeterum in his, *Potiri rerum, regni*, etc. Sanctius, p. 590. *imperio* intelligit; et Perisonius vocem communioris usus et significationis *negotio.* [Inepte!]

62) Vid. L. Vallam Eleg. III. 34.

Digitized by Google

rem aliquam cum aliquo; raro, *aliquem re aliqua*: nunquam vero, *Communicare rem aliquam alicui* [63]).

---

63) Adferunt quidam e Cic. pro Cluent. c. 47. *Iudicia alicui communicare*: et ex Caes. B. Civ. III. 18. *Quibus communicare de maximis rebus Pompeius consueverat.* At illic, omnibus quos viderim libris, *Iudicia cum equestri ordine communicata* legitur; hic *quibuscum* scribi iubet Io. Fr. Gronovius, quomodo et recentioribus quibusdam editum est. Vid. Cellar. cur. poster. p. 175. Addit And. Borrichius, in vindiciis suis Latin. purioris adversus Cellar. ex Liv. XXII. 27. *Sibi communicatum imperium.* „At (quod reponit Cellarius, Iudic. de istis Vind. p. 31.) voculas *cum illo* praetermisit. Fabium enim Dictatotem obliqua oratione Minucio aequalis imperii Magistro equitum dixisse refert, *Sibi communicatum cum illo, non ademptum imperium esse.* Non ergo (subiicit Cellarius) *sibi*, sed *cum illo* pendet a *communicatum.*“ Quae postrema eius verba quid velint, me haud perspicere plane confiteor. Mihi enim utrumque et *sibi* et *cum illo* a τῷ *communicatum* pendere videntur. Quid enim aliud notat *communicare* quam *commune facere*? qua autem pacto quid *commune*, nisi inter plures, esse possit? Proinde, ut in his Ciceronis, Fam. II. 10. *Qui mons mihi cum Bibulo communis est*: et pro Cael. c. 24. *Pariet qui cum Q. Catulo fuerat ei communis*: et Attic. XI. 1. *Haec periculа mihi communia sunt cum caeteris*, dativi aeque atque ablativi cum praepositione a voce *communis* pendent, ita in illo Livii loco de voce *communicatum* est existimandum. Sic id. Cic. pro Q. Rosc. c. 10. *Panurgus fuit Fannii* [servus;] *is fuit ei cum Roscio communis.* Et mox, *Hic primum questus est non leviter Saturius communem factum esse gratia cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannii.* Poterat dixisse, *Questus est Saturius, Fannio communicatum esse cum Roscio servum qui proprius fuisset Fannii*, hoc est, *communem Fannio et Roscio factum, qui antea proprius Fannii fuisset*: quomodo Plinius loquitur, XII. 22. *Calamus odoratus communis Indis atque Syriae est*: ubi vocem *communis* cum utroque dativo ex aequo congruere patam est. Sed neque viro in his litteris longe maximo Io. Fr. Gronovio usquequaque assentiri possum, qui Observ. II. 6. p. m. 256. postquam negasset, „hactenus apud Ciceronem, neque quenquam eius aevi, inventum *communicare* eum dandi casu illius qui quid cum altero commune accipit, mox subdit, Nam quod ex Tullio addit [Gifanius] Brut. c. 78. *Id aut creptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum*, fugit eum ratio. Etenim auferendi casus una cum sua particula hic apparet, et τὸ *nobis*, pro *a nobis*, positum, more casus passivorum. Ut ad Q. Fr. I. 1, 15. *Sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris*: In Divin. in Caecil. c. 4 *Quae* [crimina] *cum his civitatibus C. Verri communicata sunt.*“ Alibique. Haec ille. Mihi autem (si a tanto viro dissentire fas sit) haudquaquam in his, *nobis, tibi, Verri*, pro *a nobis, a te, a Verre*, posita videntur. Certe illud Livii, *Sibi communicatum cum illo, non ademptum imperium esse*, eam nequit interpretationem recipere: neque enim Fabius ipse, sed Senatus Romanus imperium Fabio Minucioque aequaverat, vel commune Fabio cum Minucio fecerat; adeoque non *sibi* in *a se* resolvendum, sed *a Senatu* ibi intelligendum. Eadem et ratio loci illius Tulliani, *Quo enim uno* [eloquentiae laude sc.] *a victa Graecia vincebamur, id aut crept. illis*, etc. Non enim Romani hanc laudem cum Graecis communicaverant: Graeci quippe iam olim tenebant, neque tum amiserant eam laudem. Recte igitur Scioppius de Stil. Hist. p. 109. *Hoc nobis cum illis communicatum*; id non aliter dici, inquit, quam si dicerat, *Hoc nobis cum illis commune factum est.* Quod si in his dativus

Digitized by Google

☞ Not. 4. Quibusdam, ut *consto*, *laboro*, *nitor*, *glorior*, praepositio saepe additur: ut, Cic. Tusc. III. 1. *Cum constemus ex animo et corpore* [64]). Id. Fam. VII. 26. pr. *Cum decimum iam diem graviter ex intestinis laborarem* [65]). Id. pro Mil. c. 7. *Cuius in vita nitebatur salus civitatis* [66]) Id. N. Deor. III. 36. *In virtute recte glo-*

---

pro ablativo cum praepositione more casus passivorum positus sit, alterum (si ita loqui liceat) communionis membrum, sive una ex personis inter quas res aliqua communis facta est, defutura est. Eiusmodi enim dativus, sive ablativus cum praepositione, istius communionis causam effectricem vel agentem, non vero aliquam ex personis inter quas quid communicatum est, expresserit: ut si dicam, *Praedium a patre Labeoni cum sorore eius erat communicatum*, h. e. *inter Labeonem eiusque sororem commune factum*. Non ignoro longe frequentissime dici, *Rem cum aliquo communicare*, altero communionis membro quasi suppresso: ut, Cicer. in Pis. c. 2. *Ego provinciam Galliam cum Antonio communicavi*: et pro S. Rosc. c. 40. *Desinant causam suam cum Chrysogono communicare*. Verum haud scio an in his et similibus dativus pronominis *mihi* aut *sibi* sit intelligendus, q. d. *Galliam mihi et Antonio*, *sive inter me et Antonium communem feci*; *Desinant causam suam sibi cum Chrysogono*, *vel inter se et Chrysogonum communem facere*. Utut vero se haec res habeat, id saltem ex dictis liquere arbitror, si utraque persona inter quas res aliqua communis facta significatur, sit exprimenda, alteram dativo, alteram ablativo cum particula *cum*, enunciari posse: ut, *Senatus imperium Fabio cum Minucio communicavit*. Sed neque prorsus constat, (quod, praeter Gronovium, l. cit. Scioppius in Scalig. Hypobolim. p. 232. et Iudic. de Stil. Hist. p. 108. Vorstius de Latinit. merit. susp. c. 19. Cellar. Antibarb. p. 230. Guntherius Latin. restit. p. 112. affirmant) *Communicare alicui*, pro *cum aliquo* Latinum non esse: nam, ut controversum illum Caesaris locum, B. Civ. III. 18. omittam, in quo tamen, omnibus, praeter unicum Fulv. Ursini, codd. *quibus* non *quibuscum* habetur; alia sunt ap. eund. Scriptorem loca, in quibus hoc verbum cum casu tertio construi videtur: ut, B. G. VI. 12. *Neque iis petentibus ius redditur*, *neque honos ullus communicatur*: et ibid. c. 22. extr. *Iis omnium domus patent*, *victusque communicatur*. Neque enim satisfacit quod de his ait Vorstius, l. c. casum tertium non a verbo *communico*, sed ab iis quae praecedunt, *redditur* et *patent*, pendere: eodem pacto quo in illo Livii, XXXV. 19. *Odi odioque sum Romanis*, et in isthoc Cic. Fam. XIII. 4. *Haec eo spectant ut te horter et suadeam*. Id enim loquendi genus a purissimo illo et simplicissimo Caesaris stylo abhorrere videtur.

64) Sic Cic. Off. II. 14. *Iudiciorum ratio ex accusatione et defensione constat*. Id. Orat. c. 56. *Ex Iambis nostra constat oratio*: nec aliter fere optimi quique loquuntur.

65) Sic, *Laborare ex pedibus*, *ex renibus*, Cicer. Fam. IX. 23. et Tusc. II. 25. item, *ex invidia*, *ex inscientia*, *ex desiderio*, Id. pro Cluent. c. ult. de Invent. II. 2. Fam. XVI. 11. Horatius vero, *Laborare ob avaritiam*, Sat. I. 4, 26. dixit, et *Laborare a frigore* Plinius, XXXII. 10. At *Laborare ex morbo*, *ex podagra*, *ex fame*, praepositione addita, aegre dixerim. * *Laborant artus alicuius*, pro *Aliquis laborat ex artubus* habet Cic. Tusc. II. 25.

66) Invenimus etiam *Nixus in cubitum*, Cic. Attic. [illegible] *in hastam*, Virg. Aen. XII. 398. *Ego huc a me ortus*, *et per me nixus*, *ascen-*

Digitized by Google

riamur [67]). Id. in Vatin. c. 12. *De tuis divitiis intolerantissime gloriaris* [68]).

☞ Not. 5. *Epulor* et *pascor* cum accusativo nonnunquam iunguntur: ut, Plin. VIII. 43. *Pullos earum* (asinarum) *epulari Maecenas instituit.* Virg. Geo. III. 314. *Pascuntur silvas* [69]).

§. 2. *Regimen Verborum IMPERSONALIUM.*

36. Pleraque verba petunt impersonalia ternum.

Verbum impersonalia regit dativum: ut, Ter. Heaut. IV. 5. 49. *Alii si licet, tibi non licet.* Virg. Ecl. III. 36. *Insanire libet quoniam tibi.* Hor. Ep. I. 17. 56. *Non cuivis homini contingit adire Corinthum.* Plin. XXIII. 1. *Corpus augere volentibus conducit* [1]) *inter cibos bibere.* Cic.

---

di, Cic. pro Planc. c. 27. At, *Niti in adversum*, Ovid. Met. II. 72. *ad sidera*, Virg. Geo. II. 427. *sub pondere*, Id. Geo. III. 172. *sub postes gradibus*, Id. Aen. II. 441. *nitens humi*, Ibid. v. 880. *longa cuspide gressus*, Id. Aen. XII. 386. *niti contra honorem alicuius*, Cic. Att. IX. 11. *pro aliquo*, Liv. XXXV. 10. Ovid. Pont. III. 1, 40. diversa paullum notione dicuntur. Quod porro addit ex Ciceronе Methodi Auctor, p. 586. et Annotatores Oxon. p. 181. *Niti de aequitate*, pro *eam tueri*, seu *defendere*, nusquam ap. eum Scriptorem, nec forte alium quempiam, extare potem.

67) Addi etiam interdum verbo *utor* praepositiones *ex* et *de* notat Saturnius, p. 98. ut, Cic. Att. XI. 21. *Nos, si quid opus erit, utemur ex eo, de quo scribis.* Et Off. I. 1. *De rebus ipsis utere tuo iudicio.* At de posteriore falsum esse virum doctissimum indubium est: sensus enim (interprete P. Manutio) est; *quod ad res ipsas, sive praecepta mea, attinet, non laboro; in his enim liberum tibi permitto iudicio tuo uti*, i. e. *vel meam, vel Cratippi magistri tui, vel alterius cuiusquam, doctrinam, quam rationi maxime consentaneam duxeris, amplecti.* In priore etiam Elliptica locutio videtur, pro *utemur argento ex eo argento d. q. sc.* i. e. *de eo quantum usus postulabit sumemus.*

68) Ablativum quoque in caeteris ab aliqua praepositione, quae hunc casum regat, pendere palam est. Et quidem cum verbis *utor, fruor, vescor, epulor, victito, nascor, creor, de* vel *ex* intelligendae; cum *potior a* vel *ab*, cum *prosequor, afficio, beo, dono, spargo, muto, impertio, cum*; cum *sto, periclitor, in*, etc. Quid vero ad verbum *fungor* subaudiendum sit, haud liquet. [Ellipsis nec hic locum habet. G. St.]

69) *Depasco* et *depascor*, non nisi cum accusativo leguntur, ut Virg. Geo. I. 112. *Luxuries segetum tenera depascit in herba.* Id. Aen. II. 215. *Miseros morsu depascitur artus.* Vid. omnino de his verbis Peris. p. 301 et 302.

1) *Conducit* et *expedit*, pro dativo rei, accusativum interdum cum praepositione recipiunt: ut, Cic. Offic. I. 8. *Tum autem anquirunt, ad vitae commoditatem iucunditatemque conducat id necne, de quo deliberant.* Plaut. Capt. II. 3, 26. *Quod in rem recte conducat tuam.* Cic. Att. VII. 22. *Non quo minus quidquam Caesari expediat ad diuturnitatem dominationis.* In his quidem accedunt nominativi *id*, quod et

Digitized by Google

XIII. 8. *Omnibus bonis expedit salvam esse rempublicam.* Ovid. Trist. II. 216. *Non vacat exiguis rebus adesse Iovi.* Plaut. Asin. I. 1. 97. *Ubi eris? Ubicunque libitum fuerit animo meo.*

Not. 1. Verbis impersonalibus, una cum dativo, plerumque subiungitur infinitivus [2], qui nominativi a fronte locum supplet: ut hoc Ovidii, Amor. III. 4. 9. *Cui peccare licet, peccat minus*, idem fere sit, quod, *Cui peccatum licet.* Sic illud e Cicerone modo adductum, *Omnibus bonis expedit*, etc. idem valet, ac, *Salus reipublicae expedit omnibus bonis.*

Not. 2. Dativus saepe intelligitur; ut, Cic. Div. II. 14. *Sexcenta licet eiusmodi proferre*, supple *nobis.* Ter. Heaut. III. 1. 55. *Faciat quod lubet*, sc. *sibi.* Id. Eun. III. 2. 33. *Apparet servum hunc esse domini pauperis*, sc. *omnibus.* Virg. Aen. II. 750. *Stat casus renovare omnes*, sc. *mihi.*

Not. 3. Impersonalia interdum personaliter usurpantur in tertia singulari [3], praesertim cum pronominibus, *id*, *hoc*, *illud*, *quod*, et similibus: ut, Cic. de Orat. II. 4. *Sin tibi id minus libebit, non te urgebo.* Id. Verr. V. 70. *Non idem mihi licet, quod iis qui nobili genere nati sunt.* Id. Acad. IV. 29. *Si habes, quod liqueat, neque respondes, superbis.*

Hic in memoriam revocanda sunt, quae de Impersonalibus in Etymol. lib. III. cap. 2. reg. 7. traduntur.

Exceptio I.

37. *Interest* casu gaudet *refert*que secundo.
At *mea* cum sociis plurali ponito quarto.

---

quidquam: sed, ubi et ii absunt, eadem structurae ratio est: ut si dicam, *Ad tranquillitatem conducit malorum consortium vitare.*

2) Vel modus finitus, praecedente *ut*, vel *quod*: ut, Cic. pro Mur. c. 4. *Neque enim mihi iam licet, neque est integrum, ut meum laborem hominum periculis sublevandis non impertiam.* Id. Fam. XVI. 5. *Mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportaret.* Iuven. IV. 99. *Profuit ergo nihil misero quod cominus ursos Figebat Numidas.* * *Accidit, contingit, evenit, usu venit* apud Oratores fere infinitivum respuunt, ac subiunctivo cum *ut* gaudent: ut, Cic. Att. VIII. 16. *Quoniam tecum ut essem non contigit.* Id. pro S. Rosc. c. 34. *Casu accidit, ut id quod Romae audierat, primus nunciaret.* Id. de Orat. II. 55. *Forte evenit, ut in Privernati essemus.* Id. Fin. I. 9. *Credo quibusdam usu venire ut abhorreant a Latinis.* Adde infra, reg. 42. n. 8.

3) Nonnunquam et in tertia plurali; ut, Suet. Iul. 20, 3. *Caetera item quae cuique libuissent.* Catull. LIX. 147. *Marito ista non eadem licent.* Vid. Part. I. p. 271. n. 42. et p. 278. n. 51.

Digitized by Google

I. *Refert* et *interest* genitivum postulant [4]) ut, Quinctil. IX. 9. *Plurimum refert compositionis, quae quibus anteponas.* Cic. Fin. II. 22. *Interest omnium recte facere* [5]).

II. At *Mea, tua, sua, nostra, vestra,* ponuntur in accusativo plurali [6]): ut, Cic. Fam. XVI. 4. *Et tua et mea ma-*

---

4) Genitivus iste plurimum personae est: ut, Cic. Att. X. 4. *Nihil illius interest, quod in Senatum non venis.* Interdum rei: ut, Cic. Fam. IV. 10. *Multum interest rei familiaris tuae:* saepe etiam aestimationis, ut cum vocibus *magni, parvi, pluris,* etc. de quibus mox. Vid. Farnab. Syst. Gramm. p. 59.

5) *Interest* quibusvis genitivis iungi, *refert* vix aliis quam iis qui pretium sive aestimationem significant, notat in Grammatica sua minore Vossius, p. 65. dicendumque adeo, *Interest reipublicae,* vel *interest salutis,* potius quam *Refert reipublicae, refert salutis.* Atqui hanc distinctionem, frequentissime licet, non tamen perpetuo observasse Scriptores ostendit Urainus, p. 193. adductis (praeter illud Quinctiliani modo cit.) hisce exemplis. Sallust. Iug. 8, 1. *Faciundum aliquid* [Boccho,] *quod illorum* [Romanorum] *magis quam sua retulisse videretur.* Plin. Epist. 9. *Humanitatis plurimum refert:* et in Paneg. c. 40. *Tu nihil iniquitatis referre existimas, exigas, quod deberi non oportuerit, an constituas, ut debeatur?* Quibus adde, Liv. XXXIV. 27. *Ipsorum referre, si quos suspectos status praesens rerum faceret, prohiberi potius ne quid moliri possint, quam puniri molientes.* Tac. Ann. IV. 33, 6. *Neque refert cuiusquam Punicas Romanasve acies extuleris.* Et Val. Paterc. II. 72, 2. *Qui si vicissent, quantum reip. interfuit Caesarem potius habere quam Antonium Principem, tantum* [reipublicae repete] *retulisset habere Brutum quam Cassium.*

6) Diu multumque inter Grammaticos tam veteres quam recentiores ventilata quaestio est, utrum pronomina haec, possessiva ablativi singulares feminini, an accusativi plurales neutri generis sint. Priorem sententiam amplexi sunt Priscianus, lib. XVII. col. 1077. L. Valla Eleg. II. 1. Saturnius III. 17. Alvar. p. 296. Despaut. p. 274. Rhenius, p. 437. Vossius Constr. c. 29. Meth. Auctor, p. 378. et multi alii. Posteriorem tuentur Donatus ad Ter. Phor. IV. 5, 11. Scaliger de causis L. L. c. 125. Sanctius III. 5. et ad eum Scioppius et Perizonius. Sed neutri parti una eademque rei explicandae ratio placuit. Priscianus enim *in* intelligit: ut *Interest* vel *refert mea,* pro *in re mea* sit dictum. Vossius autem eumque secutus Methodi Auctor *causa* vel *gratia* supplendum volunt: ut *Mea refert, mea interest,* integre sit, *Mea de causa, mea de gratia refert* vel *interest.* Scaliger rursus, cui accedit et Sanctius, *refert* exponit per *repraesentat:* ut *Tua nihil refert* sit idem, quod *Non repraesentat res tuas:* quomodo dicitur, *Hic puer patrem refert.* Scioppius vero *refert* per *affert, apportat, importat,* interpretatur. At rem plane confecisse, atque extra omnem controversiae aleam iam posuisse videtur Perizonius: qui in his *Interest mea, Refert tua,* sententiam sic exponit et integrat, *Interest inter mea* [negotia,] *Refert se ad mea* [negotia.] Quae Ellipsis etiam cum genitivo locum habet: ut *Interest Ciceronis, Refert patris,* i. e. *Est inter negotia Ciceronis, Refert se ad negotia patris.* Vid. eum fuse de hac re agentem, p. 416. et seqq.

Digitized by Google

sime interest te valere. Id. pro Cluent. c. 64. *Hic sua putat interesse, se re ipsa et gesto negotio, non lege, defendi* [7]). * *Cuia* autem, vel *cuius interest*, ex aequo fere dicitur: ut, Cic. pro Varen. ap. Priscian. p. 940. *Ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei cuia interfuit, non ei cuia nihil interfuit.* Id. Phil. I. 9. *Quis enim est hodie, cuius intersit istam legem manere?*

☞ Not. 1. *Refert* et *interest* admittunt etiam hos genitivos quantitatis, seu aestimationis, *Tanti*, *quanti*,

---

7) In diversis proinde eiusdem periodi clausulis utraque constructio concurrere potest: ut, Cic. Fam. II. 4. *Si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset.* Id. Att. XIV. 17. *Magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel utriusque, me intervenire discenti:* ubi etiam in eadem clausula bini genitivi *magni* et *Ciceronis*, hic personae, ille aestimationis, iunguntur. Sic in illo eiusd. Att. VIII. 6. *Tua sponte te intelligere scio, quanti reipublicae intersit omnes copias in unum locum convenire.* Et cum possessivis: ut, Id. Att. II. 23. extr. *Permagni nostra interest te esse Romae.* Plaut. Rud. IV. 3. 27. *Nihilo pluris tua hoc, quam quanti illud refert mea.* * An vero in eadem clausula dicere liceat, *Mea unius interest*, *Tua solius refert*, *Nostra ipsorum interest*: Item, *Interest mea Oratoris*, *Tua adolescentis interest*, et similia, non satis liquida res videtur. Saturnius quidem, III. 21. Sanctius, II. 13. Alvarus, p. 391. Schmidius, p. 318. ita loqui permittunt; eadem scil. ratione qua *Tuum hominis simplicis pectus* Cicero: et *Post tuum hominis eruditissimi iudicium* Plinius dixerunt. [Vid. supra p. 46.] At cum veterum testimonia deficere Alvarus agnoscat, nec ullum cui tuto fidi possit, caeteri proferant; rectius mihi iudicare magnus Vossius videtur, qui Constr. c. 29. a talibus abstinendum, relativoque cum verbo *sum* utendum existimat: eo enim pacto locutus Terentium, Adel. V. 4. 27. *Id mea minime refert, qui sum natu maximus*: et Plinium Epist. IV. 13. *Vehementer intererat vestra, qui patres estis*: non, *mea natu maximi*, aut *vestra patrum.* Huius circuitionis meminere Saturnius et Sanctius, locc. citt. in appellativis etiam praeferendam statuit Methodi Auctor, p. 378. idem tamen, Sanctium minus considerate secutus, ut pretii, sic propriorum nominum genitivos cum pronominibus possessivis eleganter concurrere posse pronunciat, ex. gr. *Non mea Caesaris interest.* Melius Alvarus, qui pag. 391. sicubi durior in talibus videatur oratio, qualis maxime est cum propria adduntur, vel propria plane omittenda suadet; ut fecit Val. Max. VI. 2. extern. 3. Theodori Philosophi dictum referens, *Mea quidem nihil interest, humine an sublime putrescam*: vel omittendum ipsum pronomen, quod fecit Cic. Tusc. I. 43. *Theodori quidem nihil interest, humine an sublime putrescat*: ubi de se (quamvis tertia persona) loquitur ipse Theodorus. * Saturnius vero, l. c. singulatim monet (idque elegantius censet Alvarus) si ad secundam personam dirigatur oratio, vocativo potius esse utendum, exemplo Livii, XXIV. 8. *Magis nullius interest quam tua, Tite Otacili, non imponi cervicibus tuis onus sub quo concidas*: et Taciti, Hist. I. 30. 4. *Vestra, commilitones, interest, ne Imperatorem pessimi faciant.* * Alvarus denique, l. proxime cit. se non dicturum ait, *Nostra omnium interest recte vivere, sed nostrum omnium*: in qua locutione *omnium* a verbo *interest*, at *nostrum* a nomine *omnis*, quemadmodum in hoc Plinii, XI. 37. *Piscium omnibus serrati dentes*, regi observat. Confer supra p. 47. n. 17.

Digitized by Google

magni, permagni, parvi, pluris [8]): ut, Cic. ad Att. XIII. 4. *Magni interest mea, una nos esse.* Id. ad Q. Fr. I. 1. 7. *Parvi refert abs te ipso ius dici aequabiliter et diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris.*

☞ Not. 2. Nonnunquam nominativos, non modo pronominum, *quid, quod, id, hoc, illud,* etc. sed etiam alios, tanquam verba personalia, recipiunt: ut, Ter. Hec. V. 3. 12. *Tua quod nihil refert, percontari desinas.* Cic. Att. XI. 22. extr. *Illud mea magni interest, te ut videam.* Id. Att. III. 19. *Non quo mea interesset loci natura.* Lucr. IV. 981. *Usque adeo magni refert studium atque voluntas.* Plin. VII. 6. *Incessus in gravida refert* [9]).

☞ Not. 3. Assumunt frequenter haec adverbia vel adverbialiter sumpta, *Tantum, quantum, multum, plurimum, infinitum, parum, maxime, minime,* et similia: ut, Iuven. XIV. 74. *Plurimum enim intererit quibus artibus aut quibus hunc tu Moribus instituas.* Mart. IX. 101. *Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur Quae fluit, an pigro quae stupet unda lacu.*

☞ Not. 4. Interdum, loco genitivi, accusativum cum ad recipiunt: ut, Cic. Fam. XVI. 1. *Magni ad honorem nostrum interest quam primum ad urbem me venire.* Plaut. Epid. II. 2. 91. *Quam ad rem isthuc refert* [10]). * Rarius dativum: ut, Plaut. Truc. II. 4. 40.

---

8) At non dicitur, *Maioris, maximi; nec multi, plurimi;* aut *minoris, minimi:* sed, *magis, maxime, multum, plurimum, minus, minimum,* sive *minime, interest* vel *refert.* Vid. Voss. l. c. et Ursin. p. 197. At *tanti, quanti, parvi* vel *tantum, quantum, parum, refert* vel *interest,* promiscue dicuntur. Iuvenalis autem, V. 128. *Minimo discrimine refert* in ablativo extulit: cuius exemplo *Parvo discrimine refert,* vulgo dicimus.

9) Sic Plaut. Most. II. 1. 60. *Pluma haud interest, patronus an eliens probior siet.* Plin. XVIII. 21. *Plurimum refert soli cuiusque ratio.* Et c. 31. *Longitudo in his refert, non crassitudo.* Et alibi multis locis. Vid. Saturn. III. 22. * Hic autem notandae sunt (licet ab hac constructione nonnihil alienae) hae locutiones: Cic. Acad. IV. 9. *Negant illa quidquam a falsis interesse,* h. e. *discrepare.* Id. Att. V. 19. *Quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν,* h. e. *Indignari differt ab invidere.* Sic, omissa praepositione, Ter. Eun. II. 2. 1. *Stulto, intelligens quid interest.* Gell. III. 14. *Quid dimidium dimidiato interest.* Senec. N. Q. 1. Praef. *Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi.* Item illa, quae paullo durior videtur, ap. Ter. Adel. I. 1. 51. *Hoc pater et dominus interest.* Rationem omnium explicatam habes apud Perizon. p. 420. Confer etiam supra p. 148. et n. ibi 93.

10) Sic id. Plaut. Pers. IV. 3. 44. *Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Persae quid rerum gerant.* Varr. R. R. I. 16. *Refert etiam ad fundi fructus, quemadmodum vicinus in confinio consitum agrum habeat.* Et in plurali, Plaut. Pers. IV. 4. 44. *Percontari volo quae ad rem referunt.*

Digitized by Google

Quoi rei id te assimulare retulit. Hor. Sat. I. 1. 49. *Dic quid referat intra Naturae fines viventi iugera centum, an Mille aret* [11].

☞ Not. 5. Interdum absolute ponuntur: ut, Virg. Geo. II. 104. *Neque enim numero comprendere refert.* Plin. XIX. 8. *Seri etiam radices illitas fimo interest* [12]).

Exceptio II.

38. *Poenitet*, et *taedet*, *miseret*, *pudet*, et *piget* optant Personam in quarto iungi sibi, rem genitivo.

Haec quinque, *Miseret* [13]), *poenitet*, *pudet*, *taedet* et *piget* regunt accusativum personae, cum genitivo personae vel rei: ut, Plaut. Trin. II. 4. 50. *Miseret te aliorum, tui te nec miseret, nec pudet.* Cic. Fam. II. 9. *Ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum poeniteret.* Ter. Phor. II. 3. 45. *Non te horum pudet?* Sall. Iug. 4. extr. *Me civitatis morum piget taedetque* [14]).

Not. 1. Genitivi locum saepe supplet infinitivus: ut, Senec. Agam v. 243. *Quem poenitet peccasse, paene est*

---

11) Addunt Saturnius, p. 191. et Sanctius, p. 180. et seqq. ex Plauto, Bacch. III. 4. 22. *Quum nihilo pluris ea res referat sibi, Quam si ad sepulchrum mortuo dicat iocum:* et Pseud. IV. 6. 23. *Nam quanti refert ei nec recte dicere, Qui nihil recte facit.* Item ex Plin. XVIII. 31. *Acino plurimum refert, si contingat crescante Luna vindemiare.* Sed haec omnia aliter melioribus Editt. leguntur. Vid. omnino Perizon. ad Sanct. l. c. n. 4.

12) Sic Tac. Ann. VI. 2. 1. *Bona Seiani ablata aerario, ut in fiscum cogerentur, tanquam referret.* Cels. II. 10. *Interest enim, non quae aetas, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires.* In his autem (ut Perizonio, p. 419. notatum) *refert*, pro *opus est*, *expedit*, *ad rem attinet*, accipitur: quod et de *interest* fas existimare.

13) Sic etiam *misereseit*: ut, Ter. Heaut. V. 4. 3. *Inopis nunc te misereseat mei.* Quem in modum et *miseretur* impersonaliter invenitur: ut, Turpill. ap. Non. VII. 40. *Quam matris, nunc patris me miseretur magis.* Quadrig. ap. Gell. XX. 6. *Ecquando te et nostrum et reipublicae miserebitur.* Cic. Invent. I. 30. *Ut maioribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur.* [ubi passive accipi videtur.] Id. pro Ligar. c. 5. *Cave te fratrum, pro fratris salute obsecrantium, misereatur:* ita enim legit Priscianus, lib. VIII. col. 797. [non ut al. *misereat.*] Profert etiam id. Priscianus, col. 824. hunc locum ex L. Crassi Serviliae legis suasione: *Neque me minus vestri quam mei miserebitur.*

14) Ita et in horum plerorumque praeteritis passivis: ut, Ter. Heaut. III. 1. 54. *Ut me tuarum miseritum est fortunarum.* Plaut. Bacch. III. 1. 12. *Neque mei, neque tui intus puditum est factis quae facis.* Virg. Aen. IV. 18. *Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset.* Sil. VII. 173. *Nec pigitum parvosque lares humilisque subire Limina coelicolam tecti.* At in hoc postremo exemplo infinitivus genitivi vicem supplet, ut Not. seq. animadversum.

Digitized by Google

innocens; pro, *poenitet peccati.* Sic, Ter. Heaut. V. 4. 19. *Te id nullo modo puduit facere*; pro quo idem, Heaut. III. 3. 15. *Ipsius facti pudet* [15]). * Vel membrum aliquod orationis: ut, Cic. Att. XI. 13. *Se poenitere ait, quod animum tuum offenderit.* Id. Att. XII. 28. *Non poenitet me quantum profecerim.*

☞ Not. 2. Accusativus personae saepe intelligitur: ut, Hor. Car. III. 24. 50. *Scelerum si bene poenitet, Eradenda cupidinis Pravi sunt elementa,* supple *nos.* Id. Ep. I. 14. 36. *Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum,* sc. *me.* Virg. Aen. V. 617. *Taedet perferre laborem,* sc. *eas,* vel *Troades* [16]).

☞ Not. 3. Nonnunquam haec verba personaliter accepta reperiuntur, praesertim cum pronominibus, *hoc, id, quod,* etc. ut, Lucr. III. 894. *Ipse sui miseret.* Plaut. Stich. I. 1. 50. *Et me quidem haec conditio nunc non poenitet.* Ovid. Art. III. 770, *Praecipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus.* Plaut. Pseud. I. 3. 47. *Nimio id quod pudet facilius fertur, quam id quod piget* [17]), [18]).

---

15) Cum non suppetit conveniens genitivus, infinitivo vel membro orationis necessario utendum: ut, Virg. Ecl. II. 34. *Nec te poeniteat calamo triviisse labellum.* Plaut. Capt. II. 1. 9. *At nos pudet, quia cum catenis sumus.* * Tacitus etiam *pudet* cum posteriore supino adhibuit, Agric. 32. 3. *Pudet dictu.* * Suetonius quoque *poenitere de re aliqua* dixit, Claud. 43. 1. *Sub exitu vitae signa quaedam, nec obscura, poenitentis de matrimonio Agrippinae, deque Neronis adoptione, dederat.*

16) Interdum haec verba absolute ponuntur: ut, Plaut. Poen. V. 4. 41. *Nisi piget, consistite.* Id. Epid. II. 1. 2. *Ibi eos deserit pudor, cum usus est ut pudeat.*

17) Sic Lucan. VIII. 595. *Semper metuet quem saeva pudebunt.* Plaut. Cas. V. 2. 3. *Nullus est qui peccavit, quin pudeat.* Gell. V. 1. *Perhorrescat necesse est, et pudeat tacitus, et poeniteat.* Val. Flacc. II. 92. *Acelinem scopulo inveniunt, miserentque foventque.* Confer Alvar, p. 322. et nos supra, Part. I. p. 278. n. 51. * In his autem, Plauti Epid. IV. 1. 1. *Si quid est homini miseriarum, quod miserescat miser ex animo, id ego experiore* et Cic. de Inv. II. 18. *Utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse;* quod ponitur pro *propter quod.* Vid. Perizon. p. 168. Idemque existimandum de illo Plauti, Pseud. I. 3. 74. *Nihilne te mei miseret?* ubi *nihil* non nominativi videtur, sed accusativi casus, suppresso κατὰ, vel *quod ad;* eodem pacto quo in hoc Virg. Ecl. II. 7. *Nil nostri miserere.* In istis autem, Plaut. Epid. I. 2. 4. *Idne pudet te:* et Ter. Adel. I. 2. 4. *Quem neque pudet quidquam, nec metuit quenquam,* et similibus, dubitari potest, an *id* et *quidquam* nominativi sint, an accusativi, subaudito *ob* vel *propter.* Posterius affirmat Paraeus, Lexic. Crit. p. 1013. Pro priore autem facit, quod idem Terentius, Adel. IV. 7. 36. *Non te haec pudent?* dixerit. * Notat porro Rhenius, p. 485. et Schmidius, p. 310. singulare esse quod Terentius dixit, Heaut. IV. 5. 1. *Ita me Dii amabunt, ut nunc Menedemi vicem miseret me.* At si quid singulare huic loco insit, non illud ad structuram verbi *miserεt* (neque

Digitized by Google

Exceptio III.

39. *Delectat, iuvat*, atque *decet*, da quarto, et *oportet*.

Haec quatuor, *Decet, delectat, iuvat, oportet*, regunt accusativum cum infinitivo: ut, Ter. Eun. IV. 7. 19. *Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet* [19]). Hor. Sat. II. 1. 28. *Me pedibus delectat claudere verba.* Prop. III. 3. 41. *Me iuvat in prima coluisse Helicona iuventa.* Quinct. IV. 2. *Mendacem memorem esse oportet* [20]).

---

enim propterea, *Menedemi fortunae miseret me*, dixerim) referendum, sed ad vocabulum *vicem*, quod satis frequenter aliis verbis, vel adiectivis etiam, animi affectionem significantibus, iungitur, praepositione *ob* intellecta: ut, Liv. XXXIV. 32. *Remittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascatis.* Cic. Fam. XII. 23. *Tuam vicem saepe doleo.* Liv. XXVII. 19. *Clamor undique ab sollicitis vicem imperatoris militibus sublatus.* Curt. VII. 2. 5. *Moestus non suam vicem, sed propter ipsum periclitantium fratrum.* Adde Voss. Constr. c. 18. et Gronov. ad Liv. I. 25. n. 1.

18) Quod ad huius constructionis rationes attinet; ut alias omittam a Prisciano, col. 1135. Sanctio, p. 167. Vossio, Constr. c. 27. Methodi Auctore, p. 388. allatas; mihi in primis ea arridet, quam dedit accuratissimus Perizonius, qui p. 168. genitivum in hisce, si personae sit, ab alio substantivo, veluti, *negotium, factum, status, fortuna, respectus*, pendere existimat: ut, *Miseret me tui* sit, *negotium tui mali miseret me*, vel *respectus tui miseret me: Nostri nosmet poenitet.* [Ter. Phor. I. 3. 20.] h. e. *negotium* vel *fortuna nostri status* vel *mali*, vel absolute *nostri*, ut *mei, tui*, etc. Sic Ter. Adel. III. 4. 27. *Fratris me quidem pudet pigetque*, h. e. *respectus fratris male rem gerentis.* At quando filius ad patrem dicit, Ibid. IV. 5. 49. *Et me tui pudet*, sensus est, *Respectus tui tam boni patris.* [Liv. III. 19. *Pudet Deorum hominumque*, i. e. *Respectus Deorum hominumque, qui haec fieri vident, me pudore afficit ob scelus vestrum.*] Cum vero in genitivo, non persona, sed res exprimitur, tum manifeste, inquit, intelligitur *negotium*, vel etiam, si quis malit, *respectus, cogitatio:* ut, Ter. Phor. II. 3. 45. *Non te horum pudet?* sc. *negotium* vel *cogitatio.* Liv. II. 5. *Miserebat homines non poenae magis quam sceleris*, sc. *negotium* vel *respectus.* Atque haec quidem vocabula generalia mihi sufficere videntur: quamvis in multis aliquid magis speciale subaudiendum velit Ursinus, p. 282. ut in *Miseret me eius, miseria*, sive *calamitas*; in *Pudet me tui, probrum* sive *dedecus*, etc. [Attigerat verum, neque tamen persequutus est. Respectus s. ratio utique indicatur in his omnibus. Itaque *miseret me tui*, i. q. *misericordiam tui sentio; pudet me tui*, i. q. *pudore tui perfundor* significat. Unde ratio constructionis facile intelligitur. G. St.]

19) Item eius compositum *Dedecet:* ut, Cic. Tusc. IV. 25. *Oratorem irasci minime decet, simulare non dedecet.*

20) Male his addi *oportet*, notant Phocas, col. 1717. Alvar. Gramm. min. p. 55. Voss. Constr. c. 36. Danesius, p. 295. Ursinus, p. 270. accusativum enim qui ei iungitur, non ab ipso regi, sed ad verbum infinitum pertinere, huiusque suppositum esse. Cuius rei ratio in eo sita est, quod *oportet* verbum plane neutrum sit, idem fere quod *opus est*, vel *necesse est*, significans: caetera vero, *Decet, delectat* et *iuvat*, activa sint, utpote quae personalitet accepta in accusativum natura sua feruntur: ut ex Not. seq. palam est.

Digitized by Google

☞ Not. 1. Ex his tria, *Decet*, *delectat* et *iuvat*, frequenter, *oportet* vero rarissime, in tertiis personaliter construuntur: ut, Val. Flacc. VII. 416. *Haud tales decet inclementia vultus.* Hor. Ep. I. 7. 44. *Parvum parva decent*[21]). Cic. Fam. IV. 7. *Me status hic reipublicae non delectat.* Id. ad Q. Fr. II. 15. *Literae tuae incredibiliter me delectarunt.* Iuven. XIV. 4. *Si damnosa senem iuvat alea, ludit et haeres.* Mart. XII. 68. *Otia me somnusque iuvant*[22]). Cic. pro C. Balb. c. 3. *Est aliquid quod non oporteat*[23]), *etiamsi liceat.* Ter. Heaut. III. 2. 25. *Haec facta ab illo oportebant*[24]), *Syre.*

☞ Not. 2. *Decet* quandoque pro accusativo dativum adsciscit: ut, Ter. Adel. V. 8. 5. *Ita nobis decet.* Sall. Cist. 1. *Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit.* Gell. IX. 15. *Adolescens praefatur elatius quam aetati eius decebat*[25]).

---

21) Sic et composita, *Dedecet*, *condecet* et *indecet*: ut, Ovid. Met. VI. 689. *Admovique preces, quarum me dedecet usus.* Id. Am. I. 7. 12. *Nec dominam motae dedecuere comae.* Plaut. Pseud. IV. 1. 24. *Ornatus hic satis me condecet.* Plin. Ep. III. 1. *Iuvenes adhuc confusa quaedam et quasi turbata non indecent.*

22) *Delecto* etiam, et *iubo* pro *auxilior*, primis secundisque personis satis frequentia sunt: *Decco* autem *deces*, *decebam*, *decui*, etc. nusquam dicuntur. Quod vero elegantissime dictum pronunciat Sanctius, p. 267. extr. illud Statii, Th. X. 834. *Si non dedecui tua iussa*, mihi plane insolens, ac vix imitandum videtur.

23) Nisi potius *quod* hoc in loco quarti casus existimandum sit, subaudito verbo *facere*. Clarius illud, si recte se haberet lectio, quod adfert Despanterius, p. 336. ex Varr. R. R. II. 1. *Tertia res est nutricatu, quae observari oporteat.* At illic *T. r. e. de nutricatu quid observari oporteat*, emendatiores habent; quo pacto *quid* infiniti verbi *observari* suppositum, ac proinde quarti casus, videtur.

24) Hoc verbum numero multitudinis iam non usurpandum videri notat Alvar. l. c.

25) Atque ita frequenter Plautus: ut, Amph. II. 2. 18. *Isthuc facinus quod tu insimulas, nostro generi non decet*: et ibid. III. 4. 24. *Capiam ornatum qui potis decet.* Et Pers. II. 2. 31. *Ut decet lenonis familiae.* Et Asin. III. 2. 31. utrumque casum miscuit, *Ut meque teque maxime atque ingenio nostro decuit.* At Parraeus, Lex. Crit. p. 316. *decet* hic pro *dignum est* accipi, et sic cum auferendi casu construi adfirmat: quanquam mox, sui oblitus, inter alia huius verbi cum dativo iuncti exempla, hunc ipsum locum, *Ut ingenio nostro decuit*, adferat. Addit alia exempla Vossius, Constr. c. 35. veluti, l. 23. ff. de legat. 3. *Decet enim tantae maiestati eas servare leges quibus ipse solutus videtur.* Apul. de Mund. prop. init. *Sed conducere ac decere tam bonas res ac eiusmodi opera ingenuitati suae professionis credidit.* Liv. XXXIV. 58. *Honesta aut sola aut prima certe pensari decet principi orbis terrarum populo et tanto Regi.* Sed loci Apuleiani (quod ipse agnoscit) controversa scriptura est: apud Livium vero *populo* et *Regi* rectius forte cum *pensari* construenda; pro *pensari a populo, a Rege.* Cum dativo etiam iunxisse Ci-

Digitized by Google

☞ Not. 3. *Oportet* eleganter cum subiunctivo, suppresso ut, iungitur: et, Cic. de Orat. I. 6. *Ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio.* * Item cum participiis praeteriti temporis, intellecto *esse* vel *fuisse*: ut, Ter. Adel. II. 2. 6. *Adolescenti morem gestum oportuit.* Id. And. I. 5. 4. *Nonne prius communicatum oportuit.* [26]).

☞ Not. 4. *Fallit, fugit, praeterit, latet* [27]), impersonaliter sumpta [28]), itidem cum accusativo et verbo infinito [29]) construuntur: ut, Cic. Att. III. 23. *In lege nulla esse eiusmodi caput, non te fallit.* Id. Att. VII. 18. *De Dionysio fugit me ad te antea scribere.* Plin. Epist. VI. 29. *Nec me praeterit usum et esse et haberi optimum dicendi magistrum.* Plin. N. H. II. 20. *Latet plerosque, compertum a principibus doctrinae viris, superiorum trium siderum ignes esse.*

---

ceronem tradunt Stephanus in Thesauro, Despaut. p. 886. et Sanctius, p. 179. allegantes illud de Orat. III. 55. extr. *Quandoquidem id deceat prudentiae tuae.* At omnibus praestantioris notae libris, *Scire, quid quandoque deceat, prudentiae*, (ut Vossio notatum) editum est. * Adducit denique idem Vossius ex Gell. VI. 12. *Feminis solis vestem longe lateque diffusam indecere existimaverunt.* Sed hic locus ambiguae est lectionis, aliis *decoram*, aliis *indecorem*, aliis denique *incedere*, sola Aldina *indecere*, exhibentibus. * Caeterum in *deeet nobis* quidam Hellenismum statuunt, ut πρέπει ἡμῖν: alii autem nativum, atque non cum Graeca solum, sed aliis etiam linguis communem loquendi morem, ut *convenit nobis*, esse volunt. Vid. Voss. l. c. * Olim etiam *iuvat* et *oportet* cum dativo fuisse constructa quidam docent; haec utriusque ex Plauto exempla proferentes, Cist. I. 1. 118. *Quando ita tibi iuvat:* et Mil. II. 6. 80. *Homini servo suos domitos habere oportet oculos.* Verum illic, *tibi lubet*, hic *hominem servum* emendatius editi codd. habent. Vid. Sanct. p. 180. Voss. Constr. c. 36. et Ursin. p. 270.

26) Alia exempla vid. ap. Saturn. p. 325. et Voss. Constr. c. 52. extr.

27) De *latet* cum accusativo vel dativo constructo, vid. supra pag. 144. n. 97.

28) *Subit* sic constructum notat Saturnius, p. 195. ap. Apul. Met. VII. pag. 206. *Subibat me, viros finxisse caecam esse Fortunam.* Sic Curt. VIII. 2. 6. *Subit anniversarium sacrificium Libero patri non esse redditum*, supple *animum*, vel *Alexandrum*. Adde de hoc verbo supra, p. 147. et n. ibi 7.

29) Vel modo finito, praecedente *quid*, *quam*, vel simili particula: ut, Lucr. IV. 539. *Nec te fallit item, quid corporis aufurat — Perpetuus aermo.* Cic. Att. XII. 41. *Illud alterum quam sit difficile, non te fugit.* Id. Fam. VIII. 12. *Quantum iis committendum sit, non te praeterit.* * Caeterum in his omnibus, infinitivus, vel membrum orationis, nominativi vices sustinet. Aliter vero et his verbis eodem sensu nominativus praeponitur: ut, Tac. Hist. II. 7. 1. *Non fallebat duces impetus militum.* Cic. Orat. I. 59. *Non fugisset hoc Graecos homines.* Ter. Hec. V. 4. 38. *An temere quidquam Parmenonem praetereat, quod facto usus sit?* Virg. Aen. I. 130. *Nec latuere doli fratrem Iunonis et irae.*

Digitized by Google

Exceptio IV.

40. Dicito sed *spectat*, vel *pertinet*, *attinet* ad me.

Haec tria, *Attinet*, *pertinet* et *spectat* [30]), non dativum, sed accusativum cum praepositione ad, postulant: ut, Ter. Adel. I. 2. 54. *Profundat, perdat, pereat, nihil ad me attinet* [31]). Cic. Att. IX. 11. *Et ad tuam fidem, et ad rempublicam pertinet, me conservari.* Incert. *Spectat* [32]) *ad omnes bene vivere.*

APPENDIX I.

De Verbis Passivis, *aliisque ablativum cum praepositione recipientibus.*

51. Passivis sextus dabitur cum praepositura
A vel ab: *Accipio, disto, peto, differro cesso, Exspectat, removet*que, *aufert*, cognataque iunge.

I. Verbis passivis subiicitur ablativus agentis [1]), cum praepositione a, ab, vel abs: ut, Hor. Sat. I. 2. 11.

---

30) *Pertineo* et *specto* personaliter accepta similiter accusativum cum ad postulare supra docuimus.

31) *Attinet me*, pro *attinet ad me*, vulgo dicitur, sed minus recte. Veteres enim, Terentius, Cicero, Plautus, etc. perpetuo accusativo praepositionem praemittunt. Vid. Cellar. Cur. post. p. 194. et Antibarb. p. 245. * Interdum et hoc sensu personaliter construitur: ut, Ter. Adel. III. 3. 82. *Illum curo unum: ille ad me attinet.* Interdum absolute ponitur: ut, Hor. Car. I. 19. 12. *Nec quae nihil attinent*, supple *ad me.*

32) *Spectat* cum accusativo et praepositione impersonaliter constructum nondum apud probum scriptorem inveni. * Personaliter vero, pro *pertinet* vel *tendit*, accusativum recipit cum *ad*: ut, Cic. Fam. XIV. 5. *Res ad arma spectat.* Id. Att. XV. 4. *Consilium eius ad bellum spectat*; vel adverbia, *quo, quorsum, eo, alio*, etc. ut, Cic. Orat. III. 24. *Quorsum haec spectat oratio.* Nep. II. 6. 3. *Hoc longe alio spectat.* * Cum autem de loco est sermo, praepositio vel adesse, vel abesse potest: ut, Caes. B. G. V. 13. *Spectat ad meridiem.* Ibid. *Ad Germaniam spectat.* Plin. XVII. 10. *Spectare in Aquilonem.* Et id. Plin. IV. 22. *Spectare Hispaniam*, et VI. 17. *Spectare orientem.* * At *Pertinet ad Helvetios, ad arcem* [Caes. B. G. I. 5. et B. C. II. 1.] pro *tendit*, aut *vergit*, addita semper praepositione, dicitur.

1) Negat Sanctius, III. 4. eiusque perpetuus fere sectator Scioppius Gram. Phil. p. m. 86. et Mariang. Auctar. Epist. 2. rem agentem praepositionibus, a, ab, abs, item per cum suo casu, et (qui horum nonnunquam vicem obit) dativo, verbis passivis ea de qua hic agitur ratione subiectis, significari; eoque nomine caeteris Grammaticis id affirmantibus intolerandum in modum insultant. Tota autem eorum hac in re doctrina hoc uno fundamento innititur, quam et regulam universalem, non ii modo, sed eos incautius secuti Vossius, Constr. c. 41. et Meth. Auctor, p. 424. sibi constituunt, verbum nimirum passivum solo suo supposito contentum esse, praepositiones autem a vel ab, nihil aliud quam *a parte*,

Digitized by Google

Laudatur ab his, culpatur ab illis. Cic. Nat. Deor. I. 44. *Nil est virtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubicunque erit gentium, a nobis diligetur.* Caes. ad Cic. Att. IX. 16. *Meum factum probari abs te, triumpho gaudio* [2]).

¶ Hic[1] ablativus, cum praepositione, verbo passivo subiunctus, per inversionem fit verbi activi suppositum; uti contra, accusativus verbo activo additus transit in suppositum verbi passivi: ut, *Ego laudo te, Tu laudaris*

---

sive terminum vel locum unde aliquid proficiscitur, significare; atque adeo hoc sensu cuiuscunque generis verbis subiici posse. At vulgarem opinionem egregie tuentur Perizonius, p. 396. et seqq. et Ursinus, p. 320. Fatentur illi quidem, (1) Verba passiva haud raro absolute poni, re agente, sive, quae eadem est, causa efficiente, omissa: ut in his, *Agitur populi Romani gloria, Aeschines in Demosthenem invehitur*, quae ex Cicerone, *Tum vero in curas animum diducitur omnes*, quod ex Virgilio Sanctius adducit; haud secus scil. ac verbum activum accusativo patiente nonnunquam destituitur: ut ap. Liv. *Statuit mittere Delphos*, et Terent. Aud. I. 2. 14. *Meum gnatum rumor est amare.* [Vid. Part. I. p. 286. n. 3.] Fatentur (2) Multa esse verba activa et neutra, quae cum a, ab, abs, non causam efficientem, sed simpliciter locum, sive terminum a quo, significante construuntur, de quibus mox agetur. Fatentur denique (3) Idem quandoque passivis contingere; de quibus animadversum Not. 5. * At quid ex his concessis consequitur? „An quia (ut Ursini verbis p. 321. utar) non semper a vel ab causam efficientem significat, ideo nunquam significat? ideo neque cum verbis passivis, eo de quo hic agitur modo, iungitur? Quod si a, sive ab, abs, *a* sive *ex parte* notat, uti contendunt Sanctius et Scioppius, quid obstat quo minus simul adhibeatur ad exprimendum agentem, a cuius utique parte proficiscitur actio?" In his quidem locutionibus, *Ego amo, Tu amaris*, non necessario requiritur, ut hic agens, illic patiens exprimatur. Quod si utrumque exprimendum sit, qua alia ratione id faciam, quam illic accusativo, hic ablativo cum praepositione adiecto: ut, *Ego amo Annam, Tu amaris ab Anna?* Confer etiam eund. Perizon. p. 276. 277.

2) Eadem ratione construuntur verba communia passivae significationis: ut, Hirt. B. Afr. c. 93. *Postquam intellexit Regem vagum a suis desertum ab omnibus aspernari.* Cic. ap. Priscian. col. 792. *Hoc restiterat etiam ut a te fictis aggrederer donis.* Liv. XXXVII. 4. *Omnis ora maritima depopulata ab Achaeis erat.* Item neutralia passiva, *fio, vapulo, veneo*: ut, Hirt. B. Afr. c. 51. *Dum haec opera fiebant a legionibus.* Senec. Rhet. lib. IV. Controv. 22. *Ne a tyranno quidem impune vapulavi.* Quinctil. IX. 2. *Testis in eum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset.* Id. XII. 1. *Respondit a cive spoliari se malle, quam ab hoste ventre.* V. Part. I. p. 287. n. 6 et 7. * Negat Ant. Nebrissensis, fol. vers. 93. futura infinitivi passivi, utpote impersonalia, ablativum cum a vel ab habere, nisi is ablativus generalitatem explicet; ac proinde, *Spero me amatum iri ab omnibus* recte dici; non autem, *Spero me amatum iri a Deo.* At eum opinione sua longe falli, haec e multis ostendunt. Cic. Att. XV. 25. *Brutum visum iri a me puto.* Id. a Q. Fr. I. 2. pr. *Scripsisti direptum iri te a tuis.* Id. Att. II. 20. *Addit etiam, se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri.* Et Att. IV. 3. *Occisum iri ab ipso Milone video.* Vid. Voss. Constr. c. 52. in fin. qui mentem Nebrissensis non cepisse videtur.

Digitized by Google

a me. Nos diligimus virtutem; Virtus diligitur a nobis. Gaudeo te probare meum factum; Gaudeo meum factum abs te probari.

☞ Not. 1. Verba quaedam neutra [3]) et deponentia ablativum itidem agentes cum praepositione a vel ab admittunt: ut, Ovid. Her. IX. 56. *Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.* Cic. Acad. IV. 53. *Mare a Sole collucet.* Id. Off. II. 7. *Phalaris non a paucis interiit.* Lucan. II. 264. *Quis nolet ab isto Ense mori?* Plin. Epist. III. 14, *Rem atrocem Largius Macedo a servis suis passus est.*

☞ Not. 2. Verba passiva dativum nonnunquam, loco ablativi cum praepositione, recipiunt: ut, Virg. Aen. I. 440. *Neque cernitur ulli.* Ter. Phor. II. 1. 18. *Meditata mihi sunt omnia mea incommoda.* Ovid. Fast. V. 110. *Nullaque laudetur plusve minusve mihi* [4]), [5]).

☞ Not. 3. Interdum accusativum admittunt, addita praepositione per: ut, Metell. ad Cic. Fam. V. 1. *Non existimaram Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri.* Cic. Fam. IV. 13. *Per me quondam te socio defensa est respublica* [6]).

---

8) Ea praesertim quae significationem quasi passivam habent: ut, Ovid. Met. I. 417. *Postquam vetus humor ab igne percaluit Solis.* Id. Fast. II. 776. *Fluctus a vento tumet.* Id. Met. XIII. 597. *Occidit a forti, sic Di voluistis, Achille.* Id. Art. II. 208. *Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.* Sic frequenter Poëtae: at Oratores rarius his verbis praepositionem a vel ab adiiciunt. Vid. Part. I. p. 287. n. 7. et infra reg. 52. n. 16.

4) Vid. supra p. 99. n. 69. et p. 150. n. 17.

5) At *videor*, pro δοκῶ, dativum semper adsciscit: ut, Cic. Fam. XIV. 2. *Mihi videbor esse restitutus.* Ter. And. III. 3. 31. *Tibi ita hoc videtur.* Neque enim *Videtur tibi*, recte hic exposueris, *Videtur a te.* Vid. Parnab. p. 80. et Ant. Nebriss. fol. 72. qui *videor* hoc sensu, pro *apparere*, deponens esse ait, non passivum; idque etiam cum τὸ *videre* sequitur: ut, Ter. Adel. III. 3. 80. *Videre videor iam diem illum.* Et Hor. Car. II. 1. 21. *Videre magnos iam videor duces.* Primario autem verbi significatu utroque modo construitur: ut, Ovid. Am. III. 11. 15. *Hoc tamen est levius, quam quod sum visus ab illo.* Virg. Aen. I. 326. *Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.* Et v. 494. *Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur.* * In his phrasibus *Referre quid acceptum vel expensum alicui*, dativo tantum utendum: ut, Cic. Phil. II. 22. *Omnia quae postea vidimus uni accepta referemus Antonio.* Id. Verr. I. 36. *Expensa Chrysogono servo H—S sexcenta millia; accepta pupillo Malleolo retulit;* nisi dativus in his a verbo *retulit* pendeat.

6) Per saepius quidem de causa administra sive instrumentali accipitur: nonnunquam tamen in significatione causae efficientis principalis sumi, vel hoc primo loco allatum testatur exemplum. Rescribit enim proxima epistola Cicero: *Quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum à me oppugnari.* Sic alibi idem indifferenter utitur

Digitized by Google

Not. 4. Interdum praeposito a vel ab, per Elipsin supprimitur: ut, Ovid. Heroid. XII. 161. *Deseror coniunge*, pro a *coniunge*. Sic id. Met. I, 747. *Colitur linigera turba*. Senec. Controv. II. 1. *Tunc et contra Stertinium Maximum, quo premebatur, dixit* 7).

Not. 5. Multa sunt verba passiva, in quibus praepositio cum suo casu, non causam efficientem, sed simpliciter vel partem ex qua, vel locum sive terminum unde aliquid arcessitur, significat: ut, Liv. X. 26. *Similius vero est, a Gallo hoste, quam Umbro, eam cladem acceptam*. Plaut. Pseud. IV. 7. 126. *Auferetur*

---

praepositionibus a et per: ut pro Dom. c. 32. *Nisi et ab improbis expulsus esset, et per bonos restitutus*. Id. Fam. III. 11. *De mercenariis testibus notandis, nisi iam factum aliquid est per Flaccum, fiet a me*. Id. Att. IX. 9. *Id assequitur, si per Praetorem Consules creantur: nos autem in libris habemus, non modo Consules a Praetore, sed ne Praetores quidem creari ius esse*. Excipit quidem Vossius, Constr. c. 41. extr. hanc structuram non esse propriam passivorum, sed omnium verborum communem: nam activa etiam forma eam locum habere; *Per Praetores creant Consules, per bonos restituit*. At hoc ut de nonnullis concedi possit, veluti in illo Cic. Fam. I. 1. *Res agitur per eosdem creditores*, ubi alia est causa efficiens principalis, *Rex* nempe *Ptolemaeus*, vel eius *legatus Ammonius*: (hoc enim pacto dicere poterat, *Agit per creditores, Ptolemaeus* sc. vel *eius legatus:*) ita in caeteris, ubi de causa efficiente principali est sermo, fallit haec exceptio, et a Ciceronis sententia alienum quid menti suggerit; uti recte monstravit Ursinus, p. 326. * Notat porro idem Ursinus, p. 327. verbis his *originis, orior*, et *nascor*, quae vere passiva sunt, pro a et ab interdum adiungi praepositiones e et ex, quas nonnunquam, ut participiis eorum, *ortus, natus* et similibus, detrahi solere alibi diximus. Vid. reg. 19. et n. illic 2. item reg. 35. n. 45. * An vero et apud, cum suo casu, causam quandoque efficientem designet, ut in hoc *Apud maiores nostros quaesitum est*, Vid. eund. disquirentem To. I. p. 1054. et addendis ad eum.

7) Sic Ovid. Her. V. 75. *Desertaque coniuge ploret*. Tac. Ann. III. 20. *Neque praelium omisit, donec desertus suis caderet*. Addit Lowaeus, p. 22. n. 32. ex Ovid. Am. I. 15. 38. *Atque ita sollicito multus amante legar:* at ibi *Atque a sollicito* meliores habent. In hoc autem eiusd. Ovidii, Trist. II. 370. *Et solet hic pueris virginibusque legi*, dandi an auferendi sit casus non satis liquet. Caeterum rarissime, apud prosae praesertim Scriptores, nominibus personarum praepositio detrahitur. Contra in rebus inanimatis, ubi ablativus tam instrumentum vel causam, quam agentem significat, praepositio longe frequentius omittitur, ut, Cic. de Senect. c. 13. *Voluptate capiuntur homines, ut hama pisces*. Dicere autem poterat, *Voluptas capit homines, ut hamus pisces*. Id. Parad. V. 1. *Fortuna suis cuique fingitur moribus;* quod active extulit Nepos, XXV. 11. 6. *Sui cuique mores fingunt fortunam*. Huc spectant, *Liquor animo, Afficior pudore:* item verba, *Delector, oblector, laetor, tristor, contristor;* nec non, *Deficior, destituor, potior, vescor*, et multa alia, de quibus supra, p. 195. et n. ibi 53. item p. 188, n. 74. et p. 189. Confer et infra reg. 52.

Digitized by Google

id praemium a me, quod promisi per iocum? Sallust. Hist. 1. Orat. Lepid. 4. *Quid a Pyrrho, Annibale, Philippoque defensum est aliud quam libertas?* Caes. B. G. I. 6. *Pecuniae a municipiis exiguntur.* * Haec autem Verba eius fere naturae sunt, ut, tam in activa quam in passiva voce, eadem notione, a vel ab cum ablativo recipiant. Nam eodem prorsus sensu dicitur, *Accipere cladem ab hoste, Auferre praemium ab aliquo, Defendere libertatem ab hoste, exigere pecunias a municipiis.* At de his aliisque eiusmodi, separatim mox dabitur dicendi locus [8]).

---

8. Quaeritur an verbis eiusmodi ablativum cum a vel ab, rem agentem, sive causam efficientem significante, iungere licet? Negat Scioppius, Infam. Fam. p. 183. et graviter eo nomine invehitur in Fam. Stradam, qui de victoria, quam Galli suae religionis a Reformatis reportaverat, scripserat: *Non parum ad victoriam a Catholicis relatam Mansfeldius contulit.* Eadem sententia est Io. Vorstii, de Lat. merito susp. c. 13. quod ita concludit: „Si quis verbis passivis (eius generis de quo diximus) istiusmodi casum sextum subiiciat, qui non terminum a quo res arcessitur, sed causam efficientem denotet, is non satis Latine scribero censendus erit, ex. gr. quia dicitur, *Emere frumentum ab aliquo*, si fratrem tuum frumentum emisse significare velis, inepte feceris, si id ita exprimas, *Frumentum a fratre meo emptum est.* Ita enim non fratrem tuum, sed quendam alium, et quidem a fratre tuo frumentum emisse intelligendum erit." Haec ille: nec quidem inficiandum est, ita longe frequentissime se rem habere. Ubique tamen id non obtinere pluribus exemplis monstravit Ursinus, p. 324. in quibus idem verbum, modo in agentis, modo in termini a quo significatione, cum ablativo et praepositione a vel ab construitur. (1) In significatione termini a quo: ut, Ter. Hec. IV. 4. 18. *Abducta a vobis praegnans fuerat filia.* Plaut. Trin. III. 3. 35. *Censebit aurum esse a patre allatum tibi.* Ter. And. III. 2. 12. *Ut ab illa excludar.* Cic. (notante ipso Scioppio ap. Sanct. p. 409.) *Diligentiam a me expectari puto.* Senec. de Ben. II. 7. *Liberari a creditoribus.* (2) In significatione agentis: ut, Caes. B. C. I. 74. *Alii suos in castra invitandi causa abducunt, alii ab suis abducuntur.* Id. ibid. c. 23. *Sestertium sexagies allatum ad se a Duumviris Corfiniensibus Domitio reddit.* Cic. ad Brut. a Germanis invent. Epist. 4. *Compluribus scripsisti Dolabellam a Rhodiis esse exclusum.* Caes. B. G. II. 16. *Expectari etiam ab his Atuaticorum copias.* Curt. VI. 10. 3. *Liberari ab absente non possum.* * His addi possunt loca in quibus dativus pro ablativo cum praepositione a ponitur: ut, Suet. de illustr. Gramm. III. 3. *Ut constet Lutatium Daphnidem ducentis millibus nummum Q. Catulo* (pro *a Q. Catulo*) *emptum:* item ubi praepositio eadem per Ellipsin omissa est: quale illud Cic. Verr. I. 56. *Angustiis temporis excluduntur omnes.* * Caeterum, quod notat idem Ursinus, p. 323. et ante eum Alvarus, p. 326. cavendum est, ne in eadem sententia duos ablativos cum duplice a vel ab diversae significationis, istiusmodi verbis iungamus: id enim loquendi genus, ut partim elegans, ita saepissime ambiguum sensum menti ingerens, optimi semper Auctores refugerunt. Nam, si dicas, *Liber est emptus a me a te, Venia petitur a me a te*, incertum est quid tibi velis. In his igitur maluerunt Auctores, vel activa locutione uti: ut, *Romani a Gallo hoste cladem acceperunt;* non

Digitized by Google

☞ Not. 6. Passiva etiam recipiunt omnes casus activorum, praeterquam accusativum sine praepositione [9]: ut, *Servus accusatur furti, Gratiae tibi aguntur, Frumentum emitur magno pretio.* At non item, sicut *Accusat filium*, ita *Accusatur filium*, dixeris.

II. Cum ablativo et praepositione a vel ab, terminum fere unde aliquid proficiscitur, significante, construuntur haec verba sequentia:

1. Accipiendi: *Accipio, capio, sumo, mutuor:* item, *adipiscor, consequor, impetro*, etc. ut, Cic. Off. III. 10. *Praeclarum a maioribus morem accepimus.*

2. Distandi, differendi et dissentiendi: *Disto, differo, dissentio, dissideo, discrepo, discordo*; ut, Cic. pro S. Rosc. c. 15. *Vides quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque a veritate.*

3. Petendi, orandi, percontandi: *Peto, expeto, posco, percontor, scitor, sciscitor, rogo, oro, obsecro, precor, postulo, flagito, contendo, exigo*, etc. ut, Cic. Tusc. V. 2. *Ad te confugimus, a te opem petimus.*

4. Cessandi: *Cesso, desisto, quiesco, tempero:* ut, Plin. II. 103. *Nec aquarum natura a miraculis cessat.*

5. Exspectandi: *Exspecto, spero*, etc. ut, P. Syr. *Ab alio exspectes, alteri quod feceris.*

6. Auferendi et removendi, *Aufero, rapio, surripio, furor, tollo:* item, *removeo, arceo, prohibeo, pello, repello, propulso, revoco*: ut, Ter. Phor. V. 8. 48. *Minas triginta per fallaciam ab illo abstuli.* Huc refer et verba Continendi: *Contineo, cohibeo, refreno.* Defendendi: *Defendo, munio, tego, tueor.* Deficiendi: *Deficio, descisco, degenero*, etc. Quibus adde verba cum a vel ab,

---

A Romanis a Gallo hoste clades est accepta: Et, *Quid aliud ab Annibale defendimus, quam libertatem?* non, *Quid aliud a nobis ab Annibale defensum, quam libertas?* Vel alterum ablativum cum praepositione, ut in superioribus exemplis, intelligendum omittere: Vel saltem alterum a per Ellipsin supprimere; ut in hoc Ciceronis in Rull. II. 19. *Cum Mithridates ab invicta Cn. Pompeii manu Maeotide et illis paludibus atque altitudine montium defendatur.*

9) Vel expressa, vel suppressa, intellige. Nam multa verba passiva per Hellenismum, sive figuram quam Synecdochen vocant (suppressa sciz. praepositione κατὰ, vel *quod ad*) cum accusativo iunguntur: ut, Virg. Aen. V. 720. *Tum vero in curas animium diducitur omnes:* et Aen. VI. 470. *Nec magis incepto vultum sermone movetur.* Vid. supra p. 61. Quae Ellipsis in verbis vestiendi, rogandi et docendi passivis locum habet: ut, Ovid. Met. II. 850. *Indultur faciem tauri.* Id. Fast. IV. 721. *Palilia poscor.* Plin. XXXV. 18. *Ut pueri ingenui Graphicen, hoc est, picturam in buxo, docerentur.* Vid. supra p. 157. et 179.

Digitized by Google

composita: *Abigo, abstineo, amoveo, abduco, abrado, amitto*, pro *dimitto, avello, avoco*, etc.

7. Dimittendi, relegandi et disiungendi: *Dimitto, relego, disiungo, divello, segrego, separo*, etc. ut, Caes. B. G. II. 5. *His mandatis eum ab se dimittit.*

8. Emendi: *Emo, mercor, foeneror, conduco*: ut, V. Max. IV. 2. *A piscatoribus verriculum trahentibus quidam iactum emerat.*

9. Multa alia diversae significationis verba: ut, *Caveo, declino, deflecto: Discedo, recedo: Affero, do, reddo, fero, reporto: Incipio, ordior: Servo, custodio, vindico: Timeo, metuo, formido*, etc. Cic. Fin. V. 22. *Regem monuerunt, a veneno ut caveret.*

☞ Not. 1. Plurima ex his sunt, quae structuram variant, aut aliam praepositionem admittunt. Nam (1) Cum dativo saepius construuntur verba auferendi, *Aufero, adimo, eripio*, etc. de quibus supra reg. 29. Item, nonnunquam verba arcendi, differendi et distandi, de quibus p. 150. (2) Cum accusativo: ut, *Cavere aliquid*, pro quo et *ab aliquo*, et simpliciter *aliquo* [10]) dicitur. *Interdicere alicui aliquam rem*, et *aliqua re* [11]). *Timere, metuere ab aliquo* et *aliquem* [12]). Virg. Ecl. VIII. 4. *Suos requierunt flumina cursus*; pro *a suis cursibus*. (3) Cum gemino accusativo, verba rogandi, de quibus reg. 30. (4) Cum infinitivo, *Prohibeo, cesso, desino* [13]). (5) Cum subiunctivo, et particulis *ut* vel *ne*, verba orandi, petendi et timendi: cum *ne, prohibeo, interdico*, et (*ne* plerumque omisso) *caveo*: cum *quin* et *quo minus*, eadem *interdico* et *prohibeo*. *Nemo interdicit quin. Nihil prohibet quo minus.* Sic, *Vix contineo me quin involem in capillum*, Ter. Eun. V. 2. 20. *Nequeo mihi temperare quo minus unum exemplum antiquitatis offeram*, Plin. XVIII. 6. Denique cum indefinitis particulis, *an, num, utrum*, etc. verba percontandi.

☞ Rursus, cum aliis praepositionibus (1) Cum: ut, *Differre, discrepare, dissentire, cum aliquo*, pro *ab ali-*

---

[10]) Plaut. Bacc

Digitized by Google

quo: item, *inter se* [14]). (2) De ut, *Emo*, *redimo*, *declino*, *deflecto*. (3.) Ex pro *a*: ut, *haurio*, *sumo*, *habeo*, *percontor*, *scitor*, *sciscitor* [15]). (4) De vel ex: ut, *Audio*, *moveo*, *dimoveo*, *pello*, *aufero*, *tollo*, *cedo*, *colligo*; item, *quaero* cum interrogandi significationem habet. (5) Sine praepositione, *Arceo*, *prohibeo*, *intercludo*, *moveo*, *pello*, *cedo*, *desisto*, *sepono*, *submoveo* [16]): item, *abdico* et *supersedeo*, quae praepositionem expressam respuunt: ut, *Abdicare se magistratu*, *Supersedere labore* [17]). Ut ea omittam quae cum a vel ab composita (ut, *Abalieno*, *abduco*, *abstraho*, *abstineo*, *avello*, *avoco*, etc.) ablativum vi praepositionis verbo comprehensae regere existimantur.

☞ Not. 2. Adiectiva quaedam diversitatis et ordinis, qualia sunt, *alius*, *alter*, *alienus*, *diversus*; et *secundus*, *tertius*, etc. ablativum similiter cum a vel ab adsciscunt: ut, Cic. Fam. XI. 2. *Nec quicquam aliud* [18]) *a libertate communi nos quaesisse exitus declarat.* Virg. Ecl. V. 49. *Tu nunc eris alter ab illo*, Cic. pro Deiot. c. 9, *Alieno* [19]) *a te animo fuit.* Hirt. B. Alex. c. 66. *Ut sacerdos eius Deae maiestate*, *imperio et potentia secundus a Rege habeatur* [20]).

---

14) Confer supra p. 150. et n. illic 13.

15) De tribus postremis vid. supra p. 177. n. 70.

16) Interdum etiam et *Semoveo*: ut, Lucr. II. 19. *Cura semota metuque.*

17) Vid. supra p. 129. n. 50.

18) Ita legit Vossius, Constr. c. 14. extr. qui tamen in aliquibus codd. praepositionem omitti agnoscit. Addit et Ursinus, p. 166. in libris emendatioribus eam non comparere; neque aliam sibi locum probandae huic constructioni suppetere. „De qua tamen ne dubitem, inquit *alter*, *alienus* et *diversus*, significatione τῷ *alius* convenientia, faciunt.“ Similiter absque praepositione, Hor. I. 16. 20. *Neve putes aliunde sapiente bonoque beatum.* Id. Epist. II. 1. 259. *Edicto vetuit, ne quis se praeter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera Fortis Alexandri vultum simulantia.* Phaedr. III. Ptol. v. 41. *Quod si accusator alius Seiano foret.* Varr. R. R. III. 16. *Erithacen vocant, quo favos extremos inter se conglutinant, quod est aliud melle, propoli.* Confer Voss. et Ursin. II. citt. Heins. ad Ovid. Amor. I. 4. 1. et Broukhus. ad Tibull. III. 4. 80. * Apud Hor. Sat. II. 3. 208. *Qui species alias veri, scelerisque tumultu permistas capiet*, vulgo legitur: in quo *alius* cum genitivo (eo more de quo reg. 14.) constructum videatur. At Lambinus *ipi veris* legendum vult: Bentleius sententiam sic dispungit, *Qui species alias, veri scelerisque tumultu Perm. cap.*

19) De varia vocis *alienus* constructione diximus supra p. 90.

20) Cicero *ad* cum accusativo adnibuit, Fin. III. 16. *Quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad Regium principatum.* * At *secundus* pro *inferior*, dativo semper iungitur: ut, Virg. Aen. XI. 441. *Haud ulli veterum virtute secundus.*

Digitized by Google

III. Verba contendendi: ut, *Contendo, certo, bello, pugno*: Item, iungendi et coëundi: ut, *Iungo, coniungo, concumbo, coëo, misceo*, ablativum petunt cum praepositione cum: ut, Ovid. Met. X. 570. *Pedibus contendite mecum.* Cic. Tusc. I. 4. *Coepit adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia iungere* [21]).

☞ Not. In his constructio variat. Nam (1) Frequenter dicimus, *Contendere, certare*, etc. *contra* vel *adversus aliquem*; item, *inter se*; et apud Poetas, *Contendere, certare*, etc. *alicui.* Vid. supra p. 150. (2) *Iungo, coniungo*, usitate etiam dativum adsciscunt: et poetice, *concumbo, coëo, misceo* [22]). Vid. ibid.

IV. Ablativum cum de recipit verbum *mereor*: ut, *Bene* vel *male mereri de aliquo.* Item, *Facio, fit, erit, futurum est*: ut, Nep. II. 2. 6. *Miserunt Delphos consultum quidnam facerent de rebus suis.* Ter. Adel. V. 9. 39. *De fratre quid fiet?* At saepius omissa praepositione: ut, Cic. Verr. I. 16. *Quid hoc homine faciatis?* Id. Fam. XIV. 4. *Quid Tulliola mea fiet?* Ter. Heaut. III. 1. 53. *Quid te futurum censes* [23])?

V. Ablativus cum praepositione ex subiicitur verbis intelligendi, *Intelligo, sentio, cognosco, coniicio, disco, percipio, colligo, audio*: ut, Cic. Att. VI. 9. *Intellexi ex tuis literis, te ex Turannio audisse, a me provinciam fratri traditam.* Id. Fam. II. 11. *Ea certissima putabo quae ex te cognoro.*

☞ De his in universum notanda duo;

---

21) Item verba comparandi, *Confero, comparo, compono*, et *conteldo*, pro *comparo.* Vid. supra p. 165. Quibus adde *communico*, et *participo*: ut, *Communicare, participare aliquid cum aliquo*; pro quibus etiam dicitur (quasi per Hypallagen quandam) *communicare, participare aliqua re*, [Plaut. Mil. I. 1. 61. Lucret. III. 693. Apul. Met. IX. p. 301.] et *participare aliquem rei alicuius*, [Plaut. Cist. I. 3. 17.] et *participare aliquem sermoni*, [Id. Mil. II. 2. 107.] Confer supra p.

Digitized by Google

1) Praepositio, vel alioqui verbi constructio mutata, saepe eius significationem mutat. Ex. gr. * *Audire ex aliquo*, auditionis principium sive ortum; *Audire de aliquo*, obiectum saepius [24]) notat. * *Cognoscere ex aliquo*, i. e. *ab eo certiorem fieri*; *De aliquo*, i. e. *de eo iudicare*. * *Mereri aliquid*; *Mereri de aliquo*. * *Sentire cum aliquo*; *Sentire de aliquo bene vel male*. * *Timere*, *metuere aliquem*, sive *ab aliquo*; *Timere*, *metuere alicui*, sive *pro aliquo* [25]).

☞ 2. Non quaevis verba eiusdem significationis eandem continuo structuram habent. Saepe enim significatio verborum una, constructio diversa. Sed haec ad usum referenda sunt, cui in tanta talium copia multa relinquere necessario cogimur.

APPENDIX II.

De impersonalibus Passivae *vocis.*

☞ 1. Impersonalia passivae vocis, vel ponuntur absolute: ut, Ter. Eun. II. 2. 40. *Quid agitur? Status.* Cic. Phil. II. 41. *Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur.* Virg. Ecl. I. 12. *Usque adeo turbatur agris* [26]).

☞ 2. Vel post se verborum personalium casum recipiunt, praeter accusativum activae vocis: ut, Cic. Invent. I. 30. *Ut maioribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur.* Ovid. Her. VII. 75. *Nec mihi parcatur; puero parcatur Iulo.* Virg. Aen. VI. 179. *Itur in antiquam silvam.* Liv. I. 31. *Haud ita multo post pestilentia laboratum est* [27]).

☞ Not. 1. Hinc sequitur; Verba, quae cum solo dativo construuntur, in passiva voce impersonaliter tantum adhiberi posse: ut, Cic. pro Sext. c. 54. *Quibus vi-*

---

24) Non semper. Cic. enim de Orat. III. 33. *Saepe hoc audivi de patre et de socero meo*; pro, *ex patre, ex socero.* Vid. Vall. Eleg. III. 66.

25) Vid. supra p. 152.

26) Vid. Part. I. p. 271. n. 89. et Alvar. p. 389.

27) Interdum quidem accusativus ab impersonalibus passivis regi vi-

Digitized by Google

ris maxime applaudatur, neminem vestrum fallit. Id. Off. II. 15. *Quia non modo non invidetur illi aetati, sed etiam favetur.* Id. Fam. I. 2. *Eius orationi vehementer ab omnibus reclamatum est.* Non vero, *Qui viri maxime applaudantur, Illa aetas non invidetur, sed favetur, Eius oratio reclamata est* [28]).

☞ Not. 2. Impersonalia passiva, a verbis neutris venientia, interdum fiunt personalia, praeposito eiusdem vel cognatae significationis nominativo: ut, *Cursus curritur, Vita vivitur, Servitus servitur*: eadem scil. ratione, qua, voce activa, *Curro cursum, Vivo vitam, servio servitutem* [29]), dicuntur. Sic Cic. pro Mur. c. 16. *Pugna*

---

28) Atque hoc solo charactere plurima verba neutra ab activis discernuntur. „Omnia enim verba, quae (ut Charisii verbis utar, c. 224.) funguntur incusativo casu, eadem in passivum revertuntur [i. e. sunt activa,] ut *Doceo te, negligo te*; faciunt enim *doceor, negligor.* Si quando autem alio casu fungantur, excepto incusativo, tunc ex sese parere passivum non possunt [i. e. neutra sunt,] sed per tertiam personam passivam significationem exprimunt: ut, *Noceo tibi, consulo tibi, parco tibi, provideo tibi, impero tibi —*: nemo enim dicit, *Noceor, parcor, imperor,* sed [impersonaliter] *Nocetur mihi, consulitur mihi, imperatur mihi.*“ Haec ille: quibus paria habet Diomedes, col. 393. Hanc autem regulam Rhenius sic invertit, p. 862. „Quodcunque verbum in prima vel secunda persona passiva usurpatur, eius activum recipit accusativum.“ * Inveniuntur tamen quaedam in contrarium exempla: ut, Iust. XLIV. 4. 6. *Itaque cum non solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur.* Vitruv. II. 7. *Nocentur a tempestatibus petrae.* Hor. Ep. I. 5. 21. *Haec ego procurare et idoneus imperor.* Id. Art. v. 55. *Ego cur, acquirere pauca Si possum, invideor?* Lucret. II. 54. *Quapropter simul inter se retrahuntur, et extra Officiuntur,* sc. *corpuscula.* Auct. ad Herenn. I. 6. *Si persuasus auditor fuerit,* etc. pro *ei noceretur, mihi imperatur, mihi invidetur,* etc. Ex his autem exemplis haud inepte colligitur, votores nonnunquam in activa voce verbis istiusmodi accusativum addidisse. Et proinde, cum dixerit Cicero, pro Marc. c. 8. *Sed tamen eiusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono.* Et pro Coel. c. 21. *Magnum crimen vel in legatis insidiandis, vel in servis ad hospitem domi necandum sollicitandis*; olim quoque *obstrepere rem*, et *insidiari legatum*, pro *rei* et *legato*, dicta fuisse. De priore confirmat, quod ap. Virgil. in Culice v. 104. *Avium*

Digitized by Google

tur, *Cic. Off.* I. 4. Declinantur contraria, *Id. Nat. D.* III. 13.

Decurrere inceptum laborem, *Virg. Geo.* II. 39. Decursa aetas, *Cic. pro Quinct. c.* 31.

Deficiunt enim omnia, *Cic. pro Font. c.* 11. Mulier consilio deficitur, *Id. pro Cluent. c.* 65.

Desinere artem, *Cic. Fam.* VII. 1. 1. Orationes legi desitae, *Cic. Brut. c.* 32.

Desperare salutem, *Ovid. Pont.* III. 7. 23. Desperabantur praelia, *Mart. Spect.* 22.

Desuevi lenonem, *Titin. ap. Non.* Desueta arma, *Virg. Aen.* II. 509.

Dolere casum alicuius, *Cic. pro Sext. c.* 69. Poena dolenda, *Ovid. Her.* V. 8.

Dubitare aliquid, *Ovid. Met.* VI. 194. Ne auctor dubitaretur, *Tac. Ann.* XIV. 7. 1.

Emergere se ex malis, *Nep. Attic.* XI. 1. Ex flumine emersus, *Cic. Div.* II. 68.

Enavigare Indum, *Plin.* VI. 17. Enavigatus sinus, *Id.* IX. 3.

Erumpere stomachum in aliquem, *Cic. Att.* XVI. 3. Erupti ignes, *Lucr.* I. 724.

Errare quid, *Ter. And.* III. 2. 18. Errata retrorsum littora, *Virg. Aen.* III. 690.

Erubescere aliquem, *Cic. Vatin. c.* 16. Erubescendi amores, *Sen. Controv.* 9.

Evigilavit idem studium cunctos, libros, *Ovid. Trist.* I. 1. 108. Evigilata consilia, *Cic. Att.* IX. 12.

Exhalant flumina nebulas, *Ovid. Met.* XIII. 602. Exhalata anima, *Id. Met.* XI. 43.

Exire tela, *Virg. Aen.* v. 438. Ad exitam aetatem, *Fest. in voc.* ad.

Explosit hoc genus divinationis vita communis, *Cic. Divin. c.* 41. Hi-

934. *al.* efflaret. Furiosaque tibia flatur, *Ovid. Fast.* IV. 341.

Flere aliquem, *Virg. Aen.* VII. 760. Longo quod flebitur aevo, *Sil.* V. 187.

Fugere aliquem, *Ovid. Met.* III. 384. Faupertas fugitur, *Lucan.* I. 165.

Gemere casum alicuius, *Virg. Aen.* I. 221. Hic status una omnium voce gemitur, *Cic. Att.* II. 18. *Sic*, Ingemere aliquem, *Stat. Th.* IX. 2. Clades ingemiscenda, *Ammian.* XXX. 7.

Horrere pauperiem, *Hor. Sat.* II. 5. 9. Horrenda diluvies, *Id. Car.* IV. 14. 27.

Hyemant aquas, *Plin.* XIX. 4. Hiemato lacu, *Id.* IX. 22.

Increpuit sonitum terribilem tuba, *Virg. Aen.* IX. 503. Quae in victoriam Sullanam increpabantur, *Sall. Ep. de rep. ord.* I. 5.

Inolevit nobis Natura amorem nostri, *Gell.* XII. 5. In moribus inlescendis, *Id.* XII. 1.

Iurare Iovem, *Cic. Fam.* VII. 12. Arae iurandae, *Hor. Ep.* II. 1. 16.

Laborare arma alicui, *Stat. Th.* III. 279. Propter quae haec laborantur, *Cic. Fam.* III. 13.

Lacrymare casum alicuius, *Nep.* VII: 6. 4. Lacrymatae cortice myrrhae, *Ovid. Fast* I. 339.

Latrent illum canes, *Hor. Epod.* V. 57. Hunc habentes negant latrari a canibus, *Plin.* XXV. 10.

Ludere aleam, *Suet. Aug.* 70. 5. Luditur alea pernox, *Iuv.* VIII. 10.

Manere aliquem, *Liv.* X. 35. Aetas post mortem manenda, *Lucr.* III. 1088.

Maturare fugam, *Virg. Aen.* I. 137. Maturatur opus, *Iustin.* II. 15. 7.

Mentiri auspicium, *Liv.* X. 40. Mentitae sortes, *Val. Flacc.* III. 618.

M[illegible] aliquem, *passim.* Nimi-

Digitized by Google

Peccare multa, *Cic. Nat. D.* I. 12. Multa peccantur, *Id. Off.* I. 10.

Penetrant aulas et limina Regum, *Virg. Geo.* II. 504. Ut penitus nequeat penetrari, *sc.* India, *Luer.* II. 589.

Perire mulierem, *Plaut. Truc. Arg.* v. 1. Puppis pereunda est probe, *Id. Epid.* I. 1. 70.

Perseverare aliquid, *Cic. pro Quinct. c.* 24. Quatriduo perseverata est inedia; *Iustin.* XII. 6. 15.

Pervigilare noctem, *Cic. pro S. Rosc. c.* 35. In multo nox est pervigilata mero; *Ovid. Fast.* VI. 326.

Plaudere fratrem, *Stat. Silv.* V. 3. 140. Victoria [*al.* victoriae] plauditur, *Cic. Att.* XIII. 44. *Vid. Heins. ad Ovid. Met.* II. 867.

Potare lac, *Geo.* III. 463. Aquae potantur, *Plin.* XI. 37. *Sic*, Epotare medicamentum, *Liv.* VIII. 18. Epota flumina, *Iuv.* X. 177. *Vid. Prisc. col.* 869.

Praevenire desiderium plebis, *Liv.* III. 16. Miles praeventam gloriam intelligit, *Tac. Hist.* I. 6. 2.

Proflare iras, *Plin.* VIII. 4. Proflatur massa, *Id.* XXXIV. 9.

Properare arma alicui, *Virg. Aen.* XII. 425, Haec properentur, *Iuv.* III. 264.

Proruere columnam, *Hor. Car.* I. 35. 13. Proruti lapidum cumuli, *Curt.* IV. 3. 7.

Prorumpit ad aethera nubem Aetna, *Virg. Aen.* III. 572. Proruptum mare, *Id. Aen.* I. 246.

Quadrare acervum, *Hor. Ep.* I. 6. 35. Quadrandae orationis industria, *Cic. Orat. c.* 56.

Quiescent laudes tuas populi, *Senec. Herc. Oet.* v. 1586. Quieta urbs, *Virg. Aen.* XII. 558.

Redundat talia raucis faucibus Vulturnus, *Stat. Silv.* IV. 3. 71. Redundatas flumine cogit aquas, *Ovid. Trist.* III. 10. 52.

Requierunt flumina cursus, *Virg. Ecl.* VIII. 4. Requietus ager, *Ovid. Art.* II. 351.

Residet venter esuriales feriae, *Plaut. Capt.* III. 1. 8. Denicales feriae a nece appellatae sunt, quia residentur mortui, *Cic. de Leg.* II. 22.

Ridere aliquem, *Cic. Fam.* II. 9. Ridear, *Ovid. Pont.* IV. 12. 16.

Rorare imbrem, *Plin.* XVII. 10. Lacrymis oculi rorantur obortis, *Ovid. Her.* V. 97.

Ruere cumulos arenae, *Virg. Geo.* I. 105. Ruta caesa, *ap. ICtos, et Cic. Orat.* II. 55.

Rutilare capillos cinere, *Val. Max.* II. 1. 5. Promissae et rutilatae comae, *Liv.* XXXVIII. 17.

Saltante Bathyllo Cheironomon Ledam, *Iuv.* VI. 63. Carmina nostra saltari scribis, *Ovid. Trist.* V. 7. 25.

Satisfacere pecuniam, *Cato, R. R. c.* 149. Satisfacto iureiurando, *Gell.* VII. 18. *Vid. supra reg.* 25. n. 47.

Silere rem aliquam, *Senec. Hipp.* v. 876. Ea res siletur, *Cic. pro Flacc. c.* 3.

Sitire sanguinem, *Cic. Phil.* V. 7. Aquae sitiuntur, *Ovid. Fast.* I. 215.

Sonat vitium fidelia, *Pers.* III. 21. Alcyonum questus ad surdas tenui voce sonantur aquas, *Albinov. Eleg.* I. 108.

Stillabit ex oculis rorem, *Hor. Art.* v. 429. Electra de ramis stillata, *Ovid. Met.* II. 364.

Stupere aliquid, *Virg. Aen.* II. 31. Stupenda ingentium virtutum penetralia, *Nazar. Panegy. Constant. c.* 6.

Sudant electra myricae, *Virg. Ecl.* VIII. 54. Thura balsamaque sudantur, *Tac. Germ.* 45. 9.

Sufficit humorem satis, *Virg. Geo.* II. 429. In eius locum suffectus, *Liv.* V. 31.

Sufflare ignem, *Plin.* XXXIV. 8. Sufflata cutis, *Id.* VIII. 38.

Suppeditare frumentum, *Cic. Verr.* II. 2. *extr.* Fistulis aqua suppeditabatur templis, *Id. pro Rabir. perduell. c. ult.*

Surgite lumbos, *Plaut. Epid. ult.* Surrecto mucrone, *Liv.* VII. 10.

Suspirat longo non visam tempore matrem, *Iuven.* XI. 152. Suspirati nautis Ledaei fratres, *Sil.* XV. 82.

Tacere quid, *Ter. Eun.* I. 2. 49. In medio Marte tacetur Amor, *Ovid. Amor.* II. 18. 36.

Tremere varios casus, *Senec. Troad.* v. 262. Tremendi oculi, *Ovid. Met.* III. 577.

Triumphavit terram, *Lactant.* VI.

Digitized by Google

23. Triumphatae gentes, *Virg. Geo.* III. 33.
Vaporat Sol laevum latus, *Hor. Ep.* I. 16. 7. Oculos vaporari praecipiunt, *Plin.* XXVIII. 11.

His adde verba neutra, quibus in activa voce accusativus a praepositionibus quibuscum componuntur regi videtur: nt,

Afflat vultus anhelitus oris, *Ovid. Met.* V. 617. Afflata est tellus, *Id. Met.* VI. 707.
Adire aliquem, *Virg. Aen.* III. 456. Adiri Praetores non potuerunt, *Cic. ad Q. Fr.* I. 2.
Anteire nives candore, *Virg. Aen.* XII. 84. Ne ab aliis anteirentur, *Tac. Hist.* II. 101. 2.
Circumire hostem, *Curt.* III. 8. 27. Se belli fluctibus circumiri maluit, *Cic. Phil.* XIII. 9.
Circumsonat orbem Nereus, *Ovid. Met.* I. 187. Geticis circumsonor armis, *Id. Trist.* V. 3. 11.
Circumsistunt hostes impeditum, *Caes. B. G.* V. 43. Ne ab omnibus circumsisteretur, *Id. B. G.* VII. 43.
Circumsidere urbem, *Tac. Ann.* III. 38. 6. Cum a so Caecilius circumsederetur, *Cic. Att.* XIV. 9.
Circumstrepentibus vitam humanam tot minis, *Senec. de vit. beat. c.* 11. Vestibus clamore seditiosorum circumstrepitur, *Tac. Hist.* II. 44. 3.
Circumvenire aliquem, *Sall. Cat.* 53. 20. Circumvenior iudices, nisi subvenitis, *Cic. Brut. c.* 75.
Incubare ova, *Plin.* IX. 10. Ova incubantur, *Id.* X. 54.
Perambulat artus frigus, *Ovid. Her.* IX. 135. Perambulatus Niphates, *Sidon. Car.* 23. 93.
Percurrere polum, *Hor. Car.* I. 28. 6. Quaestiones percursae, *Cic. de Orat.* II. 32.
Pererrare locum, *Virg. Aen.* V. 441. Orbe pererrato, *Ovid. Met.* III. 6.
Permeare orbem, *Lucan.* II. 418. Permeato amne, *Ammian.* XXIV. 2. *extr.*
Pervasit urbem fama, *Liv.* II. 23. Pervasa urbe, *Ammian.* XXIV. 2.
Praeterit ira modum, *Ovid. Fast.* V. 304. Cum bonus vir suffragiis praeteritur, *Cic. Tusc.* V. 19.
Subire pericula, *Ovid. Her.* XX. 175. Inimicitiae subeantur, *Cic. Verr.* V. 71.
Supersedere operam, *Gell.* II. 29. Istis supersedsis, *Apul. Florid.* 18.
Transire flumen, *Cic. Att.* VIII. 12. Rhodanus vado transitur, *Caes. B. G.* I. 6.

Vergere venenum, *Luer.* V. 1008. Spumantes mero paterae vergunntur, *Stat. Th.* VI. 211.
Vigilare noctes, *Hor. Sat.* I. 3. 17. Vigilatae noctes, *Ovid. Art.* I. 735.

* Ex recensitis nonnulla: ut, *Celerare, declinare, erumpere, prorumpere, emergere, deficere, suffivere, maturare, penetrare, ruere, proruere, suppeditare, surgere, vergere*, natura sua activa essè, et, cum absolute sive neutraliter accipiuntur, pronomen reciprocum s e intelligi, ostendunt Perizonius, ad Sanct. III. 3. n. 39, 40, 49, 102, 130, 132. et Ursin. Tom. I. p. 443, etc. De *coruscare, festinare* et *properare*, res haud satis liquida videtur. * Sunt et quaedam neutra, quae voce passiva personaliter constructa inveniuntur, quamvis accusativi cum iis voce activa iuncti exempla non suppetant: ut, Gell. III. 10. *Summus modus adolescendi humani corporis.* Solin. c. 10. *Compluti nautae imbre laxatili.* Virg. Geo. I. 280. *Coniurati fratres.* Id. Aen. IV. 192. *Troiano a sanguine cretus.* Stat. Th. I. 2. *Decertata odiis regna profanis.* Laevi ap. Priscian. col. 869. *Nocte dieque decretum et auctum.* Enn. ap. Cic. Tusc. III. 19. *Deflagrata flamma fana.* Plaut. Menaech. V. 6, 31. *Depugnato praelio veniam.* Cael. ap. Priscian. col. 869. *Discessis custodibus.* Martial. XIII. 59. *Tota mihi dormitur hyems.* Plin. VIII. 18. *Equitantur cameli in praeliis.* Virg. Geo. III. 398. *Excretos prohibent a matribus haedos.* Plaut. Frag. ap. Prisc. lib. IX. col. 872. *Exoleta virgo.* Ovid. Art. I. 508. *Cybeleia mater Concinitur Phrygiis exululata modis.* Hygin. Fab. 26. *Exulatur iterum Medea.* Pers. V. 3. *Hianda tragoedo fabula.* Quadrig. ap. Prisc. col. 869. *Interitis multis.* Lucil. ibid. et

Digitized by Google

Not. 5. Haec sex, *Potest, coepit, incipit, desinit, debet* et *solet* [31]), verbis impersonalibus, tam passivis quam aliis, iuncta, fiunt et ipsa impersonalia: ut, Quinct. X. 1. *Perveniri ad summa, nisi ex principiis, non potest.* Iustin. XII. 6. 5. *Pigere eum facti coepit.* Cic. Nat. Deor. II. 65. *Nec vero universo generi humano solum, sed etiam singulis a Deo consuli et provideri solet.* * Et infinitivo, praeeunte alio verbo: ut, Cic. Tusc. III. 20. *Negat iucunde posse vivi, nisi cum virtute vivatur* [32]).

§. 3. *Regimen INFINITIVI, PARTICIPIORUM, GERUNDIORUM et SUPINORUM.*

1. *De Constructione* Infinitivi.

42. Permultis verbis infinitivus adhaeret:

Huic quoque non raro praemissum mobile cernes.

I. Unum verbum regit aliud in Infinitivo. Vel sic,

Quandocunque duo verba, sine coniunctione vel expressa vel intellecta [1]), iunguntur, alterum est modi infinitivi [2]): ut, Plaut. Pers. v. 1. 10. *Improbus est homo,*

Gell. XVII. 2. *Occaso Sole.* Apul. Met. IX. p. 270. *Oberratis paucis casulis.* Lucret. IV. 767. *Offectum lumen.* Paulin. Id Cyther. v. 562. *Recretis crinibus Samson recepit robur.* Pers. II. 55. *Ovatum aurum.* Ovid. Art. I. 87. *Placitam exorare puellam.* Tac. Annal. XIII. 54, 1. *In quantum Germani regnantur.* Plin. VII. 55. *De reviviscendis corporibus.* Varr. L. L. V. 2. *Longissimum senescendorum hominum spatium.* Solin. c. 57. *Cum ab equario suo molliter sederetur Bucephalus.* Stat. Th. X. 561. *Atria ululata.* * Mitto, *imperor, invideor, insidior, officior, persuadeor,* de quibus n. 28. dictum. Vid. de verbis eiusmodi neutris, Sanct. lib. III. c. 8. et in eum passim Perizon. Lowaeum, Append. p. 55. et seqq. et nos supra, p. 157, 158 et 160. not. 9, 10, 11 et 17. et Part. I. p. 297, etc. n. 4, 5, 7, 8.

31) His addit Saturnius, III. 27. *Quit* et *nequit.* Confer nos supra, Part. I. p. 276. n. 54. et Linac. lib. IV. p. 266.

32) Notat L. Valla, Eleg. III. 46. *Saepius dici, Coepit eum poenitere, Posset te pigere, Desinet me taedere; quam Coepit ille poenitere, Posses pigere, Desinam taedere:* ut, Quinctil. Declam. III. 2. *Poenitere eum facti coepit.* Aliter tamen loquutus Iustinus, XI. 8, 3. *Athenienses, sicuti primi defecerant, ita primi poenitere coeperunt.* Item, Apul. Met.

qui beneficium scit sumere, et reddere nescit. Cic. pro Q. Rosc. c. 16. *Qui mentiri solet, peierare consuevit.* Sall. Cat. 20. 9. *Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam per dedecus amittere?*

II. Infinitivus etiam haud raro nominibus adiectivis subiicitur, praecipue apud Poetas: ut, Quinctil. X. 1. *Lyricorum Horatius fere solus legi dignus.* Liv. XXXI. 18. *Insueto vera audire ferocior oratio visa est.* Hor. Car. I. 1. 18. *Indocilis pauperiem pati.* Ovid. Art. I. 10. *Sed puer est, aetas mollis et apta regi* [3]).

III. Saepe etiam et a substantivis pendet: ut, Virg. Geo. II. ult. *Et iam tempus equum fumantia solvere colla.* Ovid. Met. I. 220. *Signa dedi venisse Deum.* Cic. Fam. IX. 1. *In spem venio appropinquare tuum adventum.* Caes. B. G. VII. 71. *Consilium capit omnem a se equitatum noctu dimittere* [4]).

---

3) Ex his *dignus*, *indignus*, *assuetus*, *insuetus*, *contentus*, et usitatissime *paratus*, prosae etiam Scriptores cum infinitivo iunxerunt: quibus addit Ursinus, p. 861. participia quorum verba cum infinitivis construuntur: ut, *Capiens cognoscere*, *Metuens pollui*, *Meritus relinqui*, etc. Caetera vero apud solos fere Poëtas hanc structuram recipiunt; ut, Hor. Car. I. 3. 25. *Audax omnia perpeti Gens humana.* I. 37. 10. *Quidlibet impotens sperare.* III. 21. 22. *Segnesque nodum solvere Gratiae.* Epist. I. 2. 37. *Fruges consumere nati.* Art. v. 163. *Cereus in vitium flecti.* Virg. Aen. V. 561. *Certa mori.* Ovid. Met. V. 75. *Avidi committere pugnam.* Sil. III. 386. *Sonipes — asper frena pati.* Iuven. XIII. 240. *Natura mutari nescit.* Lucian. I. 505. *O facile dare, summe Deus!* etc. Plura qui volet, Vossium adeat de Constr. c. 51. praecipue vero Vechneri Hellen. I. 21. qui satis largam horum farraginem, quum ex aliis, tum praesertim ex Horatio, qui praeter caeteros hoc genere delectatus videtur, depromptam congessit. Hoc quidem interdum imitati sunt Historici, aliique; sed ii fere qui post Augustaeum seculum prosa scripsere: ut, Val. III. 3. 6. *Difficilis regi.* Id. IV. 6. pr. *Ardua imitatu, caeterum cognosci utilia.* Tac. Hist. IV. 39. 5. *Corrumpi facilia.* Gell. XVII. 9. *Epistola facilis legi.* Plin. XIX. 4. *Facilia conequi.* Mela, II. 1. *Borysthenes potari pulcherrimus.*

4) In his frequentius quidem Gerundiis in di auctores utuntur: at non ita tamen ut alterum illud per infinitum loquendi genus solis Poëtis (quod credidit Valla, I. 25.) sit concedendum. Ex iis enim quae dedimus (et longe plura suppeditant Saturnius, Merc. mai. VII. 10. et Sanctius, III. 6. p. 426.) apparet optimos, etiam in prosa oratione, Scriptores, infinitivum post substantiva satis celebrata adhibuisse: ut merito miratus sit Ursinus, p. 362. Cl. Cellarium, Cur. post. c. 9. haec inter ea quae rariora sunt, nec temere ad prosam orationem transferenda, denuo reponere. Neque hanc rem satis mihi penitasse videtur vir alioquin accuratissimus Sol. Lowaeus, qui Gramm. p. 28. lin. 11. pro Gerundiis rarissime infinito docet utendum. Vid. mox n. 9. [Optimos etiam scriptores infinitivum pro gerundio genitivi post substantiva posuisse docuerunt Drackenb. ad Liv. III, 4. 9. Cortius ad Cic. Epist. ad Divv. I, 5. Goerenzius ad Cic. Academ. II. p. 87. Cfr. infra de Infi-

Digitized by Google

Not. 1. Verbum vel nomen regens interdum reticetur: ut, Virg. Aen. I. 37. *Mene incepto desistere victam?* sc. *decet*, vel *par est*. Cic. Fam. XIV. 1. *Me miserum! te in tantas aerumnas propter me incidisse!* sc. *aequum erat*, vel *oportuit*. Ter. And. I. 5. 10. *Adeon' hominem esse invenustum, aut infelicem quenquam, ut ego sum!* sc. *credibile est* [1]). * Item in his, *Videre est*,

---

nitivo dicta. Sed interdum pro diversa constructione etiam sententiae diversitas obtinet. Ita *tempus est* quando *spatium temporis* significat, genitivum gerundii postulare videtur; sed quando idem est quod *opportunum*, saepe infinitivum adsciscit. Cic. Tuscul. I, 41. *sed tempus est iam hinc abire, me, ut moriar, vos, ut vitam agatis.* Epist. ad Attic. X, 8. *Tempus est, nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare.* Nepos XIII, 13. *Tempus est huius libri finem facere.* Quanquam ita etiam gerundium subiicitur. Plura dedit Heindorfius ad Horatii Satyr. p. 338. G. St.]

5) Haec Ellipsis praecipue locum habet in locutionibus pathos sive affectionem habentibus; ut Bad. Ascensio ad L. Vallae Eleg. II. 14. observatum. Confer et Gronov. Observ. II. 14. et III. 9. quo posteriore loco notat veteres *fortasse*, *scilicet*, *videlicet*, verbis infinitis adiunxisse. [Vid. infra Partic. de Adverb. constr. Observ. n. 4.] * Huc adde Ellipsin verbi *coepit* vel *coeperunt*: ut, Ter. And. I. 1. 119. *Ego illud sedulo negare factum.* Id. Hec. V. 3. 28. *Ille alias res agere se simulare.* Vid. supra p. 8. n. 13. [Diversa hic mixta sunt. Itaque primum dicam de infinitivo interroganti. Recte iam ab Ascensio observatum est, eum καθηκτικῶς poni solere ubi vehementer optemus per interrogationem, aut miremur, aut etiam indignemur. Etenim non propria interrogatio verbis tali modo prolatis inest, sed ficta tantum, et quae ab animi commotione originem ducat. Etenim qui ita dicit: *Mene incepto desistere victam?* is sibi certo propositum esse significat, ut non desistat opere coepto; profert autem sententiam interrogative ad prodendam animi commotionem, quae impedimentis obiectis excitata sit. Similiter nos: *Ich sollte von meinem Vorhaben abstehen?* Iam facile intelligitur, tales interrogationes non solum per — ne interrogativum fieri, sed etiam aliis particulis efferri posse. Magnam copiam exemplorum hanc in rem congessit G. T. A. *Krüger* in libro praeclaro: *Untersuchungen aus dem Gebiete der Lateinischen Sprachlehre. Erstes Heft.* Braunschw. 1820. p. 17. sqq. Cavendum tamen, ne infinitivum illum, qui ponitur quia ex alius cuiusdam mente loquimur, cum hoc, de quo mentimus, confundamus. Sed hanc rem satis accurate tractavit Krügerus l. c. ad quem lectores ablegamus. Videamus igitur, an infinitivus iste pendeat ab omisso aliquo vocabulo. Ea vero etsi plurimorum sententia est, tamen ut secus existimem, plura haud exigui, ut opinor, momenti argumenta efficiunt. Nam primo tam variae formulae sunt suppleudae quibus integrae reddantur tales sententiae, ut id ipsum ellipseos fautores non semel perturbaverit. Deinde apte poni modum infinitum, ubi animus significatur tam vehementi motu concussus esse, ut certam et definitam sententiae rationem explicare perspicue nequeat, nemo negaverit. Ita enim refert oratio imaginem mentis per vim irae, indignationis, metus, eo redactae, ut per infinita cogitationis spatia evagetur neque habeat, ubi certo consistat vel conquiescat. Quae cum ita sint, nulla ellipsis ne hic quidem statui posse videtur, quanquam fateor, ubi huiusmodi sententiam ad perspicuam mentis intelligentiam efformare volueris, aliquid esse assumen-

Digitized by Google

Animadvertere est, Reperire est; supple, *Facultas, potestas, copia*, vel simile. Sic, Virg. Geo. IV. 447. *Neque est te fallere cuiquam.* Ovid. Met. III. 478. *Liceat quod tangere non est*, *Adspicere.* Hor. Sat. I. 5. 87. *Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est.* Liv. XLII. 41. *Verbo obiecta verbo negare sit* [6]).

☞ Not. 2. Intelligitur interdum et ipse infinitivus: ut, Cic. Fam. IX. 22. *Socratem fidibus docuit*, sc. *canere.* Sall. Iug. 84. 1. *Postquam ei provinciam Numidiam populus iussit*, sc. *dari.* Cic. Att. IX. 2. *Cogito in Tusculanum*, sc. *proficisci* [7]).

---

dum, quo omnes appareant eius rationes. Transeo ad infinitivum, quem dicunt historicum, et quem vulgo ab omisso *coepit* vel *coeperunt* pendere opinantur. Is vero si ubique verbi finiti loco poneretur, utique per ellipsin esset explicandus. Nunc vero quoniam certos habet usus, fines, alia ratione utatur necesse est. Enim vero nonnisi ibi recte ponitur infinitivus ille, ubi *celeritas, magnitudo, tristitia* etr. alicuius rei vel describitur vel narratur, ita ut ipse scriptor ea commotus et velut abreptus videatur. Quod quum efficiat infinitum rei sensum, quem definito verbi tempore declarare non possumus, quid magis consentaneum sententiae est, quam ut ponatur modus, rem universe enuncians nec quidquam praeter ipsam actionem significans? Iam vero sponte intelligitur, quam inepte illud *coepit* vel *coeperunt* intelligatur, ut quod non modo faciat nullum magnitudinis illius cuius sensu scribentis animus abreptus esse cogitandus est, indicium, sed etiam orationi magnum afferat languorem. Ceterum male quidam infinitivum *narrativum* crepant, quum non tantum in narratione sed etiam in descriptione habeat locum. G. St.]

6) Sic Senec. Nat. Q. 1. Praef. *Nisi ad hoc admitterer, non fuerat nasci*, hoc est, *non fuerat cur nascerer*, supple *operae pretium*, vel *utile.* Id. Nat. Q. VI. 30. *Quibus ad cadendum male stantibus non erat impelli, sed agitari:* ubi *necesse*, aut alia vox similis, intelligi quidem videtur, at non excidisse: quod perperam existimare Fromondum ad priorem Senecae locum docet Gronovius: apud quem plura eiusmodi videas, Observ. IV. 8. * Cl. Perizonius ad Sanct. IV. 4, 52. in horum nonnullis nihil intelligit, sed interpretatione constructionem expedit: ut in his, Virg. Ecl. X. 46. *Nec sit mihi credere.* Propert. I. 20, 13. *Nec tibi sit duros montes et frigida saxa Adire.* Tibull. I. 7, 24. *Tunc mihi non oculis sit timuisse meis* (in quibus *libido* subaudit Sanctius) sensus sit, *Ne mihi eveniat illud credere, Ne tibi adveniat illud ipsum adire*, sive *ut adeas*, etc. At priorem sententiam, quae haec per Ellipsin explicat, praefert Ursinus, p. 528. Cum Perizonio tamen facit doctissimus Cortius, qui in hoc Sall. Iug. 110, 3. *Fuerit mihi eguisse aliquando* [illegible] *infinitivum pro subiunctivo cum ut* [illegible] *i, ut eguerim* [illegible]

Not. 5. De accusativo quem ante se postulat infinitivus diximus supra, reg. 4.

APPENDIX.

De Infinitivi *natura et usu.*

I. Non inepte hic modus a veteribus quibusdam Verbi nomen est appellatum. Est enim (si non vere ac semper, quod nonnulli volunt, nomen substantivum) significatione certe ei maxime affinis; eiusque vices sustinet per omnes casus. Et quidem manifeste substantivum videtur, cum adiectivum ei additur neutri generis: ut, Cic. Att. XIII. 28. *Cum vivere ipsum turpe sit nobis.* Pers. V. 53. *Velle suum cuique est.* Cic. Fin. I. 1. *Totum hoc displicet philosophari.* Petron. c. 52. *Meum intelligere nulla pecunia vendo.* Item, absque adiectivo: ut, Ovid. Met. II. 485. *Posse loqui eripitur*, i. e. *potestas loquendi.* Plaut. Bacch. I. 2. 50. *Hic vereri perdidit*, i. e. *verecundiam.* Cic. Tusc. V. 39. *Loquor de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare*, i. e. *cuius vita est cogitatio.*

Omnium autem casuum locum supplet:

(1) Nominativi: ut, Cic. Off. I. 35. *Latrocinari, fraudare, adulterare turpe est.* i. e. *latrocinium, fraus, adulterium.* Hor. Ep. I. 1. 41. *Virtus est vitium fugere*, i. e. *fuga vitii est virtus.* Cic. Tusc. III. 10. *In quem cadit misereri, in eundem etiam invidere*, i. e. *misericordia* et *invidentia* [8]).

---

7) Vid. supra p. 127. not. 57. et p. 171. not. 71. * Aliae infinitivi Ellipses vid. ap. Voss. Constr. c. 51. sub fin. ut in his, Ter. And. I. 2. 34. *Ne dicas tibi non praedictum*, sc. *esse.* Virg. Aen. II. 96. *Promisi ultorem*, supple *me fore.* [Vid. supra reg. 4. n. 37.] Item, *Male audit*, puta *sibi dici.* Nam *male*, non cum *audit*, sed *dici* cohaeret, contra quam fit, cum surdastri dicuntur *male* vel *parum audire.* Sic, *Audit bonus*, vel *malus*, integre fuerit, *Audit* dici *bonus*, vel *malus*, ut sit Hellenismus, pro *Audit se dici bonum vel malum.* Denique cum post *solere, consuescere, posse*, honestatis causa infinitivus subticetur: ut, Plaut. Cist. I. 1, 38. *Viris cum suis praedicant nos solere*, sc. *moechari.* Cic. Verr. V. 12. *Mulieres, quibuscum iste consueverat*, sc. *rem habere.* Hor. Epod. XII. 15. *Inachiam ter nocte potes*: ubi quid intelligatur nihil attinet dicere.

8) Sic Ovid. Pont. II. 9, 47. *Didicisse fideliter artes Emollit mores.* Senec. de Benef. III. 1. *Parentes suos non amare, impietas est; non agnoscere, insania est.* Id. Ep. 110. *Nolle in causa est, non posse praetenditur.* * Praecipue vero infinitivus verbis impersonalibus pro supposito est: ut, Cic. Parad. III. 1. *Peccare licet nemini*, i. e. *peccatum.* Plaut. Trin. II. 4, 77. *Verecundari neminem apud mensam decet*, i. e. *verecundia.* Virg. Geo. II. 438. *Iuvat arva videre*, i. e. *id videre arva.*

Digitized by Google

(2) Genitivi: ut, Virg. Ecl. X. 32. *Soli cantare periti Arcades*, pro *cantandi*, seu *cantus*. Stat. Silv. II. 4. 18. *Auditas memor demittere voces*, pro *demittendi*. Cic. Tusc. I. 41. *Tempus est abire*, pro *abeundi*, seu *abitionis* [9]).

(3) Dativi: ut, Sall. Cat. 20. 17. *Et vos servire magis, quam imperare parati estis.* Virg. Ecl. V. 1. *Boni quoniam convenimus umbo; Tu calamos inflare leves, ego dicere versus;* pro, *tu calamis inflandis, ego versibus dicendis.* Ovid. Her. I. 109. *Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis;* pro, *inimicis pellendis* [10]).

(4) Accusativi: ut, Cic. Fam. VII. 14. *Si scribere oblitus es;* pro, *scribendi peritiam.* Hor. Epist. I. 16. 61. *Pulchra Laverna, Da mihi fallere;* pro, *artem fallendi.* Plaut. Poen. I, 2, 100. *Ego amo hanc.* Mi. *At ego esse et bibere;* pro, *esitationem et bibitionem.* Et cum praepositione: ut, Hor. Ep. I. 20. 25. *Celer irasci;* pro, *ad iram.* Id. Stat. I. 4. 8. *Durus componere versus;* pro, *ad componendum.* Id. Car. IV. 12. 19. *Spes donare novas largus, amaraque Curarum eluere efficax* [11]); pro, *ad donandum, ad eluendum.*

---

seu *visio arvorum iuvat me.* Ter. Heaut. II. 4, 8. *Expedit bonas esse vobis*, i. e. τὸ *vos bonas esse expedit vobis.* Vid. supra reg. 36. not. 1. * Sic in passivis: ut, Caes. B. G. VI. 5. *Adesse Romanos nunciatur.* Virg. Aen. I. 408. *Cur dextrae iungere dextram Non datur.* Plin. XI. 51. *Locustas pennarum et feminum attritu sonare creditur:* in quibus infinitivus vel orationis clausula nominativi vicem sustinet. Vid. supra reg. 2. n. 2. * Item in his, *Certum est, aequum est, verum est, facile est, promptum est*, et similibus: ut, Ter. Eun. I. 2, 108. *Ita facere certum est.* Hor. Ep. I. 7, 98. *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est*, i. e. *decet* vel *aequum est.* Cic. Tusc. I. 1. *Facile est vincere non repugnantes.* Ovid. Met. III. 96. *Neque erat cognoscere promptum.*

9) Sic Sall. Iug. 8, 2. *Nisi libido tenet potentiae paucorum decus atque libertatem suam gratificari.* Ibid. 102, 5. *Nobis necessitudinem demeres te et illum persequi.* Liv. XXI. 54. *Nunc corpora curare tempus est.* Nepos, Lysand. 3, 1. *Iniit consilia Reges Lacedaemoniorum tollere.* Cicer. pro Quinct. c. 16. extr. *Eadem te hora consilia cepisse hominis propinqui fortunas funditus evertere.* Propert. III. 1, 14. *Non datur ad Musas currere lata via.* Tibull. III. 2. extr. *Dolor huic et cura Neaerae Coniugis ereptae causa perire fuit.* Atque ita in iis omnibus, in quibus aliter gerundiis in di est locus. Confer omnino Cortium ad Sall. Iug. 89, 3.

10) Sic construuntur *utilis, aptus, habilis, idoneus*, et alia huiusmodi, quae tamen omnia et per accusativum cum ad interpretari possis.

11) Infinitivus accusativi loco duobus modis ponitur:

I. Simpliciter post verbum activae significationis: ut, *Desidero te videre;* pro, *conspectum tuum: Disce silere;* pro, *silentium.* Lucan. IV. 280. *Perdant velle mori;* pro, *voluntatem moriendi.* Iust. II. 6, 5. *Arare et serere frumenta glandem vescentibus monstrarunt;* pro, *arationem*

Digitized by Google

☞ (5) Vocativi: ut, in isto, *O vivere nostrum, ut non sentientibus effluis!* pro, *O vita nostra.*

☞ (6) Ablativi: ut Virg. Ecl. V. 89. *Et erat tum dignus amari;* pro, *amore.* Quinctil. V. 12. *Haec breviter demonstrasse contentus;* pro, *horum demonstratione facta.* Plaut. Epid. V. 11. 55. *Ego sum defessus repe-*

---

et sationem frumenti. Sall. Cat. 10, 4. *Avaritia superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit:* ubi infinitivi eandem manifeste vim habent quam praecedentes accusativi nominum. * In his autem et similibus Graecismus est, Virg. Ecl. II. 43. *Iampridem a me illos abducere Thestylis orat;* pro, *eorum abductionem.* Lucan. IX. 213. *Non deprecor hosti Servari,* q. d. *servationem mei hosti.* ¶ Caeterum de hac structura infinitivi, Not. 1. Eum praecipue locum habere, quando nomina, quibus rem aliter efferre possis, vel deficiunt, vel minus quadrant: ut, *Propono mihi hoc facere, Didici vera dicere, Nescio mentiri,* et extremum illud loci Sallustiani modo allati, *Omnia venalia habere edocuit,* etc. 2. Quando per aliam orationem, cum particulis, *quod, ut, ne, an, quin, qui* sive *quomodo,* et similibus, exponi potest: ut, Terent. Phor. V. 1, 6. *Quum scirem infirmas nuptias hasce esse.* Id. Adel. V. 4, 25. *Ego a meis me amari postulo.* Virg. Ecl. IX. 25. *Caveto occurrere capro.* Plaut. Epid. II. 2, 75. *Quid isthuc dubitas dicere?* Cicer. Acad. IV. 19. *Non dubitabo te monere.* Liv. XXII. 51. *Vincere scis Hannibal, victoria uti nescis.* Haec enim aliter efferre queas: *Quum scirem quod infirmae nuptiae hae essent, Postulo ut a meis amer, Caveto ne occurrere capro,* vel (omissa coniunctione) *Caveto occurras, Quid dubitas an isthuc dicas? Non dubitabo quin te moneam, Scis vincere qui debeas vel possis,* vel *quomodo vincendum sit,* etc. Confer Ursin. p. 364. 3. Quando infinitivus tam activus quam passivus commutatur participio in dus; id quod crebro ac eleganter accidere solet, praeeuntibus *habeo, do, dono, curo;* item quibusdam verbis praecipiendi, *mando, praecipio, edico:* ut, Cic. pro Corn. Balb. c. 14. *Quid habes dicere de Gaditano foedere;* pro, *dicendum,* vel *quod dicas.* Terent. And. III. 2, 4. *Quod iussi ei dare bibere, date;* pro, *bibendum.* Virg. Aen. I. 319. *Dederatque comam diffundere ventis;* pro, *diffundendam.* Id. Aen. V. 260. *Loricam — donat habere viro;* pro, *habendam.* Id. ibid. v. 248. *Argenti magnum dat ferre talentum;* pro, *ferendum.* [Ita haec interpretatur Quinctil. IX. 3. at Ursinus, p. 366. mavult praepositionem ad in his intelligi, pro *ad diffundendum, ad habendum, ad ferendum.*] Ovid. Pont. III. 9, 21. *Quod carmina curem corrigere.* Virg. Ecl. V. 41. *Mandat fieri sibi talia Daphnis;* pro, *corrigenda, facienda,* vel, *ut corrigam, ut fiant.* At de his sub reg. 43. p. 238. aptior erit dicendi locus.

II. Infinitivus vicem subit accusativi, cum praepositionibus ad vel propter. (1) Accusativi cum ad: ut, Cic. Off. III. 13. *Num te emere coëgit,* pro *ad emere,* sive *ad emendum.* Per ratio in *adigo, subigo, compello, impello, voco,* et similibus cum infinitivo constructis. Lucretius praepositionem expressit, V. 943. *Ad sedare sitim fluvii fontesque vocabant,* uti quidem hic locus legitur apud Macrob. Saturn. VI. 1. exstr. pro quo in vulgatis *At* habetur. Speciatim vero huc pertinent, in quibus infinitivus verbis motum ad locum significantibus, pro supino in um, iungitur: ut, Plaut. Bacch. IV. 3. 18. *Parasitus modo venerat aurum petere.* Virg. Aen. I. 527. *Non ferro Libycos populare penates Venimus.* Hor. Ser. I. 23. 9. *Non ego te — frangere persequor;* quod non dictum

Digitized by Google

rire, vos defessi quaerere; pro, [*a* vel *in*] *reperiendo, quaerendo* [12]).

II. Insuper de usu Infinitivi,

Not. 1. Verbis sensuum [13]), affectum [14]), dicendi et significandi [15]), et quibusdam aliis [16]) usitate additur

---

pro, *Non persequor ad frangere te*, sive *ad fractionem te* pro *tui*, ut Vossius interpretatur, p. 436. sed (quod notat Ursinus, p. 867.) pro *non persequor te, fractum*, sive *ad frangendum*. *Te* enim non a *frangere*, sed a *persequor* pendet. Huc etiam referenda sunt adiectiva voluntatem, facultatem; item curam, peritiam, aut aliam animi affectionem significantia, quibus Poëtae loco accusativi cum ad infinitivum subiiciunt, qualium exempla paulo ante dedimus, n. 3. (2) Accusativi cum propter vel ob: ut, Plaut. Aul. II. 4. 29. *Plorat aquam profundere*, i. e. *ob aquam profundendam*. Virg. Ecl. III. 78. *Nam me discedere flevit*, i. e. *ob meum discessum*. Stat. Silv. II. 6. 85. *Erubuit vinci*, i. e. *ob id quod victus esset*. Similis interpretatio est in *gaudeo, gratulor, doleo*, aliisque, infinitivo sociatis. Vid. Sanct. III. 6. Voss. Constr. c. 51. Ursin. p. 867, etc.

12) Sic Hor. Car. III. 8. 26. *Parce cavere*, pro *a cavendo*. Id. Car. II. 4. 22. *Fuge suspicari*, pro *a suspicando* vel *suspicione*. Liv. XXXVI. 35. *Ne ingratis quidem benefacere absistam*; pro, *a benefaciendo*. Plaut. Aul. II. 5. 15. *Ne operam perdas poscere*; pro, *in poscendo*.

13) Ut, *Sentio, animadverto, intelligo, percipio, cognosco, disco, video, audio, deprehendo, censeo, iudico, existimo, duco, statuo, opinor, suspicor, scio, credo, experior, cogito, memini, recordor, obliviscor*, etc.

14) Ut, *Gaudeo, laetor, doleo, aegre fero, spero, confido, miror*, etc. Excipe verba desiderii et timoris, quae *ut* postulant.

15) Ut, *Dico, aio, perhibeo, refero, nuncio, affirmo, nego, scribo, ostendo, demonstro, probo, promitto, polliceor, spondeo, voveo*, etc. [De natura et usu accusativi cum infinitivo nuper plures, sed diversa ratione, disputarunt, quorum sententias referre ab hoc loco non alienum videbitur. Primus rem aggressus est *Willh. Wachsmuthius* in dissert. *de Accusativo cum Infinitivo. Halis Saxon.* 1815. 8. Is non tam naturam et rationem cogitandi, quam initia consuetudinis et analogiam secutus rem explicare studuit. Omnino accusativum primo a verbo praemisso attractum, tunc autem infinitivum adiunctum putat, unde liberiore usu deinceps variae loquendi formae prodierint. Ab hac sententia plane discedit vir quidam doctus in Annalibus Heidelbergensibus a. 1816. p. 987. sqq. Hic enim accusativum pendere vult ab infinitivo, qui regatur a verbo praecedente. Itaque formulam *Cupio te discere* sic interpretatur, ut accusativus *te* pendeat ex infinitivo *discere*, qui propter vim relationis accusativum postulet. Talia autem, *Credibile est, hominum causa factum esse mundum*, ita explicat, ut *factum* ab *esse* affectum et cum voce *mundum* tanquam adiectivum coniunctum esse dicat. Porro activo verbo in passivum mutato, ut in hac sententia: *Graeci traduntur artes invenisse*, ita versat explicationem, ut infinitivum in accusativo positum existimet ad indicandam notionis, quae eo continetur, relationem (*Graeci traduntur κατὰ τὸ invenisse*). Neutra sententia satisfecit H. G. *Gernhardo* V. Cl. qui in *Commentatione grammatica de natura et usu accusativi cum infinitivo apud Latinos*, Wimariae a. 1821. edita, rem denuo sub examen vocavit. Cuius disputationis summam ob rerum gravita-

Digitized by Google

infinitivus, rarius indicativus vel subiunctivus cum

tem et difficultatem licebit ipsius verbis referre. Itaque postquam significavit, se cum Hermanno *de emendanda ratione Graecae grammaticae* p. 142. et 146. proficiscendum esse iudicare in hoc disputandi genere a relationis natura, ita pergit: „Sed, ut iusta sit disputandi ratio, revocari haec omnia debent ad ratiocinationem, quae fit e duarum vel notionum vel enunciationum relatione, in qua verbis significanda haec duo videnda sunt, primum, qua ratione quaeque notio quoque loco cogitari debeat: alterum hoc est, ut, cum plurima verba aliam ex alio relationis genera et constructionem et significationem contrahant, ne licentiae, sed finibus quibusdam circumscriptae concinnitatis studio legitimam dicendi varietatem, et vocabulorum vel enuntiationum, alterius ad alteram, sese applicandi facilitatem deberi putemus. Est autem in ratiocinando triplex relationis genus, distinguendaque ratio inhaerentiae, qua quid est aut substantis, quae nuda per se cogitata omnisque relationis expers casu nominativo exprimitur, ut *liber, iuvenis*, aut tanquam accidens alii rei inhaerere cogitatur, cui inhaerentiae generi accusativus inservit, ut *doceo iuvenem, lego librum*. Altera ratio est consecutionis, qua quid aut causa est, aut effectus; tertia communionis, qua duae res mutuo efficientiae nexu coniunctae sunt. Ad alterum relationis genus quoniam aliquo signo opus est, in consecutione notanda ea coniunctionis particula latine adhibetur, quae causam denotat, *quod;* effectum significat *ut*. Inhaerentiam vero enuntiationum latinae linguae usus non alicuius particulae ope significari voluit, cum Germanice plerumque *dass* utamur, sed ubi conditionis alicuius cogitatio vel declaratio significanda est, conditionis vocabulum per infinitivum, eius autem rei nomen, cuius est conditio, per accusativum indicatur. Nam quae res tanquam accidens cogitari debet h. e. conditionem aliquam notat, per accusativum casum exprimitur addita copula, qua demum praedicati significatio perficitur, ut *regem esse, militem esse*, pro quo si *regnare, militare* dicis, huic verbo praeter copulam regis s. militis praedicatum inest, in quo simul incertum subiectum cogitatur, ut integra sit enunciatio. Neque copula *esse* huno accusativum regere potest, sed praedicatum, quod est accidens, accusativi formam induit propterea, quod, ut nudae substantiae casus nominativus est, sic accidentia, substantiae opposita, si nuda per se cogitantur, non habent alium, praeter accusativum, casum. Itaque *regem esse, Alexandrum esse* hanc ipsam conditionem cum copula, non minus significant, quam adiectiva *fortem esse.*" His disputatis vir doctissimus ostendit, etiam certo ac definito subiecto accusativum aptissime adhiberi, neque libidinose, sed ad naturam relationis convenientissime loquendi usum dici postulasse *te salvum esse, Alexandrum regem fuisse*: atque ita fieri, ut *Socratem sapientem fuisse* neque possit pariter atque *Socrates sapiens fuit*, ipsum per se, sed eo demum pacto intelligi, si exploratum sit, utrum subiectum sit, addito quidem praedicato *Constat, Socratem sapientem fuisse*, an obiectum, ut si dixeris *Cognovi, Socratem fuisse sapientem* (Socratis sapientiam). Eiusmodi autem vox ubi addita sit, apparere ait, definiti subiecti (Socratem) accusativum non rhetoricae, sed syntacticae concinnitatis studio deberi. Quod vero dixit hanc accusativi cum infinitivo constructionem non posse non habere, quo ipsa haec enuntiatio referatur, ne quis talia opponat: *Me miserum, te in tantas aerumnas propter me incidisse!* hanc eorum explicationem profert: *Miser sum, qui sciam, te — incidisse.* Haec omnia autem inde a pag. 7. ita persequitur, ut singula usus genera recenseat exemplisque illustret, quae omnia apponere longum est. Hoc unum addimus, quod

Digitized by Google

quod[17]): ut, Ovid. Her. XX. 195. *Scit se promittere falso.* Cic. Att. VIII. 12. *Miror te ad me nihil scribere.*

---

p. 9, monetur, verbis *pergo*, *consuevi*, *soleo*, *debeo*, *possum*, al. nudum infinitivum adiungi propterea, quod infinitivus sufficiat ad definiendam eam, quae in verbo finito sit, vel officii, vel consuetudinis, facultatis, studii, cupiditatis, notionem, quae non rem aliquam tanquam accidens postulet, sed suae notionis descriptionem s. nudam praedicati cum copula significationem h. e. infinitivum; inde non modo dici *potes scribere*, sed etiam *debes, esse iustus*, *studes fieri dives*; sed in numero verborum auxiliarium, quae cupiditatem, voluntatem, studium significent, ea esse eiusmodi, ut quemadmodum substantivi accusativum non repudient, sic accusativum cum infinitivo haud raro recipiant. Cic. Catil. I. 2. *Cupio me esse clementem.* Offic. II. 21. *Gratum se videri studet.* Ibid. I. 19. *Principem se esse mavult quam videri.* Atque ad horum verborum similitudinem, quae nunc nominativum praedicati, nunc accusativum cum infinitivo adsciscant, ab usu accusativi cum infinitivo deflexisse indicat passiva verba, de quibus supra mentionem iniecimus, ut pro *Dicitur, Socratem sapientem fuisse* Latini maluerint *Dicitur Socrates sapiens fuisse.* Ceterum cfr. Grotefendi Grammatic. §. 214. et Znmptium p. 288. sqq. G. St.]

16) Ut, *Solet*, *caepit*, *incipit*, *desinit*, *potest*, *quit*, *nequit*, *est*, pro *licet*, *debet*, etc. At haec variationem per quod omnino respuunt.

17) Sic Brut. ad Att. ap. Cic. Ep. ad Brut. 17. *Dolet mihi quod tu non stomacharis.* Ibid. pr. *Scribis mihi, mirari Ciceronem, quod nihil significem de suis actis.* Suet. Aug. 43. 9. *Ut vetenderet, quod erat bipedali minor.* [Videlicet verba animi affectionem indicantia, ut *doleo, gaudeo*, *miror*, *queror*, non solum iucunditatis vel iniucunditatis, sed etiam sentiendi et animadvertendi significationem comprehendunt, ut non sit mirum, *quod* causale, ut ita dicam, apponi solitum esse. Neque tamen putare licet nullum inter utramque constructionem discrimen obtinere. Etenim accusativum cum infinitivo postulant, ubi significant, cum dolore, gaudio etc. animadvere, ut primum illud, ab Gernhardo memoratum, relationis genus, quod est inhaerentiae, locum habeat. Sed pertinent eadem ad alterum relationis genus, quod consecutionis est, qua quid aut causa est aut effectus. Et gaudii quidem doloriave in animo effecti causa indicari post haec verba solet per particulam *quod*. Unde quid differant duae istae constructiones, facile intelligitur. Apud Liv. III. 52. verba: *scituros, quod sine restituta potestate redigi in concordiam res nequeant* varie tentata sunt. vid. Drackenborch. ad h. l. coll. Sanctio. Minerv. III. 14. ibique Perizon. Voss. Aristarch. VII. 20. et 62. Vorst. de Lat. falso susp. c. 24. Gronov. ad Plauti Asin. I. 1. 87. Mihi Livii certe loco *quod* recte habere et propria vi positum esse videtur. Etenim ne coniunctio quidem primitus aliud quid quam pronomen relativum neutrius generis valuit. Itaque verba sic accipio: *Scituros illud, quod* etc. ut sententia cum gravitate quadam proferatur atque ita, ut praeteritorum temporum memoria in animis revocetur. Similis ratio est loci Plautini *Scio iam filius quod amet meus* h. e. Illud quidem, quod homines dicunt, filium meum amare, mihi probe cognitum est. Neque locus Ciceronis alio modo explicandus. G. St.] * Eleganter nonnunquam in his *cum*, pro *quod*, adhibetur: ut, Plaut. Capt. V. 1. 1. *Iovi Diisque ago gratias merito magnas, Quom te reducem tuo patri reddiderunt, Quomque ex miseriis plurimis me eximerunt.* Cic. Fam. XIII. 24. *Tibi gratias ago, cum tantum literae meae potuerunt*: et Fam. IX. 14. *Gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam*: e

Digitized by Google

Ter. And. III. 5. 15. *Annon dixi hoc esse futurum.* * Item, Plaut. Asin. I. 37. *Scio iam filius quod amet meus*; pro, *filium meum amare.* Id. Bacch. IV. 9. 150. *Vos nunc ne miremini quod non triumpho*; pro, *me non triumphare.* Cic. Att. X. 4. *Cum scripsisset, quod me cuperet ad urbem venire*; pro, *se cupere me ad urbem venire.*

☞ Not. 2. Verbis voluntatis [18]), praecipiendi [19]), orandi [20]), et ubicunque fere res futura significatur [21]),

---

XVI. 16. *Gratissimum feceris, cum cum indignum ea fortuna amicum nobis quam servum esse malueris.* Et Fam. VII. 28. *Memini cum mihi desipere videbare, quod cum istis potius viveres quam nobiscum. — Nunc contra vidisse mihi multum videris, cum te in Graeciam contuleris*, etc. ubi multis tum scriptis tum cusis codicibus, *memini quod, videris quod*, legitur. Confer Gronov. ad Liv. XXXIX. 12. et Ursin. p. 378. * An vero quod et ut inter se permutentur, vid. mox n. 28.

18) Ut, *Volo, nolo, malo, cupio, opto, permitto, sino, patior*, etc. At haec longe usitatius cum infinitivo construuntur.

19) Ut, *Impero, mando, praecipio, edico*, etc. His autem non inusitate quidem infinitivus, sed usitatius subiunctivus cum ut vel ne apponitur; et infinitivus quidem praeeunte dativo vel accusativo, subiunctivus praeeunte solo dativo: ut, Caes. B. G. VIII. 27. *Equitatum procedere imperat.* Et V. 36. *Suis ut idem faciant, imperat.* Sall. Iug. 14, 1. *Micipsa pater meus moriens praecepit ut*, etc. Cic. Amic. c. 20. *Recte praecipi potest in amicitiis, ne*, etc. Virg. Aen. III. 234. *Sociis tunc arma capessant Edico, et dira bellum cum gente gerendum.* [ubi priore loco *ut*, posteriore *esse* intelligitur.] Vid. post reg. 48. n. 48. * De *iubeo*, vid. supra p. 127. n. 57. * De ut cum verbis *accidit, adducor, ago, committo, facio*, vid. Maior. de var. orat. p. 380. et seqq. et Gocien. Observ. L. L. p. 844 et 845.

20) Ut, *Oro, rogo, postulo, peto, flagito, precor, quaeso, obsecro*, etc. In his autem longe frequentius subiunctivus cum ut vel ne adhibetur.

21) Sic, *Paro, cogo, impello, urgeo, decerno, statuo, constituo, facio, studeo*, etc. Item impersonalia, et impersonaliter posita: ut, *Libet, licet, decet, oportet, expedit, conducit, prodest, obest, nocet, refert, interest, praestat, sequitur*, etc. Et hae formulae, *Aequum est, par est, certum est, fas est, nefas est*, et similia. At his rarius subiunctivus cum ut apponitur. [De his et praecedentibus proxime praeceptis ita statuendum. Duplicem habet *ut* significationem, qua vel consilium animo conceptum vel eventum alicuius rei indicat. Itaque ubicunque *finis* vel *eventus* significatur, recte ponitur vel potius necessario ponenda est ea coniunctio, ut si dicas; *Hoc tibi significavi, ut scires quid esset faciendum.* Hinc intelligitur, verba voluntatis, praecipiendi, orandi, et similia, cum *ut* esse construenda, quando *consilii* vel *finis* significatio facienda sit; sed verba *Accidit, contingit, evenit, factum est* ideo adsciscere *ut*, quia eventum rei significent. Nam *Accidit ei ut interficeretur* nihil est aliud, quam *Fortuna eius haec fuit, ut* — quibus verbis significetur eventus. Difficilior videtur interpretatio formularum: *aequum est, par est, convenit, praestat, efficitur, sequitur, necesse est, opus est, ut.* Sed videtur tantum, non est revera. Etenim eventus duplicis generis est, aut qui re vera futurus est vel adest vel adfuit, aut qui fuisse vel futurus esse ani-

Digitized by Google

vel infinitivus, vel subiunctivus cum ut, sublici potest: ut, Ter. And. V. 5. 27. *Vis me uxorem ducere?* vel, *ut uxorem ducam* [22]). Mart. I. 89. *Non aliter cineres mando iacere meos;* vel, *ut cineres mei iaceant.* V. Flacc. III. 447: *His orat vigiles incumbere curas;* vel, *ut his vigiles curae incumbant.* Ter. Heaut. V. 2. 28. *Modo liceat vivere, est spes;* vel, *ut vivamus* [23]).

---

mo cogitatur. Illius significatio apud verba paullo ante memorata locum habet; huius post *efficitur, sequitur,* etr. Nam formula, *His argumentis efficitur, ut deum esse credi oporteat* nihil aliud significat quam: *vis et efficacia horum argumentorum haec est, ut deum esse credi oporteat.* Neque secus res habet, ubi *par est, aequum est ut* ponitur. Nam *Aequum est ut gratiam referas* idem est quod, *Meo iudicio aequi haec est vis ut gratiam referas.* Idem sentio de formulis *verum est ut,* de qua vid. Bremi ad Corn. Nepot. Hannib. 1. et *verisimile est ut,* quam illustrarunt interptt. Cic. p. Rosc. Amer. 51. §. 121. Heusing. ad Off. II. 22. extr. Nam quod Corn. Nepos l. c. dicit: *Si verum est, ut populus Romanus omnes gentes virtute superaverit,* id re accuratius perpensa nihil aliud significare videbitur quam hoc: *Si rerum gestarum revera hic fuit eventus, ut p. R.* vel *si re vera testatum est atque certum, ut p. R.* etr. Sed sapienti sat. G. St.]

22) Multis ex hisco cum subiunctivo constructis ut eleganter intelligitur. Ter. Heaut. V. 5. 21. *Syro ignoscas volo.* Ovid. Met. XIV. 28. *Nec medeare mihi saneque haec vulnera mando.* Id. ibid. v. 587. *Nunc sis mitissimus oro.* Ter. Phor. II. 2. 33. *Post illa iam, ut lubet, ludas licet.* Sic Ter. Hec. IV. 2. 17. *Te cognatos deserere nolo.* Id. Heaut. IV. 8. 23. *Nolo mentiare.* Id. Eun. I. 1. 21. *Mori me malim.* Id. Heaut. V. 1. 55. *Abeat malo quovis gentium quam,* etc. And. I. 1. 126. *Sine nunc meo me vivere modo.* Eun. I. 2. 105. *Hoc modo sine te exorem,* etc. Confer infra reg. 71. n. 1.

23) Ut et quod apud veteres promiscue sumi, atque inter se nullo sensus discrimine commutari contendunt, multisque exemplis probatum eunt, Scioppius in Auctar. Mariang. c. 6. p. 49. et seqq. et Vorstius de Latin. fals. susp. c. 24. Nec inficiandum est nonnullam veri speciem eorum sententiam prae se ferre. V. gr. in his quod pro ut poni videtur. Vitruv. lib. X. init. *Utinam Dii fecissent quod ea lex etiam populo Rom. esset constituta.* Ascon. in Verrin. 2. *Mos veterum fuit, quod Praetor soleret pronunciare DIXERUNT.* Ovid. Trist. V. 1. 16. *Praemoneo nunquam scripta quod ista legat,* etc. Rursus in istis, ut pro quod; Plaut. Amph. II. 2. 112. *Quis nisi vos narravit mihi illic ut fuerit praelium.* Id. Bacch. II. 2. 24. *Scis tu ut confringi vas cito Samium solet.* Liv. XXII. 53. *Ex animi sententia iuro, ut ego remp. non deseram.* C. Nep. Hannib. 1. pr. *Si verum est ut populus Rom. omnes gentes virtute superarit.* Plaut. Merc. IV. 4. 39. *Potin' ut molestus nesis.* Plura eiusmodi adferunt praenominati Scriptores: quibus addit Gifanius, Observ. in L. L. p. 280. ex Cic. de Divin. *Non est igitur ut mirandum sit:* et Hor. Epist. I. 12. 2. *Non est ut copia maior Ab Iove donari possit tibi.* At mihi hic placet Cl. Boecleri in Chrestomath. Ter. *ἐπεξήγησις,* quam et suam facit Ursinus, Part. I. p. 1101. „Solet fieri, *inquit,* ut a consequenti per interpretationem, et diversa supplendi explicandique genera, unus diversarum locutionum sensus emergat; quae tamen locutiones et formulae, quantum ad causas linguae Latinae et ratio-

Digitized by Google

☞ Not. 3. *Dubito, et dubitum est,* Infinitivum nonnunquam, saepius vero subiunctivum cum an, num, utrum, et (si *non* praecedat) quin, recipiunt: ut, Nep. Praef. *Non dubito fore plerosque, Attice,* etc. Ter. Hec. III. 1. 46. *Periisse me una haud dubium est.* * Iustin. XXI. 2. 4. *Diu dubitavit, imperium deponeret, an bello resisteret* [24]). Cic. Attic. XVI. ult. *Non dubito, quin mirere, quod tecum de eadem re agam saepius.* Ter. And. I. 2. 1. *Non dubium est, quin uxorem nolit filius.*

---

nea Grammatices attinet, non sunt pro iisdem habendae." Et sane (quod notat idem Ursinus, Part. II. p. 375.) alioquin certum est quod et ut distinctae significationis ususque esse; atque aliud esse v. g. *Dic quod veniat,* et *Dic ut veniat; Nuncia quod prodeat foras,* et *Nuncia ut prodeat foras:* quorum illa simpliciter rem fieri, haec gerendam notant. Sic proprie aliud est, *Audivi quod fuerit praelium,* et *Audivi ut fuerit praelium;* quatenus illud rem auditam declarat et specificat, hoc modum eius indicat. [Recte Boeclerus eumque secutus Ursinus. G. St.]

24) *Dubito an, haud scio an, nescio an,* sensu fere affirmante, non vero negante, veteres adhibuisse iamdudum a Criticis notatum: ut, Nep. Thrasyb. I. 1. *Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam,* i. e. *existimo hunc merito primum omnium ponendum.* Quinctil. I. 4. *Nam et quaedam participia an verbi appellationes sint dubitari potest, quia aliud alio loco valent,* ut lectus *et* sapiens, *i. e.* interprete Perizonio, p. 118. *Quaedam participia videntur aliquando potius esse appellationes verbi, hoc est, nomina verbalia, quam vera participia.* Cic. Fam. IX. 7. *Nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat* [Caesar,] i. e. *Nonnulli credunt Caesarem per Sardiniam esse venturum.* Sequitur enim, *Illud enim adhuc praedium suum non inspexit.* Sic Ter. And. III. 2. 45. *Atque haud scio an quae dixit sint vera omnia.* Cic. Fam. IX. 14. *Contingit tibi quod haud scio an nemini:* et ibid. Ep. 15. *Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum.* Id. Brut. c. 88. *Eloquentia quidem nescio an parem habuisset neminem.* V. Max. I. 1. 14. *In his quae ad custodiam religionis attinent, nescio an omnes M. Attilius Regulus praecesserit.* Senec. de clem. c. 6. *Quotusquisque accusator vacat culpa? et nescio an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere saepius meruit.* In quibus, et innumeris eiusmodi aliis, per formulam, *haud scio an,* vel *nescio an,* significo me rem aliquam verisimiliter credere, sive nihil me in contrarium, aut quo minus res ita se habeat, scire: eo nimirum sensu quo vulgo *haud scio an non,* [et Germanice es dürfte wohl,] dicimus. Vid. Nov. Meth. p. 580. Perizon. p. 331. n. 47. in primis vero Vorstium, Lat. mer. suspect. c. 28. Dantur tamen quaedam exempla, in quibus hae locutiones negative accipiendae sunt: ut, V. Max. *Nescio an hoc quicquam admirabilius contigerit.* Et Id. IX. 8. 1. *Nescio an eiusdem fuerit hoc dicere et sic vincere.* Cic. Tusc. III. 8. *Sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit.* Plin. Epist. VII. 19. *Doleo enim maximam feminam eripi oculis civitatis, nescio an aliquid simile visuris.* In hoc autem Cic. de Senect. c. 16. *Mea quidem sententia haud scio an ulla possit esse beatior* [vita,] *an nulla* legendum contendit Methodi Auctor. l. c. Qua ratione, pro eo quod vulgo ap. C. Nepot. Timol. I. 1. legitur, *Huic uni contigit quod nescio an ulli;* et ap. Cic. Fam. IX. 9. *Quod nescio an ulli unquam nostro acciderit imperatori;* et de Orat. II. 4. *Omnium autem inceptio-*

Digitized by Google

☞ Not. 4. Verba timendi: ut, *Timeo, metuo, vereor, paveo*, sensu affirmativo cum ne, sensu negativo cum ut vel ne non, construuntur: ut, Ter. And. I. 5. 54. *Timet ne deseras se.* Id. Phor. V. 7. 8. *An verebamini, Ne non id facerem quod recipissem semel?* Cic. Att. XI. 22. *Videris vereri ut epistolas illas acceperim*, i. e. *ne non acceperim.* Ter. And. II. 2. 12. *Id paves, ne ducas tu illam, tu autem ut ducas*, i. e. *tu metuis, ne illam uxorem ducere cogare; tu autem, ne non ducas*, vel *ne alius eam ducat* [25]). * Rarius autem in his infi-

---

rum, quae sunt innumerabiles, haud scio an ulla sit maior, scriptum primitus fuerit, *an nulli*, et *an nulla*. Qualem mutationem aliis ap. Ciceronem locis faciendam existimat idem Methodi Auctor. At constantem omnium librorum lectionem haud temere sollicitandam ostendunt superiora illa, in quibus eiusmodi mutationi non est locus. [Res nuper admodum a pluribus in examen vocata est, veluti a *Gernhardo* ad Cicer. Cat. Mai. c. 16. 56. a *God. Hermanno* in Epheremidibus litter. Lipsiensibus a. 1819. n. 122. sq. *Schüppio* in libello: *Philolog. krit. Untersuchung über die Redensarten nescio an ullus u. nescio an nullus, Hanau*, 1820. 8. *Doelekio:* (in *der kritischen Bibliothek. Hildesh.* 1821. n. 5. p. 432) *Beiero* in Excursu XI. ad Cicer. Offic. I. et iterum a *Gernhardo* in commentat. *De Latini sermonis formula nescio an vel haud scio an.* Wimar. 1822. edita, quibuscum conferendi sunt antiquiores grammatici *Manutius* ad Cic. Epist. ad Divv. VI. 7. IX. 9. et 14. *Duckerus* ad Flor. III. 12. 6. *Drackenborch.* ad Liv. XXXVII. 54. 16. *Burmannus* ad Quintil. XII. 11. p. 1108. *Westerhov.* ad Terent. Adelph. IV. 5. 33. I. M. *Heusinger* ad Cic. Offic. 1. 11. *Vorstius* de Latin. merito suspect. c. 28. p. 240. sqq. *Cyr. Guntherus* in Latin. restit. Vol. II. c. CXVIII. *Turcellinus* de particulis s. v. *Bünemannus* ad Lact. VI. 20. 27. *Ernesti* in Clave Cic. s. v. *haud. Scheller* Observv. p. 172. et in Praec. Styli p. 475. *Meinerus* in libro inscr. *Uebersicht aller zum lat. Sprachstud. gehör. Partikeln* p. 47. Vides tantam esse eorum multitudinem, ut singulorum sententias referre ab hoc loco alienum sit. Itaque hoc saltem monere placet, probe distinguendum esse inter *nescire* et *haud scire*, quod quum plerique omnes neglexissent, in varios errores inciderunt. Sed hanc rem quominus uberius exponam, consilium huius operis vetat. G. St.]

25) Contraria igitur significatione adhibentur hae formulae, *Vereor ne*, et *Vereor ut.* Priore utimur, cum ne aliquid eveniat, quod nolimus; posteriore autem, ne non aliquid eveniat quod velimus, timere nos significamus: sive (ut optime hanc rem explicavit Cl. Perizonius ad Sanct. IV. 15. n. 28 et 29.) *Vereor ut hoc fiat*, et *Vereor ne hoc fiat*, i. e. cum sollicitudine et metu contrarii, desidero ut hoc fiat, vel non fiat. Hoc tamen discrimen non perpetuo ab antiquis illis servari docent Linacer, p. 400. Budaeus ap. Ascens. Epit. L. Vallae, II. 18. p. m. 118. Sanct. p. 812. Scioppius Auctar. Mariang. Epist. VI. p. 55. Davisius ad Cic. Tusc. II. 19. a quibus adferuntur quaedam loca, in quibus *Vereor ne*, pro *Vereor ne non*, et *Vereor ut*, pro *Vereor ne* accipi volunt: qualia sunt, Cic. Att. VI. 4. *Quod autem abfuisti, vereor ne satis diligenter actum in Senatu sit de literis meis.* Id. Att. VII. 12. *Si manet, vereor ne exercitum firmum habere possit*; pro, *vereor ne non actum sit, ne non habere possit.* Item, Cic. pro Marc. c. 4. *Vereor ut hoc quod dicam non perinde intelligi possit, atque ego cogitans sentio.* Et Tusc. II. 19. *Ve-*

Digitized by Google

nitivus adhibetur: ut, Hor. Car. III. 11. 10. *Metuit tangi*, i. e. *ne tangatur*. Ovid. Trist. I. 1. 124. *Sed vereor tardae causa fuisse morae*, i. e. *ne causa fuerim* [25]).

☞ Not. 5. Post haec verba, *Spero*, *puto*, *affirmo*, *suspicor*, et similia, locum futuri infinitivi eleganter supplent *fore* vel *futurum* [*esse*,] sequente ut cum subiunctivo: ut, Cic. Att. XVI. 18, *Nunquam putavi fore ut ad te supplex venirem*; pro, *Nunquam putavi me ad te supplicem fuisse venturum*. Id. Fam. I. 6. *Valde suspicor fore ut infringatur hominum improbitas*, h. e. *hominum improbitatem infractum iri*. Sic Senec. Controv. II. Prooem. *Scio futurum, ut auditis eius sententiis, cupiatis multas audire*. Caes. B. C. III. 101. *Existimabant plerique futurum fuisse, ut oppidum amitteretur* [27]), [28]).

☞ Not. 6. Amphibolia ex gemino accusativo, in infinito activo, solvitur conversione verbi activi in passivum. Sic istud, *Lachetem audivi percussisse Demeam* (ubi nescias an Laches Demeam, an Demea Lachetem percusserit,) sic convertes, *A Lachete audivi percussum Demeam* [29]).

---

remur ut hoc natura non patiatur; pro, *vereor ut possit*, *ut patiatur*. Sed haec aliaque his similia, quae ex bonis Auctoribus adferri solent huius constructionis exempla, vel ex corruptis Codicibus hausta, vel aliter intelligenda, ostenderunt Vossius de Constr. c. 67. Ursinus, p. 469. in primis vero doctissimus Perizonius, l. c. et Sam. Clarkius ad Caes. B. C. V. 39. [al. 45.] quibus omnino adiungendus, qui prolixam atque accuratam de his formulis dissertationem dedit, Novae Methodi Auctor Gallus, p. m. 523. et seqq.

26) At in talibus, *Metuit tentare*, *Timet venire*, *Vereor dicere*, solo infinitivo, non vero subiunctivo cum *ne* vel *ut*, posterius verbum locari exigit. Vid. Ursin. p. 364. extr.

27) Cum verbis quae supino, atque adeo participio futuro, carent, haec circumlocutio necessaria est: ut, *Spero fore*, vel *futurum esse*, *ut te huius rei poeniteat*. *Puto fore ut brevi his incommodis medeare*. Cic. Tusc. I. 34. *Spero fore ut contingat id nobis*. Senec. Controv. 2. *Nunquam putavi futurum, ut pater meus liberos odisset*. Vid. Alvar. p. 363. et confer Ursin. To. I. p. 601. et To. II. p. 369.

28) De iis qui negant *ero* vel *futuro*, et *forem* vel *fore*, cum participio futuro copulari posse, vide supra Part. I. p. 307. n. 30. et exemplis ibi in contrarium allatis adde Senec. de Benef. V. 21. *Nec ab ullo beneficium repetam, nisi a quo non ablaturus ero, sed recepturus ero*. Id. Epist. 9. *Et tamen non vivet, si fuerit sine homine victurus*. Liv. XXIII. 43. *Nolle ominari quae captae urbi cessura forent*. Traian. Epist. ad Plin. X. 82. extr. *Si in urbem versus venturi essent, mihi scribes*. Propert. IV. 5. 32. *Postmodo mercata pace premendus erit*. Quinctil. I. 5. *Hic erit alendus ambitu*. Similia vide ap. Cic. Orat. II. 85. Liv. XXVIII. 5. XXIX. 8. 15 et 28. XXX. 2. XXXI. 11 et 38. XXXVII. 10. 15 et 51. XXXIX. 35. XLII. 40 et 46. XLIV. 7 et 8. Senec. de Otio Sap. c. 30. de Benef. I. 10. II. 15. III. 18. IV. 22 et 40. V. 25. Epist. 74. 76. 89. 92. 94. N. Quaest. II. 1. Quinctil. Inst. 1. Prooem.

Digitized by Google

2. *De generali* Participiorum, Gerundiorum et Supinorum *Constructione.*

43. Quos sua verba dabant, sibi Participantia casus,
Atque Supina petunt, pariterque Gerundia iungi.

Participia, Gerundia et Supina regunt casum suorum verborum:

Participia: ut, Cic. pro Q. Gall. *Quidam nominatus Poeta.* Virg. Aen. IV. 267. *Heu regni rerumque oblite tuarum.* Hor. Car. II. 2. 15. *Crescit indulgens sibi dirus hydrops.* Virg. Aen. VI. 170. *Non inferiora secutus.* Val. Max. VII. 2. exter. 9. *Malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.*

Gerundia: ut, Iuv. XIV. 215. *Parcendum est teneris.* Liv. XXXV. 54. *Aetoli consilium ceperunt Lacedaemonem occupandi.* Ovid. Art. III. 65. *Utendum est aetate; cito pede labitur aetas.*

Supina [30]**:** ut, Virg. Aen. II. 786. *Aut Graiis servitum matribus ibo.* Liv. III. 25. *Legati ab Roma venerunt quaestum iniurias, et ex foedere res repetitum.* Caes. B. G. VII. 66. *Romanos* [ait] *usu rerum necessariarum et dignitate spoliatum iri* [31].

☞ Not. 1. Nomina verbalia, tam substantiva quam adiectiva, casum sui verbi interdum adsciscunt: ut, Cic. de Leg. I. 15. *Iustitia est obtemperatio* [32] *scriptis legibus.* Id. Top. c. 5. *Abalienatio est eius rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio.* Plaut. Amph. I. 1. 12. *Opulento homini servitus dura est.* Sall.

---

29) Haec ipsius Quinctiliani praeceptio est, Inst. VII. 9. ubi et similis amphiboliae exemplum adfert illud Apollinis responsum, *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*

30) Priora intellige, nam posteriora nullum sibi casum subiectum habent.

31) Sic Cic. Div. I. 82. *Vaticinatus est madefactum iri minus tri-*

Digitized by Google

Cat. 32. 1. *Quod insidiae Consuli non procedebant* [33]). Sic, *Studiosus adulterio*, ap. Plaut. Mil. III. 1. 207. *Cumque sit ignis aquae pugnax*, ap. Ovid. Met. I. 432. [34]). * Sic et Participalia in bundus: ut, Iust. VI. 8. 15. *Atque ita veluti gratulabundus patriae exspiravit.* Sisenna ap. Gell. XI. 15. *Populabundus agros ad oppidum pervenit.* Liv. XXV. 15. *Vitabundus castra hostium.* .* Rariora sunt haec, Caes. B. G. I. 5. *Domum reditionis spe sublata.* Cic. Divin. I. 32. *Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari* [35]). * Item haec aliaque eiusmodi antiquioribus tantum usitata. Plaut. Amph. I. 3. 21. *Quid tibi hanc curatio est rem* [36])*?* Id. Cas. II. 6. 54. *Quid tibi isthunc tractio est?* Id. Rud. II. 6. 18. *Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio? quidve hinc abitio? quidve in navem inscensio.*

---

33) Videri possit in his participium aliquod desiderari, ut *faciendus, praestandus;* vel *factus, praestitus;* et similia. Sic, *Iustitia est obtemperatio scriptis legibus*, sc. *praestita; Servitus opulento homini*, sc. *praestanda; Quod insidiae Consuli* (sc. *factae, structae*) *non procedebant.* Sed quamvis haec participia explicationis loco admitti possunt, nullam tamen eorum ad sententiam, quae per se plena est, integrandam subesse necessitatem notat Ursinus, p. 87. Adde Perizon. ad Sanct. IV. 4. 12. et Cortium ad Sall. l. c.

34) Imo, ut *aemulor*, sic *aemulus* cum accusativo construxisse videtur Sallust. Hist. III. p. m. 978. *Sed Pompeius similem fore se credens Alexandro Regi, facta consultaque eius aemulus erat.* Sic, *Indocilis quietem*, cum pluribus membranis, ap. Sil. XI. 11. legendum contendit Barthius Advers. III. 10. at Dausquius, Heinsius et alii *quieti* praeferunt, quomodo id. Sil. I. 287. et Iuven. XIV. 40. loquuntur.

35) De his aliisque eiusmodi, Vid. Voss. Anal. III. 9. et Cohatr. p. 8. Ursin. p. 87. Muncker. ad Hygin. Fab. 125. Davis. ad Cic. Divin. I. 32. Lowaeum, Gramm. p. 21. n. 5. Caeterum in iis, ut in verbis a quibus descendunt, Ellipsis est praepositionis ad: nam, ut, *eo, redeo domum*, pro *ad domum*; sic *domum itio* [unde compositam vocem *domitio* Pacuvius, Lucilius, aliique formarunt,] et *domum reditio*, suppresso praepositione, dicuntur. Simili etiam Ellipsi praepositionum a, ex vel cum, verbalia eiusmodi cum ablativo interdum construuntur: ut, *Verbis velitatio*, ap. Plaut. Asin. II. 2. 41. *Eruptio omnibus portis*, ap. Caes. B. G. III. 6. *Exercitus nostri interitus ferro*, ap. Cic. Hinc compositum *usucapio*, de quo Gronov. Observ. ad Script. Eccles. p. 158. Vid. Ursin. p. 87. * Sic (notante eod. Ursino, p. 88.) eadem verbalia, sive ab eodem capite, a quo verba sunt, orta nomina (conjugata Rhetores vocant) vel adverbium vel aliam orationem, verborum instar, secum trahunt: ut, Cic. Att. XI. 16. *De obviam itione ita faciam ut suades.* Ter. Eun. IV. 4. 4. *Quid huc reditio est.* Plaut. Most. I. 1. 83. *Quid tibi quid ego agam curatio est.* Cic. *Scientiam quid agatur memoriamque quid a quoque dictum est.*

36) Acris inter Perizonium ad Sanct. I. 15. 1. et Ursinum, p. 89, 384 et 414. disputatio est, an haec in io verbalia, et participialia in bundus, item participia, gerundia et supina a verbis activi generis descendentia, accusativum suapte vi regant, an a praepositione κατὰ; sive

Digitized by Google

De particulari quorundam Participiorum *constructione.*

1. *Exosus*, *perosus*[37]), et saepe etiam *pertaesus*[38]), accusativo gaudent: ut, Ovid. Met. I. 483. *Taedas exosa iugales.* Liv. III. 34. *Plebs consulum nomen haud secus quam Regum perosa erat.* Suet. Iul. 7. 1. *Quasi pertaesus ignaviam suam.*

2. Haec verba, *Do*, *reddo*, *volo*, *curo*, *facio*, *habeo*, cum participio praeteriti temporis in accusativo constructa, periphrasin faciunt verbi eius cuius participium sic usurpatur: ut, Ter. Eun. II. 1. 6. *Effectum dabo*, i. e. *efficiam.* Id. Phor. III. 3. 26. *Age*, *age*, *inventas reddam*, i. e. *eas inveniam.* Id. Heaut. Prol. 26. *Vos omnes oratos volo*, i. e. *vos oro.* Id. Ant. IV. 2. 1. *Inventum tibi curabo*, *et mecum adductum tuum Pamphilum*, i. e. *inveniam et adducam.* Id. ibid. IV. 1. 57. *Me missum face*, i. e. *mitte.* Caes. B. G. VII. 29. *Idque se* [ait] *prope iam effectum habere*[39]), i. e. *effecisse.*

3. Haec verba, *Curo*, *habeo*, *mando*, *loco*, *conduco*, *do*, *tribuo*, *accipio*, *mitto*, *relinquo*, et quaedam similia[40]), eleganter pro infinitivo vel subiunctivo[41]) re-

---

secundum, intellecta pendeant. Et de Gerundiis quidem rem paulo obscuriorem reddit ambigua ipsorum natura, quod nimirum haud satis certum sit, anne primitus activam, an, quod Perizonius contendit, passivam significationem habuerint. De reliquis vero non satis validae mihi eiusdem Perizonii rationes videntur, cur, non Ursini dico, sed omnium aliorum Grammaticorum consensu firmatam opinionem, quae ea directe, ac eadem plane vi qua verba ipsa in accusativum transire statuat, deserendam putem.

37) Haec quippe active significant: videnturque (ut notat Alvarus, p. 382. *odi* [vel *odio*] eiusque composita duplex olim praeteritum habuisse, *odi* et *osus sum*, *perodi* et *perosus sum*, etc. Unde Plaut. Amph. III. 2. 19. *Inimicos semper osa sum obtuerier:* et Gell. IV. 8. *Osusque eum morum causa fuit.* Vid. Part. I. p. 267. n. 12.

38) Nonnunquam etiam et genitivo, ut verbum ipsum *taedet* vel *pertaedet*, iungitur. Tac. Ann. XV. 51. 1. *Postremo lentitudinis eorum pertaesa.* Vid. supra reg. 38.

39) Plerumque tamen in talibus Emphasis est, ac plus dicitur quam verbo simplici notaretur. Singulatim, *volo* sic constructum superiorem illam interpretationem non raro respuit: ut, *Volo te conventum*, non idem est quod *convenio:* et *Egone te visum aut auditum velim*, alio sensu dicitur atque *Egone te videam aut audiam.* At possis quidem praesenti infinitivi activi etiam hanc reddere, *Volo te convenire*, *Egone te videre aut audire velim;* at non pari cum Emphasi. Similiter, *Nolo te offensum*, *Malim me mortuum*, *Deus cupit te servatum;* item *Oportuit munusum*, *Adolescenti morem gestum oportuit*, *Opus est facto*, omnia efficacius dicuntur, quam si praesenti ea infinitivi activi vel passivi efferas. Ursin. p. 424.

40) Ut, *edico*, *deposco*, *suscipio*, *rogo*, *trado*, *permitto:* ut, Virg. Aen. III. 234. *Edico dira bellum cum gente gerendum.* Suet. Vitell. 1. 4.

Digitized by Google

cipiunt participium futurum in dus, cum substantivo genere, numero et casu cohaerens: ut, Cic. Fam. IV. 12. *Funus ei satis amplum faciendum curavi*; pro, *fieri*, vel *ut fieret*. Colum. II. 9. *Illud habeo praecipiendum*; pro, *praecipere*, vel *quod praecipiam* [42]). Suet. Iul. 26. 7. *Gladiatores vi rapiendos mandabat*; pro, *rapi*, vel *ut raperentur* [43]). Cic. Verr. I. 59. *Qui maiore pecunia quatuor columnas dealbandas, quam ille omnes aedificandas locaverit*; pro, *ut dealbarentur et aedificarentur*. Id. Div. II. 21. *Qui columnam illam de Torquato conduxerat faciendam* pro, *ut faceret*. Sic Cic. Tusc. IV. 38. extr. *Demus hos Philosophiae excolendos*. Hor. Ep. I. 7. 19. *Haec porcis comedenda relinques* [44]).

De particulari Gerundiorum *constructione.*

1. *Nominativi in* dum.

44. In dum quae recto finita Gerundia casu,
Est verbo comitante, volunt sibi subdere ternum.

Gerundium in dum nominativi casus, cum verbo [est [45]),] regit dativum: ut, Hor. Art. v. 102. *Si vis me*

Colonia quam adversum Aequicolas tutandam depoposcissent. Cic. Verr. IV. 88. *Qui laudem gloriamque P. Africani tuendam conservandamque suscepit.* Hirt. B. Alex. c. 55. *Minutium libertis tranadit excruciandum.* Ovid. Met. I. 57. *Hic quoque non passim mundi fabricator habendum Aëra permisit.* Confer Saturn. p. 358. et Sanct. p. 470.

41) Possunt et horum quaedam exponi per gerundium in dum: ut, *Rogo, accipio, do aliquid utendum*; pro, *ad utendum*. *Trado tibi puerum docendum*; pro, *ad docendum*; *Misit mihi librum legendum*; pro, *ad legendum*. Cic. Cat. IV. 6. *Attribuit nos trucidandos Cethego: caeteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Cassio, totam Italiam vastandam diripiendamque Catilinae:* ubi poterat, *ad trucidandum, ad interficiendum*, etc. dixisse; quo pacto alibi idem loquitur, pro Dom. c. 23. *Cum alteri Syriam, Persas, pacatissimasque gentes ad diripiendum tradidisses.* Vid. Saturn. l. c. et Ursin. p. 366, 400, et 425.

42) Sic Auct. Dial. de caus. corr. eloq. c. 37. *Aliquid dicendum habere.* Pro his autem, *Habeo dicendum, habeo praecipiendum; Habeo dicere, habeo praecipere*, eodem sensu dictum docet Vossius, Constr. c. 51. quod notandum contra Vorstium de Lat. fals. susp. c. 7. monet Ursinus, p. 399.

43) Vid. supra p. 284. n. 19.

44) De participiis passivis cum dativo constructis diximus supra, reg. 16. p. 95.

45) Vel aliis tertiis personis singularibus eius verbi, *erat, fuit, erit, sit*, etc. Liv. VIII. 4. *Magis ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quam quid loquendum sit.* Caes. B. G. VII. 56. *Si esset in perficiendis pontibus periclitandum.* Plin. II. 15. *Graecis utendum erit vocabulis.* * Iungitur et cum verbo *foret*: ut, Liv. XXVII. 17. *Etiamsi cum pluribus dimicandum foret.* Id. XXIX. 8.

Digitized by Google

flere, dolendum est Primum ipsi tibi. Ter. And. I. 1. 125. *Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi.* Cic. Verr. V. 58. *Si ex his laqueis te exueris, in illas tibi maiores plagas incidendum est* [46]).

☞ Not. 1. Dativus saepe intelligitur: ut, Iuv. X. 356. *Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano;* supple, *tibi.* Liv. XXI. 43. *Hic vincendum, aut moriendum, milites, est;* supple, *vobis.* P. Syr. *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel;* supple, *tibi,* vel *alicui.*

☞ Not. 2. Praecedente aliquo verbo hoc gerundium in accusativum transit, cum esse [47]), expresso vel intellecto: ut, Cic. ad Q. Fr. I. 1. 13. *Quotidie meditere resistendum esse iracundiae.* Caes. B. G. VII 33. *Huic rei praevertendum* [esse] *existimabat.* Id. B. G. I. 35. *Quibus quam maturrime occurrendum* [esse] *putabat.*

Not. 3. Hoc gerundium, utpote necessitatem vel officium significans, resolvi potest in infinitivum, vel subiunctivum, cum ut [48]), praecedente *necesse est, oportet,*

Si pereundum etiam foret. Nimirum haec posteriora eadem ratione dicuntur, qua ap. eund. XXXV. 42. *Si mittendae naves forent.* Et XXXVI. 27. *Eo mittendos fore legatos.* Vid. supra n. 28.

46) Ut verba neutra rei gestum vel statum significantia duos nominativos alterum ante, alterum post se recipiunt: ita gerundia in dum ab iis descendentia, duos similiter dativos, sed utrumque post se, admittunt: Nam ut dicimus, *Tyrannus in pace vivit armatus,* et *Vir fortis moritur invictus:* ita Senec. de Clem. I. 8. *Tibi in tua pace armato vivendum est.* Et Epist. 87. *Recto tibi invictoque moriendum est.* Quae aliter per infinitivum sic efferre possis: *Tibi in tua pace armato* [vel *armatum*] *vivere necesse est. Recto tibi invictoque* [vel *rectum invictumque*] *mori necesse est.* Vel *Oportet te vivere armatum, mori invictum.* Confer supra p. 15. n. 40 et 41. et mox Not. 3. [Nominativus gerundii non reperitur, quia infinitivus munere eius fungitur. Quem vulgo dicunt nominativum, is est nihil aliud, quam *gerundivum activi,* a gerundii casibus analogice formatum, atque respondens gerundivo passivo in *-dus, -a, -um.* Illud natura sua non nisi nominativo, hoc vero omnibus casibus usurpatur. Graeci similiter active: γραπτέον ἐστὶν ἐπιστολήν, et passive: γραπτέα ἐστὶν ἐπιστολή. Cfr. Wachsmuthius: Von dem gerundio, supino u. den damit verwandten participiis, in Athenaei Tom. I. Fasc. I. pag. 87. sqq. G. St.]

47) Item cum infinitivo *fore:* ut, Liv. XXXI. 11. *Rursus ab Senatu ei postulandum fore.* Id. XLII. 46. *Omni ope enitendum fore.*

48) Ut interdum exprimitur, longe tamen saepius intelligitur: ut, Cic. Part. c. 9. *Ut dilucide probabiliterque narremus necessarium est.* Senec. de Clem. I. 19. *Tantum necesse est timeat, quantum timeri voluit.* Hor. Ep. I. 2. 49. *Valeat possessor oportet.* Confer Maior. de var. orat. p. 407. seqq. * Frequens apud antiquiores est huius gerundii variatio per verbale in io: ut, Ter. Adel. III. 3. 67. *Pisces mihi ne corrumpantur cautio est.* Id. And. II. 3. 26. *Puerum ne resciscat mihi esse ex illa cautio est.* Cuius ad imitationem ipse Cic. Att. V. 4. *Chartum tibi deesse mea cautio est.* Et ap. Plautum passim: *Quid tibi hanc cu-*

Digitized by Google

debeo, vel simili: ut, Cic. de Senect. c. 20. *Moriendum est* [homini;] vel (ut id. Cic. de Fat. c. 9.) *Homini necesse est mori*, vel *ut homo moriatur. Ubi semel quis peierâverit, ei postea non est credendum*; vel (ut Cic. pro Rabir. Post. c. 13.) *ei credi postea non oportet. Cuique manendum est intra suam fortunam*; vel (ut Ovid. Trist. III. 4. 25.) *Intra Fortunam debet quisque manere suam.*

a. *Genitivi in* di.

45. In di adiectivis vel iunge Gerundia fixis.

Gerundium in di regitur a substantivis vel adiectivis.

1. Substantivis; qualia sunt, *Amor*, *causa*, *gratia* [49]), *studium*, *tempus*, *occasio*, *ars*, *facultas*, *otium*, *cupido*, *voluntas*, *consuetudo*, etc. ut, Ovid. Met. I. 135. *Amor sceleratus habendi.* Virg. Ecl. I. 27. *Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?* Cic. Nat. Deor. II. 67. extr. *Mala et impia consuetudo est contra Deum disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate.*

2. Adiectivis: veluti, *Peritus*, *imperitus*, *cupidus*, *insuetus*, *certus*, *rudis*, etc. ut, Quinctil. I. 5. pr. *Docendi peritus ingenium pueri naturamque perspiciat.* Cic.

---

ratio est rem? Quid tibi ad haece accessio est aedes? pro, *Quid tibi haec res curanda? Quid tibi ad has aedes accedendum est?* * Hoc igitur pacto hanc formulam, *Cavendum est*, variare potes, *Cautio mihi est*, *Cautio mea est*, *Debeo cavere*, *Necesse est mihi cavere*, *Necesse est* vel *oportet me cavere*, *Necesse habeo cavere*, *Caveam oportet* vel *necesse est.* Vid. Ursin. p. 890. et Maior. p. 405. seqq.

49) Monent Grammaticae Giessensis Scriptores, p. 384. itemque Schmidius, Hypomn. p. 886 et alii, haec substantiva, *gratia*, *causa*, absolute posita gerundiis non esse praeponenda, sed semper postponenda; dicendumque adeo, *Veni huc osculandi gratia*, *dicendi causa*; non *gratia osculandi*, *causa dicendi*: quomodo ap. Caes. B. Gall. V. 17. *pabulandi causa*, et VII. 48. *sui purgandi gratia*, et alia eiusmodi apud alios passim invenimus. In alio autem quam auferendi casu has voces gerundio etiam praeponi posse iidem observant: ut ap. eund. Caes. B. Civ. III. 76. *Equitatum per causam pabulandi emisum.* * Sed neque cum gerundiis solum, sed cum aliis genitivis usitatius postponi vocem *causa* notat Cellarius, cur. poster. p. 95. At in Latinitate cadente frequentius aliter factum idem observat: ut, Macrob. Sat. I. 9. *Diem festum causa pietatis statutum*: et Spartian. in Aelio Vero, c. 3. *Causa adoptionis*, etc. quin et ipsum Livium non erubuisse sic loqui: ut, XXXIX. 14. *Causa sacrorum*, et XL. 41. *causa ignominiae.* Adde Suet. Aug. 24. 8. *Causa detrectandi sacramenti.* Citat quoque Maior, de var. orat. p. 410. illud Plinii de Aristomene Messenio loquentis, XI. 37. *Tertio capto Lacedaemonii pectus dissecuere causa videndi.* Sed (quod Ursino monitum, p. 891.) in Plinio vetusti codd. pro *dissecuere causa videndi*, *dissecuere viventi* praeferunt; quod et in sua editione expressit Harduinus.

Digitized by Google

de Orat. II. 4. *Sum cupidus te audiendi.* Caes. B. G. V. 6. *Quod insuetus navigandi mare timeret.*

☞ Not. 1. Pro gerundio in di, nonnunquam adhibetur, praesertim apud Poetas, infinitivus: ut si dicas, *Tempus est abire, Occasio scribere, Cupidus mori, Peritus cantare*, etc. pro *abeundi, scribendi, moriendi, cantandi.* Vid. supra reg. 42. * Nonnunquam gerundium in dum cum ad: ut, Cic. pro Font. c. 6. *Facultas ad scribendum.* Id. Att. IX. 7. *Argumentum ad scribendum.* Ter. And. I. 1. 123. *Causa ad obiurgandum*; pro, *Facultas dicendi, Argumentum scribendi, Causa obiurgandi*: quo modo iidem scriptores alibi loquuntur [70]).

☞ Not. 2. Interdum substantivum, a quo pendet gerundium, animo reticetur: ut, Cic. ad Terent. [71]) *Cum haberem in animo navigandi*; sc. *propositum.* Plaut. Trin. III. 3. 17. *Huic ducendi interea abscesserit*, sc. *voluntas* [72]). Ter. Adel. II. 4. 6. *Ne id assentandi magis, quam quo habeam gratum, facere existimes*, sc. *causa* [73]).

☞ Not. 3. Gerundia in di genitivum interdum pluralem pro accusativo admittunt: ut, Plaut. Capt. IV. 2. 72. *Nominandi tibi istorum magis erit, quam edundi copia.* Cic. Phil. V. 3. *Facultas agrorum suis latronibus condonandi.* Id. Divin. II. 17. *Doleo tantum Stoicos vestros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse* [74]).

---

50) Ut, Cic. pro Quinct. c. 2. ad Q. Fr. II. 12. et Ter. I. 1. 131. Quibus plura eiusmodi addere possis ex Vorstio de Lat. fals. susp. c. 20.

51) Hoc adferunt ex Cic. Epist. ad uxorem Terentiam, Laur. Valla, l. 25. Linac. lib. VI. p. m. 865. Sanct. IV. 4. p. 630. Voss. de Constr. c. 53. Ursin. p. 392. et alii. At in hisce epistolis ad uxorem (quae lib. Fam. XIV. habentur) nihil eiusmodi reperio.

52) Ita legunt Lambinus, Faubmannus, et ad Sanct. l. c. Scioppius, al. *ducepti.* Sic Liv. XXXVII. 16. *Omisso Patara amplius tentandi*, supple *consilio*: ita enim omnes MSS. et editiones antiquiores habere notat Gronov. ad cinsd. XXXV. 49. exte. al. *omissa P. a. t. spe.* Sic Tac. Annal. XV. 5. 3. *Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi*, sc. *consilium.*

53) Quod ipsum fit et in participiis seu gerundivis: ut, Sall. Catil. 6. 7. *Regium imperium quod initio conservandae libertatis atque augendae reip. fuerat.* Plaut. Rud. V. 3. 18. *Iusiurandum rei servandae non perdendae conditum est.* Vid. supra reg. 21. n. 1.

54) Sic Ter. Heaut. Prol. v. 29. *Novarum* [Comoediarum] *qui spectandi faciunt copiam.* Varr. R. R. II. 1. *Sive aliquod principium fuit generandi animalium.* Lucr. V. 1224. *Ne quod ob admissum foede, dictumve superbe, Poenarum grave sit solvendi tempus adactum.* Cic. de Univ. c. 9. *Reliquorum siderum quae causa collocandi fuerit.* Suet. Aug. 98. 7. *Permissa iocandi licentia, diripiendique pomorum, et obsoniorum, rerumque missilium.* Gell. V. 10. *Euathlus eloquentiae discendae causa-sumque orandi cupiens fuit*: et XVI. 8. *Fecisse videtur eum librum Ae-*

Digitized by Google

5. *Dativi in* do.

46. In do finitis terni praeit *utilis*, *aptus*,
Aut simile: interdum tacitum quoque mobile cernes.

---

lius, sui magis admonendi, quam aliorum docendi gratia. Dict. Cretens. IV. 8. *Qui peterent eorum, qui in bello ceciderant, humandi veniam.* * Id vero in primis in pronominibus contingit: quale est illud Cic. Div. II. 17. in textu allatum. Item, Catil. I. 8. *Cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt.* Sic Liv. XXI. 41. *Non vereor, ne quis hoc me vestri adhortandi causa magnifice loqui existimet.* Et Seneca de Clem. I. 19. *Nec alio animo rectorem suum intuetur, quam si Dii immortales potestatem vivendi sui faciant.* Et passim Caesar: ut, B. G. III. 6. *Neque sui colligendi hostibus facultatem relinquunt.* IV. 18. *In castra venerunt sui purgandi causa.* VI. 36. *Ut qui sub vallo tenderent mercatores recipiendi sui non haberent facultatem.* Et VIII. 16. *Liberam facultatem sui recipiendi Bellovacis dederunt.* * Nonnunquam etiam et cum pronomine singulari generis feminini haec gerundia iunguntur: ut, Plaut. Truc. II. 4. 19. *Quoniam tui videndi est copia.* Ter. Hec. III. 3. 12. *Ego eius videndi cupidus recta consequor.* Utrobique de femina est sermo. Id. Phor. I. 3. 24. *Ut neque mihi eius sit amittendi, nec retinendi copia,* amicam Phanium proxime respiciens. Neque enim quidquam hic causae est, cur to *eius* ad *quid* vel *quod velis*, quod praecessit, cum Perizonio ad Sanct. III. 8. 17. referamus. Addit Sanctius, pag. 459. illud Acontii ad Cydippen, ap. Ovid. Her. XX. 74. *Copia placandi sit modo parva tui;* improbatque et ipse, et Cl. Heinsius alteram illam magisque receptam lectionem *placandae*. At utrumque recte dici ostendit Perizon. ad Sanct. I. 2. 7. p. 19. et III. 8. 18. Ita enim loquitur Terent. Phorm. V. 4. 7. *Ni mihi esset spes ostensa huiusce habendae*, sc. *Phanii amicae suae.* Perizonii sententiam (quanquam ipse eam mutasse videatur, in Addendis ad p. 459.) probat ad praedict. Ovidii loc. Burmannus. Quae ex Ovid. Trist. II. 154 et 182. *Et spem placandi dantque negantque tui:* Et, *Olim placandi spem mihi tolle tui*, adfert idem Sanctius, l. c. atque ex eo Methodi Auctor, p. 488. et Lowaeus, p. 23. n. 9. ad (*m*,) a re aliena sunt, utpote ad Augustum dicta, quod post Ursinum, p. 898. monuit Perizonius, p. 459. * Gerundium autem in di cum aliis praeterquam pronominum genitivis singularis numeri ac generis feminini iunctorum rarissima exempla sunt: quale est illud, l. 22. Cod. de administr. tutor. sub fin. *Accedit quod ipsius pecuniae fenerandi usus vix diuturnus est.* Proferunt etiam ex ipso Cicerone, in Vatin. c. 15. *Provinciae decernendi potestatem:* et Tusc. V. 25. *Studium aeternitatis imitandi;* quomodo quidem nonnullis codd. tam scriptis quam excusis legitur: at plures et meliores *decernendae* et *imitandae* habent. Quamobrem ab hac gerundii structura, licet eam probet Isac. Gronov. ad proxime cit. Tullii locum, vel omnino abstinendum, vel ea certe parcissime utendum; caetera vero, quae certiore auctoritate nituntur, promiscuam imitandi licentiam, cum Cl. Ursino, l. c. permittendam putem. * De ratione harum constructionum mox dicetur. [Non ubique locum habere posse istam constructionem, in promtu est. Quod autem dicit, se de eius ratione mox dicturum, spem fefellit. Quocirca nos huic officio satisfacere decrevimus. Est autem memorabile, nonnisi cum genitivo gerundii coniunctum reperiri genitivum illum. Cuius rei ratio in eo sita est, quod gerundium et substantivum, a quo pendet, tam arcte coniungi debeant ut in unam notionem veluti coalescant. Unde fit, ut qui additur alter genitivus, ab

Digitized by Google

Gerundium in do dativi casus regitur ab adiectivis utilitatem vel aptitudinem significantibus[55]): ut, Plin. XIX. 11. *Nullum semen ultra quadrimatum utile est serendo.* Id. XIII. 12. *Charta emporetica est inutilis scribendo.* Id. XXXIV. 14. *Rubens ferrum non est habile tundendo.*

☞ Not. 1. Adiectivum interdum intelligitur: ut, Plin. XXI. 1. *Radix eius vescendo est decocta*, supple, *apta*[56]). Cic. Fam. III. 8. *Cum solvendo*[57]) *civitates non essent*, supple *pares*, vel *habiles.*

---

eodem nomine substantivo, quod gerundium regit, pendere cogitandus sit. Res clarior fiet locis nonnullis hac ratione illustratis. Itaque quod Terentius dicit: *Novarum qui spectandi faciunt copiam*, in his *spectandi copiam*, unam efficit notionem *spectationis* (*der Sehenswöglichkeit*); quo fit, ut *novarum* addi recte possit. In Varronis autem loco *generandi principium* est: *die Erzeugungskraft*, unde accedit genitivus *animalium*. Sed haec satis sunto de re primo adspectu plane mira, sed linguae legibus minime contraria. G. St.]

55) Qualia sunt, *Utilis, inutilis, aptus, ineptus, par, habilis, idoneus, accommodatus, bonus*, et similia. * Nonnunquam et ab aliis adiectivis: ut, Plin. XI. 2. *Culici natura telum ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, et sorbendo fistulosum esset.* Plaut. Truc. Prol. v. 15. *Dat operam ne sit reliquum poscendo atque auferendo.* In his gerundia ab adiectivis pendere (quod existimat Ursinus, p. 897.) quam (quod voluerunt Saturnius, Merc. mai. VII. 11. et Voss. Anal. III. 10. extr.) absolute ea poni, verius videtur. Ita certo se res habet in illo Quinctil. XI. 2. p. 992. *Illud ediscendo scribendoque commune est, utrique plurimum conferre bonam valetudinem*, etc. Adfertur et ab eod. Saturnio, l. c. hoc gerundii in do absolute positi exemplum ex Plin. XXV. 10. *Vis utrique est excalfaciendo*: at *excalfaciendi* illic habent libri emendatiores. Quod si vera esset altera illa lectio, gerundium a substantivo *vis* pendere existimandum est.

56) Sic id. Plin. XV. 18. *Alexandrinae ficus non sunt vescendo.* * Eodem sensu *esui* adhibuit Gellius, IV. 1. *Quae esui et potui forent*: et Macrob. Sat. III. 14. *Malum quod est esui.* Poterant enim dixisse *edendo* et *potando*. Sic Plin. XXXI. 6. *Aqua bituminata et nitrosa bibendo atque purgationibus* [utilis.] Confer Voss. Constr. c. 12. med. et Alvar. p. 378. * Hoc sensu Cicero gerundio in dum cum *ad*, adiectivo apposito, usus est; Nat. D. II. 64. de sue, *Qua perude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura foecundius.*

57) In hac phrasi, *Non est solvendo*, praeterea intelligi volunt *aes alienum*, vel *aeri alieno*: quod si posterius, *solvendo* non gerundium, sed gerundivum, ac propterea non huius loci, erit. Sed neque satis constat

Digitized by Google

Not. 2. Hoc gerundium nonnunquam et a verbis pendet: ut, Plaut. Epid. IV. 2, 55. *Ego relictis rebus Epidicum operam quaerendo dabo.* Cic. de Harusp. resp. c. 7. *Cum omnes iidem scribendo adessent.* Virg. Aen. XII. 88. *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque* [58]).

---

quorumque codicum lectio, existimandum cum Ursino, p. 81. *aere* hic ex lingua veteri Romana pro *aeri* dictum, ut *Fore iure dicundo* aliquoties pro *iuri*, ap. eund. Liv. notante Gronovio ad eius lib. XXII. 35. sub fin. Certe eo modo loquitur idem Livius: ut, II. 9. *Ut divites conferrent qui operi ferendo essent:* et XXX. 6. *Ea modo quae restinguendo igni forent, portantes:* et IV. 35. *Experiendam rem in uno aut altero esse, sitne aliquis plebeius ferendo magno honori.* Quibus plura adde n. mox seq. Hemque haud leviter confirmat Vitruvius, qui accusativum cum ad, dativo aequipollentem, adhibuit, X. 6. extr. *Pecuniam contrivit, ut ad solvendum non esset.* * Quod autem Vossius, l. c. adversus Vallam, saepe adeo ait *huic voci substantivum addi, ut mirum sit hoc Vallae excidisse;* aut Vallae verba male cepisse videtur, aut alium praeter unicum illum Livii locum proferre debebat, in quo substantivum ei tanquam adiectivo suo (id enim voluit Valla) iunctum apponatur. In his enim Quinctilisni (quae et ab ipso Valla mox adducuntur) Declam. 9. 9. *Pauperi solvendo non sumus:* et 8. 8. *Quibus artis suae solvendo non sit humanitas,* [sive, ut Gronovius legendum coniicit, *quorum arti solvendo,*] substantiva non cum *solvendo*, tanquam adiectivo suo, cohaerent; sed ab eo vel aliunde recta, his casibus ponuntur. Quemadmodum et in illo Symmachi, Epist. IX. 108. *Cum prioribus officiis tuis adhuc solvendo non sim, denuo aliud posco quod debeam.* * In hac porro locutione ap. Cic. de Orat. II. *Cum est inficiando reus, inficiando* dativi itidem casus videtur, non, quod quidam volunt, ablativi; subaudiendumque a fronte, *idoneus* vel *paratus;* a tergo *crimen* vel *crimini.* Vid. Linacer. p. 301. et Ursin. p. 397.

58) Sic Apul. Met. VIII. sub init. *Cum Charite nubendo maturaret;* et Liv. XXVI. 36. *Ut nec triumviri acciptando, nec scribae referendo sufficerent.* Huc refert et Ursinus, l. prox. cit. illud Ovidii, Met. XV. p. 397. *Mox apta natando Crura dat:* item illud Livii, I. 44. *Is censendo finis factus est:* in quibus et gerundia a vocibus *apta* et *finis* pendere haud absurde existimaveris. * Quod autem huc ab eod. Ursino, p. 365. adfertur ex Ciceronis Hortensio ap. Non. IV. 68. extr. *Magna animi contentio adhibenda est explicando Aristotelem*, in emendationibus codd. *Aristotele* habetur. * Et ut haec verior lectio videatur facit longe frequentior in his omnibus apud optimos Auctores gerundivi, quod vocant, quam gerundii usus: ut, Plin. XV. 7. *Vetus oleum existimatur iberi vendicando a carie utile esse.* Tac. Ann. XII. 41. 1. *Virilis toga Neroni maturata, quo capessendae reip. habilis videretur.* Celsus, V. 28. 8. 8. *Quodlibet puri movendo accommodatum.* Cato, R. R. c. 6. *Ager olete conserundo bonus.* Cels. V. 19. *Puri movendo aliud non est melius.* Vitruv. II. 10. *Ea non potest in structura oneri ferendo esse firma.* Liv. II. 5. *Ut tam eminens area, firmaque templis quoque ac porticibus sustinendis esset.* Colum. I. 9. *Dummodo perpetiendo laboris sit idoneus.* Apul. Met. VII. p. 226. *Oneri ferundo non inhabiles.* Et adiectivo intellecto: ut, Ovid. Met. XV. 405. *Cum dedit huic aetas vires, onerique ferendo est.* Senec. Epist. 72. *Vires suas novit, scit esse oneri ferendo:* et de Benef. VII. 9. *Iam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt:* et N. Q. VI. 22. *Ut desinant esse oneri ferendo.* Liv. X.

Digitized by Google

4. *Accusativi in* dum.

47. In dum quod quarti est, *ad*, *ob*, *inter*, et *ante* praeibunt.

Gerundium in dum accusativi casus regitur a praepositionibus *ad* vel *inter*; interdum ab *ante*, *circa*, vel *ob*: ut, Plin. Epist. I. 5. 12. *Stultissimum credo, ad imitandum non optima quaeque proponere.* Virg. Ecl. IX. 24. *Inter agendum, Occursare capro: cornu ferit ille, caveto* [59]). Id. Geo. III. 206. *Ante domandum Ingentes tollent animos.* Quinctil. IV. 5. *Plus eloquentia circa movendum valet.* Cic. Verr. II. 32. *Quanto illud flagitiosius, eum a quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare* [60])?

☞ Not. Frequenter etiam suppositum fit, infinitivi esse, praeeunte alio verbo [61]); ut, Cic. pro Sext. c. 10.

---

5. *Satis fretus esse etiam nunc tolerando certamini legatum:* et XXX. 9. *Pro se quisque, quae diutinae obsidioni tolerandae sunt, ex agris convehebat.* Cels. IV. 9. *Omnia quae urinae movendae sunt.* Id. IV. 10. *Quae humori extrahendo sunt.* Id. v. 19. §. 18. *Emplastrum quod puri movendo est:* et sic alibi pluribus locis. Item cum verbis: ut, Plaut. Merc. I. 2. 80. *Armamentis complicandis et componendis studuimus.* Cic. Catill. III. 8. *Lentulus literis dandis proxima nocte vigilavit.* Liv. XXXII. 2. *Consul placandis Romae Diis trahendoque delectu dat operam.* Ovid. Met. VI. 441. *Vel me visendae mitte sorori,* [pro *visum* vel *ad videndam sororem.*] Plin. XI. 2. *Telum perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio.* Id. XIII. 2. *Nimia* [chartae Augustae] *tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis.* Liv. II. 17. *Interiecto deinde haud magno spatio, quod vulneribus curandis supplendoque exercitui satis esset.* Senec. N. Q. III. 24. *Quantum efficiendo colori sat est.* Nisi in his posterioribus dativus ab adverbio [vel, quod verius est, nomine adiectivo, Vid. supra p. 7. n. 14.] *satis*, seu *sat*, pendere dicendus est. * In hoc autem Livii, XXXIX. 22. *Locum oppido condendo ceperunt*, dativus vel cum substantivo *locum*, vel cum adiectivo *idoneam* vel *aptum* intellecto, constructus dici potest. * An vero hoc Taciti, Ann. XI. 8. 1. *Quaeque alia concilianda misericordiae videbantur*, huc pertineat, Vid. supra p. 116. n. 1. extr.

59) Sic Gell. I. 12. extr. *Amata inter capiendum a Pontifice maximo appellatur:* ubi notat Saturnius, VII. 12. gerundium, singulari exemplo, passivam constructionem accipere. Sic enim intelligi debere ait sententiam; *Vestalis appellatur Amata, cum capitur a Pontfice max.* At nihil impedire hic video quo minus voces *a Pont. max.* cum τῷ *appellatur* construantur.

60) Sic Ennius ap. Cic. Tusc. III. 13. *Ad Troiam cum misi ob defendendam Graeciam.* l. 8. ff. de leg. Iul. repet. *Lege Iulia repetundarum tenetur, qui pecuniam ob iudicandum decernendumve acceperit:* et ibid. l. 6. §. 2. *Ne quis ob accusandum vel non accusandum pecuniam accipiat.*

61) Eiusmodi verba sunt, *Sentio*, *video*, *audio*, *intelligo*, *arbitror*, *puto*, *duco*, *existimo*, *censeo*, *dico*; etc. Vid. Saturn. p. 357.

Digitized by Google

Qui dicerent dignitati esse serviendum, reipublicae [esse] *consulendum.* Id. Verr. I. 32. *Ut Lampsaceni moriendum* [esse] *sibi potius, quam perpetiendum putarent* [62]). Vid. supra reg. 44. not. 2.

5. *Ablativi in* do.

48. In do postremi casus, *in*, *ab*, *ex*, similisve Praepositura praeit: tamen illam mente subaudi, Innuitur si quando rei vel causa modusve.

Gerundium in do ablativi casus regitur a praepositionibus *a*, *ab*, *de*, *e*, *ex*, vel *in*: ut, Cic. Orat. c. 1. *Aristotelem non deterruit a scribendo amplitudo Platonis.* Id. Tusc. III. 9. *Ab invidendo autem invidentia recte dici potest.* Id. Att. IX. 1. extr. *Tu quid cogites de transeundo in Epirum, scire sane velim.* Ter. Adel. v. 9. 31. *Ut id ostenderem,* —— *Id non fieri ex vera vita,* —— *sed ex assentando, indulgendo, largiundo.* Cic. Fam. II. 1. *Quis est tam in* [63]) *scribendo impiger quam ego?* * Rarius a praepositionibus *pro* et *cum*: ut, Plaut. Aul. III. 5. 8. *Heu senex; pro vapulando hercle ego abs de mercedem petam.* Quinctil. I. 5. *Ratio recte scribendi iuncta cum loquendo est* [64]).

---

62) Construitur et hoc gerundium cum verbo *habeo*: ut, Tac. Ann. IV. 40. 3. *Posse Liviam statuere, subeundum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet.* Plin. Epist. I. 8. 12. *Quum emittendum haberemus, ut quod parentibus datur, et orbis proburetur.* * At cum additur accusativus, gerundivo ei attemperato utendum: ut, Plin. Paneg. c. 15. *Ut nihil discendum haberes tempore docendi.* Suet. Iul. 68. 3. *Ut consolandos eos magis Imperator quam puniendos haberit.* Vid. supra p. 227.

63) In multis melioribusque editionibus deest praepositio; quo pacto haud plane scias, an *scribendo* dativus [ut in reg. 46.] an ablativus sit. Cui simile illud eiusd. Fam. III. 9. *Non est meum committere ut negligens scribendo fuisse videar.* Quanquam ablativum utrobique ut credam animo pronior sim. Caeterum Gerundii in do, cum praepositione *in*, exempla passim occurrunt: ut, Cic. Orat. c. 6. *Is uno tenore in dicendo fluit*: et c. 13. *Qui partim in dicendo, partim in scribendo principes extiterunt*: et c. 21. *Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo*, etc.

64) Vetat L. Valla, Eleg. I. 27. gerundia verbis adiungi motum significantibus: neque enim Latine dici ait, *Revertor ab arando, Redeo a spectando*; sed, *Revertor ab aratione, Redeo a spectaculis.* At eum refellunt Saturnius, VII. 13. et Alvarus, p. 372. his exemplis; Cic. de Orat. II. 8. *Ipse a dicendo refugisti.* Id. de Cl. Orat. c. 31. *Iidem traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiuntur.* Similiterque in gerundivis, ut, Cic. in Caecil. c. 2. *Non video omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere.* Liv. XXVII. 7. *Profectionem suam abstracturam ad defendendam Romam ab oppugnando Capua duces atque exercitus Romanos.* Confer et Sanct. III. 10. extr.

Digitized by Google

II. Si rei causa vel modus significatur, praepositio fere omittitur: ut, Ter. Adel. II. 2. 5. *Ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus.* Quinctil. X. 1. *Copiam cum iudicio consequemur optima legendo atque audiendo.*

De Gerundiis in Gerundiva *mutandis.*

59. Verte Gerundivis coniuncta Gerundia quarto
Quaeque creant *fungor, potior, fruor*: atque ita fixis
Fac coëant, genus ut, numerus, casusque sit idem.

I. Gerundia accusativum regentia vertuntur elegantter in [Gerundiva, seu] Participia in dus, quae cum suis substantivis in genere, numero et casu concordant: ut,

Nom. Ter. Eun. II. 1. 16. *Eiiciunda est haec mollities animi.*

Gen. Cic. pro Muren. c. 37. *Inita sunt consilia urbis delendae, civium trucidandorum, nominis Romani exstinguendi.*

Dat. Colum. I. 9. *Dummodo perpetiendo labori sit idoneus.*

Acc. Cic. Fam. III. 11. *Animum tuum promptum et alacrem perspexi ad defendendam rempublicam.*

Abl. Id. Off. I. 1. *Orationem Latinam legendis nostris efficies pleniorem.*

Potius quam, *Eiiciundum est mollitiem, delendi urbem, perpetiendo laborem*, etc. [Temere Broederus §. 367. accusativo in talibus plane abstinendum esse praecipit, Cic. de Senect. 2. quam (viam) ingrediendum est. Varro R. R. III. 5. 9. 18. Obiiciendum est pullis polentam. Ibid. III. 10. 5. al. Vide Sanctium Min. III. 8. 8. ibique Perizonium, et Not. 2. infr. G. St.]

II. Item Gerundia verborum *Utor, abutor, fruor, fungor, potior*: ut, Ter. Heaut. I. 1. 81. *Quod illa aetas magis ad haec utenda idonea est.* Cic. Off. II. 12. *Iustitiae fruendae causa videntur olim bene morati Reges constituti.* Id. Att. I. 1. *Nos in omni munere fungendo summam adhibebimus diligentiam.* Iustin. XI. 7. 4. *Cuius urbis potiundae cupido eum cepit.*

Not. 1. In his, gerundivi idem casus manet qui gerundii, servato tamen genere et numero accusativi: ut, in exemplis allatis.

Not. 2. Interdum, licet rarius, Gerundiis, sequente accusativo, Auctores utuntur: ut, Lucret. I. 112. *Aeter-*

Digitized by Google

nas quoniam poenas in morte timendum [67]). Liv. XXXV. 36. *Aetoli consilium ceperunt Lacedaemonem occupandi* [66]). Plaut. Poen. I. 2. 15. *Eae nos lavando operam dederunt* [67]). Cic. Catil. III. 8. *Neque res ulla, quae ad*

---

65) Talia sunt, Plaut. Trin. IV. 2. 27. *Opinor, adventanti mihi hac noctu agitandum est vigilias.* Cic. de Senect. c. 2. *Quam viam nobis ingrediendum sit.* Sil. XV. 106. *Nec bona censendum, quae Fors infida dedisse, Atque eadem rapuisse valet.* Colum. R. R. VII. 6. *Itaque re-serandum est, et ulcera medicamentis curandum.* Sed in primis frequens hoc genus est ap. Lucretium: ut, I. 139. *Multa novis verbis praesertim quum sit agendum.* v. 382. *Aut igitur motu privandum est corpora quaeque.* II. 491. *Multaque nobis Clarandum est.* V. 45. *Atque pericula nunc ingratis instruendum.* VI. 917. *Hoc genus in rebus firmandum est multa.* Item ap. Varronem, de L. L. lib. VI. *Radices eius in Hetruria, non in Latio, quaerendum est:* et lib. VIII. *Sic omnes repudiandum est artes.* Ac de Re Rust. passim: ut, I. 17. *Praefectos alacriores faciendum praemiis.* Ibid. c. 20. *Boves neque minores trimos, neque maiores quadrimas parandum:* et c. 21. *Canes acres paucos habendum quam multos.* II. 6. *Eademque causa ibi frenos suspendendum.* III. 10. *Faciundum haras quadratas.* Ibid. *Eis substernendam palaes,* et c. 16. *Colligendum eas in vas aliquod.* * Itidem cum gerundium accusativi est casus: ut, Cic. Fam. V. 17. extr. *Monitus nullo loco decre, neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam.* Virg. Aen. XI. 230. *Pacem Troiano a Rege petendum.* Cels. V. 26. §. 36. pr. *Ubi vero in quolibet vulnere ventum ad inducendum cicatricem est.* Sic XI. 562. *Nunc pacem orandum, nunc improba foedere rupto Arma reponendum, et bellum extiale cavendum, Auctor ego.* Manil. I. 10. *Das animum, vireque facis at tanta canendum.* Senec. de Benef. I. 1. *Non opus est ad liberandum fidem facultatibus, sed animo.* Confer Saturn. Merc. mai. VII. 8 et 12. Gifan. in Indic. Lucret. voc. Gerund. Voss. Anal. III. 9. Vechner. Hellenol. I. 33. Sciopp. Verisim. III. 3. Gronov. Observ. I. 7. sub fin. Maior. de var. orat. p. 402. Perizon. ad Sanct. p. 128. Ursin. p. 389. etc. Inter exempla tamen ab his Grammaticis adducta, nonnulla sunt quae emendationibus, saltem recentioribus Editt. aliter leguntur: ut, Cic. de Senect. c. 12. *Notandum putavi libidinem.* Id. Divin. I. 57. ex Pacuv. *Istos magis audiendum quam auscultandum censeo.* Caes. B. G. I. 32. *Sequanis vero omnes cruciatus esset perferendum.* Liv. III. 63. *Libertati enim ea praesidia petitis, non licentiae ad impugnandum alios.* Id. XXXVII. 49. *Conclamatum prope ab universo Senatu, perdomandum feroces animos esse.* Id. XIII. 48. *Quum experienda omnia ad ultimum, nec praetermittendum spem ullam censuisset.* Ita enim quas nominavi Editionibus, *notandam libidinem, istis audiendum, cruciatus essent perferendi, ad impugnandos alios, perdomandos animos,* et *praetermittendam spem,* haec loca exhibentur. Sic ap. Cic. Attic. XIV. 14. alii *Iterandum eadem ista mihi,* alii *Itera dum c. i. m.* legendum volunt. Vid. Interpp. praecipue Davis. ad Tusc. II. 18. ubi haec verba ex Ennii Iliona desumpta rursus habentur. Caetesum utcunque de posterioribus hisce statuamus, certe priora illa, quae ex Virgilio, Silio, Columella, ipsoque Cicerone attulimus, sufficere, cum Ursino, arbitror posse ad redarguendum Sanctium, qui III. 8. haec omnia ad Archaismum refert, negatque eam loquutionem meliori Latinitatis aevo fuisse usitatam. Rectius ergo Vechnerus, l. c. Lud. de la Cerda ad Virg. Aen. XI. 230. et alii, qui hanc structuram ad Hellenismum revocent.

Digitized by Google

66) Sic Virg. Ecl. I. 27. *Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi.* Senec. de Clem. I. 21. *Dandi auferendique vitam pptens.* Cic. de Orat. II. 4. *Sum cupidus te audiendi.* Liv. II. 48. *Mos detrectandi militiam.* Et ita apud alios passim. * Hic autem post Vallam, loc. cit. docent plerique, et in his Lowaeus, p. 28. n. 10. gerundium in di raro in gerundivum mutari genitivi pluralis, sed vel retinendum accusativum: ut, Cic. de Senect. c. 28. *Equidem efferor studio patres vestros videndi,* potius quam *patrum vestrorum videndorum; Ne* (inquit Farnabius, Gram. p. 88.) *aures offendat tonitrualis iste ὁμοτελεύτων horror:* vel servato gerundio, accusativum in genitivum pluralem convertendum: ut, Dict. Cret. IV. 8. *Qui peterent eorum qui in bello ceciderant, humandi veniam.* Vid. supra reg. 45. n. 54. At veteres illos optimosque loquendi magistros ab eiusmodi gerundivorum structura haud tantopere abhorruisse, haec, inter alia innumera, exempla ostendunt. Cic. pro Sext. c. 26. *De tempore legum rogandarum.* Fin. I. 10. *Maiorum voluptatum adipiscendarum causa.* Ibid. c. 12. *Rerum gerendarum initia,* et Fin. II. 3. *Finis rerum expetendarum.* Liv. III. 39. *Legum ferendarum causa.* XXVII. 15. *Apparatus moenium oppugnandorum.* XXIX. 1. *Docendorum atque exercendorum* [equitum] *curam Siculi habuerunt.* Suet. Aug. 16, 1. *Reparandarum classium causa.* Item cum nominibus primae et secundae declinationis, quae horridiore adhuc sonitu aures quatere videntur: ut, Cic. Cat. I. 3. *Tuorum consiliorum reprimendorum causa.* Verr. II. 55. *Beneficiorum collocandorum causa,* et V. 56. *Comitiorum non habendorum causae.* Agr. II. 13. *Regnorum dandorum summa potestas,* et c. 14. *Corrumpendarum tabularum publicarum, fingendorumque senatusconsultorum potestas,* pro Caecin. c. 2. *Omnia iudicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt.* pro Deiot. c. 10. *Cum suasor fuissem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum.* Off. I. 22. *Cupidi bellorum gerendorum.* De Orat. II. 9. *Verborum, aut faciendorum, aut deligendorum scientia,* et c. 77. *Permovendorum animorum causa,* et c. 44. *Fingendorum favorum causa.* III. 24. *Verborum eligendorum et collocandorum et concludendorum facilis est ratio.* Orat. c. 20. *Faciendorum iungendorumque verborum licentia.* Liv. III. 35. *Comitiorum habendorum munus.* c. 43. *Tribunorum creandorum mentio.* c. 48. *Eamne liberorum procreandorum conditionem esse?* XXVII. 33. *Ludorum faciendorum causa.* XXIX. 14. *Eorum* [sc. *prodigiorum*] *procurandorum causa.* XXX. 9. *Mentio legatorum ad Annibalem arcessendum mittendorum.* XXXIV. 57. *Genera iungendarum amicitiarum.* XLI. 23. *Servulorum recipiendorum spe.* Caes. B. G. VII. 43. *Haec faciunt recuperandorum suorum causa,* et VIII. Praef. *Veritatis suorum scientia consiliorum explicandorum.* V. Max. II. 4, 5. *Fundamentorum constituendorum gratia.* Plaut. Capt. IV. 2, 109. *Liberorum quaerendorum causa ei, credo, uxor data est.* Colum. 1. Praef. *Colendorum agrorum studium.* Senec. Benef. II. 34. *Fortitudo est scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum,* et VI. 29. *Ut nunquam illi sit dandorum beneficiorum inopia,* et c. 38. *Qui captandorum testamentorum artem professi sunt,* et Epist. 9. *Faciendarum amicitiarum artifex.* Plin. II. 80. *Necessitas agrorum locandorum.* Suet. Tiber. 8, 4. *Repurgandorum tota Italia ergastulorum cura,* etc. Plura adiicere supersedeo: haec enim satis superque Vallae praeceptum labefactant. * Quod autem idem addit l. c. Quoties oporteat per relativum loqui, gerundio, non gerundivo utendum: ut, Cic. pro Marc. c. 1. *Hic dies attulit initium dicendi quae vellem,* non *dicendorum eorum quae vellem;* eius sententiae non refragabor.

67) Huius generis pauca exempla habentur, neque alia fere praeter quae a nobis iam memorata sunt. Addit quidem Saturnius, VII. 11. il-

Digitized by Google

placandum Deos pertineret, praetermissa est [68]). Varro R. R. III. 9. *In supponendo ova observant ut sint imparia* [69]).

☞ Not. 3. Gerundia plerumque active significant: interdum tamen passive accipi videntur: ut, Iustin. XVII. 5. 11. *Athenas eruditendi gratia missus*, i. e. *ut erudiretur* [70]). Plin. XXXVI. 6. *Aqua bituminata aut nitrosa uti-*

---

lud V. Max. III. 6. 1. *Scipio cum in Sicilia augendo exercitum traiiciendoque in Africam opportunum quaereret gradum, inter molitionge tantae rei operam gymnasiis dedit.* Sed (quod Alvaro, p. 372. notatum) melioribus libris sic locus iste repraesentatur. *P. Scipio c. i. S. augendo, traiiciendoque in Afr. exercitu, opport. quaerendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret, inter mol. t. r. o. g. d.*

68) Alia eiusmodi vid. paulo ante n. 65.

69) Haec gerundia ablativi casus, dupliciter, uti diximus, vel cum praepositione, vel citra eam, construuntur. Ac priore quidem modo transitive positorum se quatuor tantum reperisse exempla ait Saturnius, VII. 18. Unum ap. Cic. Att. VI. 6. *In quibus interscripseras de relinquendo ea quae me impugnabant.* Alterum ap. eund. Tusc. III. 9. *Quod verbum* [invidia] *ductum est a nimis intuendo fortunam alterius.* Tertium ap. Varr. R. R. III. 9. quod in textu dedimus. Quartum ap. Liv. XXX. 18. *Eadem haec et Syphaci animum dederunt in alloquendo victorem.* Sed ex his primum postremumque in optimae notae Cod. aliter legi notat Alvarus, p. 371. Etiam locus Gellii, quem ex lib. XVIII. c. 15. adiungit ipse Alvarus, ad rem non facit: nam, pro *magnam vim haberent in efficiendo versum*, ut ab illo citatur, emendatiores habent *efficiendo verum.* * Recte autem ab eod. Saturnio observatum est, p. 361. mutua relatione, quam ille redditivam alibi appellat, contingente, tum hoc gerundio transitive, adiecta praepositione, uti licere; sic tamen ut prius relativum intelligatur potius quam exprimatur: ut, Quinctil. II. 2. *In emendando quae corrigenda erunt, non acerbus minimeque contumeliosus.* Id. X. 1. p. m. 904. *Stoici tum in colligendo, probandoque quae instituerant, plurimum valuerunt.* * Citra praepositionem transitive usurpata haud paulo frequentius haec gerundia occurrunt: ut, Manil. I. 95. *Omnia conando docilis solertia vicit*, i. e. *in conando omnia.* Plin. XXXIV. 8. *Lysippus statuariae arti plurimum dicitur contulisse, capillum exprimendo, et capita minora faciendo quam antiqui.* Quinct. IV. 1. *Iudicem conciliabimus nobis laudando eum.* V. Max. II. 4, 7. *Dederunt M. et D. Bruti* [gladiatorium munus] *funebri memoria patris cineres honorando.* Liv. II. 9. *Ibi miscendo consilium precesque*, et c. 12. *Ne ignorando Regem semetipse aperiret quis esset.* In hoc autem eiusdem Liv. IL 47. *Quum concedendo illis suas laudes, ipse maximam partem eorum ferret*, intolerabile esse ait Alvarus, p. 376. per participium, *concedendis illis suis laudibus* dicere.

70) Sic Cic. Act. in Verr. c. 18. *Haec frequentia Italiae, quae convenit undique comitiorum, iudiciorum, censendique causa*, i. e. *ut censeretur*, interprete Asconio. Varro, R. R. II. 7. de equabus, *Si fastidium saliendi est*, i. e. *ut saliantur*, nisi hoc de equo dictum sit. Sic Iustin. Praef. *Quod ad te non tam cognoscendi quam emendandi causa misi*, i. e. *ut cognoscatur et emendetur*: uti locum resolvit Mancinellus: quanquam possis cum Ascensio ad Vall. Eleg. I. 27. active interpretari, *ut ipsum cognoscas, et emendes.*

Digitized by Google

lis est bibendo, i. e. *quae bibatur* [71]). Sall. Iug. 62. 8. *Cum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur*, i. e. *ut ipsi imperaretur* [72]). Quinct. XI. 2. *Memoria excolendo, sicut alia omnia, augetur* [73]), i. e. *dum excolitur* [74]).

---

71) Alia eiusmodi habes supra reg. 45.

72) Sic Vell. Paterc. II. 15, 1. *Ut cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint.* Varro, R. R. I. 20. *Diebus paucis boves erunt mansueti, ad domandum proni.* Sall. Iug. 5, 3. *Quo ad cognoscendum omnia illustria magis, magisque in aperto eint.* Suet. Galb. 8. 1. *Ne ad gestandum quidem unquam iter ingressus*; i. e. *ut censerentur, ut domentur, ut cognoscantur, ut gestaretur.* Memorabile in primis illud Cic. Fam. IX. 25. *Quare ades ad imperandum, seu parendum potius*; *sic enim antiqui loquebantur*, i. e. *ad accipiendum imperium*, sive, *ut tibi aliquid imperetur.* Quo exemplo, ap. Caes. B. G. VI. 2. *Senones ad imperandum non venire*, legendum volunt, Ciaccouius, Ursinus et Perizonius: al. *imperatum.* * Etiam in deponentibus passive usurpatum hoc gerundium fuisse, haec ostendunt. Cic. Fin. II. 28. *Rebus exquisitissimis ad epulandum.* Varro, R. R. II. 7. *Cum est aeger* [sc. equus] *ad medendum est appositus*, i. e. *ei facile remedium adhiberi potest.* Cic. Nat. Deor. II. 64. *Qua pecude*, [sue sc.] *quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura foecundius.* Confer Sanct. III. 8. ibique Scioppium et Perizonium, Alvar. p. 372. Voss. Anual. III. 9. Lowaeum, p. 23. not. 1. et Cort. ad Sall. Iug. 62, 8. [Passive significare gerundia etiam Oudendorp. ad Suetonii Galb. 8. et Ruhnken. ad Vellei. II. 15. contenderunt, quanquam non satis idoneis usi exemplis. Etiam eorum quae a Ruddimanno collecta sunt locorum bona pars facili negotio active explicari poterit. Veluti locus Quinctiliani, in quo *excolendo*, valet *dadurch dass man es übt.* Sede vide quae mox dicemus. G. St.]

73) Sic Virg. Geo. III. 215. *Uritque videndo femina*, i. e. *dum videtur.* Id. Ecl. VIII. 71. *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis*, i. e. interprete Servio, *dum ei incantatur.* Id. Geo. II. 250. *Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo*, i. e. *dum habetur.* Id. Aen. XII. 46. *Exuperat magis, aegrescitque medendo*, i. e. *dum medicina adhibetur.* Ovid. Pont. III. 7. 25. *Curando fieri quaedam maiora videmus Vulnera*, i. e. *dum curantur.* Varr. R. R. II. 9. *Quam paucissimos reliqueris* [catulos,] *tam optimi in alendo fiunt propter copiam lactis*, i. e. *dum aluntur.* Sic Lucr. I. 313. *Annulus in digito subtenuatur habendo.* IV. 1062. *Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo.* VI. 142. *Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur Dant infringendo graviter.* Vid. Sanct. III. 8. p. 455. Voss. Anal. III. 9. Vallam, I. 27. extr. * Caeterum haec aliaque gerundia, quae passive accipi vulgo existimantur, active etiam exponi posse supra docuimus Part. I. p. 307. n. 38. Mirari autem hic subit doctissimum Vossium in hisce Virgilii, Aen. II. 6. *Quis talia fando Temperet a lacrymis* et v. 81. *Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures Belidae nomen Palamedis, fando* passive accipiendum statuere, pro *dum dicitur*, non pro *dum dicit*: cum accusativi *talia* et *aliquid*, *fando* illic active sumendum esse plane ostendant, pro *in fando*, i. e. *dum homines fantur*, vel *dicunt talia* vel *aliquid.* Videsis et Alvar. p. 369.

74) De ratione constructionis Gerundiorum diximus supra Part. I. p. 306. n. 86. ubi speciatim docuimus, quaecunque demum fuerit primigenia ipsorum natura, optimos quosque Scriptores ea tanquam substantiva verbalia, ac agendi vi praedita, considerasse: unde factum sit,

Digitized by Google

☞ Not. 1. Ex hoc supino et verbo iri [78]) necessaria periphrasi conficitur futurum infinitivi passivi: quod

---

loquendo abesse ei videntur eorum rationes, qui ubique in his verbis motum quendam comminiscuntur. Utcunque est, cum pleraque supina in um verbis subiiciantur aperte motum significantibus, non necesse existimavi receptam dudum, atque a longe frequentiore horum supinorum usu desumptam regulam mutare. * Sed neque verbis solum, sed et participiis hoc Supinum subiungitur: ut, Hor. Art. v. 5. *Spectatum admissi risum teneatis amici.* Nep. XXIII. 6. 1. *Hic invictus patriam defensum revocatus.*

77) Supinis in um, quae veros esse accusativos quartae declinationis alibi [Part. I. p. 308.] ostendimus, subaudienda est praepositio ad vel in: quae et interdum expressa invenitur: ut Varro, R. R. III. 16. med. *Non omnis tempestas* [apes] *ad pastum prodire longius patitur.* Plaut. Merc. Prol. v. 11. *Pater ad mercatum hic me meus misit Rhodum* [sequitur autem eodem sensu, v. 82. *Dico esse iturum me mercatum.*] Lucret. I. 7. — *Quae paulo diximus ante, In commutatum veniunt*, i. e. interprete Perizonio, p. 468. *Veniunt ut se commutent*, vel *ut commutentur.* * Est et cum accusativus supinis subtractus, nihilominus cum praepositione iis absolute positis apponitur: ut, Cicer. Pison. c. 31. *Ad Cn. Pompeium multi mortales oratum obsecratumque venerant in Albanum ne fortunas meas desereret.* Potuisset enim *Cn. Pompeium multi mortales oratum obsecratumque*, omisso *ad*, dixisse. Sic Catull. XI. 1. *Varus me meus ad suos amores Visum duxerat.* Liv. XL. 30. *M. Fulvium ad castra hostium speculatum misit.* Et Gell. XII. 13. *Iisem plane sciscitatum ad istos quos dicis.* Confer Saturn. VIII. 6. Et adde Plaut. Cas. III. 2. 13. *Nam tuus vir me oravit, ut eam isthuc ad te adiutum mitterem.* Hirt. B. Alex. c. 67. *Supplex ad Caesarem venit oratum ut sibi ignosceret.* Hygin. Fab. 73. *Si ad Thebas oppugnatum isset.* [Videlicet in his et similibus ad supina accusativum intelligi ex superioribus oportet. Quod autem ellipsin antea ait statuendam esse, negabunt id profecto, qui accusativum et ablativum iam natura sua eas rationes indicare didicerint, quas praepositiones accuratius et clarius definire solent. G. St.]

78) Hic duo observanda sunt: (1) Hanc formam *amatum iri*, pro diverso genere vel numero substantivorum non variari. Proinde iure a Vossio, Constr. c. 54. reprehenduntur P. Ionius et H. Stephanus, qui dixerint *illos occisos iri*, pro *occisum iri*; item alius, cuius nomini parcit, qui *Virtutem oppressam atque eversam iri* scripserit; pro *oppressum atque eversum.* Eius rei causa in eo sita est, quod *occisum*, *oppressum*, *eversum*, et similia cum infinitivo iri iuncta, non participia, sed supina, i. e. non adiectiva, sed substantiva sunt, ut liquet ex iis quae diximus Part. I. p. 308. * E contrario autem, non minus erravit ipse Vossius, Anal. III. 11. et cum eo Saturnius, IV. 8. Frischlinus, p. 236. P. Ramus, p. 99. Giessenses, p. 586. Meth. Auctor, p. 492. Deixius, p. 122. et alii, qui in his *Amatum est*, *Ventum est*, *Puditum est*, et similibus, *amatum*, *ventum*, *puditum*, Supina volunt esse nominativi casus: uti in istis, *Amatum esse*, *Ventum esse*, etc. accusativi. Quin

praeterea licet commutare: (1) *Venit opem orandi causa.* (2) *Venit opis orandae causa.* (3) *Venit ad orandum opem.* (4) *Venit ad orandam opem.* (5) *Venit opi orandae.* (6) *Venit opem oraturus.* (7) *Venit qui opem oret.* (8) *Venit opem orare.* Sed ex his variandi modis, secundus, quartus et sextus ornatiores; caeteri rariores: octavus Poetarum fere proprius est [82]).

2. *Posterioris in* u.

51. At sibi posterius praemitti mobile gaudet.

Supinum in u [83]) ponitur post nomen adiectivum [84]): ut, Cic. Off. II. 14. *Difficile dictu est, quantopere con-*

---

82) Haec exemplis confirmata vid. ap. Maiof. de var. orat. u. 8. Sect. 8. Quintae autem formulae, quae affert ex Apuleio, testimoniis adde Tacit. Annal. VI. 48, 8. *Data fides reddendae dominationi veniae.* * His adiicit Ursinus, p. 409. duas alias formulas, vis. (9) *Venit opem orans:* ut, Liv. XXIV. 29. *Ex Leontinis legati praesidium suis finibus orantes venerunt:* et XXX. 38. *Qui et quae petentes venissent.* (10) *Venit de oranda ope:* ut, Cic. Offic. I. 18. *Regulus a Poenis de captivis commutandis Romam missus, reddendos non censuit.* Confer Saturnium, p. 365. qui et ipse in variatione formulae quam sibi proponit, *Veni ad acquirendam sapientiam*, addit etiam hanc, *Veni acquirenda sapientia*, quam firmat duplici exemplo ex Tacito; uno Annal. XI. 32, 1. *Silius dissimulando metu ad munia fori digreditur:* altero ex Hist. III. 32, 6. *Antonius balineas abluendo cruore petit.* At (quod ab Ursino observatum, p. 410. in illo *metu* dativus est pro *metui* usu frequentissimo; in hoc meliores Edd. *cruori* legunt; ut sic utrumque hoc ad quintam classem pertineat. * Idem porro Ursinus, l. c. notat Supinum in u m passive vel intransitive sumptum hos variandi modos recipere. Ex. gr. *Taurus immolatum ducitur,* (1) *Immolandi causa.* (2) *Ad immolandum.* (3) *Immolandus.* (4) *Ut immoletur.* (5) *Qui immoletur.* (6) *Immolari.* (7) *Ad immolationem*, qua forma usus Iul. Obsequens de Prodig. c. 18. * Caeterum non omnes modos cuique sententiae promiscue convenire; ac proinde qui hic illicve aptiores sint, dispiciendum, idem monet.

83) Hoc supinum nihil aliud esse quam nomen substantivum ablativi casus alibi monstravimus, Part. I. p. 308. Propterea illud aliorum ablativorum more non aliunde quam a praepositione intellecta regi necesse

proinde verborum passivorum more ablativum cum a vel ab recipit [79]): ut, Cic. Att. XV. 25. *Brutum, ut scribis, visum iri a me puto.* Id. Att. II. 20. *Addit etiam se prius occisum iri ab eo, quam me violatum iri* [80]).

☞ Not. 2. Exponitur hoc supinum per ut et verbum finitum: *Spectatum veniunt*, h. e. *ut spectent.* At cum verbo iri interpretamur passive: ut, Ter. And. I. 2. 6 *Postquam audierat non datum iri filio suo uxorem*, h. e *fore ut uxor non daretur* [81]).

☞ Not. 3. Multis aliis modis supinum hoc varia potest. Ex gr. hanc formulam, *Venit oratum opem*, a

---

itur. Quinctiliani, IX. 2. *Reus parricidii damnatum iri videbatur.* Plauti, Rud. IV. 7, 16. *Mihi isthaec videtur praeda praedatum iri* placet omnino sententia eiusd. Perizonii, p. 474. qui duo priora il abusu vulgari docet orta: quo factum, ut in istis, *Eo factum alicu tumeliam*, *Eo damnatum reum*, accusativi *contumeliam*, *reum*, ta ab his supinis cum verbo *eo* in unum quasi verbum coalescentibus voce passiva in nominativum converterentur: haud aliter quam in neutris in passiva conversis ipse alibi ostenderat. Vid. enm p. 5 seqq. et nos Part. I. p. 286. not. 5. In loco vero Plautino reti Scioppii emendationem, *Mihi isthac videtur praeda praedatum iri* eodem doctissimo viro existimo.

79) Vid. supra reg. 41. n. 2. sub fin.

80) Adhibetur et eleganti circumlocutione hoc supinum cum eo, eadem fere, qua verbum ipsum unde supinum oritur, signifi acceptum: ut, Plaut. Cas. Prol. v. 86. *Argentum si quis dederit, tro ibit nuptum*, pro *nubet.* Gell. X. 19. *Verba haec sunt Dem aduersus eum qui peccatum suum peccatis alienis exemptum pu que ibat*, pro *eximebat* et *purgabat.* Liv. XXXIX. 10. *Famam que tuam perditum ire hoc facto properat*, pro *perdere.* Item go et venio: ut, Gell. VII. 8. *Tum M. Cato exsurgit, et optim simosque socios defensum conservatumque pergit*, pro *defendit* et *vat.* Plaut. Amph. II. 1, 40. *Nunc etiam venis ultro irrisum* Vid. Saturn. VIII. 19. * Proprie tamen diversa in his signi est. Nam Terentianum illud, And. I. 1, 107. *Cur te is perde* idem est quod *Cur te perdis*, sed, ut recte interpretatur Per 478. *Cur id agis, cur ei rei operam das, ut te perdas.* Par *tum ire*, quod proprie non est ipsum *ulcisci*, sed *ultionem p chinari*, et sic porro in aliis. Quoniam tamen (ut notat Ur p. 602.) id fieri solet, ad quod factum itur, et apparatum consequitur, cumque eo cohaeret quodammodo ipsa actio

Digitized by Google

[vil-
). *At*
tc. 89).
er in-
caete-
m cum
it facil-
Quod in

supinum no-
castra libera-
quod rediis-
referens, vel
ula bina prae-
t. Ovid. Met.
ursu fecere me-
va significatione
VII. 12. *Villae*
tratus canorique,
e. prius auditus,
Plin. XXXI. 2.
spectae, vel *si ad-*
posituve. Et mox,
otus, appositus, in-
llinatur. Stat. Silv.
, sive *eum videmini*,
que videndo Femina.
: unum ex Tacito,
um ex Statio, Theb.
solitum visu, h. e.
inflexionis distingu-
iunt. At vid. Voss.
iopp. Parad. Liter.

Cic. Tusc. I. 24.
r. Car. II. 4. 11.
mium Lubricus ad-
Vid. supra p. 225.
a nondum perfecta,
io fit, tum infiniti-
fuisse ei grave nec

Digitized by Google

ciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. Id. Att. VII. 22. *Quod optimum factu videbitur, facies.* Iuven. XIV. 44. *Nil dictu foedum visuque haec limina tangat, Intra quae puer est,* [85]).

☞ Not. 1. Subiicitur et hoc supinum substantivis *fas, nefas et opus* [86]): ut, Cic Tusc. V. 13. *Humanus animus cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest.* Id. de Sen. c. 5. *Nefas est dictu miseram fuisse talem senectutem* [87]). Id. de Invent. I. 20. *Si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando procedetur* [88]).

☞ Not. 2. Sequitur etiam et verba motum e loco significantia: ut, Plaut. Menaech. II. 2. 14. *Nunc obso-*

Sed haec quoque ablativi esse casus ostendit Vossius de Constr. c. 54. extr. dum in eo casu addi adiectiva his locutionibus probat: ut, Quinctil. VIII. 3. *Verba etiam ipso auditu acerba.* Et Gell. XVIII. 11. *Voces neque dictu profatuque ipso tetrae aut insuaves.* Confer Urain. p. 412. et Perizon. p. 468. et adde Saturn. p. 400. qui his exemplis adiectiva probat Supinis in u accedere: ut et istis Gell. XII. 4. *Eos versus assiduo memoratu dignos puto:* et Plin. XX. V. *Caepae sativae olfactu ipso caligini medentur.* Quibus adiicit Sanctius, p. 466. Tacit. Hist. IV. 70, 5. *Copias recenti lectu auctas,* al. *delectu.* Liv. XXXVII. 40. *Et eodem armatu Cares.* Et Stat. Th. IX. 593. *Longo defessa redibit Venatu.* Sed ex his pleraque ex supinorum tribu movenda nonnulli censebunt. Caeterum in u quaedam dativi casus esse ex eo possis colligere, quod Apuleius, Apol. p. 439. *Levia sustentatui, gravia demersui,* dixerit. Poterat enim (ut notat Saturnius, p. 406.) *Levia sustentatu, gravia demersu,* dixisse. Itidem Plinius, VI. 32. *Aquam* memorat *potui iucundam:* at XIX. 11. *Aquae potu suavissimae:* et XXXII. 8. *Caeterea utilissima potu.*

84) Id praesertim quod facultatem aut modum rei significat: ut, *Affabilis, bonus, dignus, indignus, facilis, difficilis, iucundus, iniucundus, suavis, honestus, pulcher, utilis, foedus, turpis, obscoenus, rarus, mirabilis, miserabilis, horrendus, terribilis, gravis, acerbus, asper, truculentus,* etc. ut, Virg. Aen. III. 621. *Nec vim facilis, nec dictu affabilis ulli.* Ovid. Met. XV. 295. *Res horrenda relatu.* Hor. Sat. I. 4, 115. *Sapiens vitatu, quidve petitu Sit melius, causas reddet tibi.* Liv. Praef. *Foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* Sic, *Facilis inventu, arduus imitatu, hilaris intuitu,* etc.

85) In his supinum in u passive accipi vulgo docetur: at vid. Part. I. p. 308. n. 41.

86) Sed quae adiectivi vim habere videntur: nam *Fas* vel *nefas dictu* idem fere sonat, quod *licitum* vel *illicitum dictu:* et *Opus scitu,* quod *necessarium scitu.* * Hoc pacto et *scelus* adhibuit Prudentius, Apoth. v. 822. *Velut ipsa Dei pars, (Quod dictu scelus est) tetras trahat oblita culpas,* pro *scelestum dictu.* Confer supra reg. 13. n. 62.

87) Sic Ovid. Fast. II. 712. *Ecce (nefas visu) mediis altaribus anguis Exit.* Et Pont. I. 9, 8. *Quodque nefas dictu, fieri nec posse putavi.*

88) Sic Ter. Heaut. V. 1, 68. *Ita dictu opus est.* Symmach. Epist. III. 50. *Si quid praeterea scitu opus est.* Vid. supra p. 66. n. 62.

Digitized by Google

natu redeo. Cato, R. R. c. 5. *Primus cubitu surgat* [villicus,] *postremus cubitum eat.* Stat. Achill. I. 120. *At nunc venatu reditûrum in limine primo Opperiens,* etc.[89]).

☞ Not. 3. Exponi vel variari potest, (1) Per infinitivum: ut, V. Max. IV. 6. 1. *Ardua imitatu, caeterum cognosci utilia*[90]). (2) Per Gerundium in dum cum ad: ut, Cic. Off. III. 6. *Haec ad iudicandum sunt facillima*[91]). (3) Per verbalia: ut, Cic. Off. I. 6. *Quod in*

---

89) Etiam aliis praeterquam motus verbis subiungi hoc supinum notat Saturnius, VIII. 17. ut, Cic. Offic. III. 32. *Reditu in castra liberatum se esse iureiurando interpretabatur*, i. e. *redeundo*, vel *quod rediisset.* Stat. Th. VIII. 514. *Quis tanta relatu Aequet*, i. e. *referens*, vel *referendo.* Plin. XI. 37. *Cochleis oculorum vicem cornicula bina praetentatu implent*, i. e. *praetentando*, vel *cum praetentant.* Ovid. Met. XIV. 255. *Mille lupi mixtique lupis ursique leaeque Occursu fecere metum*, i. e. *occurrentes*, vel *occurrendo.* Atque haec activa significatione accipi vult Saturnius; quae sequuntur vero passiva, Col. VII. 12. *Villae custos eligendus est* [canis] *amplissimi corporis, vasti latratus canoriique, ut prius auditu maleficum, deinde conspectu terreat*, i. e. *prius auditus, deinde conspectus*; vel *dum auditur, dum conspicitur.* Plin. XXXI. 2. *Quaedam etiam* [aquae] *blandiuntur adspectu*, i. e. *adspectae*, vel *si adspiciantur.* Id. XXIV. 6. *Styrax ciet menses potu appositive.* Et mox, *Sonitus aurium emendat infusu, strumas illitu*, i. e. *potus, appositus, infusus, illitus*, vel *si bibatur, apponatur, infundatur, illinatur.* Stat. Silv. I. 5, 18. *Visu Satyros torquetis amantes*; pro *visae*, sive *eum videmini*, aut *etiam videndo*, ut Virg. Geo. III. 215. *Urisque videndo Femina.* * Addit denique bina insolentiora loquendi exempla: unum ex Tacito, Agric. 32, 3. *Pudet dictu*, pro *dicere* vel *dici*: alterum ex Statio, Theb. 9, 645. *Cum fratrem in nube coruscа Adspicit haud solitum visu*, h. e. *videri.* * Caeterum, qui supina a nominibus quartae inflexionis distinguunt, haec omnia ad posteriorem hanc classem reiiciunt. At vid. Voss. Annal. III. 11. Ursin. Tom. I. p. 634, 635. Sciopp. Parad. Liter. Epist. 2.

90) Sic Gell. VII. 17. *Digna quaeri tractuque.* Cic. Tusc. I. 24. *Quorum quanto mens sit difficile est existimare.* Hor. Car. II. 4, 11. *Leviora tolli Pergama*: et Car. I. 19, 8. *Vultus nimium Lubricus adspici.* Plin. XXXI. 2. *Carmen dignum ubique legi.* Vid. supra p. 225. n. 3. et Lowaeum, p. 28. n. 21. * Quod si sententia nondum perfecta, sed ad casum aliquem, praesertim accusativum, transitio fit, tum infinitivo fere semper utendum: ut, Cic. Inv. II. 45. *Non fuisse ei grave nec difficile eam causam excipere.* Id. Tusc. I. 1. *Facile est vincere non repugnantes.* Cuius rei ratio in eo sita est, quod supina posteriora absoluto ponantur, nec, ut priora, casum sui verbi post se recipiant. * Interdum tamen praepositionem cum suo casu supino posteriori nexam invenimus: ut, Cic. Fam. I. 7. *Difficile dictu est de singulis.* Aut dativum pro ablativo cum praepositione *a* vel *ab*: ut, Sall. Iug. 113, 5. *Procedit in tumulum facillimum visu insidiantibus.*

91) Sic Cic. de Orat. II. 53. *Difficilis ad distinguendum similitudo.* Id. Tusc. I. 32. *Illud autem facile ad credendum est.* Id. Attic. II. 6. *Sunt res difficiles ad explicandum.* Id. de Orat. I. 49. *Qui verbis ad audiendum iucundis, et sententiis ad probandum accommodatis uti possit.* Id. Fin. II. 20. *Cibus facillimus ad concoquendum*: quod aliter extulit

rebus honestis et cognitione dignis operae ponitur, id iure laudabitur [92]), [93]).

§. 4. *De constructione CIRCUMSTANTIARUM.*

Hae Circumstantiae, quae diversam, in oratione, casuum constructionem parere videntur, sunt quinque. 1. Causa, propter quam res fit. 2. Modus, quo fit. 3. Instrumentum, quicum fit. 4. Locus. 5. Tempus. Suntque tam verbis quam nominibus communes.

1. CAUSA. 2. MODUS. 3. INSTRUMENTUM.

52. Causa, modusque; petunt simul instrumentaque; sextum.

Causa, modus et instrumentum ponuntur in ablativo, omissa praepositione.

1. Causa: ut, Hor. Epist. I. 16. 52. *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Ter. Adel. IV. 1. 21. *Hominis illico lacrymae cadunt, quasi puero, gaudio.* Auct. ad Herenn. III. 9. *Animus defatigatus multitudine verborum* [*]).

Plinius, XXIII. 8. *Nuces difficiles concoctu.* Et XIX. 4. *Aestuaria facilia concoqui.* Sic Cic. Fin. IV. 19. *Asperum est dolere, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu.* At Tusc. II. 7. *Res dura, aspera, amara, ad patiundum tolerandumque difficilis.* * Notat autem Maior, de var. orat. c. 8. Sect. 8. fin. hanc formulam usurpari tum posse, cum supinum aut plane nullum est; aut, si est, adhiberi tamen propter constructionis seriem non potest: ut, Cic. de Orat. II. 45. *Nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admota igne, ignem concipere possit.* Et ibid. c. 44. *Cum aggredior ancipitem causam et gravem ad animos iudicum pertractandos.* Confer n. praeced.

92) Sic Cic. Fam. IX. 12. *Orationculam pro Deiotaro velim sic legas, ut, inopem, nec scriptione magnopere dignam.* Gell. XII. 2. *Dignus cum Seneca videatur lectione.* Plin. XXXIII. 8. *Opus proscriptione dignum.* Alia vide ap. Saturn. VIII. 13. In isto autem quod ex V. Maximo idem adfert, IX. 13. 2. *Nec ipsa verba relationis familiaris, quae dictu fastidienda sunt, relationi optimi codices habent.* * Post verba autem motus praestantissimos Auctores verbalibus hisce in io libentius quam supinis usos recte observat idem Saturnius, VIII. 16. ut, Caes. B. G. II. 25. *A decimae legionis cohortatione profectus.* Liv. XXXVIII. 5. *Iam Antioli, a populatione Acarnaniae Stratum redierant.* V. Max. VIII. 2. exter. 7. *Ab exercitatione venientem.* Suet. Ner. 35. 9. *Ex aurigatione reversum.* Id. Galb. 20. 5. *A frumentatione rediens.*

93) Adhibentur et verbalia in dativo: ut, Plin. XXIII. 8. *Fructus difficilis concoctioni.* Id. VI. 32. *Aqua potui iucunda.* Apul. Apol. pag. 489. *Levis sustentatui, gravis demersui.* [Vid. paulo ante n. 88. in fin.] Plin. XXXVII. 9. *Amethysti scalpturis faciles.* Vel in accusativo: commoda ut, Quinctil. II. 8. *Tanquam mediocritas praeceptoris ad intellectum atque imitationem est facilior.*

Digitized by Google

2. Modus: ut, Plaut. Amph. Prol. v. 78. *Virtute ambire oportet, non favitoribus.* Ovid. Art. II. 458. *Nec facile est aequa commoda mente pati.* P. Pyr. v. 200. *Nimium altercando veritas amittitur* [2]).

3. Instrumentum: ut, Hor. Epist. I. 10. 24. *Naturam expellas furca; tamen usque recurret.* Cic. pro Flacc. c. 7. *Caesus est virgis Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus.* Virg. Aen. II. 291. *Si Pergama dextra Defendi possent, etiam hac defensa fuissent* [3]).

Not. 1. *Causae* dignoscitur, quaerendo per quomodo? *Instrumentum* denique, per quocum?

Not. 2. *Causae* nonnunquam additur praepositio: (1) In accusativo, per [4]) vel propter [5]): ut, Ovid. Pont.

---

1) Huc referenda sunt et ista, *Fessus labore, Insignis pietate, Tardus senio, Gravis aere, Maior et maximus natu*, et similia. Item, *Genere Andrius, Gente Caledonius, Natione Syrus.* Et, praecedentibus substantivis, *Dei gratia Rex.* Ter. Adel. I. 2. 45. *Natura, tu illi pater, consiliis ego.* Cic. post red. c. 15. *Qui in me pietate filius, consiliis parens, amore frater inventus est.* Caes. B. C. III. 103. *Ptolemaeus puer aetate.* Sic Id. B. Gall. II. 6. *Oppidum nomine Bibrax.* Plin. III. 1. *Sexti Firmum cognomine Iulium.* Nihil mavis in his *dictum* sive *appellatum* intelligere. * Possunt et horum pleraque non inepte ad modum referri. V. n. seq.

2) Causa et modus saepe inter se confunduntur: ut, Sall. Iug. 10. 6. *Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.* Terent. Heaut. III. 1. 17. *Deteriores omnes sumus licentia.*

3) Quidam laxiore sensu sub instrumenti nomine ea comprehendunt quorum opera vel adiumento, *Medium* vulgus vocat, res aliqua fit vel peragitur: ut, Cic. pro Quinct. c. 18. *Amicos observantia, rem parsimonia retinuit.* Id. de Amic. c. 7. *Quae domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti?* Sall. Cat. 11. 2. *Huic quia bonae artes deerant, dolis atque fallaciis contendit,* [honores sc. adipisci.] Cic. Off. I. 39. *Non domo dominus, sed domino domus honestanda est.* Ovid. Heroid. VI. 93. *Male quaeritur herbis, Moribus et formā conciliandus, amor.* Vid. Mindan. p. 451. et Iohnsoni Noct. Nott. p. 70. Sed cum haec aliaque eiusmodi satis commode ad modum vel causam referri possint; nos cum maiore Grammaticorum parte vocem strictiore significatu accipientes, instrumenti nomine hic intelligimus rem tantummodo materialem, qua ad aliquid operandum sive efficiendum quis utitur.

4) Sic Cic. de Orat. III. 3. *C. Cotta depulsus per invidiam tribunatu.* Id. Tusc. IV. 37. *Quomodo quenquam poeniteret, quod fecisset per iram.* Liv. II. 23. *Nec agi quicquam per infrequentiam poterat Senatus.*

5) Similiter Cic. Brut. c. 26. *Ea suspicio propter hanc causam fuit.* Id. pro Rosc. Amer. c. 4. *Opprimi me obere officii malo, quam quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abiicere, aut propter infirmitatem animi deponere.* * Quod si *causa* non res, sed persona sit, hac praepositione fere semper utendum; ut, Virg. Aen. IV. 320. *Te propter Libycae gentes Nomadumque tyranni Odere.* Ter. Phor. III.

Digitized by Google

I. 6. 44. *Saepe per has* [lacrymas] *flecti Principis ira solet.* Cic. Parad. VI. 1. *Qui legibus non propter metum paret, sed quia id salutare maxime iudicat.* (2) In ablativo, de, e, ex, vel prae: ut, Cic. Att. VII. 7. *Id nisi gravi de causa non fecisset* [6]). Id. Phil. I. 5. *Cum e via languerem* [7]). Id. pro Rabir. Post. c. 9. *Demetrius Phalereus ex doctrina nobilis et clarus.* Id. pro Planc. c. 41. *Nec loqui prae moerore potuit* [8]), [9]).

---

1. 6. *Non est aequum me propter vos decipi.* * Hasce etiam et eiusmodi locutiones, Ter. Adel. V. 9. 38. *Quae vos propter adolescentiam minus videtis.* Cic. Attic. VII. 5. *Tironem propter humanitatem et modestiam malo salvum, quam propter usum meum.* Sall. Iug. 12. 1. *Propter dissensionem placuerat dividi thesauros*, vix per ablativos efferendas putem. Neque cum Despauterio *Te virtute colo* dixerim, sed *ob* vel *propter virtutem.* Nam quod idem testimonii loco adfert illud Cic. Fam. VI. 15. *Tibi gratulor, mihi gaudeo: te amo virtute tua*, in meliioribus, *te amo, tua tueor*, legitur. * Eadem est ratio praepositionis ob: ut, Virg. Aen. VI. 612. *Ob adulterium caesi.* Ter. Eun. I. 2. 91. *Ob haec facta abe te spernor:* neque enim hoc sensu, *Caesi adulterio, Spernor his factis*, quis dixerit. At contra, quod ap. Horat. Sat. I. 4. 26. vulgo legitur, *Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat*, priorem versus clausulam Latinam, atque adeo Horatii, esse negat, post Ian. Dousam et Tan. Fabrum, Bentleius, qui propterea *ab avaritia* legendum ibi volunt.

6) Sic Cic. Acad. I. 1. *Fessus de via.* Ter. Adel. II. 2. 44. *Laetus de amica.* Sic *Dolere, flere, gaudere, de aliquo*, passim. Ter. Eun. III. 2. 3. *Ecquid nos amas de fidicina hac.* Plant. Truc. IV. 2. 56. *De nihilo iraseri.* Ter. Hec. V. 1. 1. *Non hoc de nihilo est.* Item illa vulgata: *Gravi de causa, certis de causis, maximis iustissimisque causis.*

7) Sic Quinctil. VIII. 3. *Vacillare ex vino.* Ter. Adel. II. 1. 22. *Ornatus esses ex tuis virtutibus.* Cic. de Harusp. resp. c. 7. *Domus mea aedificatur ex auctoritate Senatus pecunia publica.* Eiusmodi sunt et illa, *Ex lege, ex decreto, ex testamento, ex formula.* Vid. Turnèll. c. 65. n. 12.

8) Ita Ter. Eun. I. 2. 18. *Prae amore exclusi hunc foras.* Plant. Amph. I. 1. 181. *Neque miser commovere me possum prae formidine.* Cic. Att. VI. 5. *Prae cura iocari non poteram?* Id. Tusc. I. 42. *Solem prae sagittarum multitudine non videbitis.* Ter. Heaut. II. 3. 67. *Prae gaudio ubi sum nescio.* Ibid. V. 1. 47. *Prae iracundia non sum apud me.* Et in huiusmodi quidem locutionibus additam saepius praepositionem invenimus.

9) Addunt quidem et praepositiones a ab et in: ut, Plin. XXX. 10. *Laborare a frigore.* Cic. Acad. IV. 33. *Mare colluet a Sole.* Ovid. Fast. II. 776. *Unde tumet a vento.* Lucret. III. 708. *Interire a morbo.* Ovid. Met. II. 602. *Animus tumida fervebat ab ira.* Sed in his ablativus cum a vel ab tanquam agens potius quam causa spectatur, eadem plane ratione qua post verba passiva: ut, Ovid. Her. XIII. 116. *Laetitia solvar ab ipsa mea.* Et Art. III. 91. *Silices tenuantur ab usu.* Propert. III. 23. 25. *Nil moveor lacrymis: ista sum captus ab arte.* Vid. supra p. 201. n. 8. et confer mox n. 16. * Huc adferunt et ista, Col. R. R. VI. 1. *Boves ab adspectu decoros.* Cic. ad Q. Fr. II. 16. *Sic habete, nunquam me a causis et iudiciis districtiorem fuisse.* Id. Br. c. 66. *Mediocriter a doctrina instructus.* Ibid. c. 16. *Ille Graecus ab omni laude felicior.* Id. Att. VII. 15. *Sumus enim imparati, cum a militibus, tum*

Digitized by Google

Not. 3. *Modus* etiam saepe recipit praepositionem cum: ut, Cic. pro Cluent. c. 18. *Semper magno cum metu dicere incipio* [10]). Interdum de, ex, aut per; ut, Virg. Aen. VII. 557. *Solito matrum de more locuta est* [11]). Plaut. Menaech. II. 2. 1. *Bene obsonavi, atque ex mea sententia* [12]). Cic. pro S. Rosc. c. 2. *Quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundit atque consumit* [13]).

Not. 4. *Instrumentum* [14]) vix unquam praepositio-

---

a pecunia. Sed in his a vel ab rem signant unde aliquid proficiscitur. Confer supra p. 203. * Cum in proferunt hoc exemplum Cic. N. Deor. III. 36. *In virtute recte gloriamur.* Et hoc eiusd. Brut. c. 21. *Laelius in bellica laude egregius.* Et c. 48. *In iure civili non inferior.* Sed in his rei situs potius quam causa significari videtur.

10) Sic Cic. Orat. c. 52. *Cum videret Oratores cum severitate audiri, Poëtas autem cum voluptate.* Sall. Iug. 85. 3. *Neque me fallit, quantum cum maximo beneficio vestro negotii sustineam.* Id. Catil. 51. 38. *Quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio exsequebantur.* Liv. XXV. 22. *Ut reliquias duorum exercituum cum cura colligerent.* Id. XXXI. 4. *Frumenti vim ingentem populo cum summa fide et gratia diviserunt.* Plin. Epist. II. 19. *Ita natura comparatum est, ut ea quae scripsimus cum labore, etiam cum labore audiri putemus.* Confer mox n. 18. [In his *cum* propriam vim retinet. G. St.]

11) Sic Cic. Off. III. 20. *De communi sententia* et Fam. XII. 3. *De meo consilio.* Sueton. Tit. 5. 4. *Diadema gestavit de more rituque priscae religionis.* Pro quibus dicitur et *Ex sententia communi, Ex meo consilio, Ex more.* Vid. Cic. Att. V. 21. et pro Q. Rosc. c. 18. Suet. Iul. 6. 1. Huc pertinet tritissima formula *de industria,* pro *dedita opera.*

12) Sic Plaut. Stich. I. 3. 89. *Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.* Ter. Adel. V. 9. 31. *Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex aequo et bono: Sed ex assentando, indulgendo et largiundo.* Eiusmodi sunt et haec, Suet. Iul. 74. 4. *Ex fide.* Plin. XXX. 3. *Ex facili.* Liv. XXVI. 38. *Ex tuto.* Id. XXVII. 26. *Ex vano.* Huc itidem referri possunt, *Ex occulto, ex improviso, ex inseparato, ex supervacuo, ex praeparato, ex toto, ex integro, ex composito, ex inopinato, ex abundanti, ex industria, ex tempore, ex continenti, e vestigio.* Vid. Turnell. Partic. c. 65. n. 20. * Quibusdam ex his *de* pro *ex* adhibetur: ut, *De compacto, de integro, de improviso.* Vid. Plaut. Capt. III. 1. 24. Cic. Att. XII. 29. Caes. B. G. II. 3. Adde n. praeced.

13) Sic Caes. B. G. I. 12. *Quod iter per provinciam per vim tentassent.* Cic. Verr. IV. 14. *Per potestatem aliquid auferre.* I. Divin. in Caecil. c. 17. *Per iniuriam abducere.* Id. pro Dom. c. 23 *Per insidias aliquem interficere.* Id. Verr. I. 60. *Per ludum ac iocum fortunis aliquem everterе.* Id. pro Rosc. Amer. c. 11. *Per summum dedecus vitam amittere.* Id. post. red. c. 9. *Per simulationem amicitiae prodere.* Ovid. Art. I. 585. *Per amici fallere nomen.* Liv. I. 3. *Per speciem honoris.*

14) Instrumentum hic materiale intelligimus: alter enim, laxiore eo quem diximus vocis significatu, i. e. pro adiumento quocunque, sive (quod vocamus) *medio* rei faciendae, acceptum, praepositionem cum nonnunquam recipit: ut, Cic. Fam. II. 10. *Cum meis copiis omnibus vexavi Amanienses.* Col. IV. 22. *Si cum eis* [soli] *vitio vinea consenuit, nulla modo restituendam censemus.* Plaut. Rud. V. 3. 7. *Una ianua cistella*

Digitized by Google

nem cum [15]) admittit: ut, *Vulnerare aliquem gladio, Conficere cervum sagittis*; non, *cum gladio, cum sagittis.*

---

excepta est modo Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam; ubi *quibuscum* est *quorum opera*. Vid. Perizon. ad Sanct. IV. 6. 8. et paulo ante n. 3.

15) Miratur Vossius, neque immerito, de Constr. c. 47. apud Latinos ablativum instrumenti refugere praepositionem cum, quam omnes fere linguae vulgares exprimant. Sanctius vero, pag. 677. hanc ejus rei causam reddit, quod si dicatur, *Tetigi illum cum hasta*, nesciatur utrum illum et hastam tetigeris, an vero instrumentum significes. At cum a praepositione exprimenda, etiam ubi nullus suberat istiusmodi amphiboliae metus, Latini constanter abstinuerint, eademque, si qua est, sermonis ambiguitas in aliis etiam linguis, quae praepositionem adiiciunt, habere locum possit, verius est existimare huius rei causam non aliunde quam ab arbitraria Latine loquentium consuetudine ortam esse. Quod autem subiungit idem Sanctius, ubi non dubia sit oratio, venuste apponi cum, idque adstruere exemplis cum ipse, tum Scioppius, tum Scaliger de caus. L. L. p. 189. conantur, pleraque omnia vel falsae vel dubiae lectionis sunt; vel ad modi, causae, aut comitatus, significationem pertinent. Eiusmodi sunt, Ovid. Fast. IV. 695. *Haec modo verrebat rara cum pectine pratum*: at ibi, *Haec modo verrebat stantem tibicine villam*, legendum monstrat Heinsius. Plin. IX. 28. *Caetera, cirri, cum quibus venantur*: at melioribus libris abest *cum*. In isto autem Virg. Geo. II. 424. *Ipse satis telluri, cum dente recluditur unco, Sufficit humorem et gravidae cum vomere fruges*, Perizonio l. c. placet Urbani apud Servium interpretatio, *cum vomere*, h. e. *statim post arationem*. Apud Ovidium vero, Met. I. 179. *Terrificam capitis concussit terque quaterque Caesariem, cum qua terram, mare, sidera movit*. Et Heroid. X. 108. *Testis et Actiacus, quondam fera creditus illis Ipse dedit leto cum quibus ante feras*: non instrumentum, sed comitans quid significatur: q. d. *movit caesariem et una terram; Ipse et una canes eius leto dederunt*. Eadem et ratio videtur illius Catulliani, XCV. 3. *Ista cum lingua lingere carbatinas*, i. e. *Tu cum ista lingua, sive qui eiusmodi linguam habes*: quomodo ap. Ter. And. V. 4. 38. *Dignus es cum tua religione odio*: et Phor. III. 1. 1. *Cum isthoc animo es vituperandus*, explicare possis, *qui talem religionem, talem animum habes*. Haec autem, Liv. IX. 16. *Legatis missis ad pacem cum precibus petendam*: et Epit. lib. LXXXI. *Athenas cum magno labore expugnavit*, quae a Scioppio ad Sanct. l. c. adferuntur, aliaque eiusmodi, ad *modum* recte referri posse supra diximus n. 3. Confer Voss. l. c. Vallam, Eleg. II. 6. Ursin. To. I. p. 1065. et To. II. p. 294. * Interea dissimulandum non est, alia quaedam adduci exempla, quibus praepositio cum ablativo instrumenti adiunctum invenitur: sed ea, cum vel incertae lectionis sint, vel ex auctoribus minus probatae Latinitatis vel inferioris aevi petita, haudquaquam imitatione digna censenda. Qualia sunt: Cels. VII. 6. §. 4. *Si morabitur* [telum,] *excuti quoque cum aliquo ferramento poterit*, quo quidem modo in Edit. Isindeniana, et Amelovelliana editum est; at vetustioribus Aldina, Oporiniana et Tornaesana, *excuti quoque ictum aliquo ferramento poterit*. Lucil. ap. Non. IV. 69. *Aeribus inter se cum armis confligere cernit*: at Francisco Dousae, qui Lucil. Satyr. reliquias edidit, p. 52. *Aeribus inter sese armis confligere cernit*, legitur. Vitruv. II. 8. *Cum ansis ferreis et plumbo frontes vinctae sint*. Fest. *Funebres tibiae dicuntur, cum quibus in funere canitur*. P. Orosius lib. VII. *Ipse Imperator cum sagitta saucius*. Schol. Germau. *Aquila. Dicitur sagitta Apollinis fuisse, cum qua Cyclopas interfecit*. Vid. Muncker. et Hygin. fab. 20. et Sanct. l. c.

Digitized by Google

† Apud Poetas tamen a vel ab ei interdum adiicitur: ut, Ovid. Fast. V. 709. *Pectora traiectus Lyncaeo Castor ab ense.* Id. Art. I. 765. *Hi iaculo pisces, illi capiuntur ab hamo.* Id. Met. VIII. 515. *Absens flamma Meleagros ab illa Uritur* [16], [17].

---

16) Sic alibi saepius loquitur Ovidius, cum verbis aut participiis passivis: ut, Met. XI. 180. *Inviso meritis torquetur ab auro.* Trist. I. 2. 47. *Nec levius laterum tabulae feriuntur ab undis.* Remed. v. 17. *Collum laqueo nodatus ab areto.* Pont. II. 79. *Qui semel est lusus fallaci piscis ab hamo, Omnibus unca cibis aera subesse putat.* Pont. III. 5. 45. *Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu.* Art. I. 509. *Minoida Theseus Abstulit a nulla tempora comptus acu.* Item cum verbis neutris: ut, Met. VIII. 514. *Invitis correptus ab ignibus arsit:* et Fast. V. 328. *Caelum nigrescit ab Austris:* et Fast. I. 215. *Quibus intumuit suffusa venter ab unda.* Similiter et Cic. Nat. D. II. 55. *Nam quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab eo spiritu, deinde,* etc. Id. Acad. I. 7. *Nihil valentius est a quo intereat.* Confer supra pag. 201. n. 3. et Part. I. p. 289. n. 7. Et nonnunquam cum adiectivis: ut, Ovid. Heroid. X. 188. *Et tunicas lacrymis sicut ab imbre graves:* et Met. III. 571. de torrente, *Spumeus, et fervens, et ab obice saevior ibat:* et Art. I. 724. *Candidus in nauta turpis color: aequoris unda Debet, et a radiis sideris esse niger:* ubi (ut notat Perizon. Addend. ad p. 689.) additur *tò a* in uno, at in altero per Ellipsin omittitur. * Sed in hisce omnibus praepositio (ut eidem Perizonio ad Sanct. p. 678. n. 9. animadversum) agentem notat, aut summum causam in instrumento sitam. Similique ratione agens vel causa in modo sita intelligitur in istis sequentibus, Ovid. Met. VI. 49. *Candescere Solis ab ictu.* Lucret. V. 359. *Sicut inane est, Quod manet intactum, neque ab ictu frangitur hilum.* Ovid. Pont. II. 7. 48. *Assiduo vomer tenuatur ab usu.* Trist. II. 387. *Tingeret ut ferrum natorum sanguine mater, Conditus a lusu fecit amore dolor.* Trist. III. 2. 8. *Ustus ab assiduo frigore Pontus.* Fast. II. 764. *Nulla factus ab arte decor.* Amor. II. 15. 14. de annulo, *Inque sinum mira laxus ab arte cadam.* Heroid. IX. 95. *Quaeque redundabat fecundo vulnere serpens, Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis.* * Rarius autem a vel ab post verba activa, etiam apud Poëtas, ad instrumentum vel modum exprimendum adhibetur: ut, Lucret. I. 719. *Quam fluitans circum magnis anfractibus aequor Ionium glaucis aspergit littus ab undis.* Ovid. Met. I. 253. *Sed timuit ne forte sacer tot ab ignibus aether Conciperet flammas.* Trist. II. 462. *Quo nuptae possent fallere ab arte viros.*

17) Aliis etiam praepositionibus, nempe a ub, de et in instrumentum exprimi notat Sanctius, p. 678. ut, Virg. Geo. II. 356. *Aut presso exercere solum sub vomere.* Propert. IV. 7. 95. *Haec postquam querula mecum sub voce peregit.* Colum. IX. 1. *Semperque de manu cibos et aquam praebere.* At, ut Perizonio illic observatum, in horum postremo de non est praepositio instrumenti, sed quae notat unde quid sumitur. Coniungendum igitur in constructione, non *praebere de manu*, sed *cibos de manu*, sc. *sumendos.* Haec ille. Neque primo exemplo tam vomeris ad solum exercendum applicatio, quam eius in superiore loco positio significatur. Apud Propert. vero *sub lite peregit* optima Broukhusii editione habetur. Quae denique cum praepositione in exempla adfert Sanctius, ea ex solo vulg. Interprete sunt petita: ut, Psal. LXXXIX. 33. *Visitabo in virga peccata eorum.* 1 Sam. XVII. 50. *Praevaluit David*

Digitized by Google

☞ Not. 5. Ab *ablativo* autem *instrumenti* accurate distinguendus est *ablativus* comitatus; cui frequentius additur praepositio cum: ut, Cic. Catil. I. 13. *Desinant obsidere cum gladiis curiam.* Id. Att. II. 24. *Ut Vettius in foro cum pugione, et item servi eius comprehderentur cum telis.* Id. pro Caecin. c. 9. *Ut in Caecinam advenientem cum ferro invaderet* [18]).

---

contra Philistaeum in funda et lapide. Luc. XXII. 49. *Domine, si percutiamus in gladio.* Matth. V. 18. *Si sal evanuerit, in quo salietur:* quae ex Hebraismo esse ipse Sanctius fatetur. Quanquam magnus Heinsius ad Poët. Aristot. p. 825. eumque secutus Munkerus ad Hygin. Fab. 20. illam lexin Atticismum resipere censeant, notetque posterior Nonnum, Ant. Liberalem, Lucianum et alios, ita nonnunquam loqui non dubitasse. Sed ut Graeci hanc formam interdum adhibuerint, nunquam tamen apud melioris notae Latinos ea recepta videtur. Illud enim Marciani, l. 1. §. 8. ff. ad leg. Corn. de sicar. *Si gladium strinxerit, et in eo percusserit,* si sana lectio est, vergentis est aetatis, nec facile imitandum. * Idemque statuendum de praepositione ex quam instrumento additam observat idem Munckerus, l. c. ut Hygin. Fab. 20. *Cum aves ex pennis suis eos conficerent pro sagittis.* Fab. 24. *Ex veneno multa miracula fecit.* Fab. 30. *Ex felle eius sagittas tinxit:* et Fab. 88. *Vestem ex cruore pecudum inquinavit.* In tumulo militis Batavi lib. III. Catal. Pith. — *Dum pendet in aëre telum, Et redit ex alia fixi fregique sagitta.* Arnob. lib. I. *Sequentium se millia quinque saturavit e panibus.*

18) Sic Petron. c. 105. *Aggrediuntur nos nautae cum funibus.* Phaedr. III. 19. 8. *Aesope, medio Sole quid cum lumine?* Vitruv. VII. 9. *Postea cum candela linteisque puris subigat.* * Huc referenda sunt et ea in quibus instrumentum generaliore sensu acceptum, vel modus, vel adiunctum, vel simile quid significatur: ut, Plaut. Capt. IV. 2. 22. *Quid incipit facere cum tantis minis.* Liv. I. 51. *Instructus cum coniuratorum manu:* et XXXII. 5. *Macedonum animos sibi conciliavit cum Heraclide,* h. e. *eo quod Heraclidem in vincula coniecit.* Vid. Perizon. IV. 6. 8. Cic. Att. VI. 9. *Cognovi te Romam venisse cum febri.* Id. Off. I. 38. *Ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest.* Sall. Iug. 68. 2. *Numidas equites pariter cum occasu Solis educit.* Caes. B. G. V. 46. *Exiit cum nuncio Crassus.* Apul. Met. II. p. 58. *Et cum dicto facessit.* Plaut. Amph. II. 2. 111. *Abii hinc hodie cum diluculo.* Ter. Adel. IV. 1. 3. *Quod cum salute eius fiat.* Sall. de rep. ord. II. 4. 2. *Cum spe bona adolescentes.* Sic Plaut. Mil. III 1. 9. *Cum cura legere.* Suet. Calig. 16. 8. *Cum fide persolvere.* Cic. Tusc. V. 29. *Cum pace aliquid agere.* Liv. XXIX. 1. *Cum bona venia aliquem audire.* Confer paulo ante n. 10. * Sed in his quandoque praepositio intelligitur: ut, Virg. Aen. IX. 815. *Tum demum praeceps saltu sese omnibus armis In fluvium dedit:* et Aen. VII. 187. *Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea.* [Vid. supra p. 59. n. 42. et Macrob. Saturn. VI. 8.] Sall. Cat. 57. 4. *Utpote qui magno exercitu sequeretur:* et Iug. 38. 4. *Multitudine Numidarum nostra circumvenit.* Virg. Aen. I. 519. *Templum clamore petebant:* et Aen. III. 226. *Magnis quatiunt clangoribus alas.* Liv. II. 56. *Res suo ipsa molimine gravis certaminibus in annum extrahitur:* ubi plura ex eod. colligit Gronovius. Confer et Voss. Constr. c. 47. et Cortium ad Sall. Catil. 57. 4. in primis vero Perizon. p. 689. qui Caesarem plerumque sic loqui, praepositione omissa, observat.

Digitized by Google

☞ Not. 6. Ad *modum* referri potest adiunctum, ad *causam* materia [19]) * *Adiunctum*: ut, Cic. Acad. IV. 6. *Floruit cum acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi.* Id. Brut. c. 54. *Scipio omnes sale facetiisque superabat.* Caes. B. G. VII. 77. *Fama nobiles potentesque bello.* * *Materia*: ut, Liv. VI. 4. *Capitolium saxo quadrato substructum* [20]). Virg. Aen. III. 286. *Aere cavo clypeus.* Id. Aen. VI. 552. *Solidoque adamante columnae.*

☞ † Ex his autem *adiunctum* nonnunquam, *materia* longe frequentius praepositionem recipit, ut, Ter. Adel. I. 2. 57. *Olet unguenta? de meo* [21]). Cic. Att. II. 4. *Interea cum Musis nos delectabimus.* Senec. Thyest. v. 664. *Et de triumpho picta Barbarico chlamys.* * Cic. Verr. IV. 27. *Pocula ex auro.* Ibid. c. 29. *Candelabrum factum e gemmis.* Virg. Geo. III. 13. *Templum de marmore.* Caes. B. G. III. 13. *Naves totae factae ex robore.*

4. LOCUS.

Loci constructio ad quatuor Quaestiones reduci potest. 1. Ubi? sive locus in quo quid fit. 2. Quo? sive locus ad quem tendit. 3. Unde? sive locus a quo venit. 4. Qua? sive locus per quem ad alium locum transit.

UBI.

53. Oppida da patrio, per ubi si quaestio fiat:
Militiae, *belli*, quibus adiiciantur, *humique*.
Sin autem terni flexus, numerive secundi
Oppida sunt, solo dabitur responsio sexto.

I. Nomen oppidi ponitur in genitivo [1]) cum quaestio fit per ubi? ut, Hor. Epist. II. 2. 42. *Romae nutriri*

---

19) Ad hanc regulam a quibusdam etiam refertur *ablativus* partis: ut, Quinctil. VI. 4. *Aeger pedibus.* Hor. Car. I. 32. 11. *Et Lycum nigris oculis nigroque Crine decorum.* Id. Car. I. 23. 8. *Et cervis et genibus tremit.* Sed de hoc structura superius dictum Reg. 11. * Huic

Digitized by Google

mihi contigit atque doceri. Ter. Adel. IV. 5. 20. *Is habitat Mileti.* Cic. Tusc. III. 12. *Dionysius Tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat* [2]).

II. Si vero sit tertiae declinationis, aut pluralis numeri, in ablativo effertur [3]): ut, Hor. Ep. I. 8. 12. *Ro-*

---

ei de futura victoria nunciavit. V. Max. I. 8. ext. 7. *Coenanti* [Simonidi] *apud Scopam in Cranone, quod est in Thessalia oppidum, nunciatum est duos iuvenes ad ianuam venisse.* Caes. B. Civ. II. 18. *Complures praeterea* [naves longas] *in Hispali faciendas curavit.* Ita enim compluribus MSS. et Editt. vett. legi notat Voss. de Constr. c. 46. et Sam. Clarkius ad loc. In genitivo autem positis intelligendus praeterea est ablativus *urbe* vel *oppido.* Sic. Propert. II. 13. 19. *Atque utinam Romae nemo esset dives.* Cic. pro Clu. c. 14. *Neque postea Larini punctum est temporis commoratus,* integre sunt, *in urbe Romae, in oppido Larini.* * Atque hinc est quod non dicatur, *Natus est Romae celebris urbis,* sed vel *Romae in celebri urbe,* vel *in Romae celebri urbe,* vel *in Roma celebri urbe,* vel *Romae celebri urbe.* Hoc enim pacto Auctores loquuntur. Cic. Phil. IV. 2. *Albae constiterant in urbe opportuna.* Id. Attic. V. 18. *Cassius in oppido Antiochiae cum omni exercitu.* Plin. II. 96. *In Nea oppido Troadis.* Tac. Hist. II. 1. 5. *Ubi Corinthi Achaia urbe certos nuncios accepit de interitu Galbae.* Confer supra reg. 9. n. 79. et Alvar. pag. 348. et Sanct. pag. 655. [De hac re adhuc sub iudice lis est. Fuit qui talia dativo accipienda esse arbitraretur. G. St.]

2) Quaeritur an nomina primae in e genitivo per es efferenda sint, licetque v. g. dicere, *Negotiatur Mitylenes,* necne. Negat autem Vossius Gramm. min. p. 40. iubetque dicere Latina terminatione *Negotiatur Mitylenae,* aut, integrata sententia, *Negotiatur in urbe Mitylenes.* At Auctor Methodi, p. 407. subsidium casui in es quaerit e loc. Val. Maximi, I. 6. 5. *Caerites aquas sanguine mistas fluxisse,* et altero Livii, XXII. 1. ubi *Aquas Caerites sanguine mixtas* fluxisse ex MS. Put. legit Gronovius, pro quo tamen *Caerite* in ablativo prioribus omnibus Editt. habetur. Unde comicit Methodista et genitivo et ablativo in his locum esse. At graviter ea in re hallucinatum virum doctum ostendit Ursinus, p. 342. „Neque enim, *inquit, Caerete* sive *Caerite* forma primae, casu nominandi, atque inde patrio *Caeretes* sive *Caerites* dicitur, sed vel *Caere* ἀυλιτῶς, vel *Caeres Caeritis* et *Caeretis.* Quod vel Virgilius eum docere potuisset Aen. VIII. 597. *Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem:* et X. 183. *Qui Caerete domo,* etc. Est etiam gentile adiectivum ab hac urbe, *Caeres,* unde *Caerite cera,* ap. Hor. Ep. I. 6. 62. et *Caerites* sive *Caeretes cives,* et hic *aquas* [addere potuit et *Caeritem agrum,* et *Caeritem populum,* ap. Liv. V. 16. et VII. 19.] Nihil igitur in his subsidii, praestatque omnino terminatione in ae in huiuscemodi nominibus uti, quia illa in es necdum firmata, haec extra omnem dubitationis aleam posita est." Haec Ursinus: cui caetera assentior, nisi quod *Caeritis,* ap. Virg. Aen. VIII. 597. potius a nominativo *Caere* vel *Caerite* tertiae inflexionis, quam a *Caeres* declinatum putem: in illo autem eiusdem X. 183. *Qui Caerete domo,* τὸ *Caerete* gentile, h. e. adiectivum, eadem ratione qua *Caeritem populum,* dictum videatur. Confer Part. I. p. 115. n. 88. et Torren. ad Val. Max. I. 1. 10. n. 68.

3) Inveniuntur nonnunquam oppidorum tertiae nomina in i posita: ut, Plaut. Cas. Ptol. 71. *Ego ait hoc fieri in Graecia et Carthagini.* Id. Cist. I. 3. 8. *Fuere Sicyoni iamdiu Dionysia.* Id. Pseud. IV. 2. 38.

Digitized by Google

mare Tibur amem ventosus, Tibure Romam. Cic. Div. I. 23. *Alexander paucis post diebus Babylone mortuus est.* Id. Att. IX. 15. *Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis.* Iuven. VI. 554. *Quoniam Delphis oracula cessant.*

III. Haec appellativa, *Humi, militiae, belli* [4]), [ut et

Nam necesse hodie Sicyoni me esse. Cic. Att. XVI. 8. *Convento Antonino Tiburi.* Liv. V. 8. *Neglectum Anxuri praesidium.* C. Nep. Praef. *Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non ad scenam eat.* Suet. Cal. 8. 2. *Lentulus Getulicus Tiburi genitum ait.* Id. Claud. 34. 3. *Cum spectare antiqui moris supplicium Tiburi concupisceret.* Apul. Florid. c. 9. p. 780. *Igitur nemo Carthaginis Proconsulum diutius fuit,* etc. Atque hinc Servio ad Virg. Aen. IV. 234. et in eadem Edit. Donati, col. 1793. aliisque enim secutis Grammaticis, in primisque Despauterio, p. 295. et Linacro, p. 260. arrepta est ansa existimandi, nomina urbium, quando interrogatio fit per u b i, si tertiae sint declinationis, proprie poni in dativo, Virgiliumque ea in loco, *Tyria Carthagine qui nunc exspectat?* et Hor. Ep. I. 8. 12. *Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam:* et ipsum Ciceronem, Phil. II, 30. *An tu Narbone in mensas hospitum cum veneres,* per Antiptosin dixisse, pro *Carthagini, Tiburi, Narboni.* At nullam in his Antiptosin esse; nec *Carthagini Sicyoni,* etc. quae his similia legimtur, dativi esse casus, qui locum hic plane nullum habere potest, sed ablativi antiquae formae, qua primitus non alia huius quam illius terminatio fuit, Sanctius, p. 20. Scioppius Parad. liter. Epist. III. sub fin. Vossius Constr. c. 46. Methodi Auctor, p. 408. aliique ostenderunt. Perperam vero (ut ab Ursino monitum, p. 343.) ad *Carthagini* adiungit idem Methodista *Neapoli*, quod eodem in utroque casu modo terminari extra dubium est. Unus est locus Livii, XXIX. 23. *Praecipue Carthagini prope ut captae tumultus fuit,* qui dativum statuentibus favere videtur. Scioppius l. c. *capta* legit: sed vera lectio ex MSS. a Gronovio firmata est *Carthaginis.* V. Ursin. l. modo laudato. Caeterum in his terminatio in e longe usitatior est, adeo ut si statuenda sit Antiptosis, ea potius habeat locum, cum nomen tertiae in I, quam cum in e exit. Idcirco ablativum etiam praetulit Charisius, col. 169. A Servio etiam dissentiunt Diomedes lib. 1. col. 400. et Priscianus lib. 15. col. 1007. ubi omnia huiusmodi in ablativo docent ponenda. Tutius ea igitur per e efferri censet Vossius l. c. nec aliter loqui Ciceronem idem affirmat. Alvarus autem, qui p. 344. quamplurimis testimoniis ostendit, tertiae nomina, cum huius sunt loci, per e efferri, porro addit, se quando ea per I reperiantur, suspicari Grammaticorum diligentia, libros ad Servii normam corrigentium, id factum esse: cuiusmodi sunt illa, Cic. Att. XVI. 4. *Sextum nunciavit cum una solo legione fuisse Carthagini:* et Liv. XXI. 21. *Auditis quae Romae quaequae Carthagini acta decretaque forent.* Sed in emendationibus libris *Carthagine* utrobique legi ait Alvarus. Graevius tamen priore loco *Carthagini* praeferre videtur: similiterque et ipse et Gronovius ap. eund. Cic. Rull. II. 33. *Arbitrabuntur Corinthi et Carthagini non defore qui illa restituerent,* edidere. Eandemque lectionem tuetur id. Gronovius ap. Liv. XXVII. 26. *Consilium de iis Carthagini erat,* et XXXI. 11. *Magnam partem eorum palam Carthagini obversari dici:* adeo ut huius urbis, magnae quondam Romae aemulae, nomen, ac propterea quotidiano sermone usitatissimum, antiquam illam in I terminationem, cum quaestio per u b i fieret, etiam apud posteriores Scriptores retinuisse videatur.

Digitized by Google

domi, de quo postea,] ponuntur etiam in genitivo, cum quaestio est per ubi ut, Virg. Ecl. III. 92. *Qui legitis flores, et humi nascentia fraga* [4]). Ter. Adel. III. 4. 49.

---

4) In his quoque Ellipsin esse alterius nominis substantivi cum praepositione, plerique Grammatici iam consentiunt. * In *humi* autem, cum locus *in quo* significatur, *in solo* sive *in terra*; cum locus *ad* vel *in quem* [de quo n. seq.] *ad* vel *in solum* sive *terram*, intelligi inter eruditos convenit. * In *domi*, extra copulationem vocum *belli* sive *militiae* subaudiendum esse *in aedibus* non inepte colligunt Sanctius et Scioppius, Minerv. p. 550. ex illo Plauti, Casin. III. 5. 31. *Insectatur omnis domi per aedes.* Quanquam, cum latiore sensu pro patria cuiusque vox accipitur: ut, Cic. Fam. III. 10. *Existimationem eius oppugnare in provincia cuius laudem domi defenderis.* Nep. I. 4. 4. *Domi creati decem Praetores*, potius cum Perizonio, p. 647. *in loco*, vel *in terra*, supplendum arbitrer. * Cum autem ad *domi* adiunguntur *belli* vel *militiae*, potius videtur supplementum Ursini, p. 346. qui *in loco* intelligit; quam *in tempore*, quae Sanctii, p. 647. non dissentiente Vossio, Constr. c. 25. sententia est, non immerito plane improbata Perizonio, „Sed quod addit hic (pergit Ursinus) posse et intelligi *in terra*, minus placet, quoniam minus quadrat ad *belli*, quod additur, cui substantivum intellectum et ipsi respondere meo quidem iudicio debet. Itaque neque ex duobus, quae affert, Vossii supplementis prius illud probo, quo haec ita supplet, *in domi aedibus*, *inque militiae tempore: sed* unice amplector alterum *in belli domique loco.* Censet quidem Cl. Perizonius posse et *in rebus* intelligi ex verbis Cic. Off. II. 2. *Quibuscunque rebus vel belli vel domi poterunt, augeant remp. imperio, agris, vectigalibus.* Verum quae coniungit hic *rebus belli vel domi*, omnino separanda sunt: adeoque illa *vel belli vel domi* suum sibi supplementum requirunt, quod non aliud quam quod dictum est." Haec rursus Ursinus. At vid. quae in Addendis reponit Perizonius. [Tales ellipses hodie a sapientissimo quoque explosae sunt, quamvis de ratione, qua Romani his genitivis usi fuerint, minime conveniat. G. St.]

5) *Humi* etiam haud raro Auctores utuntur, cum motus ad locum significatur: ut, Virg. Aen. I. 192. *Nec prius absistit quam septem ingentia victor Corpora fundat humi:* et Aen. V. 577. *Hic duo rite mero libans carchesia Baccho Fundit humi*, et v. 481. *Procumbit humi bos:* et Aen. XI. 640. *Volvitur ille exsucsus humi.* Ovid. Met. III. 105. *Spargit humi iussos mortalia semina dentes*, et v. 127. *Is sua iecit humi monitu Tritonidos arma:* et Met. V. 191. *Prosternite humi iuvenem.* Plin. VIII. 8. *Intentos ingentes arcus defigunt humi:* et XXI. 13. *Abiiciunt se humi.* Tac. Hist. II. 64. 2. *Proiectum humi iugulavit.* Sall. Cat. 55. 3. *Locus circiter duodecim pedes humi depressus.* Colum. VIII. 15. *Canalicus humi depressus construatur.* Curt. VIII. 4. 6. *Prostraverant humi corpora;* et alibi saepius. Boët. 1. Pros. 1. *Deiecit humi vultum.* Confer Alvar. p. 848. Sanct. p. 642. Voss. Constr. c. 25. Ursin. p. 344. Heins. ad Val. Flacc. I. 710. et Cort. ad Sall. I. c. Sed ex his quaedam ad significationem *in loco* possunt referri, eadem ratione, qua ap. Virg. Ecl. I. 76. *Viridi proiectus in antro:* et Ecl. VIII. 87. *Procumbit in ulva:* et Ovid. Fast. VI. 602. *Concidit in dura sanguinolentus humo.* Ita certe accipiendum videtur illud Plinii, IX. 13. *Pinnis quibus in mari utuntur humi vice pedum serpunt*, quod perperam ab Alvaro huc trahitur. Aliter vero, cum motus ad locum notatur, *humo* in dativo interdum adhibetur: ut, Val. Max. III. 2. 6. exter. *Quod superfuerat illicum humo clarum edere sonum coëgit.* Et IX. 2. 4. *In-*

Digitized by Google

Una semper militiae et domi fuimus [6]). Cic. Off. III. 24.

---

fantesque in conspectu parentum humo instigi iussit. Flor. IV. 12. 5. *Mulieres, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos humo in ora militum aduersa misere.* Hor. Sat. II. 2. 79. *Atque affligit humo divinae particulam aurae. Humi* quidem, hic Torrentius, illic Graevius, legendum volunt: at, *humo* tuentur Lambinus, Gronovius Obs. IV. Bentleius et Duckerus ad dict. Horatii et Flori loca. Vel adhibetur accusativus *humum*, sed addita semper, quantum constat, praepositione *in* vel *ad*: ut, Curt. III. 11. 4. *Plura* [tela] *in humum innoxia cadebant.* Tac. Ann. XII. 47. 8. *Proiectos in humum necat.* Hor. Art. v. 110. *Ad humum moerore gravi deducit.* Prisciamus tamen, sed sine Auctore (ut notat Ursinus, p. 845.) citat, *Comportare humum*, pro *in humum*. * Notat porro idem Ursinus, p. 844. *humo* nonnunquam, apud Poëtas maxime, etiam *in loco* significare: ut, Ovid. Met. X. 556. *Requievit humo.* At id tum fere solum locum habere videtur, cum adiectivum ei appositum est: plena enim illic sententia est, *Libet hac requiescere terra, Et requievit, humo.* Adferuntur ab aliis ex Phaedro, I. 18. 8. *Humo iacebat flebiles gemitus ciens:* ex Ovid. Heroid. XXI. 240. *Lumina fixa tenens plena pudoris humo:* et Met. IV. 121. *Et iacuit resupinus humo.* At *humi* hisce in locis praeferunt meliores vel Editiones vel Interpretes. Illud autem Ovidii, Trist. V. 8. 12. *Multa prius pelago, multaque passus humo*, diversa paulum a prioribus notione dicitur. Invenimus tamen apud eund. Ovid. Trist. IV. 2. 29. *Hic qui nunc in humo lumen miserabile figit:* et Virg. Geo. IV. 115. *Ipse feraces Figat humo plantas*, consentientibus, quod sciam, omnibus libris. * Caeterum accedente adiectivo, ablativo tantum utendum: neque enim *Iacet huius humi, Sedet durae humi*, quispiam dixerit; sed *in hac humo, in dura humo*, vel, sine praepositione *Iacet hac humo*, etc. Sic Ovid. Her. IV. 44. *Aut in gramineo ponere corpus humo:* et Amor. III. 5. 22. *In viridi garrula sedis humo:* et Art. III. 696. *Lassus in hac iuvenis saepe resedit humo.* Propert. III. 13. 16. *Et caput in dura ponere iussit humo.* Plin. VII. init. *Hominem nudum et in nuda humo abiicit.* Item Ovid. Art. II. 288. *Frigidus et nuda saepe iacebis humo.* Virg. Aen. IX. 213. *Pretioue redemptum Mandet humo solita.* Colum. II. 9. *Nam vel pinguissima vel macerrima humo iaciatur, perit:* et II. 10. *Densa tamen humo saepe commode respondet.* Tac. Ann. I. 65. 5. *Neque figi limosa humo poterant.* Huc etiam spectat illud Columellae, II. 10. extr. *Nec densa nascitur humo*, quod Ursinus l. c. ad significationem de loco (sed praeter rationem) referri posse arbitratur. * Porro ad significationem *in loco* cum continuatione quadam pertinet etiam phrasis *per humum:* ut, Iuven. XV. 63. *Saxa inclinatis per humum quaesita lucernis.* Hor. Ep. II. 1. 251. *Nec sermones ego mallem Repentes per humum.* * Postremo, ut huius vocabuli structuram absolvam, cum motus de loco significatur, ablativus adhibetur, addita vel detracta praepositione: ut, Ovid. Fast. II. 354. *Membraque de dura vix sua tollit humo.* Virg. Aen. V. 452. *Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum.* Et Ovid. Met. II. 448. *Vix ulnis attollit humo:* et Trist. I. 3. 24. *Gelida membra levavit humo.*

6) Prosa scribentes *domi militiaeque* saepius usurpant: ut, Sall. Catil. 53. 2. Cic. Tusc. V. 19. pro leg. Manil. c. 16. et de Senect. c. 23. Liv. 1. Praef. VII. 5. extr. et VIII. 17. extr. Vellei. I. 13. 3. etc. Rarius, *et domi et militiae:* ut ap. Cic. de Orat. III. 33. aut *militiae domique:* ut ap. Curt. VII. 2. 33. Nunquam vero *militiae* extra copulationem vocis *domi* hac notione dici invenio, praeterquam uno illo, ne-

Digitized by Google

Quibuscunque rebus vel belli vel domi [7]) *poterunt remp. augeant* [8]).

Not. Inveniuntur, sed rarius, oppidorum nomina primae et secundae in ablativo prolata: ut, Vet. Inscript. *Educatus Iulia Emoha;* pro, *Iuliae Emonae.* Iustin. XVIII. 4. 3. *Rex Tyro decedit;* pro, *Tyri* [9]).

---

que eo satis incerto, Sallustii loco, Iug. 84. 2. *Pleraque militiae, paucos fama cognitos aceire:* multi enim codices *militia* praeferunt.

7) Item *belli domique*, Plaut. Capt. Prol. ult. Liv. I. 36. et III. 41. Sall. Iug. 41. 7. Hor. Ep. I. 20. 24. et Ep. II. 1. 230. Sil. IV. 499. Ovid. Met. XII. 185. Eutrop. c. 11. Et *Domi bellique*, Liv. III. 24. Vellei. II. 27. 1. *Domi et belli*, Cic. de rep. IV. ap. Augustin. de civ. D. IX. 9. *Animus belli ingens, domi modicus*, Sall. Iug. 63. 2. * Eadem structura, *duelli* usus est Plautus, Asin. III. 2. 13. *Quae domi duelliique male feceris.* Invenimus et eadem notione, *belli* et *duelli*, absque voce *domi*, apud vetustiores usurpata: uf, Plaut. Amph. II. 2. 16. *Ut meus victor vir belli clueat.* Id. Truc. II. 6. 1. *Ne exspectetis spectatores meas pugnas dum praedicem; Manibus duelli praedicare solco, haud in sermonibus.* Citant quoque Paraeus in Lexic. Crit. et Ios. Wasse in Ind. Sallustii voce *bellum*, illud Ennii, *Hoc pestis necuit, pars occidit illa duelli:* at ap. Priscian. lib. IX. col. 861. unde hoc Ennii habetur, libris meis omnibus *duellis* legitur. Caeterum huc recte referri posse arbitror illud Ter. Heaut. I. 1. 60. *Atque ibi Simul rem et gloriam armis belli repperi.* Vid. Westerhov. in Addend. ad loc.

8) Similiter et *terrae*, pro *in terra*, (sive ut, post Sanct. p. 641. suppleri vult Vossius, Constr. c. 25. *in solo* vel *in solum terrae,*) Auctores, maxime Poëtae, utuntur: ut, Virg. in moret. v. 16. *Fuscus erat terrae frumenti pauper acervus.* Ibid. v. ult. *Et terrae condit aratrum.* Id. Geo. II. 290. *Altior ac penitus terrae defigitur arbos:* et Aen. XI. 87. *Sternitur et toto proiectus corpore terrae*, Ovid. Met. II. 347. *Cum vellet terrae procumbere:* et Met. V. 122. *Procubuit terrae maestati more iuvenci:* nisi forte haec omnia, quaedam saltem horum, dandi casu cum Ursino, p. 345. accipienda sint. Eo certe casu dicta existimem, quae huc retulit Sanctius l. c. ex Virg. Aen. XI. 204. *Corpora partim Multa virum terrae infodiunt:* et Plin. XIV. 21. *Infodiuntque terrae tota.* Pro eo autem quod ex Virg. Aen. V. 48. *Ossa parentis Condidimus terrae*, adfert Despauterius, pag. 294. praestantioribus libris *terra* editum est. * His addit Despauterius, p. 295. *togae* pro *in toga*, i. e. *tempore pacis*, exemplumque adducit illud Silii, VIII. 260. *Ut turbarum sator, atque accendere solers Invidiam, pravusque togae, sic debilis arte Belligera:* at mihi *pravus togae* eadem ratione qua *Inglorius aust, pravus audendi*, ap. eund. Sil. XII. 39. et 464. dictum videtur. Vid. supra reg. 16. n. 9. * Rectius addidisset *vicinide*, ap. Plaut. Bacch. II. 2. 27. *Proximae vicinae habitat:* et Mil. II. 3. 2. *Me vidisse hic proximae vicinae*, sc. *in loco.* Vid. Perizon. II. 3. n. 10. * Addi porro potest et *foci*, pro *in foci loco*, ap. Ter. Eun. IV. 7. 45. *Domi focique.* Sed hoc ridicule dictum in persona parasiti. Vid. Voss. Constr. c. 25. extr.

9) Sic id. Iustinus, XX. 3. fin. *Et Corintho et Athenis et Lacedaemone nunciata est victoria.* Nec opus hic esse, ut cum Gronovio *Corinthi*, aut superiore loco *Tyri*, cum Bongarsio, legatur, existimant Io. Vorstius et Tho. Munkerus, cum ita nonnunquam et alii loquantur: Hygin. Fab. 67. *Corintho Polybus decedit.* Vitruv. III. 2. *Huius exemplar, Romae nullum habemus, sed in Asia Teo octastylon Liberi patris.* Id.

Digitized by Google

QUO.

54. Quaestio si per quo fuerit, dabis oppida quarto.

Cum quaestio fit per quo nomen oppidi in accusativo regitur: ut, Cic. Attic. XVI. 11. *Epistolas Catinam, Tauromenium, Syracusas commodius mittere potero.* Id. Off. III. 27. *Regulus Carthaginem rediit* [10]). Liv. XXIII. 2. *Capuam flectit iter luxuriantem longa felicitate atque indulgentia fortunae* [11]).

VII. Praef. *Liberi patris Teo monopteros, sc. aedes.* Et VIII. 3. *Ciliciae vero civitate Tarso flumen est nomine Cydnus.* Similiter et in nominibus insularum et regionum: ut, Iustin. XI. 13. 5. *Pons quem ille Abydo fecerat.* Hygin. Fab. 247. *Ex eo* [sc. tempore] *Delo nullus canis est.* Id. Fab. 149. *Aegypto oppida communire.* Virg. Aen. XII. 344. *Quos Imbrasus ipse Nutricrat Lycia.* Confer Munker. qui ad Hygin. Fab. 247. modo cit. plura eiusmodi, sed ex Auctoribus fere inferioris aetatis, adiungit. Quae autem ille ex Floro, IV. 2. 19. *Prima Arimino signa cecinerunt.* Virg. Aen. IV. 86. *Non Libyae, non ante Tyro:* item quod ex Caesare, B. C. III. 35. *Praesidiis adversariorum Calydone et Naupaeto reiectis* [al. *deiectis*] Ursinus, p. 848. adferunt, aliam interpretationem pati possunt.

10) Dativum interdum, sed rarius, idque apud sequioris fere aetatis Scriptores pro accusativo adhibitum reperimus: ut, Hor. Car. IV. 4. 69. *Carthagini iam non ego nuncios Mittam superbos.* Hygin. Fab. 15. *Interim Argonautae praenavigantes Lemno accesserunt:* et Fab. 108. *Castra transtulerunt Tenedo.* Iul. Obseq. c. 48. *Ne unquam Romae reverteretur.* Petron. Fragm. Tragur. c. 62. *Forte dominus Capuae exierat.* Isidor. Orig. VI. 5. *Romae primus librorum copiam adhexit Aemilius Paulus.* Lactant. Argum. lib. 13. Met. Ovid. Fab. 2. *Thraciae cum esset appulsa.* Vid. omnino Munker. ad Hygin. locc. citt. p. 51 et 171. et Gronov. ad Iustin. XXV. 4. 4.

11) Verbis nunciandi et dandi, utpote latentem motum ad locum significantibus, oppidorum nomina interdum in accusativo subiiciuntur: ut, Cic. Fam. XI. 12. *Ita Romam erat nunciatum.* Liv. XXIX. 32. *Missique qui Carthaginem gaudium ingens nunciarent.* Id. XXXVII. 18. *Quae postquam Samum sunt nunciata.* Cic. Verr. I. 10. *Statim Messanam literas dedit.* Vid. Alvar. p. 346. * His affinia sunt et ista, Brut. ad Cic. Epist. 6. *Scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret,* i. e. *ut Heracleam iret, illicque mihi occurreret.* Cic. Att. XV. 15. extr. *Velim cures, ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum,* i. e. *ut Romae permutetur, Athenas perferendum.* Vid. Budaeum Comment. L. Gr. pag. 866. Nec prorsus dissimile illud Curtii, III. 5. 10. *Darium quinto die in Ciliciam fore nunciabatur,* i. e. *Darium in Ciliciam iter facere, atque ibi intra quintum diem fore, nunciabatur.* * Huc spectant et *cogito, cupio, volo,* quae accusativum loci, vel cum, vel sine praepositione, adsciscunt, sed intellecto verbo *ire* vel *proficisci:* ut, Cic. Att. II. 8. *Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum; Romam ad Kal. Iun.* Id. Att. VI. 7. *Rhodum volo puerorum causa: inde quamprimum Athenas.* Plaut. Bacch. II. 3. 44. *Cupientes domum.* Vid. Ursin. p. 851.

12) Sic Tac. Ann. VI. 12. 5. *Quaesitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, et Italicas colonias, carminibus Sibyllae.* * In his ablativis in cum quadam continuatione motus intelligi potest:

Digitized by Google

UNDE et QUA.

55. Responde sexto, si qua, sive unde rogatis.

Si quaeratur per unde vel qua, nomen oppidi ponitur in ablativo: ut, Cic. Att. V. 17. *Accepi Roma fasciculum literarum.* Id. Fam. VI. 4. *Servium discessisse Athenis moleste tuli.* Id. Att. V. 15. *Iter Laodicea faciebam, cum has literas dabam* [12]).

Not. Cum quaeritur per qua, frequentius additur, ad vitandam ambiguitatem, praepositio per: ut, Nep. XVI. 1. 2. *Cum iter per Thebas faceret.* Plin. Epist. VII. 16. 5. *Proconsul provinciam Baeticam per Ticinum est petiturus* [13]).

DOMUS et RUS.

56. Syntaxis rus atque domus par nectit et urbes.

Domus et rus eodem modo quo oppidorum nomina construuntur: ut,

Ubi? Ter. Heaut. IV, 8. 32. *Ego dómi ero, si quid me voles.* Ovid. Am. II. 18. 12. *Resque domi gestas, et et mea bella cano.* Hor. Ep. I. 14. 10. *Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.* Ter. Phor. II. 3. 16. *Ruri fere se continebat* [14]).

---

aliquando tamen a potius, ut non primarius, sed secundarius terminus a quo notetur: ut in illo Cic. *Iter Laodicea faciebam*, ubi in subaudire (notante Ursino, p. 352.) minus convenit. Ut proinde haec ablativi exempla, quae in nominibus urbium paucissima sunt, ad significationem in vel *de loco*, i. e. ad quaestionem ubi vel unde proprie pertineant.

13) Sic Liv. XXXI. 22. *Terréstres ab Corintho per Megaram incursiones fiebant*, nisi hic *Megara*, non pro urbe, sed regione Achaiae, quae aliter *Megaris* appellabatur, accipienda sit. Vid. infra reg. 57.

14) *Ruri esse*, non *rure*, dicendum praecipit Festus in voc. nec inficiandum est frequentiorem esse illius quam huius usum. Sic id. Ter. Adel. I. 1. 20. *Ruri agere vitam.* Ibid. I. 2. 15. *Ruri esse parcum:* et III. 3. 47. *Aliquid ruri agere:* et IV. 2. 3. *Filium negat esse ruri.* Hec. II. 1. 18. *Ruri crebro esse soleo:* et Phor. II. 1. 20. *Opus ruri faciundum.* Cic. pro Cluent. c. 51. *Forte evenit ut ruri in Privernati essemus.* Off. III. 31. *Ruri habitare iussit.* ad Att. XIII. 49. *Atticum ruri esse*

Digitized by Google

Quo? Virg. Ecl. X. ult. *Ite domum*[15] *saturae, venit Hesperus, ite capellae.* Cic. Orat. II. 6. *Cum rus ex urbe, tanquam e vinculis, evolavissent.*

Unde? Nep. XVII. 4. 1. *Nuncius ei domo venit*[16]. Ter. Eun. V. 5. 25. *Video rure redeuntem senem.*

Not. 1. *Domi* non recipit adiectiva, praeterquam ista, *Meae, tuae, suae, nostrae, vestrae, alienae*: ut, Cic. Fam. XIII. 69. *Apud eum sic fui tanquam domi meae.* Id. Tusc. V. 59. *Diodotus Stoicus, caecus, multos annos domi nostrae vixit.* Id. Fam. IV. 7. *Nonne mavis sine periculo domi tuae esse, quam cum periculo alienae.*

Not. 2. Cum aliis adiectivis, pro *domi*, *domo* utimur, saepius addita, nonnnnquam et intellecta praepositione in. Sic, *In domo paterna, in domo regia*, dicendum; non *domi paternae, domi regiae.* Ter. Adel. IV. 7. 29. *Meretrix et materfamilias una in domo.* Ovid. Fast. I. 36. *Sustinet in vidua tristia signa domo.* * Id. Her. IX. 55. *Ipsa domo vidua votis operata pudicis Torqueor.* Cic. Verr. I. 26. *Clamor interea fit tota domo*[17].

Pervigil. Vener. Auct. v. 76. *Ipse Amor puer Dionae rure natus dicitur.* Ut Plautum praeteream ita saepius loquentem. Vid. Perizon. ad Sanct. p. 672. extr. Et ne solos Poëtas metri necessitate coactos talia admisisse existimemus, reperiuntur et prosa scribentes sic locuti: ut, Cic. Fam. V. 20. fin. *Cum Tullius rure redierit mittam eum ad te.* Liv. VII. 5 extr. *Ut qui rure et procul coetu hominum iuventam egisset:* et XXXVIII. 58. *Morientem rure eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt.* Colum. VIII. 10. pr. *Qui* [turdi] *omni quidem rure, sed salubrius in eo pascuntur, in quo capti sunt.* Confer Malaspinam ad Cic. Att. XIII. 49. et Broukhus. ad Tibull. I. c. * Caeterum quod de nominibus urbium tertiae observavimus, idem de appellativo *ruri* tenendum, illud nimirum superioribus locis, non dativi (quod voluerunt Servius, Linacer, aliique, vid. reg. 58. n. 3.) sed ablativi semper casus esse. Quod inter alia haud leviter confirmat illud Plauti, Most. V. 1. 28. *Veniunt ruri rustici.*

15) Huc pertinent et eiusmodi locutiones, in quibus (quod de nominibus urbium notavimus) motus ad locum, sed minus manifestus, significatur: ut, Cic. Fam. XV. 17. *Cum dabis posthac aliquid domum litterarum mei memineris.* Id. Att. VIII. ult. extr. *Domum quem expecto* [al. *demum quem*] Ter. Eun. V. 9. 12. *Visam domum.* Apud Plautum vero Aul. IV. 3. ult. *Ibo ut hoc condam domum*, ordo videtur, *Ibo domum, ut hoc condam.* Vid. Despaut. pag. 298. Quod autem ibid. is addit ex Plauti, Aul. II. 2. 38. *Credo ego illum iam inaudisse, mihi esse thesaurum domum*, melioribus libris *domi* legitur.

16) Motus etiam de loco notatur in istis; Cic. Fam. IX. 5. *Qui se domo non commoverunt.* Id. Phil. *Consilium domo petere.* Proferunt quoque ex eod. Cic. Att. XI. 6. *Recipio me domo:* at vid. Interpp.

17) Vid. Vallam Eleg. III. 15. Despaut. p. 186. Voss. de Constr. c. 25 et 46. Nec audiendus Scioppius, qui ad Sanct. p. 550. illud Propertii, II. 2. 18. *Mox Amythaonia nupta futura domo*, allegans, protinus addit, pro quo dicere poterat, *Amythaoniae domi.*

Digitized by Google

☞ Not. 3. Sequente genitivo possessoris, vel *domi* vel *in domo* dicere licet: ut, Cic. Att. I. 12. *Clodius deprehensus est domi Caesaris.* Id. Att. II. 7. *Qui* [Clodius] *cum in domo Caesaris quondam unus vir fuerit* [18]).

☞ Not. 4. Sic in quaestione motus ad locum, cum possessivis *meus, tuus, suus* etc. vel sequente genitivo, praepositio exprimi vel supprimi potest: ut, Cic. Fam. IX. 19. *Recte a porta domum meam venisse: neque hoc admiror, quod non ad tuam potius, sed illud, quod non ad suam.* Id. Offic. II. 22. *Nihil domum suam intulit* [19]), Id. Verr. V. 15. *In Chelidonis domum praeturam tuam detulisti.* Id. Off. III. 31. *Cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur* [20]). * Cum aliis adiectivis praepositio fere semper exprimitur [21]): ut, Cic. Verr. I. 27. *Omnes ad eam domum, in qua iste diversabatur, profecti sunt.* Ter. Eun. II. 3. 90. *Si in domum meretriciam deducar* [22]).

☞ Not. 5. *Domos*, in accusativo plurali, cum praedictis possessivis absque praepositione plerumque construitur: ut, Sall. Iug. 66. 3. *Alius alium domos suas invitant.* Liv. II. 7. *Tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut ambo exercitus suas quisque abirent*

---

18) Vid. Part. I. pag. 167. n. 99, ubi etiam *domo* nonnunquam pro *domi* absolute positum adnotavimus: ut, Virg. Geo. III. 96. *Abde domo.* Apul. Apol. p. 541. *Domo asservantur.* Adde Varr. R. R. I. 8. *Haec ubi domo nascuntur.* Cic. post redit. c. 11. *Qui propter metum dimicationis et sanguinis domo se teneret.* Id. pro dom. c. 3. *Domo me tenui.* At pro Sext. c. 11. *Se domi continebat:* et, praepositione expressa: ut, Quinctil. V. 10. *In domo furtum factum est, ab eo qui domi fuit.* Item cum adiectivis *meus, tuus*, etc. ut, Plin. Epist. VII. 16. 2. *Ille in domo mea saepe convaluit.* Senec. N. Q. V. 18. *Occupabit vos mors in vestra domo.* Confer Munker. ad Hygin. Fab. 247.

19) Sic Cic. Verr. I. 31. *Quae fuit causa, cur cuncta civitas Lampsacenorum domum tuam concurrerent.* Id. Tusc. I. 22. *Quasi domum suam venerit*, al. *in domum.*

20) Similiter id. Cic. Verr. IV. 14. *Iubeo ad Praetoris domum ferri.* Nep. XVI. 2. 5. *Domum Charonis devenerunt.*

21) Eandem structuram, in significatione motus de loco, sequendam arbitror, ac propterea *Profectus est domo mea, tua, sua*, etc. vel *e* ut *a domo mea, tua*, etc. et non, *Profectus est domo opulenta, magnifica*, etc. sed *e* vel *a domo opulenta, magnifica*, etc. dicendum. Sic enim Cic. in Piso. c. 7. *Me domo mea expulistis, Cn. Pompeium domum suam compulistis.* Id. Acad. I. 4. *Remigrare in domum veterem e nova.* Id. Phil. II. 14. *Ad quem e domo Caesaris tam multa delata sunt.* Confer Sanct. p. 671 et 672. et ibi Perizon. et infra p. 264. Not. 2.

22) Sallustius tamen, Iug. 76. 6. *Aurum atque argentum, et alia quae primus ducuntur, domum regiam comportant*, omissa praepositione, dixit.

Digitized by Google

domos. * Cum aliis adiectivis praepositio fere additur: ut, Hirt. B. Alex. c. 4. *Quibus aqua in privatas domos inducitur.* Ovid. Fast. I. 298. *Inque domos superas scandere cura fuit* [23]).

☞ Not. 6. At *rura* plurale praepositionem semper postulat: ut, Varro, R. R. I. 2. *Quae inducuntur in rura, ut oves et armenta,* Liv, XXXIX. 16, *Iam ubi vos dilapsi domos, et in rura vestra eritis* [24]).

Quibus locorum *nominibus praepositio addenda sit.*

57. Praepositura tamen, neque raro, cernitur addi
Urbibus. Hanc autem regio, provincia, villa,
Et loca non memorata prius, prope semper amarunt.

I. Nomina oppidorum saepissime praepositionibus expressis construuntur [25]): ut,

---

23) Apud Propertium tamen invenimus, I. 6. 4. *Ulteriusque domos vadere Memnonias:* et III. 9. 12. *Iret ut Aeaeonias aurea lana domos.* Confer Alvar. p. 346. et Ursin. p. 344.

24) At *rus* et *rure* in singulari, adiuncto etiam adiectivo, absque praepositione reperiuntur: ut, Iustin. XXXI. 2. 3. *Appropinquante vespere, equum conscendit, et rus urbanum contendit.* Colum. VIII. 10. *Omni rure pascuntur.* Tac. Ann. XV. 60. 5. *Quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat.* Adde supra, n. 14.

25) Praepositiones urbium nominibus addi frequenter solere nemo est qui in quaestionem vocat: at omnem modum excessit Sanctius, qui Minerv. IV. 6. init. *Vere se* ait *affirmare posse, saepius inveniri nomina urbium cum praepositione, quam sine illa.* „Vere enim (notante Perizonio ibid. n. 2.) frequentioris fuisse usus praepositiones urbibus non addere, regionibus addere, patet non tantum ex maiori numero exemplorum, sed ex diserto Attici, Ciceronis [ad Att. VII. 3.] Quinctiliani [I. 5.] Suetonii [Aug. 86. 3.] ac veterum Grammaticorum [Charisii, lib. II. p. 206. Servii ad Virg. Aen. I. 2.] testimonio." Caeterum (quod ab eod. Perizonio ibid. n. 1. observatum est) ex praepositionibus aliae frequentius exprimuntur ante nomina urbium, aliae rarius, quas inter vel maxime est in. Eadem et sententia Alvari est, qui p. 347. seq. pluribus exemplis ex ipso Cicerone petitis ostendit praepositiones ad et e saepissime exprimi solere; Livio vero praepositionis usum adeo placuisse, ut tertio quoque verbo eam addiderit, maxime ablativo, cum motus e loco significatur. Res autem tota huc redit, ut dicamus cum Perizonio, l. c. „Nihil quidem habere praepositionis ante urbium nomina additionem quod incurrat in artem aut naturam linguae: revera tamen, ab usu eorum qui elegantiae studebant, eam aliquantulum fuisse alienam: unde a Suetonio, l. c. *Praepositiones urbibus non additae* dicuntur *gratiam* sermonis *augere*, licet eam gratiam (*referente eod. Suetonio*) plerumque Augustus, saepe et al. neglexerint, si vel minimus esset obscuritatis cuiusdam metus. Quapropter (*pergit Perizonius*) recte quidem fecerunt Sanctius, l. c. et Scioppius Parad. liter. Epist. 3. quando ostenderunt nihil in eo vitii haerere, si praepositio exprimatur ante nomina

Digitized by Google

Ubi? Plaut. Bacch. II. 3. 75. *Qui nunc in Epheso est, Ephesiis carissimus.* Cic. ad Att. VIII. 5. *Navis et in Caieta parata est nobis et Brundisii* [26]).

Quo? Plaut. Bacch. II. 1. 2. *Postquam hinc in Ephesum abii.* Cic. de Sen. c. 5. *Adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum Quaestor* [27]).

---

urbum, vel omittatur ante nomina regionum. Sed modum (*inquit*) illos excessisse nollem, et nimio Grammaticis aliis contradicendi studio suas observationes praetulisse." Confer omnino Vossium de Constr. c. 42 et 46.

26) Ad etiam et apud nominibus urbium addita, non tantum viciniam, sed locum ipsum in quo aliquid fit, significare videntur: ut, Cic. Fam. III. 5. *Ut circiter idus Sextil. putem me ad Iconium fore.* Tac. Ann. III. 71. 2. *Repertum est aedem esse apud Antium.* Eutrop. V. 4. 1. *Sylla Archelaum apud Piraeum obsedit.* At vid. p. 264. Not. 3.

27) Est tamen (ut recte docet Malaspina ad praedict. Ciceronis locum, Att. VII. 3.) discrimen inter *venit Romam* et *ad Romam:* illo enim ingressus, hoc vero accessus plerumque denotatur. Differentiam agnoscunt Vossius, Constr. c. 42. et Ursinus, p. 349. at prior eam non universe veram esse, posterior non raro fallere affirmat. Ut universe vera sit, non ausim praestare; adversari enim videntur illa Ciceronis, Fam. XVI. 1. *Magni ad honorem nostrum interest, quamprimum ad urbem me venire;* et Ep. 12. *Equidem ut veni ad urbem*, etc. ubi de ingressu in urbem loqui Ciceronem credibile est. Item apud eund. pro Planc. c. 41. *Brundisium veni, vel potius ad moenia accessi:* ubi accessum tantum significari ostendunt quae mox sequuntur; *Urbem unam mihi amicissimam declinavi:* et alioquin, si ad vicinitatem semper significaret satis, habuisset Cicero, *Ad Brundisium veni*, dixisse. Adde quod Livius, lib. 5. promiscue *Ad Veios*, et simpliciter *Veios*, dixerit. Confer et Alvar. p. 348. Interim cum Cl. Perizonio, p. 667. fatendum est, rara eiusmodi exempla esse, et ut vitetur confusio τοῦ ad et in, hanc plerumque intelligi, illam exprimi solere. Certe (ut idem notat) significationem harum praepositionum satis diserte distinguit Cicero, Fam. XV. 3. *Quum ad me venissent IN castra AD Iconium.* Ibid. Ep. 2. *Castraque AD Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi:* et XVI. 2. *Tertio die abs te AD Alyzium accesseramus:* at seq. Epist. dicit *apud Alyziam.* Sic illud Cic. de Sen. c. 5. *Miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum Quaestor*, quod unum ad refellendum Malaspinam satis esse arbitrabatur Vossius, l. c. plane aliter explicat Perizonius; „Neutiquam enim, inquit, *ad Capuam, ad Tarentum*, accipienda sunt ita, ac si illas urbes intraverit Cato, ex cuius persona haec dicuntur." Similiter et errasse Casaubonum, ad pro in ap. Sueton. Claud. I. 6. positum existimantem, idem observat. * Apud vergentis tamen Latinitatis Scriptores id factum probat Vossius, l. c. ut Capitol. in Pio, c. 7. *Profectus est ad Campaniam:* et Spartian. in Hadriano, c. 2. *Ad patriam rediit.* Adde Eutrop. II. 12. *Consules ad Africam profecti sunt.* [Multum interest, praepositio addatur necne, id quod iam Vossius et Ursinus recte observarunt. Quae Ruddimannus ex Cicerone attulit loca, ea nihil valent ad infirmandam eorum sententiam. Nam in epistolis 1, et 12. *ad urbem* dicere debuit, quia qui ex provinciis reverterant, si spes erat triumphi, non ipsam urbem ingredi, sed in suburbiis morari debebant. In orat. pro Plancio autem rectissime dictum est *ad moenia*

Digitized by Google

Unde? Plant. Bacch. III. 2. 6. *Ex Epheso huc ad meum sodalem literas misi.* Cic. ad Att. IX. 5. *A Brundisio nulla adhuc fama venerat* [28]).

Not. 1. In primis hoc fit cum adiectiva vel appellativa accedunt: ut, Plin. II. 97. *In Hispali oppido* [29]). Propert. III. 20. 1. *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.* Sall. Iug. 81. 2. *Ad Cirtam oppidum iter constituunt.* Mart. XIII. 107. *Haec de vitifera venisse picata Vienna* [30]).

Not. 2. Appellativis etiam *domus* et *rus* praepositiones adduntur: ut, Plin. Epist. VII. 16. *Ille in domo mea saepe convaluit.* Sall. Cat. 40. 5. *ille eos in domum Decimi Bruti perducit.* Liv. VIII. 22. *Classe, qua advecti ab domo fuerant, multum potuere.* Ascon. in Cic. Milon. init. *Qui forte ex rure in urbem revertebatur.* Vid. Notas reg. praeced. [Interest aliquid utrum

---

accessi, quamvis praecedat *Brundisium*. Nam particulae *vel pótius* (ἢ μᾶλλον) vim corrigendi habent, ut sensus hic sit: *Brundisium, vel ut accuratius et verius dicam, ad moenia huius urbis accessi.* Quae de formula *ad Veios* et *Veios* monet, itidem aliena sunt. G. St.]

28) Cum quaeritur per unde, praepositionem frequentissime exprimi solere notant Alvarus, l. c. et Vossius de Constr. c. 46. Sed et hic quoque distinguit Malaspina, aliudque esse censet *Venire Roma*, aliud *Venire a Roma*; omissa enim praepositione signari locum interiorem; addita notari exteriorem, ut *a Buthroto* sit *a locis Buthroto vicinis*. Sed negligi haud raro hoc discrimen pluribus exemplis ostendit Vossius, l. c. * Cum per qua interrogatur, praepositionem per usitatius addi, ad ambiguitatem vitandam, supra diximus.

29) Vid. paulo ante n. 1.

30) Poëtae tamen et in his praepositionem nonnunquam omittunt: ut, Ovid. Heroid. II. 83. *Atque aliquis doctas iam nunc eat, inquit, Athenas.* Horat. Ep. I. 17. 52. *Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum.* Virg. Aen. IV. 224. *Tyria Carthagine qui nunc Exspectat.* * Cum autem adiectivum ad aliam vocem transit, recte (etiam apud Historicos) praepositio omittitur: ut, Liv. XXIII. 2. *Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate atque indulgentia Fortunae.* * Item adiecto pronomine possessivo: ut, Cic. Att. XVI. 6. *Malo vel cum timore domi esse, quam sine timore Athenis tuis.* * A nominibus etiam oppidorum compositis frequenter praepositio detrahitur: ut, Liv. XXVIII. 17. *L. Marcio Tarracone, M. Silano Carthagine Nova ad praesidium Hispaniae relictis.* Id. I. 18. *Curibus Sabinis habitabat.* Id. XXI. 15. *Inde Carthaginem Novam in hiberna Annibalem concessisse.* Cic. Att. VIII. 11. *Cum Teanum Sidicinum venissem.* Id. ibid. *Capuam veni eo ipso die, quo tu Teano Sidicino es profectus.* Interdum praepositio apponitur: ut, Plin. XIV. 3. *In Alba Helvia inventa est vitis uno die defloreseens.* [Vereor haec omnia vera sint. Namque praepositio ne in talibus quidem plane redundare videtur. Veluti in illo Propertii *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas* praepositio *ad* hunc efficit sensum: *Ich muss reisen nach Athen zu*, (*in der Richtung nach Athen*) qua omissa poëta se ipsas Athenas ingredi velle significaret. G. St.]

Digitized by Google

domi an in *domo* dicamus. Qui. V. 10. 14. *In domo* furtum factum est ab eo, qui *domi* fuit. Formula *ex domo in domum, aus einem Hause in das andere*, semper flagitat praepositiones. G. St.]

☞ Not. 3. Cum aliquid, non in loco ipso, sed in eius vicinia fieri significatur, praepositiones ad vel apud[31]) semper adduntur: ut, Caes. B. C. I. 56. *Dum haec ad Ilerdam geruntur.* Cic. Orat. II. 6. *Conchas et umbilicos ad Caietam et ad Lacrinum legere.* Virg. Aen. I. 24. *Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis.* Cic. Fam. XVI. 5. *Nos apud Alyziam unum diem commorati sumus.* Id. Fam. XV. 4. *Cum quinque cohortes apud Philomelum consedissent.* Sall. Iug. 58. 1. *Dum apud Zamam sic certatur*[32]), [33]).

---

31) Quamvis diversa paulum sit harum praepositionum notio (ad enim in eiusmodi exemplis proprie *iuxta*, sive *in loco proximo*, apud vero *circa* vel *prope* significat;) saepe tamen promiscue accipiuntur. Sic Cic. Fam. XV. 3. *Cum ad me venissent ad castra ad Iconium:* et Epist. seq. *Legato imperavi ut castra in Lycaonia apud Iconium faceret.* Item Epist. 2. *Castra ad Cybistra locavi:* et Epist. 4. *Apud oppidum Cybistra castra feci.* Sic Liv. XXIV. 17. *Dum haec ad Beneventum geruntur.* Dict. Cret. I. 12. *Dum haec apud Troiam aguntur.* Confer Cort. ad Sall. Iug. 20. 1. et 58. 1.

32) Sic etiam cum aliis locorum nominibus: ut, Cic. pro Coel. c. 15. *Habes hortos ad Tiberim.* Id. pro Muren. c. 15. *Pugna navalis ad Tenedum:* et Verr. II. 8. *Ad urbem cum esset:* et pro Sext. c. 18. *Caesar erat ad portas.* Caes. B. G. II. 7. *Paulisper apud oppidum morati.*

33) Hic autem quaeri potest, an praepositione ad oppidorum nominibus aliisque addita, res semper in loco vicino, nunquam vero in loco ipso fieri significetur. Affirmat Vossius, l. c. eumque secutus Ursinus, p. 349. At negare videtur Iohnsonus Noct. Nott. p. 84. qui recte Latineque dici ait, *Librum tuum ad Londinum legi: Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo.* Quod si *ad Londinum, ad Corinthum*, pro *Londini, Corinthi*, in his dicatur; nego quenquam de meliore nota Scriptorem, aut certe rarissime, ita loqui. Illud sane quod ex Cic. Att. I. 3. is adfert, *Signa ad Caietam sunt, exposita*, de loci vicinia intelligendum est. Eodemque sensu accipienda arbitror, *Putcolis aiebat se unum diem fore, alterum ad Baias:* et *Ad Iconium me puto fore circiter Idus Sextil.* * Caeterum apud urbium aut regionum nominibus additum, posterioribus seculis, pro nostratium in, seu Latinorum genitivo, quandoque usurpatur: ut, Tac. Ann. III. 71. 2. *Apud Antium*, pro *Antii:* et IV. 8. 2. *Apud Asiam;* pro, *in Asia.* Eutrop. VII. 13. pr. *Vespasianus fuctus apud Palaestinam Imperator.* Vid. Fabri Thes. in voc. Addit Ursinus, To. 1. p. 1054. Plant. Epid. I. 1. 51. *Apud Thebas;* pro *Thebis*, dixisse. * Interim hic notare licet Cl. Perizonium in Addend. ad p. 668. perperam oepisse Vossii verba de Constr. c. 42. „Quem malle *ait* hanc significationem praepositionis ad locum habere tunc maxime, quando *non motus ad locum, sed aliquid esse vel fieri in eo significatur. Additque* contrarium probare loca a se allata, et usitatissimum illud quod qui triumphum desiderabant, dicantur *Venisse ad urbem*, quam tamen illis ingredi ante ipsum triumphi diem neutiquam licebat." At alia plane ab

Digitized by Google

II. Nominibus regionum, provinciarum [34]), villarum et aliorum locorum [35]) non dictis praepositio fere additur: ut,

Ubi? Cic. Att. IX. 7. *Promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum.* Ter. Phorm. V. 8. 15. *In Lemno uxorem duxit.* Cic. Att. VII. 26. *Pueri in Formiano videntur hiematuri.* Virg. Aen. I. 441. *Lucus in urbe fuit media.*

Quo? Cic. Att. III. 6. *Nobis iter est in Asiam.* Id. Att. V. 21. *Te in Epirum salvum venisse vehementer gaudeo.* Id. Fin. IV. 9. *Si Annibal ad portas venisset.*

Unde? Curt. VII. 8. 13. *Ab Europa petit Asiam; ex Asia transit in Europam.* Cic. Att. V. 12. *Ad te de Gyaro dedi literas.* Hec. IV. 2. 15. *Ex urbe tu rus habitatum migres.*

Qua? Cic. Fam. III. 6. *Iter in Ciliciam facio per Cappadociam.* V. Max. VI. 5. 1. *Per totum terrarum orbem manavit.* Virg. Geo. III. 276. *Saxa per et scopulos et depressas convalles.*

Not. Aliquando his nominibus praepositio subtrahitur [36]); ut,

---

hoc est Vossii doctrina, et adversus quam nihil probant loca a Perizonio allata. Id enim tantummodo voluit Vossius, praepositionem ad nominibus oppidorum cum verbo motus additam, saepius quidem accessum vel viciniam, interdum tamen et ingressum significare: at cum non motus ad locum, sed aliquid esse vel fieri in loco notatur, praepositione ad nominibus locorum addita semper viciniam sive propinquitatem signari.

34) Haec regionum, insularum, et provinciarum nomina, *locorum maiorum*, illa autem urbium et oppidorum, *minorum locorum* appellatione, vulgo apud Grammaticos distinguuntur.

35) Sive ea propria sint, ut montium, fluviorum, marium, silvarum, etc; sive appellativa quaevis: ut, Virg. Ecl. VII. 65. *Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis, Populus in fluviis, abies in montibus altis.* Iuven. III. 78. *In coelum, iusseris, ibit.* Cic. Attic. VI. 21. *Literae in Senatu recitatae sunt.* Plaut. Most. II. 2, 77. *Vivom me arcessunt ad Acherontem mortui.* * Huc quoque pertinent nomina villarum, quae quamvis appellativa natura, quia tamen de uno loco dicuntur, pro propriis haberi possunt. Caeterum ea praepositionem fere semper recipiunt: ut, *Exspecto te in Tusculano, Veni in Cumanum, Tantum quod ex Arpinati veneram:* omnia Ciceronis, et sic alibi passim ap. eund.

36) Plura eius rei exempla videre est ap. Sanct. p. 689. et ibid. Perizon. n. 8. Alvar. p. 350. Voss. c. 42. Methodi Auctorem, p. 405. Vechneri Hellenol. I. 5. Bernegger. ad Iustin. XIV. 5, 9. Cortium ad Sallust. Iug. 7, 2. et 83, 4. e quibus nos pauca in textu repraesentata selegimus. In hoc vero Livii, XLV. 11. *Si exercitum Aegyptum induxisset*, quod Sanctius, Vossius, et Auctor Methodi huc adfernat, dici potest accusativum vi praepositionis verbo comprehensae regi: uti notatum Ursino, p. 348. qui etiam animadvertit manifeste falso citare Meth. Auctorem hoc Caesaris B. Civ. II. 20. *Cum se Italiam venturum promi-*

Digitized by Google

Ubi? V. Max. IV. 1. 15. *Duos egregiae indolis filios suos a Gabinianis militibus Aegypti occisos cognovit.* Caes. B. C. III. 106. *Caesar cum audisset Pompeium Cypri visum.* Sall. Iug. 53. 4. *Numidiaeque facinora eius memorat* [37]).

Quo? Cic. pro leg. Man. c. 12. *Inde Sardiniam cum classe venit.* Nep. IV. 2. 1. *Pausaniam cum classe Cyprum atque Hellespontum miserunt.* Liv. XLV. 10. *Navigare Aegyptum pergit* [38]).

Unde? Liv. XLV. 13. *Literae deinde Macedonia allatae.* Tac. Ann. 69. 1. *Germanicus Aegypto remeans.* Suet. Vesp. 4. 8. *Ut Iudaea profecti rerum potirentur* [39]).

Qua? Cic. Phil. XI. 2. *Nunc tota Asia vagatur* [40]). Hor. Sat. I. 9. 1. *Ibam forte via sacra.* Liv.

---

sisset: ubi plane legendum *Italiam*, quae urbs Hispaniae, alio nomine *Ilipa*. Perperam quoque huc addit idem Methodi Auct. ex Sanctio hoc Ciceronis, *Si Pompeius Italia cedit*: nam *cedere*, *decedere*, crebro ablativum cuiuscunque generis sine praepositione habent. Idem de *pello*, *arceo*, *surgo* existimandum. Nam ut Val. Max. Sanctio citatus, lib. 1. c. 6. dixit *Poenorum exercitum Italia pelleret*: sic passim legitur *Pellere possessione*, *domo*, *civitate*, *patria*. Et ut Virg. Aen. I. 81. *Arcebat longe Latio*, sic *Arcere aditu*, *sacris*, *aquilonibus*. Et ut Ovid. Met. II. 771. *Surgit humo*, sic *Surgere sella*, *solio*, *strato*, dicuntur.

37) Ita ipse Cicero, Fam. XVI. 7. *Septimum iam diem Coreyrae tenebamur*: et Att. V. 13. *Quae mihi iam Sami*, *sed mirabilem in modum Ephesi*, *praesto fuit.* In illo autem Plauti, Capt. V. 4, 1. *Vidi ego multa saepe picta*, *quae Acherunti fierent cruciamenta*, *Acherunti* inferendi est casus, ut in his, *Fieri Carthagini*, *Esse Sicyoni*, etc. Vid. supra p. 253. n. 3.

38) Id in primis Poetis familiare: ut, Virg. Ecl. I. 66. *At nos hinc alii sitientes ibimus Afros*, *Pars Scythiam*, *et rapidum Cretae veniemus Oaxem*, *Et penitus toto divisos orbe Britannos.* Aen. I. 2. *Italiam fato profugus Lavinaque venit Littora*, v. 51. *Loca foeta furentibus Austris Aeoliam venit.* Aen. VI. 542. *Hac iter Elysium nobis*, v. 638. *Devenere locos laetos et amoena vireta Fortunatorum nemorum sedesque beatas*, et v. 696. *Haec limina tendere adegit.* Aen. III. 601. *Quacunque abducite terras.* IV. 124 et 165. *Speluncam Dido dux et Troianus eandem Devenient.* IX. 100. *Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva.* Catull. LXII. 82. *Quam talia Cretam — funera portarentur.* Plaut. Poen. III. 6, 4. *Utinam hinc abierit malam crucem.* Id. Most. II. 2, 68. *Me Acheruntem recipere Orcus noluit.* Ovid. Met. III. 462. *Verba refers aures non pervenientia nostras.* Ter. Phor. V. 8, 37. *Exsequias Chremeti re.* Quo genere loquendi mire delectatur Apuleius: ut, Met. II. *Hospitium redire.* Met. VI. *Pergere qua dam turrim praealtam.* Et alibi sp. eund. *Castra remeare*, *Revenire civitatem*, *contendere monumentum mariti*, *ripam maris proximare.*

39) Huc pertinent et ista, Ovid. Remed. v. 87. *Tum poterat manibus summa tellure revelli.* Virg. Aen. I. 419. *Atque imo Nereus ciet aequora fundo*, et similia.

40) Sic Liv. II. 49. *Manat tota urbe rumor.* Cic. Attic. XIV. 8. *Totae urbe vagari*, et de Orat. I. 40. *Vagari toto foro*; omissa fere sem-

Digitized by Google

XXVIII. 5. *Seu terra, seu mari obviam eundum hosti foret* [41]), [42]).

APPENDIX.

☞ 1. Peto, in significatione proficiscendi, cum quovis loci nomine respuit praepositionem [43]): ut, Ovid. Heroid. I. 5. *Lacedaemona classe petebat.* Curt. IV. 1. 27. *Aegyptum petere decrevit.* Cic. Nat. D. II. 49. *Grues loca calidiora petentes maria transmittunt.*

☞ 2. Adverbium versus locorum nominibus semper postponitur, addita nonnunquam, at saepius dempta praepositione ad vel in: ut, Caes. B. G. VI. 32. *Ad Oceanum versus proficisci iubet.* Cic. Fam. IV. 12. *In Italiam versus navigaturus erat.* Liv. I. 18. *In lapide ad meridiem versus consedit.* * Cic. Div. 1. 35. *Cum Arreticum versus castra movisset.* Id. Fam. III. 8. *Amanum versus profecti sumus* [44]).

☞ 3. Adverbium usque nominibus cum ad locum, tum de loco significantibus, nunc cum praepositionibus ad, a, ab, e, ex, de, nunc sine iis, adiicitur: ut, Cic. pro Deiot. c. 7. *Usque ad Numantiam misit.* Id. Verr.

---

per praepositione. Aliter accusativus adhibetur cum praepositione per. Cic. contr. Rull. II. 17. *Vagari per orbem terrarum.*

41) Perperam (uti notat Ursinus, p. 352.) a Saturnio, II. 16. aliisque huc citantur, ex Curtio, VII. 5, 28. *Mileto transierant:* et ex Terentio, Eun. II. 2, 14. *Tota erras via.* Utrobique enim terminus a quo simpliciter indicatur: unde neutrum etiam praepositione per variari potest. * In hoc etiam Cic. Act. in Verr. I. 1. *Multae mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sunt,* locus in quo potius, quam per quem, spectatur; cum non tam motus in eo quam quies significetur. Sed et in superioribus in plerumque cum quadam continuatione motus subaudiendum: ut, *Ibam forte via sacra,* supplendum *in via sacra;* et sic porro. Vid. supra n. 12.

42) Invenimus et cum accusativo, intellecta (ut videtur) praepositione per: ut, Propert. II. 21, 21. *Ino etiam prima terras aetate vagata est.* Virg. Aen. I. 66. *Tyrrhenum navigat aequor.* Id. Aen. III. 192. *Vastumque cava trabe currimus aequor:* et Aen. I. 524. *Ventis maria omnia vecti.*

43) Facile omitti potuit hoc praeceptum, nisi eius tot Grammatici, Rhenius, p. 407. Schmidius, p. 297. Alvarus, p. 350. Lowaeus, p. 22. Ursinus, p. 350. etc. meminissent. Quamvis enim peto primitus verbum neutrum fuerit, ac proinde non nisi intellecta praepositione accusativum receperit (qua de re vid. Perizon. ad Sanct. p. 591.) postea tamen usu in activum mutatum, accusativum vi sua regere existimandum est. * Illud magis notandum, quod Plinius, *Petere aliquid in Indos, in Elymaeos, ad Seras, ad Troglodytas,* dicat; de qua loquendi ratione vid. supra p. 176. n. 65.

44) Vid. Gifan. Observ. L. L. p. 246. et Cortium ad Sallust. Catil. 56, 4.

Digitized by Google

IV. 49. *Usque Ennam profecti sunt.* Plin. Paneg. c. 14. *Te ab Hispania usque exciverat.* Plaut. Pers. IV. 1. 15. *Usque e Persia.* Ter. Eun. III. 2. 18. *Ex Anthiopia est usque haec.* Cic. pro Flacc. c. 19. *Non accepit a civibus suis, sed usque Tmolo petivit* [45]).

De Spatio, *sive* Distantia *loci.*

58. Vult quartum sextumve loci distantia casum.

Distantia [46]) unius loci ab alio ponitur in accusativo; interdum et in ablativo. Accus. ut, Cic. Fam. XIV. 4. *Cum abessem ab Amano iter unius diei.* Id. Fam. XVI 2. *Is locus est citra Leucadem stadia centum viginti.* Id. pro Deiot. c. 15. *Negat unquam se a te pedem discessisse* [47]). Abl. ut, Cic. Fam. X. 17. *Ventidius bidui spatio abest ab eo* [48]). Caes. B. G. I. 41. *Certior factus est Ariovisti copias a nostris millibus passuum quatuor et viginti abesse* [49]).

---

45) Legitur et cum praepositionibus in et trans: ut, Cic. pro Leg. Manil. c. 12. *Usque in Pamphiliam.* Id. pro Quinct. c. 8. *Trans Alpes usque transferri.* * Poetae, pro *usque ab, usque ad*, vocibus compositis *abusque, adusque*, utuntur: ut, Virg. Aen. VII. 289. *Siculo prospexit abusque Pachyno.* Id. Aen. XI. 262. *Protei Menelaus adusque columnas Exulat:* quos nonnunquam et alii Scriptores, sed ii fere posterioris aetatis, imitantur. Tacitus singulari exemplo *abusque* ablativo suo postposuit, Ann. XV. 37, 2. *Animalia maris Oceano abusque petiverat.*

46) Haec structura locum habet post verba eundi et distandi: ut, *eo, proficiscor, procedo, curro, ambulo*, etc. item, *distat, patet, porrigitur, abest*, et similia, cum quaestio fieri possit per Quantum vel Quamprocul.

47) Huc referenda sunt et haec: *Ire viam longam, Proficisci magnum iter.* Cic. pro Quinct. c. 25. *Nemo potest biduo septingenta millia passuum ambulare.* Galb. ad Cic. Fam. X. 30. *Ei obviam processeram millia passuum centum.* Cicer. Phil. VII. 9. *Nec propius urbem millia passuum ducenta exercitum admoverit.* Virg. Ecl. III. 104. *Dic quibus in terris, — Tres pateat coeli spatium non amplius ulnas.* Caes. B. G. VI. 24. *Hercyniae silvae latitudo novem dierum iter expedito patet.* Iuven. XII. 58. *Digitis a morte remotus Quatuor.* Plin. XVII. 18. *Ne plus quatuor digitos transversos emineant.* Colum. de Arb. c. 26. *Cuneum ferreum ne minus digitos tres demittito.* Ibid. *Ita ut sesquipedem a terra exstet.* * De adiectivis mensurae, inter quae et haec verba distantiae magna est structurae affinitas, supra egimus reg. 17.

48) Spectandus in his (ut notat Ursinus, p. 355.) est usus Auctorum, nec quae illi accusativo casu extulerunt, temere ablativo statim efferenda. Ex. gr. quod Plautus, Aul. I. 1. 18. *Si ex isthoc loco digitum transversum aut unguem latum excesseris;* et Cic. Att. XIII. 20. *A recta conscientia transversum unguem non oportet discedere:* et Livius, XXVII. 4. *Negat e republica esse vestigium abscedi ab Annibale*, dixerunt, et similia, tu casu ablativo *digito transverso, ungue lato* aut *vestigio*, ne protuleris.

Digitized by Google

☞ Not. 4. Interdum alterum substantivum, quo spatium itineris significatur, per Ellipsin supprimitur: ut, Cic. Att. V. 16. *Nos in castra properabamus quae aberant bidui.* Id. Att. III. 17. *Ab Autronio et caeteris quatridui* [50]*)*: supple, *spatium, iter, viam;* vel, *spatio, itinere, via.*

☞ Not. 2. Quando locus ubi quid factum sit, per nomen distantiae exprimitur: vel solo ablativo utendum: ut, Caes. B. G. I. 48. *Eodem castra promovit, et millibus passuum sex a Caesaris castris sub monte consedit.* Ibid. *Millibus passuum duobus ultra eum castra fecit* [51]*)*. Vel accusativo cum praepositione ad; ut, Cic. Brut. c. 14. *Cum plebis prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset.* Nep. XXV. 22. 4. *Sepultus ad quintum lapidem* [52]*)*.

---

49) Accusativus in his regitur ab intellecta praepositione ad vel per: ablativo a vel ab subaudiendae sunt. [Nihil intelligendum esse vix est quod moneam. G. St.] De ad autem expressa, exemplum quod quadret non suppetit. Nam quae a quibusdam afferuntur ex Cic. Attic. VI. 1. *Accepi literas ad quintum milliare Laodiceae.* Mart. X. 79. *Ad lapidem Torquatus habet praetoria quartum*, et similia, nihil ad rhombum esse notat Ursinus. Non enim tam spatium hic sive distantia locorum, quam locus in quo notatur; atque eo haec ad quaestionem ubi pertinent. Quod inde liquet, quia non, ut in aliis spatium significantibus, detracta praepositione ad, dici potest, *Accepi literas tuas quintum milliare, Habet praetoria lapidem quartum.* * De per, hoc Lactantii de Phoenice v. 8. *Per bis sex ulnas eminet ille locus*, suggerit Sanctius, p. 688. Addunt et Columellae istud, *Quinque malleoli pangendi sunt per spatium pedis.* Magis ad rem facit illud Virgilii, Aen. VI. 596. *Per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.* * Additur interdum et praepositio in: ut, Colum. III. 13. *Senum pedum latitudinis sulcos dirigunt, fodiuntque, et exaltant in tres pedes.* Ovid. Met. II. 197. *Porrigit in spatium signorum membra duorum.* Sed in his praepositio peculiarem vim habere, ac pro *usque in* adhibita videtur. * De a vel ab exemplum profertur illud Caesaris, B. G. II. 7. *A millibus passuum minus duobus castra posuerunt.* Sed et hic quoque tam ad quaestionem *ubi*, quam *quanto intervallo*, responsio fit.

50) Vid. Budaeum Comment. L. Gr. p. 893.

51) Et addita nonnunquam praepositione a vel ab: ut in illo Caesaris modo cit. *A millibus passuum*, etc. et Flor. II. 6, 56. *Non iam a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat.*

52) Ex his apparet mancam saltem esse Regulam Despauterii, p. 841. quae talia solo ablativo efferenda praecipit: ut, *Captus est latro sexto ab urbe lapide.* Nam ut aliquis forte sic locutus reperiatur (cuius tamen exemplum adhuc desidero) certe multo frequentior in his est accusativi cum praepositione usus. Sic enim (ut res ulterius confirmetur) Tacit. Hist. III. 18, 1. *Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum signa.* Hist. IV. 60, 5. *Ad quintum fere lapidem coorti Germani.* Ibid. IV. 11, 5. *Ad quadragesimum ab urbe lapidem exstinguitur.* Plin. N. H. X. 43. *Ad secundum lapidem.* XIV. 6. *Ad quartum a Neapoli lapidem.*

Digitized by Google

Not. 3. Excessus mensurae vel distantiae solo ablativo ponitur: ut, *Hoc lignum excedit illud digito. Britanniae longitudo eius latitudinem ducentis quadraginta milliaribus superat* [53]).

5. TEMPUS.

59. Tempus amat sextum, quoties per quando rogatur:

Quamdudum sed quamque diu cum quaeritur, illud

Aptius in quarto pones, quandoque Latino.

I. Tempus ponitur in ablativo cum quaestio fit per quando [1]): ut, Plin. VII. 40. *Nemo mortalium omnibus*

XXXIII. 12. *Effoditur et ad vigesimum ab urbe lapidem.* Senec. Apocol. *Ad sextum decimum lapidem a Vienna natus est.* Liv. III. 69. *Ut exercitus novus manserit ad quintum lapidem,* et alibi saepius. Usus et Tacitus praepositione apud, Annal. XV. 60, 5. *Quartumque apud lapidem substiterat.* III. 45, 3. *Duodecimum apud lapidem copiae apperuere:* et I. 45, 1. *Legiones sexagesimum apud lapidem hibernantes.* Nonnunquam et vocem *lapidem* omittit, Hist. III. 15, 5. *Ipse cum quatuor millibus equitum ad octavum a Bedriaco progressus.* * De his; V. Max. IV. 1, 10. *Intra septimum lapidem.* Vell. II. 27, 2. *Intra tertium milliarium.* Tacit. Annal. XIII. 26, 4. *Vicesimum ultra lapidem.* Plin. X. 29. *Circa octavum lapidem:* et XV. sub fin. *Iuxta nonum lapidem;* in quibus propria inest praepositioni significandi vis, non attinet dicere.

53) Sic Virg. Aen. II. 219. *Superat capite et cervicibus altis.* Plin. Epist. X. 50. *Artifices regionis huius* [lacum mari] *quadraginta cubitis altiorem esse contendunt.* * Quae a Lilio, Alvaro, Schmidio, aliisque huc adferuntur, *Scipio omnes arte facetiisque superabat, Lepore et humanitate omnibus praestitit Socrates, Cum omnes gloria anteiret,* et similia, aliena prorsus esse, dudum monuit Despauterius, p. 345. cuius et pollicem premunt Ursinus, p. 291. et Iohnsonus, N. N. p. 78. Ad rem magis quadrat, quod ex Terentio adducit idem Alvarus, Phor. II. 1, 17. *Incredibile est quanto herum anteeo sapientia:* at *quantum* illic praeferunt libri meliores.

1) Alii has de tempore regulas hoc pacto exprimunt: I. Terminus seu Species temporis, i. e. tempus simpliciter ac praecise significatum, in ablativo effertur. II. Spatium sive duratio temporis, i. e. tempus continuatum, saepius accusativo, nonnunquam et ablativo ponitur. Sed eodem res redit: illic enim quaestioni quando, hic vero quaestioni quamdiu vel quamdudum fere semper est locus. * Sylvii autem praeceptio, Progymnas. Cent. 1. c. 17. qua docet nomina quae tempus significant, si cum vocabulis numerum significantibus, cuiusmodi sunt *unus, duo, tria,* aliaque hoc genus, coniuncta sunt, in accusativo; si cum aliis, qualia sunt *primus, secundus, tertius,* etc. in ablativo dici solere usitatius et elegantius, 1. Obscura est, quia diversa quae statuit genera non exacte satis discernit. 2. Inutilis, quia nomina temporis quaestionibus *quando* et *quamdiu* satis et praeterea aptius distinguuntur. 3. Imperfe-

Digitized by Google

horis sapit. Martial. XII. 6. *Temporibusque malis ausus es esse bonus.* Ovid. Fast. V. 490. *Mense malas Maio nubere vulgus ait* [2]).

Item, cum per quanto tempore, vel intra quantum tempus quaeri potest, ut, Cic. ad Q. Fr. III. 6. *Quatuor Tragoedias sexdecim diebus absolvisse cum scribas.* Id. Att. IX. 14. *Quidquid est biduo sciemus.* Id. pro Mil. c. 9. *Clodius respondit triduo illum, ad summum quatriduo periturum* [3]).

Not. 1. Ablativo haud raro adduntur praepositiones, in vel de [4]): ut, Ter. Heaut. II. 3. 123. *In tempore ad*

---

cta, quia non comprehendit quae sine numeris his horumque cognatis absoluto dicuntur, *hora*, *die*, *mense*, *anno*, simpliciter nominatis. Et 4. Denique ex parte falsa, quoniam ubi de tempore est sermo, etiam ordinalibus casu accusativo Auctores frequenter, fatente ipso Sylvio, utuntur: ut, Cic. Fam. VIII. 26. *Quum decimum iam diem graviter ex intestinis laborarem.* Id. XVI. 7. *Septimum iam diem Corcyrae tenebamur.* Id. pro leg. Manil. c. 8. *Annum iam tertium et vicesimum regnat.* Vid. Ursin. p. 339.

2) Huc pertinent multa quae vulgo pro adverbiis habentur: ut, *mane*, *diluculo*, *sero*, *raro*, *noctu*, *quotannis*, etc. item antiqui hi ablativi, *luci*, vetustioribus *lucu*, *tempori*, *vesperi*, pro *luce*, *tempore*, *vespere*. * In his autem Archaismis, *die quinti*, *die septimi*, *die noni*, *die pristini*, *die crastini*, et similibus, quae ap. Plaut. Menaech. V. 9, 94. et Pers. II. 3, 8. inveniuntur, et de quibus disserit Gellius, X. 24. et Macrob. Sat. I. 4. pro *die quinto*, *septimo*, etc. verius videtur cum Sanctio, et ad eum Perizonio, IV. 4, 118. Ellipsin statuere vocis *Solis*; quam cum Ursino, To. I. p. 157 et 921. (eo quod Gellius, l. c. promiscue se scriptum reperisse ait, *die quarte*, *quinte*, etc.) existimare hos esse ablativos tertiae declinationis in e et i desinentes. Eadem ratione se rem habere ait Perizonius, p. 154. n. 6. in *quotidie* et *postridie*, pro *die quoti*, *die posteri Solis*. Et ut haec in adverbiorum naturam migrarunt, ita et illa pro adverbiis copulate, i. e. unica voce, *diequinti*, vel *diequinte*, veteres accepisse Gellius affirmat.

3) Sic Cic. de Senect. c. 14. *Qui his paucis diebus Pontifex maximus factus est.* Plaut. Poen. V. 4, 36. *Haruspex dixit — nos fore diebus paucis liberas.* Cicer. Catil. II. 17. *Triduo audietis:* et pro Arch. c. 4. *Si sexaginta diebus essent professi.* Vid. interim quae de talibus disserit Ursinus, p. 338. et confer Lowaeum Gramm. p. 22. n. 77.

4) Atque hinc huius structurae ratio petenda est: nam ap. Caes. B. G. I. 50. *Proximo die copias suas eduxit:* et II. 11. *Secunda vigilia castris egressi;* integre sunt *in proximo die*, *de secunda vigilia;* et sic porro in aliis. [Ablativus quum natura sua ad temporis significationem adhiberi possit, non intelligitur cur per omissam praepositionem explicandus sit. Ceterum *In tempore est*, *bei Zeiten*, ut interdum simplex *tempore*. Cfr. Nicol. Heinsius ad Ovid. Epist. IV. 109. et Ruhnken. ad Rutilium Lup. p. 4. G. St.] * Addiuntur etiam, sed peculiari notione, praepositiones cum et sub: ut, Ter. Adel. V. 3, 55. *Cum prima luce* [al. *primo lucu*] *ibo hinc.* Id. And. III. 3, 7. *Quae* [amicitia] *cum aetate accrevit simul:* quomodo Ovidius absque praepositione dixit, Met. IV. 60. *Tempore crevit amor.* De sub exempla suppeditant non tantum

Digitized by Google

eam veni. Cic. Fam. II. 10. *Haec ad te in praesenti* [5]) *scripsi.* Gell. III. 16. *Hoc quoque venisse usu Romae comperi, feminam in undecimo mense post mariti mortem peperisse* [6]). Hor. Ep. I. 2. 32. *Ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones.* Caes. B. G. I. 41. *De quarta vigilia profectus est* [7]). * Item, Cic. Fam. XV. 16. *Ego, si semper haberem cui darem,* vel *ternas in hora darem.* Plaut. Pers. I. I. 38. *Quos* [nummos] *tibi continuo reponam in hoc triduo.* Ter. Andr. I. 1. 77. *Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt, Chrysis vicina haec moritur* [8]).

Poetae, Virg. Aen. IV. 527. *Sub nocte silenti*: et Aen. VII. 16. *Sera sub nocte.* Ovid. Met. I. 603. *Sub nitido die:* sed etiam alii; ut, Colum. V. 5. *Sub ortu Caniculae.* Pallad. Novemb. 13. *Sub lucis initio.* Vid. Tursell. CCXVI. 7. * De sub in significatione temporis cum accusativo mox dicetur.

5) Dicimus etiam *in praesentia.* Cic. Att. VII. 14. *Spero in praesentia pacem nos habere.* Liv. VIII. 7. extr. *Manliana imperia non in praesentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum erant.* Item, *ad* vel *in praesens.* Cic. Fam. XII. 8. *In te et in meo Bruto, non solum ad praesens perfulgium, sed,* etc. Tac. Ann. IV. 21, 5. *Id asperc acceptum ad praesens, mox in laudem vertit.* Horat. Car. II. 16, 25. *Laetus in praesens animus:* et Art. v. 44. *Praesens in tempus omittat.* * De vocibus *Impraesentiarum* et *Depraesentiarum* diximus Part. I. p. 313. n. 14.

6) Et ita saepius loqui Gellium eod. cap. notat Vossius, l. c. et Ursinus, p. 334. Sic Varr. I. 34. *Faba optime seritur in Vergiliarum occasu.*

7) De cum minore fere temporis specie, ut *de die, de nocte, de tertia vigilia,* iunctum reperitur: raro cum maiore; ut, Cic. ad Q. Fr. II. 1. extr. *Fac, si me amas, ut considerate diligenterque naviges de mense Decembri.* At *De anno proximo venis in Britanniam, Claruit de Olympiade sexagesima,* haud dixerim. Quin porro tantopere in his dominatur consuetudo, ut non perinde ac *de tertia vigilia, ita de hora tertia profectus est,* dicendum putem. [De quid in his significet, perspicitur e formula *De die potare* h. e. statim a meridie potare. Sic Hor. Epist. I. 2, 32. *Surgunt de nocte latrones.* G. St.]

8) i. e. *In diebus paucis post eos dies, quibus haec acta sunt.* Sic Cic. Fam. X. 18. *Ipse, ut spero, octo diebus, quibus has literas dabam, cum Lepidi copiis me coniungam,* i. e. *intra octo dies, post eos dies quibus,* etc. Caes. B. G. III. 23. *Oppidum paucis diebus, quibus eo ventum erat, expugnatum.* Suet. Iul. 35, 3. *Pharnacem intra quintum, quam adfuerat, diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, una profligavit acie,* i. e. *intra tot dies et horas ab illo tempore quo adfuerat et quo primum venit in conspectum,* sive, ut rationem constructionis plenius explicat Perizonius, II. 9, 5. extr. *in tot diebus, in quibus ipsis diebus,* etc. h. e. *in quarum dierum initio,* etc. ita ut illa dies, in qua res gesta, prima sit istarum dierum. * Porro, quotiescunque accedit adverbium temporis numerale, praepositio in fere semper adiicitur: ut, Cicer. pro Rosc. Amer. c. 46. *Inde vix ter in anno audire nuncium possunt.* Varr. R. R. II. 11. *Quidam oves hirtas in anno bis tondent.* Virg. Ecl. III. 5. *Hic alienus oves custos bis mulget in hora.*

Digitized by Google

Not. 2. Adhibetur nonnunquam et accusativus, cum praepositionibus ad, per, vel intra: ut, Cic. Att. I. 3. *Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus.* Id. Tusc. V. 22. *Praesto fuit ad horam destinatam.* Suet. Aug. 87, 2. *Ad Kalendas Graecas soluturus ait.* * Cic. Brut. c. 83. *Duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se.* Id. Fam. XVI. 8. *Te penitus rogo, ne te tam longae viae per hyemem committas.* * Liv. II. 8. *Lucretius Consul intra paucos dies moritur.* V. Max. I. 1. 17. *Intra annum exstincti sunt* 9).

---

9) Item cum aliis praepositionibus, sed quibus sua et particularis significandi vis inest, [Mireris hominem ita loquentem ac si non etiam *ad*, *per*, et *intra* sua gauderent et peculiari significatione. G. St.] (1) Circa: ut, Plin. XXV. 8. *Circa ver.* Id. XVII. 11. *Circa Martias Kalendas.* (2) Circiter: ut, Caes. B. G. I. 50. *Circiter meridiem.* Horat. Epist. I. 7, 47. *Octavam circiter horam.* (3) Prope: ut, Suet. Claud. 44, 5. *Multi Claudium defecisse prope lucem aiunt.* Sed hoc utrumque *circiter* et *prope* adverbia esse, ac subaudiri *ad*, alibi diximus, Part. I. p. 317. n. 4. Huc adde *Propediem*, pro *prope est ad diem*, h. e. *intra breve tempus*, quod coniunctis vocibus pro adverbio temporis accipitur. (4) Cis: ut, Plaut. Truc. II. 8, 27. *Ut nulla faxim cis paucos dies siet*, i. e. *intra paucos dies.* (5) In cum accus. ut, Cic. Verr. II. 52. *In honos ille in illum annum deberi putabatur*, pro *illo anno.* (6 et 7) Ante et post; tum cum accusativo: ut, Sueton. Iul. 81, 1. *Paucos ante menses.* Liv. XXXI. 24. *Paucas post horas:* tum cum ablativo; ut, Cic. Fam. IV. 9. *Perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio literas ad te.* Id. pro Flacc. c. 8. *Pecunia recuperata est multis post annis.* Sed in his, ablativo subaudiendum est *in*. [Non refellam iam hunc supplendi ardorem, sed melius quid agam. Etenim *ante* et *post* ubi cum *accusativo* construuntur, longe alium sensum efficiunt, quam qui est iis locis, ubi *ablativo* postponuntur. Nam *ante aliquot dies* dicitur ratione eius habita, qui loquitur; sed *aliquot diebus ante*, ubi res gesta, de qua sermo est, respicitur. Obstare huic regulae videri possit illud Ciceronis: *Etsi perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio literas ad te* etc. verum ibi non sui habet rationem, sed Theophili liberti, quem in proximis memorat, ut sensus hic sit: *Perpaucis diebus ante, quam Theophilus libertus tuus proficisceretur.* Sed vide Bremium ad Corn. Nepot. Datam. c. XI. 2. G. St.] * Interdum et *post* et *in* suppriuntur: ut, Cic. Fam. X. 23. *Quem triduo, cum has dabam literas, exspectabam:* et XV. 14. *Ut te, quem iam diu plurimi facio, tanto intervallo viderem:* quod Linacrus p. m. 264. interpretatur *post tantum intervallum;* at plena oratio est, *in tanto intervallo post.* Adde Gronov. ad Liv. XXX. 21. * Utrique et *ante* et *post* idem usuvenit in *pridie* et *postridie* cum accusativo constructis. Vid. post reg. 65. n. 11. * In his Formulis, Cicer.

☞ Not. 3. Si addatur abhinc[10]), tam accusativo, quam ablativo, absque praepositione, uti licet: ut, Plaut. Bacch. III. 2. 4. *Hoc factum est ferme abhinc biennium.* Cic. Verr. II. 9. *Horum pater abhinc duo et viginti annos est mortuus.* Plaut. Most. II. 2. 65. *Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.* Cic. pro Q. Rosc. c. 15. *Quo tempore? Abhinc annis quatuor*[11]).

☞ Not. 4. Figuratae locutiones sunt istae, Cic. pro Mil. c. 10. *Profectus est id temporis.* Ter. Heaut. I. 1. 58. *Ego istluc aetatis non amori operam dabam.* Suet. Ner. 26. 6. *Quare nunquam postea se publico illud horae commisit;* pro, *eo tempore, isthac aetate, illa hora*[12]).

---

lucem apertis portis urbem ingrederentur. Virg. Aen. I. 662. *Sub noctem cura recursat:* vel de statim consecuto tempore; ut, Cicer. ad Q. Fr. II. 1. *Sub dies festos.* Id. Fam. X. 16. *Sub eas literas recitatae sunt tuae.* * *Sub* autem cum ablativo pro *circa* vel *inter* accipitur: ut. Caes. B. G. VIII. 49. *Sub discessu suo.* Id. B. Civ. I. 27. *Sub ipso profectione.* Pallad. Sept. 18. *Sub occasu Vergiliarum.* Suet. Ner. 54, 1. *Sub exitu vitae palam voverat.* Adde rursus Tursell. de Partic. L. L. CCXVI. 7, 10, 11. et Ursin. p. 884. in primis vero Perizon. p. 674. n. 6. * De *inter, intra, citra* et *ultra,* cum ad tempus referuntur, vid. post n. 18.

10) Abhinc de praeterito tantum tempore dici, de futuro vero perperam usurpari, docent Vossius de vit. Serm. I. 35. Goclen. Observ. p. m. 78. Tursellinus de Partic. c. 2. Schotus de Phras. etc. At de futuro etiam dictum contendunt Scioppius, Gramm. Phil. p. m. 152. et Vorstius de Latin. mer. susp. c. 18. p. m. 134. Uterque nititur auctoritate Pacuvii et Ciceronis. At Pacuvium tanquam Scriptorem nimis obsoletum relicit, Ciceronis vero locum de praeterito tempore explicat Borrichius, Defens. Voss. p. 269. Tutius igitur et melius de futuro loquenti *ad* vel *post* usurpari; quanquam Castalio, tum in sua Bibliorum versione, quum in Dial. sacr. Genes. XL. 19. et 2 Reg. XX. 5. *abhinc* etiam de futuro adhibuerit.

11) Accusativus ab *ante,* ablativus ab *in* suppressis regitur.

12) Sic Plaut. Asin. I. 1, 56. *Neque puduit eum id aetatis sycophantias struere.* Senec. de Clem. I. 9. *Cum D. Augustus hoc aetatis esset, quod tu nunc es.* Suet. Galb. XIV. 4. *Negligentior quam conveniret Principi electo, atque illud aetatis.* Liv. I. 50. *Quod id temporis veniisset.* Tac. Annal. V. 9, 3. *Id aetatis corpora in Gemonias abiecta.* Et Ann. XII. 12, 5. *Armeniam petunt id temporis importunam.* Confer Maior. de var. orat. p. 162. et Perizon. p. 687. n. 17. *. Deest autem in his (praeter commune aliquod substantivum *negotium* vel *tempus*) praepositio *ad* vel *circa.* Sic Plaut. Asin. II. 1, 5. *Ad hoc diei tempus dormitasti in otio.* Cic. pro leg. Manil. c. 15. *Amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad ipsum eius temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Rom. attulisset:* ubi *negotium* vel *punctum* possis intelligere; quanquam Cl. Graevius ex MSS. Coloniensi et Erfurtensi *discrimen* exprimi malit. * Caeterum de nonnullis dubitari posse Vossius ait, Constr. c. 44. extr. sitne accusativus an Ablativus, qualia ista Plautina, Amph. I. 1, 2. *Qui hoc noctis solus ambulem:* et v. 9. *Qui hoc noctis a portu ingratis excituvit:* et Curc. I. 1, 1. *Quo ted hoc noctis*

Digitized by Google

II. Cum quaestio fit per quamdiu [vel quamdudum] tempus ponitur in accusativo vel ablativo; sed saepius accusativo [13]). Accus. ut, Cic. de Senect. c. 5. *Annos septuaginta vixit Ennius.* Suet. Aug. 78. 3. *Non amplius, cum plurimum, quam septem horas dormiebat.* Virg. Aen. VI. 127. *Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.* Ablat. ut, Liv. XXIV. 15. *Quatuor horis neutro inclinata est pugna.* Suet. Calig. 59. 1. *Vixit annis viginti novem, imperavit triennio et decem mensibus diebusque octo.* Caes. B. C. III. 11. *Continuato et nocte et die itinere* [14]).

☞ At quaestionem quamdudum respondentia adferuntur haec et similia, Ter. And. I. 1. 42. *Abhinc triennium commigravit huc viciniae.* Cic. Ver. II. 57. *Comitiis iam abhinc triginta diebus habitis.* Sed de his, in quibus quaestio quando aequaliter locum habet modo diximus [15]).

Not. 1. Adiicitur interdum praepositio per, ad, in, intra, vel inter: ut, Cic. Att. VII. 5. *Sero resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos.* Id. de Amic. c. 8. *Bestiae ex se natos amant ad quoddam tempus* [16]). Id. pro Sext. c. 8. *Habebit Senatus in hunc an-*

---

dicam proficisci foras. Ubi accusativus fuerit, si cum Sanctio, p. 687. *circa* [*hoc*] *tempus* intelligas; ablativus, *si in* [*hoc*] *tempore.* Sed prius praeferendum suadent exempla superius memorata. Confer supra reg. 12.

13) Inter accusativum et ablativum hoc discrimen statuit Nonius Marcellus, XII. 30. „Quotiescunque (*inquit*) per accusativum, *annos* vel *dies*, loquimur, iuges annos vel dies significamus: quoties per ablativum, per intervallum interiectis aliquibus annis vel diebus." Sed optimos quosque Scriptores eam distinctionem negligere docent L. Valla Eleg. III. 58. Saturn. Merc. mai. I. 46. Despaut. p. 840. Sylv. Progym. cent. 1. c. 16. Voss. de Constr. c. 44. Ursin. p. 336. etc. Marcellum tamen magna ex parte tuetur Bad. Ascensius, quem egregie de hac re disputantem [ad Vall. l. c.] operae pretium erit videre.

14) Accusativus in his pendet a praepositionibus *per, in, inter, intra* vel *ad* intellectis, quas nec raro adiici, nota aeq. indicamus. Ablativus autem regitur ab *in*, quanquam eius expressae exemplum non suppetat. [Mira est nostri sollertia in fingenda ellipsi. G. St.]

15) Nullum mihi succurrit exemplum, in quo locum habeat quaestio quamdudum vel quampridem, nisi cum particula abhinc simul adiicitur, veluti in hoc, *Quamdudum coepisti Grammaticae operam navare? Abhinc sesquiannum* vel *sesquianno*: ubi vix commode *abhinc* omisso fiet responsio. Adde quod in his etiam satis apte per *quamdiu*, adiuncta voce *abhinc*, quaeri potest: *quamdudum* enim et *quamdiu abhinc* idem valent. In hoc autem Ciceronis in Pis. c. 25. *Quo in loco mihi libertus domum ex hac die biduo ante conduxerat*, quaestio potius per *Quando*, vel [copulatis vocibus *ante* et *ex hac die*] per *quamdiu*, quam per *quamdudum*, instituenda videtur.

Digitized by Google

num quem sequatur [17]). Caes. B. G. I. 56. *Invicti Germani, qui intra annos quatuordecim tectum subierint.* Cic. Act. in Verr. c. 13. *Quae inter decem annos nefarie flagitioseque facta sunt* [18]).

☞ Not. 2. Observandae sunt, riteque supplendae, ad tempus pertinentes hae loquendi formulae. * Cic. de Orat. III. 20. *Annos natus unum et viginti*; supple, *ante* [19]). * Curt. IV. 4. 19. *Tyrus septimo mense, quam oppugnari coepta est*; i. e. *postquam* [20]). * Cic. pro Flacc. c. 26. *Lacedaemonii septingentos iam annos amplius unis moribus et nunquam mutatis legibus vivunt*; supple, *quam per* [21]). Nep. II. 5. 2. *Minus diebus triginta in Asiam*

---

16) Est etiam (ut notat Vossius, l. c.) cum *ad* vel *in* apponantur, sed propriam habent vim, ut κατ' ἔλλειψιν omitti minime possint: ut, Cicer. de Sen. c. 6. *Si ad centesimum annum vixisset.* Nam aliud est *centesimum annum vixisset*; aliud, *ad centesimum.* Id. Somn. Scip. c. 1. *Qui ad multam noctem vigilassem.* Sic ratione temporis futuri ap. eund. ad Attic. XV. 6. *Praesidia sunt ad tot annos provisa:* et Tusc. I. 38. *Non deterret sapientem mors quo minus in omne tempus reipublicae suique consulat.* Item hoc Terent. Eun. V. 7. 19. *In diem isthuc, Parmeno, est fortasse, quod minitare.* Quomodo et Cicero de Orat. II. 40. *In diem vivere*, de eo qui crastini curam habet nullam. Caeterum quamvis haec omnia ad quaestionem *quamdiu* referri possunt, rectius tamen pleraque eorum cum Ursino, p. 337. ad quaestionem quousque referenda videntur.

17) Huc refer et vulgata illa dicendi genera, *In dies, in horas*, vel plenius *in singulos dies, in singulas horas, in posterum, in posterum tempus, in reliquum tempus, in praesens, in praesens tempus, in praeteritum, in futurum, in crastinum, in perpetuum, in aeternum, in sempiternum*: quibus addi possunt, detracta praepositione, *aetatem, aeternum, perenne.* Quibus, cum *in* terminum quendam notet, quaestio *quousque* potius, quam *quando* vel *quamdiu*, convenire videtur. Vid. Vallam, Eleg. III. 68. Linacr. lib. 1. p. m. 78. et Ursin. p. 389.

18) Diversa sunt, *Intra decem annos*, et *Inter decem annos.* Prius enim *minus decem annis*, vel *prius quam tot anni finem acceperint*; posterius vero *integros decem annos*, sive *cum decem anni plene elapsi sunt*, significat. Vid. Hottomannum ad Cic. l. c. et Gronov. ad Liv. I. 10. * Illustrant porro hanc rem praepositiones *citra* et *ultra*, cum ad tempus referuntur: ut, Col. II. 8. *Citra Kalendas Octobris*, i. e. *ante.* Suet. Tit. 8. 15. *Ultra certos annos*, i. e. *post.* Medium tempus tenent *inter* et *intra*, sed ita ut prius totum comprehendat, posterius vero principium et finem excludat.

19) Vel (ut alii volunt) *ad.* In his autem quaestio est, *Ante* vel *ad quot annos natus?* [Nec hic ellipsis locum habet. G. St.]

20) Sive, ut plenius sententiam supplet Perizonius, p. 210 et 698. *post illam horam ad quam.* * Similiter aliquando, licet rarius, omitti praepositionem *ante* idem notat: ut, Plaut. Menaechm. Prol. 62. *Eum haeredem fecit, quam ipse diem obiit*, i. e. *ante illam horam ad quam diem obiit.*

21) Sic Cic. pro Rosc. Amer. c. 14. *Annos natus magis quadraginta*, i. e. *natus ante annos magis quam quadraginta.* Verum hoc de eo qui

Digitized by Google

reversus est; supple, *quam in*. Plaut. Aul. Prol. 4. *Hanc domum iam multos annos est cum possideo*. Id. Pers. I. 5. 57. *Hic leno nondum sex menses Megaribus Huc est cum commigravit*: plena sententia est, *Iam ante multos annos est, cum possideo*, etc. *Nondum ante sex menses factum est, cum leno*, etc. [22]. * Alfen. ap. Gell. VI. 5. *Ut Karthaginenses quotquot* [23]) *annis populo Romano darent certum pondus argenti*. Cic. Verr. II. 55. *Siculi quot annis tributa conferant*; i. e. *tot annis quot* vel *quotquot sunt*. Sic *quot mensibus* ap. Caton. R. R. c. 45. et Vitruv. X. 7. *quot calendis* ap. Plaut. Stich. I. 2. 5.

De Ablativo absoluto.

60. Fixum Participi iunctum, quae nulla gubernat
Dictio, da sexto, vocitant quem lege solutum.

Substantivum cum Participio, quorum casus a nulla alia dictione pendet, ponuntur in ablativo absoluto [1]: ut,

---

excessit annum quadragesimum Latine non dici ait Graevius, qui propterea ibi legendum vult, *Annis maior quadraginta*. [Legendum haud dubie: *Annos natus maior quinquaginta*, quod etiam in codd. servatum. Corn. Nep. III. 2. *maior quinque et viginti annos natus*. Gell. N. A. I. 12. *Qui de virgine capienda scripserunt, minorem quam annos sex, maiorem quam annos decem natam negaverunt capi fas esse*. Vides illud *magis* et soloecum esse, et ex inepta interpretatione ortum. Accusativum *annos* in ablativum mutavit cum Graevio etiam Aug. Matthiae. G. St.] * Possis et in quibusdam intelligere coniunctionem et, hoc pacto, *Provinciam obtinere per annum et plus. Per septingentos annos et amplius vivunt*: quomodo Terent. Heaut. I. 1. 10. *Annos sexaginta natus es, aut plus eo, ut coniicio*.

22) Frustra igitur est Bangius, qui, referente Ursino, p. 337. per Enallagen Accusativum in his loco nominativi positum vult. Fatendum tamen est prosa scribentes haec per nominativum cum verbo *sunt* efferre solere: ut, Cic. pro Cluent. c. 30. *Anni sunt octo, cum in ista meditatione versatur*. Id. Off. II. 21. *Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis lata est lex*. [Frustra est ipse Ruddimannus, qui accusativum natura sua ad indicandam temporis longitudinem adhiberi non viderit. G. St.]

23) Sic Varr. de L. L. IV. 4. *Fundus dictus quod fundat quotquot anneis multa*: et mox, *Ager restibilis, qui restituitur et reseritur quotquot anneis*. Sic ap. eund. IV. 8. *Quae sacra quotquot mensibus feruntur in arcem*. Postea vero, altero *quot* omisso, *quot annis*, vel composita voce et quasi adverbialiter *quotannis, quotmensibus*, etc. dici invaluit; Virg. Ecl. V. 79. *Tibi sic vota quotannis Agricolae facient*. Ulpian. l. 8. §. 24. ff. de transact. *Ut in vicem eorum nummum quot-annis vel quot-mensibus acciperet*. *Quot-diebus* usus Augustinus, Conf., VI. 6. pro quo in accus. *Sedulum quot-dies obibam cultuque sacrorum ministerium*, dixit Apuleius, Met. XI. p. m. 385. At hunc loquendi morem improbat Valla, Eleg. VI. 60. et, pro *quot-diebus, quotidie*; pro *quotmensibus, singulis mensibus*, dici iubet. Vid. eum quoque in Ant. Raud. p. 21. eadem inculcantem.

Digitized by Google

Cic. de Senect. c. 12. *Dominante libidine temperantiae nullus est locus.* Ovid. Art. 1, 15. *Quas Hector sensurus erat, poscente magistro, Verberibus iussas praebuit ille manus*; sc. *Achilles.* Tac. Hist. I. 83. 6. *Perçunte obsequio, etiam imperium intercidit.* Cic. *Oppressa libertate patriae, nihil est quod speremus amplius.* Id. de leg. III. 14. *Nobilium vita victuque mutato mores mutari civitatum puto* [2]).

Not. 1. Frequenter intelligitur participium ente [3]) vel existente, adiuncto alio nomine [4]) vel pronomine:

---

1) Hic *ablativus* ideo absolutus sive absolute positus dicitur, quod in speciem a nulla voce regi videatur: at eum, ut alios omnes ablativos, ab aliqua praepositione, veluti a, ab, cum, sub, vel in intellecta pendere iam extra dubium est. Dicitur etiam *ablativus consequentiae*, quia aliquid ex eo denotatur sequi: ut, *Sole lucente evanescunt tenebrae.* Vid. Priscian. col. 674. et Despauter. p. 348. [Ratio constructionis non videtur quaerenda in praepositionis alicuius omissione, sed in ablativi per se spectati natura et usu. Etenim hic casus quoniam indicat per se *causam* et *rationem* per quam vel qua aliquid fiat, sponte intelligitur, talia: *Dominante libidine temperantiae nullus est locus: Percunte obsequio etiam imperium intercidit* explicari posse facillime hoc modo: *Per libidinem dominantem*, h. e. si dominatur libido; etc. Atque haec fuerunt usus illius initia, quae mox etiam latius promota sunt. Nam quum etiam temporis significationem comprehendat ablativus, quid mirum, si absolutis, qui vocantur, ablativis temporis notatio facta est? Itaque illud Ciceronis: *Sylvam tu vendas nobis consulibus atque hoc senatu?* nihil aliud est, quam: Sylvam tu vendas eo tempore, quo nos consules sumus atque hic senatus. Sed haec satis sunto de re minime difficili. G. St.]

2) Sunt qui hanc regulam ad participia restringunt praesentis et praeteriti temporis. At non desunt exempla etiam de participiis futuri in rus sic adhibitis: ut, Mart. VIII. 21. *Caesare venturo, Phosphore, redde diem.* Plin. VI. 27. *Dionysium ad commentanda omnia in orientem praemisit Augustus, ituro in Armeniam maiore filio.* Addit et Ursinus, p. 420. participia in dus, sed tum maxime cum gerundiva sunt, et naturam nominis induerunt: ut, Cic. Off. I. 1. 1. *Orationem Latinam legendis nostris efficies pleniorem.* Id. de Senect. c. 7. *His ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum.* Id. ad Q. Fr. II. 3. *Res, multis querelis de rep. interponendis, nulla transacta est.* Sed haec ad regulam modi referenda potius arbitror; eadem scil. ratione ac si *legendo nostra, haec ipsa legendo, multas querelas interponendo*, gerundiis adhibitis, dictum fuisset. Magis ad rem est, quod sibi ipsi confingit Ursinus exemplum, *Virgilio cras enarrando tu discedis*, i. e. *cum Virgilius cras enarrandus sit.* Quale est et illud Prisciani, col. 1121. (Homeri verba, ἐμεῦ ζώοντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, ad verbum vertentis) *Me vivo et in terra videndo.*

3) De hoc participio, quod Latina consuetudo non recipit, vides Quinctil. VIII. 3. p. 690. et Priscian. lib. XVIII. p. 1119. Quam lato autem pateat eius vocis Ellipsis, pluribus exemplis docuit accuratissimus Perizonius ad Sanct. IV. 4. 27.

4) Nonnunquam et unum tantum nomen ablativo sic positum invenitur; idque vel adiectivum: ut, Liv. XXXIII. 17. *Haud cuiquam dubio opprimi posse*, etc. Ibid. c. 36. *Multi adnantes navibus, incerto prae*

Digitized by Google

ut, Plaut. Mil. II. 5. 50. *Mirum est lodio victitare te, tam vili tritico*; supple, *existente*. Ovid. Amor. II. 6. 42, *Iamque cinis, vivis fratribus, Hector erat*; supple, *existentibus*. Sic Plaut. Most. III. 5. 13. *Me suasore atque impulsore hoc factum.* Cic. Agrar. I. 1. *Silvam tu Scantiam vendas, nobis Consulibus, atque hoc Senatu?* Sic Virg. Aen. VII. 261. *Rege Latino*[5]). Hor. Ep. II. 1. 68. *Iove aequo.* Item, *Fatis auctoribus, Deo Duce, Comite Fortuna, Invita Minerva, Me ignaro, Coelo sereno, Aspera hyeme*; et similia.

Not. 2. Aliquando solum adest participium[6]): ut, Caes. B. G. VII. 52. *Exposito quid iniquitas loci posset.*

---

tenebris quid peterent aut vitarent, foede interierunt, (vid. mox n. 8.) vel substantivum: ut, Varr. R. R. III. 2. *Ubi Censores, censu, admittant populum*, i. e. *censu habito*, vel *existente*. Tac. Ann. III. 28. 3. *Dedit iura queis pace et Principe uteremur*, h. e. *existente nobis pace et Principe*. Suet. Iul. 11. *Qui proscriptione pecunias ex aerario acceperant*, h. e. *proscriptione existente*, vel *tempore proscriptionis*. Sic *Comitiis, ludis, gladiatoribus, munere, Circensibus*, pro *dum comitia haberentur, cum ludi fierent, cum gladiatores aut Circenses darentur*. Vid. Gronov. de pecun. vet. IV. 1. sub fin. Perizon. ad Sanct. IV. 4. 28. et Ursin. p. 417.

5) Sic Iuven. VI. 1. *Credo pudicitiam Saturno Rege moratam In terris*, pro quo Ovid. Fast. I. 198. *Saturno regnante:* et Propert. II. 28. 108. *Saturno regna tenente.* Virg. Geo. IV. 112. *Rege incolumi mens omnibus una est: Amisso rupere fidem.* Sil. VII. 40. *Vicino Marte furebat Ad portas bellum.* Notabilia magis sunt haec, Cic. Fam. VII. 18. *Nihil te ad me scripsisse postea admiror, praesertim tam novis rebus*; et VI. 1. *Nec dubitare debes, quin aliqua rep. sis futurus, qui esse debes.* Flor. I. 18. 18. *O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis.* Id. III. 23. 3. *Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor, quam Romano duce.* Vid. Perizon. l. c. et Cortium ad Sall. Iug. 37. 3.

6) Triplici ratione sic adhiberi participium notat Ursinus, pag. 418. (1) Ut plane stet absolute, nec quidquam subaudire necesse sit, quod fit in impersonalibus vere passivis, ut, *peccato* in hoc Ter. Hec. V. 1. 10. *Nam ea iam aetate sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequum: erato* et *facto* in hoc Cic. Agr. II. 2. *Cui erato nulla venia, recte facto exigua laus proponitur*, i. e. *si peccatum, erratum, recte factum sit sive fuerit*; vel, ut interpretatur Cl. Perizonius, IV. 4. 86. *Quum a me peccatum est aliquod negotium, Ubi a me erratum aut recte factum aliquod negotium erit*; quanquam neget Ursinus opus esse *negotium* in his subaudire. Tale est et illud Taciti, Ann. XI. 10. 3. *In cuius* [amnis] *transgressu multum certato, pervicit Bardanes.* (2) Ut defectum nominis reliqua oratio suppleat: ut, Sall. Hist. V, ap. Priscian. col. 1130. *Audito Q. Martium Regem in Ciliciam tendere:* ubi *Q. Martium in Ciliciam tendere*, id ipsum est quod *auditum est.* Cuiusmodi sunt et exempla in textu memorata. (3) Ut vel nomen sit aliquod, vel eius loco pronomen relativum subaudiendum: ut, *Incedere, agere, submoto*, sc. *populo.* Vid. Gronov. ad Liv. XXV. 3. in fin. Item Suet. Oth. VIII. 4. *Milites ubinam Imperator esset, requirentes, perruperunt in triclinium usque, nec*

Digitized by Google

Liv. XXXI. 39. *Inde ad Pellinam est progressus, nondum comperto quam regionem hostes petissent.* Id. XXXIV. 31. *Ibi permisso, seu dicere prius: seu audire mallet, ita coepit tyrannus.* Hor. Ep. I. 10. ult. *Excepto quod non simul esset, caetera laetus*[7]). In his autem subaudien-

---

ni i viso [sc. *eo*, i. e. *Imperatore*] *destiterunt.* Huc refert Ursinus *excepto* [scil. *eo*] *quod* vel *si*, quo (praeter Poëtas, Horatium, l. c. et Ovid. Trist. III. 6. 12. et Pont. IV. 14. 8.) Quinctilianus quoque IX. 4. et Plinius iunior, Epist. VIII. 1. utuntur. Vid. Vorst. de Lat. fals. suspect. c. 24. * Hic autem Grammatici observant participia haec sola in ablativo adhibita impersonaliter poni: ut, *comperto*, *nunciato*, *audito*, pro *cum compertum*, *nunciatum*, *auditum esset* vel *fuisset*; ac propterea praeteriti semper temporis esse. * Praetereundum tamen non est, singulare, et soli quod sciam, Iustino usitatum loquendi genus, quo participia praesentis temporis in ablativo absoluto sola ponuntur, praecuntibus, quibus cum convenire debuerant, in alio casu substantivis: ut, II. 8. 16. *Uxorum flagitatione revocantur, per legatos denuntiantibus, ni redeant, suboles se ex finitimis quaesituras*, pro *denuntiantium*. VI. 2. 11. *Sed Cononem seditio militum invadit, eo instantius debita poscentibus*, pro *poscentium*; et XXX. 3. 2. *Huc accedebat quod* [Romani] *nullius magis arma metuebant, reputantibus quantum motum Pyrrhus parva manu Macedonum in Italia fecisset*, pro *reputantes*. Alia eiusmodi ap. eund. notat Vorstius: ut, VIII. V. 10. et XXIII. 2. 5. etc. In his autem subaudiendum est, vel substantivum quod praecesserat, vel pronomen relativum *iis* aut *ipsis*, hoc modo, *Uxorum flagitatione revocantur, uxoribus* vel *ipsis denuntiantibus*, etc. et sic porro in reliquis. * Sed haec ex cadentis iam Iustini aevo Latinitatis consuetudine hausta, neutiquam sunt in exemplum trahenda: multoque minus illa, in quibus et nominativus absolute positus ap. eund. invenitur: ut, XI. 7. 6. *Percontatus eam quem potissimum augurem consuleret, illa respondit*, etc. pro *cum eam percontatus esset*: et XII. 6. 5. *Haec considerans pigere cum facti coepit*; pro, *cum haec consideraret*, vel *his consideratis*. Vid. Tan. Fabr. ad eund. II. 3. 16. * Simile his existimavit Saturnius, VI. 9. esse illud Plinii, II. 27: *Fit et sanguinea specie, quo nihil terribilius mortalium timori est, incendium ad terras cadens inde*; pro quo dicendum (inquit) fuerat, *incendio inde ad terras cadente*: At *incendium* illic suppositum est verbi *fit*. * Unus tamen est ap. Sallustium locus, Iug. 18. 3. in quo nominativus absolute positus videtur; *Postquam in Hispania Hercules interiit, exercitus eius compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis sibi quisque imperium petentibus, brevi dilabitur*: ubi doctissimus Cortius, cum vocem *quisque* cum consuetudine Latinorum in constructione conciliari non posse animadvertisset, „Aut *quisque* (inquit) accipies pro *quisque*, h. e. *quibusque*, ut accipiendum ap. Iustin. XXIX. 1. 8. *His regibus pueris, etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quisque maiorum vestigia nitentibus, magna indoles virtutis enituit* — Aut repone *quique*, *sibi quique imperium petentibus* — Et hoc quidem *quique* est, quod mihi in loco subobscuro maxime probatur." * Est contra ap. Livium locus, ubi ablativus pro nominativo videtur accipi, XLIII. 15. *Indigne patiente Praetorum arbitrio Consulem subiectum, dimisso Senatu ad tribunal Praetorum stans postulavit, ex Senatusconsulto destinarent sibi duas legiones.* At ibi *indigne patiens* scribi iubet Gronovius pater.

7) Videsis similia plura ap. Priscian. lib. XVIII. col. 1130. Linacr. p. m. 297. Saturn. VI. 15. Mai. de var. orat. p. 310. seqq. Budaeum

Digitized by Google

dum *negotio*, vel defectum nominis supplet reliqua oratio [8]).

☞ Not. 3. Ad Archaismum referendae sunt singulares hae anomaliae. Plaut. Amph. II. 2. 194. *Nobis praesente.* Ter. Eun. IV. 3. 7. *Absente nobis.* Pomponius ap. Non. II. 660. *Praesente testibus*; pro, *praesentibus, absentibus* [9]).

Not. 3. Resolvitur hic ablativus in nominativum cum verbo indicativi vel subiunctivi modi addita particula *cum*, *dum*, *quando*, *postquam*, *si*, *quoniam* [10]), aut

---

Comment. L. Gr. p. 12. Perizon. p. 462. Drakenborch. ad Sil. XIV. 97. Cort. ad Sall. Hist. Frag. p. 992. et quos alios illic laudant Scriptores.

8) Neque participia duntaxat, sed alia etiam adiectiva sic sola ponuntur: ut, Tac. Ann. I. 6. 6. *Iuxta periculoso, ficta seu vera promeret.* Id. III. 60. 5. *Ipsorumque numinum religiones intuospexit, libero, ut quondam, quid firmaret, mutaretve.* Vid. Gronov. Observ. I. 17. et paulo ante n. 4. In his autem intelligendum *existente*, et substantivi locum sustinet reliqua oratio.

9) Alia eiusmodi exempla adferunt Nonius, II. 60 et 660. et Donatus ad Terent. l. c. veluti *Praesente his, praesente suis, praesente omnibus, praesente amicis, praesente legatis.* Quod vero ad tam insolens dicendi genus, illiusque rationem explicandam attinet, variae sunt Grammaticorum opiniones, vel incertae potius coniecturae. Donatus (a cuius sententia se non multum dissentire fatetur Vossius, de Anal. IV. 23.) *absente* et *praesente* in his arbitratur in praepositiones degenerare, ut hoc idem quod *coram*, illud quod huic contrarium sive *clam* notet. Nonius (cui adstipulatur et Maior de var. orat. p. 256.) monoptotae olim ait formae fuisse. At utrique huic opinioni obstat, quod *nobis* cum aliis participiis singularibus iunctum reperiatur: ut, Catull. CIV. 5. *Restituis cupido atque inseranti ipse refers te Nobis:* et Tibull. III. 6. 55. *Perfida, nec merito nobis inimica merenti;* ad quem loc. vid. Broukhusium. Porro Priscianus, col. 1177. (quem sequitur fere Ludov. de la Cerda ad Virg. Aen. IX. 525.) haec ad imitationem Graecorum, quibus singularis pro plurali et contra usurpatur, dicta volunt. A quibus denique non multum abeunt Methodi Auctor, p. 552. et Ursinus, Tom. 1. p. 1050. qui Syllepsin in his numeri esse coniiciunt. Quicquid horum sit, hoc genus loquendi haud iam imitatu dignum censent Despauterius, p. 188. et Saturnius, VI. 5. init.

10) Possis et cum Farnabio, p. 78. eumque fere secuto Lowaco, p. 21. n. 13. haec ita distinguere: Resolvitur hic ablativus, (1) Cum *temporis* est, per *cum*, *dum*, vel *quando:* ut, Liv. I. 34. *Anco regnante Romam commigravit*, i. e. *cum*, *dum*, vel *quando Ancus regnabat:* item per *postquam;* ut, Ovid. Pont. II. 6. 11. *Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto, Quam mea debuerat currere cymba viam?* pro, *postquam factum est naufragium.* (2) Cum *causae*, per *quoniam* vel *quia:* ut, Liv. XXXI. 89. *Comperto, quam regionem hostes petissent*, i. e. *quoniam* vel *quia compertum esset.* (3) Cum *modi*, per *quamvis:* ut, Plin. de vir. illustr. *Lex, resistente Appio Claudio, tamen lata est*, pro *quamvis resisteret;* vel *si:* ut, Iustin. V. 8. 8. *Sperans ut, aut concordante civitate, dux belli ab omnibus legeretur; aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur;* i. e. *si civitas concordaret*, et *si discordia facta esset.* (4) Denique *agentis*, per *si*

Digitized by Google

simili: ut, Cic. Tusc. I. 16. *Pythagoras Superbo regnante in Italiam venit*; i. e. *cum*, *dum*, vel *quando Superbus regnabat*. Iuven. XIII. 129. *Quandoquidem accepto claudenda est ianua damno*; i. e. *postquam damnum acceptum est*. Hor. Car. I. 7. 27. *Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro*; i. e. *si* vel *quoniam Teucer sit dux*. Cic. pro Mil. c. 5. *Nondum libera civitate*; i. e. *quamvis nondum libera esset civitas* [11]).

☞ Not. 5. Hic ablativus, quamvis absolutus in speciem videatur, re tamen vera ab aliqua praepositione intellecta regitur, veluti, sub, cum, a vel ab, quae etiam interdum exprimi videntur: ut, Virg. Ecl. II. 15. *Sole subardenti* [12]). Mart. XI. 8. *Sub Principe Nerva*. V. Max. IV. 2. 7. *Sub Coelio auctore* [13]). Cato, R. R. c. 141. *Cum Diis volen-*

---

vel *etiamsi*: ut, Virg. Ecl. IV. 59. *Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum*, i. e. *si* vel *etiamsi Arcadia iudicet*. Confer et Linacr. p. 298.

(5) In hoc Horatiano, Epist. I. 5. 9. *Cras nato Caesare festus Dat veniam somnumque dies*, et in hoc Tibulli, I. 1. 85. *Nec amare decebit, Dicere nec cano blanditias capite*, ablativus absolutus et tempus et causam notat. Vid. Broukhusium ad Tibulli loc. cit.

11) Alios (praeter consuetos illos) eiusmodi ablativos explicandi modos adfert Saturnius, VI. 10 et 14. et ex eo Ursinus, p. 421. Veluti (1) Per pronomen relativum *qui*: ut, Cic. Fam. VI. 6. *Quo in bello nihil adversi accidit non praedicente me*; i. e. *quod ego non praedixerim*. (2) Per *ita ut*: in hoc Plinii, XII. 8. *Malus Assyria omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis subnascentibus*; i. e. *ita ut alia cadant, alia maturescant, alia subnascantur*. (3) Per *ut* solum, ut in hoc Cic. Off. I. 12. *Illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam mitigante*; i. e. *ut lenitas verbi tristitiam mitigaret*. (4) Per *ubi*, in hoc Plinii, VI. 9. *Armenia maior longitudinem ad minorem usque Armeniam pandi, Absaro in Pontum defluente*; i. e. *ubi Absarus in Pontum defluit*. (5) Per *sed*, in hoc rursum Plinii, VIII. 40. *Cuius canis specie Alexander delectatus, iussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti, contemptu immobili iacente eo*; i. e. *sed is contemptu immobilis iacuit*. (6) Per *verbum* simpliciter: ut, Colum. III. 10. *Homines quosdam non posse generare, quamvis omnium membrorum numero constante, manifestum est*; pro *quamvis omnium membrorum numerus sibi constet*. Plin. XXVI. 4. *Plura undique acervabimus, quanquam non paucis iam demonstratis*; pro, *quanquam non pauca iam demonstrata sunt*. Id. VIII. 40. *Coelium Senatorem ab armatis oppressum* [canis defendit;] *nec prius ille vulneratus est, quam cane interempto*; i. e. *quam canis interemptus fuit*.

12) Participii praesentis ablativum, absolute, positum, in e solum terminari debere docent Grammatici; et ita longe frequentissime usum tulisse haud inficiandum est: ut, *Deo volente*, *Me praesente*, *Carolo regnante*; vix *volenti*, *praesenti*, *regnanti*. At nonnulla etiam in I exempla supra dedimus, Part. I. p. 88. n. 98. Nec video (inquit Ursinus, p. 420.) quid obstet, quo minus, ut Virgilius hic dixit, *Sole sub ardenti*; sic absolute dicam, *Sole ardenti*.

13) Notat Lowaeus, l. supra cit. nonnunquam ita absolute poni

Digitized by Google

tibus. Liv. XXI. 43. *Cum Diis bene iuvantibus arma capite* [14]). Lucan. I. 445. *Moremque sinistrum Sacrorum Druidae positis repetistis ab armis* [15]), [16]).

Not. 6. Ablativo absoluto communiter locus est, cum duo orationis membra diversae sunt rei vel personae: ut, Ovid. Fast. VI. 769. *Et fugiunt, freno non remorante, dies.* Id. Met. VIII. 208. *Me duce carpe viam.* Ubi diversae res sive personae sunt, *dies* et *frenum ego* et *tu.* *Aliter in eodem casu ponuntur: ut, Cic. Attic. IV. 9. *Iens in Pompeianum bene mane haec scripsi.* Senec. de vit. beat. c. 1. *Interrogati incolae non patiuntur errare.* Ubi, *me eunte; interrogatis incolis,* vix dixerim [17]).

---

ablativum, ut quam praepositionem consequatur, non ita facile sit dicere: ut, Liv. XXIX. 29. *Militante eo pro Carthaginiensibus in Hispania, pater eius moritur.* Additque his similia esse, *Auctore Xenophonte, Teste Tullio,* etc. De priore non multum reluctabor: at posterioribus aptissime intelligi praepositionem sub fidem facit, quod nonnunquam ea expressa Scriptores utantur: ut, Cels. Praef. p. 13. *Sub auctore Themisone:* et VI. §. 18. *Sub auctore Dionysio.* Plin. X. 65. *Sub auctore Aristotele.* Stat. Sylv. V. 3. 226. *Cerealia dona coronae Te sub teste tuli.* Claudian. VIII. 350. *Tum conspicuus gratusque feretur Sub te teste labor.* Sic Virg. Aen. VIII. 515. *Sub de magistro.* Ovid. Pont. IV. 12. 25. *Sub te censore.* Pers. V. 79. *Marco spondente recusas Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?* Confer Sanct. p. 674. et (quem contra ipsius mentem in partes advocat Lowaeus) Voss. Constr. c. 49. med.

14) Idem tamen eod. lib. c. 21. omissa praepositione, *Ut Diis bene iuvantibus bellum incipiamus,* dixit.

15) Quae Scioppius addit, tum ad Sanct. p. 675. tum Auctar. Meriang. Epist. 7. p. m. 70. ex Livio, IV. 41. *Moestae civitati ab re male gesta Postumius reus obiectus:* et XXIII. 36. *Ab re bene gesta laetum exercitum,* huc non pertinere notat Ursinus, p. 442. Nam in his (inquit) praepositio cum suo casu ad adiectivum pertinet; neque tempus, ut in aliis, in quibus pro *post* sumitur, sed causam notat. Et similiter forte iudicandum de illo Ovidii, Trist. II. 177. *Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste,* quod (praeeuntibus Sanctio et Scioppio locc. citt.) huic retulit ipse Ursinus. Ibi enim *ab hoste* ad verbum *redeat* pertinere, neque tam tempus, quam motum de loco significare, videtur.

16) Observat denique Sanctius, p. 676. Vossius, l. c. et Ursinus, p. 422. in quibusdam intelligi praepositionem in: veluti in istis, *Inclinata re, inclinato statu, rebus afflictis, temporibus malis.* Sic enim Plaut. Trin. III. 1. 9. *In re perdita, quain in re salva — factus est frugalior.* Ovid. Met. II. 485. *Mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa.* Lucan. II. 178. *Toto quamvis in corpore caeso Nil animae letale datum.* Nep. IV. 2. 6. *In quo facto domum revocatus.*

17) Hic autem tyronibus praecipue cavendum, ne linguae suae vernaculae idiotismo abducti, in vero substantivo a falso distinguendo hallucinentur: id quod nonnunquam usu venire solet, cum participia verborum passivorum et deponentium eiusdem fere significationis inter se permutantur: ut, *Iacobus haec locutus abiit, Iacobus his dictis abiit;* qua de re in Rudimentis dictum.

Digitized by Google

† Interdum tamen, licet rarius, Auctores ablativo absoluto utuntur, cum is et nominativus verbi eiusdem sunt personae: ut, Ovid. Am. II. 12. 12. *Me duce ad hunc voti finem, me milite, veni.* Lucan. V. 384. *Laetos fecit se, Consule fastos.* Senec. de vit. beat. c. 20. *Populo spectante fieri credam, quicquid me conscio faciam*[18]).

---

18) Eiusmodi sunt, Plaut. Truc. II. 4. 85. *Ostendis — Se mihi infidelem nunquam, se viva, fore.* Quinctil. VIII. 2. sub init. *Qui Ibericas herbas, se solo nequicquam intelligente, dicebat.* Cic. Phil. III. 14. *Nobis vigilantibus et multum in posterum providentibus, populo Romano consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore.* Senec. Epist. 24. *Acerbum est uri: quanto acerbius, si id te faciente patiaris?* Suet. Tib. 31. 2. *Iterum censente, ut Trebianis legatam pecuniam transferre concederetur, obtinere non potuit.* Senec. de Clem. I. 9. *Ego percussorem meum securum ambulare patiar, me sollicito?* * Plura eiusmodi adferunt Valla, Eleg. III. 64. Saturnius, VI. 9. Alvarus, p. 353. in primis vero Sanctius, p. 195, seqq. et ex eo Methodi Auctor, p. 430. at quae pleraque omnia vel ex corruptis exemplaribus deprompta, vel ad rem probandam inepta sunt. Prioris generis sunt, Plaut. Mil. II. 4. 23. *Te vidente vides.* Sedigitus ap. Gell. XV. 24. *Eum, me iudice, errorem dissolvam tibi.* Quinctil. Declam. IV. 17. *Te volente misisti.* Cic. Fam. XVI. 26. *Non potes effugere huius culpae poenam, te patrono.* Melioribus enim codd. haec ita leguntur. Sc. *Domo?* Pa. *Me vidente.* Sc. *Video*, etc. * *Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi.* * *Ibit in aciem te volente, missusque fortiter faciet.* * *Non potes effugere huius culpae poenam. De Patrono Marcus est adhibendus.* Posterioris generis sunt, Hor. Art. v. 173. *Laudator temporis acti Se puero:* ubi *se puero*, non ad *laudator*, verum ad participium *acti* referendum; ut iam olim Ascensius, Despauterius, et ipse Sanctius, contra Vallam observarunt. Similiter ap. Claudian. XIX. 9. *Illatas Consul poenas, se Consule, solvit; se Consule*, non cum *Consul*, sed cum *illatas* coniungendum. Eiusmodi sunt et illa: Ovid. Fast. II. 139. *Hic castas, duce se, iubet esse maritas.* Lucan. VI. 142. *Seque arma tenente, Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.* Plaut. Bacch. III. 3. 15. *Neque equidem illum, me vivo, corrumpi sinam.* Id. Aul. I. 2. 20. *In aedes, me absente, neminem volo intromitti.* Id. Mil. II. 6. 76. *Si ego, me sciente, paterer vicino meo Eam fieri iniuriam.* Et Most. I. 3. 72. *Potius Quam te, me vivo, unquam sinam egere aut mendicare.* Plin. X. 9. *Absumique* [suos pullos] *etiam se inspectante, patitur.* Cic. Fam. I. 9. *Tenebam memoria, nobis Consulibus, ea fundamenta iacta confirmandi Senatus.* Et mox, *Memineram, nobis privatis, — unum fere sensum fuisse bonorum omnium.* Id. in Pis. c. 10. *Quae ornamenta etiam in Sex. Clodio, te Consule, esse voluisti.* Id. Off. I. 22. *Mihi quidem, neque pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque cum versaremur in rep. Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur.* Hor. Car. I. 2. 51. *Neu sinas Medos equitare multos, Te duce, Caesar.* In quibus omnibus (ut Perizonio notatum) supposítum alterum et diversum inest in accusativo, qui infinito verbo praemittitur; ut liquet ex eo, si locutionem infinitam redigamus in finitam, veluti: *Maritae sunt castae te duce; Magnus hon vicit, me adhuc arma tenente; Ille non corrumpetur me vivo:* in quibus diversa plane videmus supposita; contra quam Sanctius censet, qui male

Digitized by Google

Sectio Tertia.

De Constructione Vocum Indeclinabilium.

I. *Constructio ADVERBIORUM.*

Adverbiorum constructio dividi potest in convenientiam [1]) et regimen. *Convenientia* autem du-

---

in iis locis coniungit quae non sunt coniungenda. Sic in illo Plin. VII. 2. *Horum supra centum vigînti millia, se prodente, Ctesias scribit*, connectenda sunt, non *Ctesias scribit se prodente*, quod ineptissimum foret, sed *fuisse eorum supra* 120 *millia, se prodente*, h. e. *tum quum ipse haec memoriae proderet.* Eademque ratione distinguenda sunt similia haec a Sanctio allata; Plin. VIII. 48. *Lanam in colo et fuso Tanaquilis, in templo Sangi durasse, prodente se, auctor est Varro*: et Cic. Brut. c. 12. *Huic Antiphontem similia quaedam se habuisse conscripta, — cum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides.* In istis vero; Ovid. Met. III. 458. *Lacrymas quoque sudore notavi, Me lacrymante, tuas:* et Curt. IV. 4. 15. *Quibus occultatis Sidona devecti sunt*, plane diversa supposita sunt; in priore, alterum Narcissi ipsius, alterum eius imaginis; in posteriore, alterum Tyriorum qui erant occultati, alterum Sidoniorum qui Sidona devecti sunt. Ad illud porro quod adducit Saturnius ex Lucano, III. 382. *Excludique sinas, admisso Caesare, bellum*, quod attinet, quamvis ad Caesarem sermo fit, de eo tamen tanquam de tertia persona agitur. Idemque fere de illo ipsius Caesaris, B. Civ. III. 1. *Dictatore habente comitia Caesare, Consules creantur Iulius Caesar et P. Servilius*, ferendum iudicium. In illo denique, quod adiungit Methodi auctor, ex Tacito, Ann. I. 15. 2. *Moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret*, alterum in oratione suppositum fecit illud quod praecedit; nempe *Senatus libens tenuit.* Visum est prolixius et sigillatim excutere haec exempla, ut appareat non ab re esse Grammaticorum praeceptum, quo docent, quoties duorum verborum idem est suppositum, ut, *Dum lego proficio, Quia occupabar venire non potui*, usitatius longe atque elegantius prius verbum in participium nominativi casus converti, *Legens proficio, Occupatus venire non potui*; quam in ablativum consequentiae, *Me legente proficio, Me occupato venire non potui:* ac rariora quam Sanctius ac Methodista, addo et Ursinus et ipse Perizonius videri volunt, aliter loquentium exempla reperiri.

1) *Impropriam* esse hanc *Convenientiam* supra notavimus, p. 1. n. 6. eo quod nihil sit adverbiis cum aliis orationis partibus commune in quo conveniant. At nimis subtiliter philosophatur hac in re Kirkwodus noster, qui Gramm. p. m. 61. „Ridiculum esse ait, adverbia adverbiis aut nominibus nudis adiungi posse asserere; ut, *Valde bene, Vix vir: additque* Adverbia (ut vox ipsa indicat) verbo [*tantum*] adiici, ad illius sensum et circumstantias explicandas vel limitandas: ac proinde haec ita interpretatur, *Vix vir* (i. e. *Petrus* vel *quivis alius*) *vix est vir; Sat scribit, si bene scribit*, etc." Quam invalidum plerumque sit, quod a vocis etymo trahitur argumentum, ignorare nemo potest, qui meminerit Adverbio, ut aliis fere orationis partibus, non ex universali, sed ex potiore eius usu, nomen inditum. Vid. Voss. Anal. 1, 2. et IV. 6. Ad rem vero ipsam quod attinet, in his atque innumeris eiusmodi exemplis, non verbi, sed nominis vel adverbii significationem proxime affici

Digitized by Google

plex est: vel generalis, sive quae in pluribus vocum classibus; vel specialis, sive quae in certa classe, locum habet.

De Convenientia Adverbiorum *generali.*

61. Nominibus, verbis, et participantibus addi,
Et sibi, pro vario possunt Adverbia sensu.

Adverbia plurimum verbis iunguntur, et eorum participiis: saepe etiam nominibus, interdum et aliis adverbiis, adiiciuntur.

1. Verbis [2]): ut: Plaut. Rud. IV. 5. 2. *Bonis quod bene fit, haud perit.* Cic. Phil. II. 27. *Male parta, male dilabuntur.* Id. Fam. VI. 1. *Omnia humana placate et moderate feramus* [3]).

2. Participiis: ut, *Fortiter pugnans; Graviter sauciatus.* Plaut. Trin. V. 2. 58. *Bene re gesta salvus redeo.* Ovid. Her. XVI. 152. *Tam bona constanter praeda tenenda fuit.*

3. Nominibus: Saepius quidem adiectivis: ut, Ter. Eun. V. 5. 5. 10. *Vir apprime nobilis.* Cic. II. 4. *Insigniter impudens.* Id. ad Q. Fr. I. 6. *Servus egregie fidelis.* Rarius substantivis: ut, Cic. Brut. c. 10. *Homerus plane Orator.* Quinctil. V. 9. *Mollis et parum viri signa.* Liv. XXXIX. 12. *Admodum puella* [4]).

---

seu explicari, adeo per se manifestum est, ut nemo ante Kirkwodum id in dubium vocaverit.

2) Verbis substantivis adverbia paucissima subiici posse; ut, *Frustra sum*, i. e. *decipior*, notat Schmidius, p. 319. At eum usu Auctorum revinci ostendit Ursinus, p. 426. De adverbiis loci et temporis res indubitata: ut, *Esse hic, illic, intus, foris, diu in loco, multum in venationibus, iam iamque fore*, etc. Leguntur et apud optimos quosque, *Bene est, abunde est, satis est, apud matrem recte est, aegre mihi est*, etc. Rariora seqq. *Indiligenter hic eram*, Plaut. Mil. I. 1. 23. *Ego hunc esse aliter credidi*, Ter. Phor. III. 2. 44. *Romanos, sicut plerosque remoto metu laxius licentiusque futuros*, Sall. Iug. 87. 4.

3) Sic et nomina adiectiva adverbialiter posita; ut, Plaut. Mil. III. 2. 10. *Magnum clamat.* Hor. Car. II. 19. 5. *Mens laetatur turbidum.* Id. Sat. I. 8. 41. *Umbrae — resonarent triste et acutum.* Item cum participiis: ut, *Perfidum ridens, Dulce loquens*, apud. eund. *Multa gemens, Acerba sonans, Inexpletum lacrymans*, ap. Virg. Aen. I. 226. Geo. III. 149. et Aen. VIII. 559. etc. Vid. supra p. 152. n. 15.

4) In talibus substantivum adiective sumi videtur; v. gr. *admodum anus*, pro *admodum vetula*, seu *senex; Parum vir*, pro *parum fortis.* Sic Ter. Phor. III. 2. 23. *Ne parum leno sies*, i. e. *ne parum meres lenonios habeas.* * In hoc autem eiusdem Ter. And. I. 2. 4. *Heri semper-lenitas, ὑφὲν* statuendum est; ut, *Semper-virgo, ἀεὶ παρθένος.* Vid. Voss. Constr. c. 61.

Digitized by Google

4. Aliis adverbiis: ut, Ter. Phor. Prol. 11. *Minus multo audacter, quam nunc laedit, laederet.* Cato ap. Hieron. *Sat cito, si sat bene.* Cic. de leg. III. 1. *Tu vero Platonem nec nimis valde unquam, nec nimis saepe laudaveris* [5]).

De Convenientia Adverbiorum *speciali.*

☞ Ea duas habet partes. Prima de iis adverbiis agit, quae cum *certo comparationis gradu:* Altera de iis, quae cum *certo verbi modo*, construi solent.

1. *Quae quibus comparationis gradibus* Adverbia *iungantur* [6]).

1. ☞ Haec adverbia intendendi, *Apprime, admodum, vehementer, maxime, perquam, valde, oppido*, et alia id genus [7]), fere positivis iunguntur: ut, Cic. Amic. c. 4.

---

5) Adverbia etiam pronominibus et praepositionibus adiici possunt: ut, *Plane noster; omnino meus; Longe ultra terminum; proxime infra montem.* Vid. Voss. l. c. et Ursin. p. 426.

6) Quae hic sequuntur ex Laur. Valla, Linacro, Alvaro, etc. deprompta, tanquam elegantiae et communioris usus praecepta, non perpetuae recte loquendi leges, spectanda sunt. Vid. mox Notas quibusque subiectas.

7) His adde, (1) per in compositione: ut, Cic. de Fin. III. 11. *Haec quidem perfacilis est et perexpedita, defensio.* Ter. Eun. III, 2. 15. *Perpulchra credo dona, aut nostris similia.* Invenitur tamen ap. Columellam, III. 20. extr. *Quod perpaucissimis agricolis contigerit*, pro *perpaucis:* et ap. Auct. ad Herenn. IV. 32. extr. *Perpolitissime*, pro *perpolite.* Addunt Saturnius, IX. 28. et Alvarus, p. 413. et ex iis Vossius de Constr. c. 17. et Ursin. To. I. p. 363. *perdifficillimus, pertenuissimus, peroptimus, perplurimum.* At vid. nos Part. I. p. 187. n. 8. sub fin. Quod autem huc referunt *perlucidissimus* ex Senec. Consol. ad Marc. c. 17. *Videbis Arethusam nitidissimi ac perlucidissimi ad imum stagni, gelidissimas aequas profundentem*, praeterquam quod *per* hic intensivam significationem, non magis quam in *perlucidior* habeat, in emendatioribus *perlucidi* legitur. Adde (2) Has exaggerandi formulas, *In primis, inter primos, cum primis, in paucis, inter paucos, cum paucis, super omnes, ante alios, praeter caeteros:* ut, Cic. Ver. I. 26. *Philodamus erat in primis inter suos copiosus.* Id. ibid. c. 52. *C. Mustius nemo cum primis honestus.* Curt. IV. 8. 7. *In paucis Alexandro carus.* Quinctil. X. 3. *Inter paucos disertus*, etc. Sed et haec interdum superlativis iunguntur: ut, Cic. in Verr. *Homini in primis gloriosissimo respondet.* Plin. XXVII. 7. *De usu eius* [absynthii] *convenit dicere, herba favillimae, atque inter paucas utilissimae.* Virg. Aen. VII. 55. *Ante alios pulcherrimus omnes.* Raro autem comparativis: ut, id. Virg. Aen. I. 347. *Scelere ante alios immanior omnes.* Suet. Galb. IX. 4. *Praeter caeteras altiorem crucem statui iussit.* Vid. Linacr. p. 329. et nos supra p. 101. n. 79. Adde denique (3) Quam aliis intendendi adverbiis subnexum: ut, *Valde quam, admodum quam, mire quam, sane quam, oppido quam, nimis quam* (ut et *perquam*, de quo n. seq.) veluti, Cic. Fam. XI. 13. *Nam suos valde quam paucos*

Digitized by Google

Utrique nostrum gratum admodum feceris. Id. de Orat. II. 25. *Quod mihi quidem perquam puerile videri solet.* Id. Fam. XIV. 4. *Praeterquam oppido pauci* [8]).

2. Tam et quam *positiva*, frequentissime, *superlativa* rarius, *comparativa* rarissime copulant: ut, Cic. Orat. c. 30. *Nemo Orator tam multa, ne in Graeco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra.* Et sic passim. * Sallust. Iug. 31. 14. *Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est.* Cato, R. R. c. 57. *Quam plurimum brassicam ederit, tam citissimo sanus fiet.* Varro, R. R. II. 9. *Quam paucissimos reliqueris, tam optimi in alendo fient.* Cic. pro Dciot. c. 5. *Per dexteram te istam oro, non tam in bellis et in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem* [9]).

3. *Quam*, cum admirationi, commiserationi, vel interrogationi cum admiratione permistae servit, positivis iungitur [10]): ut, Ovid. Met. II. 457. *Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!* Cic. de Amic. c. 16. *Quam*

---

habet. Id. Fam. IV. 5. *Sane quam pro eo ac debui graviter moleste que tuli.* Liv. XXXIX. 47. *Nec enim multa solum, sed etiam pleraque oppido quam parva erant.* Auct. B. Afr. c. 47. *Oppido perquam pauci sub pellibus acquiescebant.* Confer Linacr. p. 328. qui haec rarissime superlativis iungi observat.

8) Sed et ex his cum superlativo iuncta nonnunquam inveniuntur: ut, Claud. Quadrig. ap. Gell. VII. 11. *Qui apprime summo genere natus erat.* Colum. IX. 8. *Apis, si saevior, maxime pessima.* Gell. XIII. 16. *Hi sunt vel maxime humanissimi.* Curt. IV. 6. 2. *Perquam maximo posset exercitu coacto.* [quam lectionem defendit Perizonius ad Sanct. IV. 9. 3. licet (Gronovio auctore, Observ. II. 8.) recentiores editiones *per* abiecerint.] Pompon. de orig. iur. §. 44. *Perquam brevissimos libros reliquit.* Apul. de doctr. Plat. p. m. 616. *Qui nec plane quidem optimi, nec oppido deterrimi sunt.* Sic Colum. VIII. 17. init. *Stagnum eximie optimum.* Plaut. Amph. II. 2. 213. *Femina examussim optima.* Suet. Iul. c. 95. *Bellum sane difficillimum gessit.* Pomp. de orig. iur. §. 46. *Exstat eius oratio satis pulcherrima.* Plin. Valer. de re med. III. 3. *Post hoc quoque ambrosia valde optima.* Vid. Saturn. IX. 22. Voss. de Constr. c. 17. Sanct. IV. 9. et Ursin. p. 480. Caeterum in his omnibus superlativum pro positivo poni vult Vossius; Sanctius in talibus Pleonasmum agnoscit, sed qui (addit Ursinus) Emphasi sua non caret.

9) Sic Virg. Aen. VII. 787. *Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae,* pro *tanto magis, quanto magis.* Vid. Linacr. p. 331. et Alvar. p. 414. * *Tam* etiam seorsum, non sequente *quam*, superlativum adsciscere interdum videas: ut, Cic. de Fin. II. . *Deinde dolorem tam maximum.* Id. Phil. XII. 5. *Nondum erat vestris tam gravissimis tamque multis iudiciis ignominiisque concisus.* Vid. Voss. de Constr. c. 17.

10) At neque reliquos gradus se excluturum ait Ursinus, p. 482. *Ut enim* (inquit) *Cicero dixit infinite*, Videmus quam in paucis spes, in paucioribus sit facultas, *ita quidem et interrogative dixero*, Quam in paucis spes, quam in paucioribus facultas est?

Digitized by Google

multa, quae nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum [11])? * Item, cum pro *quantum* accipitur: ut, Cic. Fam. VII. 15. *Quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest.* Ter. Heaut. II. 3. 129. *Patrem novisti ad has res quam sit perspicax.*

☞ 4. At quam, pro quantum, sequente verbo possum [12]), *superlativis* fere [13]) adhaeret: ut, Sall. Iug. 13. 2. *Iugurtha quam maximas potest copias armat.* Cic. N. D. II. 52. *Aves cubilia sibi nidosque construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt* [14]).

☞ 5. Quam, pro valde, *superlativis* elegantissime adiungitur: ut, Cic. Orat. c. 25. *Utatur verbis quam usitatissimis, translationibus quam mollissimis.* Id. Fam. XIII. 6. *Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quam maximas, quam primum, quam saepissime gratias agat* [15]).

---

11) Variatur *Quam* sic adhibitum per *ut. e. gr. Ut saevus est! Ut acerbum est!* Ursin. l. c.

12) *Queo* et *valeo*, quae addit Valla, Eleg. I. 17. et Linacer, p. 331. in hoc genere loquendi non perinde usitata esse notat Alvarus, pag. 413. Terentii tamen est, Eun. I. 1. 29. *Ut te redimas captum quam queas minimo.*

13) Cum positivis tamen iunxit Plinius, XVIII. 28. *Tanta literarum occasio est; quas equidem miscebo agrestibus negotiis quam potero dilucide atque perspicue.* Addit Valla, l. c. ex Cic. Phil. II. 19. *Reliquum vitae cursum quam quidem possum breviter perstringam.* Sed (quod Alvaro notatum) is locus longe aliter nunc legitur; *Reliquum vitae cursum videte: quem quidem celeriter perstringam.* In hoc autem Plinii, XX. 24. *Haec tuba cribrataque vino quam possit excellenti, digeruntur in pastillos victoriati pondere* (quod adfert Tursellinus, c. 176. n. 15.) *excellenti* superlativi instar obtinet.

14) Sic et *quantus, -a, -um*, cum verbo *possum*, superlativo *maximus* eleganter adiungitur: ut, Liv. X. 29. *Quanto maximo posset impetu concurrere iussit Fabius.* Id. XXI. 41. *Quanta maxima celeritate potui obviae fui.* Quinctil. II. 4. *Narrationes stylo componi quanta maxima possit adhibita diligentia volo.* Et expresso (quod in his intelligitur) eius redditivo *tantus*: ut, Cic. de Orat. I. 8. *Cato eloquentia tanta fuit, quantam illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit.* Id. de Amic. c. 20. *Tanta est inter eos, quanta maxima potest, morum studiorumque distantia.* Cum adverbio *maxime* iunxit etiam Livius, IX. 24. *Quanto maxime poterat eum tumultu decurrit:* et X. 40. *Quanto maxime posset motu pulvere ostendere.* * *Ut* quoque in locum *quam* vel *quantum* succedere monet Valla, I. 17. nunc sine *ita*, nunc cum *ita*: ut, Cic. Phil. XIV. 11. *Quas ut honorificentissimis verbis consequi potero, complectar ipsa sententia.* Id. de Orat. *Haec, ut brevissime dici potuere, ita a me dicta sunt.*

15) Sed et in hac significatione nonnunquam, licet rarius, cum positivo iunctum reperitur: ut, Ter. And. I. 1. 109. *Reiecit se in eum flens quam familiariter.* Sallust. de rep. ordin. I. 1. *Ut fabricata, sic virtute parta quam magna industria haberi decet.* Cic. Att. XIV. 9.

Digitized by Google

¶ Adverbia vel adverbialiter posita in um, *Parum, multum, nimium, tantum, quantum, aliquantum*, saepius *positivis* copulantur: ut, Cic. Att. X. 11. *Quae de fratre meo scribis, sunt parum firma.* Id. in Rull. III. 5. *Socer huius vir multum bonus est.* Id. de Fin. II. 27. *In rebus apertissimis nimium longi sumus.* * Interdum et comparativis: ut, Val. Max. IV. 1. 1. *Quantum domo inferior, tantum gloria superior evasit.* Liv. I. 7. *Forma viri aliquantum amplior humana.* Plin. XV. 22. *Nuces iuglandes multum pinets minores* [16]).

¶ 7. Adverbia vel adverbialiter posita in o, *Paulo, nimio, aliquanto, eo, quo, hoc, impendio, nihilo*, comparativis fere [17]) semper iunguntur: ut, Lucceius Cic. Fam. V. 14. *Valeo sicut soleo, paulo tamen etiam deterius, quam soleo.* Cic. Att. XI. 11. *Quorum rerum eo gravior est dolor, quo culpa maior.* Ter. Enn. III, 5. 59. *Impendio magis animus gaudebat mihi.* ¶ *Tanto, quanto, multo*, tam *comparativis* quam *superlativis* copulantur: ut, Iuven. VIII. 140. *Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.* Senec. Suasor. 1. *Multo potentius, et longe disertius.* Catull. XLVII. 6. *Tanto pessimus omnium Poeta, Quanto tu optimus omnium patronus.* Cic. pro leg. Manil. init. *Conspectus vester multo iucundissimus* [18]).

Itaque quam severe nos M. Curtius accusat. Caes. B. Gall. VI. 25. *Ab eius summo, sicut palmae, rami quam late diffunduntur.* Plura adfert Saturnius, IX. 26. sed quae pleraque (uti observat Ursinus, p. 428.) vel admirationis habent significationem, vel interrogationis notam sustinent, vel aliter nunc in optimis quibusque Edd. leguntur. Interim non ab re erit videre quae de hac re habent Despauterius, p. 257. et Graevius ad illud Cic. Att. VII. 15. *Suam in Senatu auctoritatem quam magni aestimat.* Item ad illud eiusd. Verr. IV. 25. *Sunt vestrum, iudices, quam multi, qui L. Pisonem cognoverunt.* * *Quam*, pro *valde*, comparativis nunquam adiungi decet Vallae, I. 17. fateturque Saturnius, l. c. sub fin. pro *quam plures* enim et *quam plura*, quae in contrarium a Mancinello aliisque adferuntur, *complures* et *complura* ubique legendum, non ipsi modo, sed et Vossius de Constr. c. 16. in fin. Ursinus, p. 429. praesipue vero Gronovius ad Gell. I. 7. contendunt. *Quam plures* tamen, ut aliis locis, ita ap. Sallust. Catil. 19. 2. et Petron. c. 23. retinendum censuerunt, hinc Burmannus, illinc Cortius, quos vide.

16) Vid. Saturnium IX. 31. qui Plinium ita saepius loquentem laudat, additque eundem quoque et *multum* superlativo copulare; XVII. 1. *Multum vero pulcherrima consensu omnium.* At liberis illic melioribus *multo* legitur.

17) *Nimio arete*, quod Naevii est, ab non imitaturum esse Ursinus, p. 432.

18) Legitur et *multo tanto* cum comparativo: ut, Plaut. Rud. II. 6. 37. *Ego multo tanto miserior quam tu:* et Apul. Apol. p. 473. *Multo*

Digitized by Google

Longe frequentius *superlativis*, interdum *comparativis*, raro *positivis* adiicitur: ut, Cic. de Orat. I. 11. *Longe omnium in dicendo gravissimus Plato.* Id. Brut. c. 62. *Longe post homines viatos improbissimus C. Servilius.* Virg. Aen. IX. 556. *At pedibus longe melior Lycus.* Ovid. Met. IV. 525. *Sed longe cunctis longeque potentior illis, Si qua tibi sponsa est.* Apul. Met. I. *Longe opulentus.* Ulpian. L. 1. §. 1. ff. de superfic. *Longe utile visum est* [19]).

9. Facile, pro haud dubie, *superlativo*, aut voci eius vim habenti, adiungitur: ut, Cic. pro Rabir. Post. c. 9. *Vir unus totius Graeciae facile doctissimus.* Id. pro Cluent. c. 5. *Homo regionis illius virtute, existimatione, nobilitate facile princeps.* Quinctil. X. 1. *In affectibus, qui miseratione constant, facile praecipuus* [20]).

2. *Quae quibus modis* Adverbia *iungantur.*

Cum, adverbium temporis [21]), vel *indicativo*, vel *subiunctivo*, sed huic saepius, iungitur: ut, Ter. Adel. IV. 7. 20. *Nunc cum non queo, aequo animo fero.* Virg. Ecl. III. 67. *Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.* * Ter. And. V. 2. 15. *Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii.* Virg. Ecl. IX. ult. *Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus* [22]).

---

tanto vanius et nequius excogitatum. Vid. Ursin. pag. 481. * *Quanto* etiam positivo iunxit Tacitus, Ann. I. 68. 4. *Quanto inopina, tanto maiora effundantur.* Ibid. III. 46. 4. *Quanto pecunia ditior, tanto magis imbellis.* Et XII. 11. 2. *Quanto ignara barbaris, tanto toleratiora.*

19) Idem Apuleius, Met. VI. *Suavium longe mellitum*, dixit. Profert quoque Saturnius, l. c. ex Gell. lib. XVI. *Longe salubria*, et ex Solino *Longe rarum.* Sed, praeterquam quod prius horum non inveniam, caeteraque omnia Auctorum sint inferioris aetatis, ideo Laur. Vallae haud gravate accesserim, qui Eleg. I. 18. se ait *longe dives* dicere non ausurum. * Animadvertendum interea est *longe* cum positivis adiectivorum diversitatis, qualia sunt *alius, dissimilis, dispar, remotus*, et similia, aptissime coniungi posse: ut, Sall. Cat. 52. 2. *Longe mihi alia mens est.* Hor. Sat. II. 8. 28. *Longe dissimilem noto celantia succum.* Item cum positivis superlativorum vim habentibus: ut, Quinctil. X. 1. *Novem vero Lyricorum longe Pindarus princeps.* Vid. Linacr. p. 329.

20) De alia horum adverbiorum, vel cum verbis, vel cum aliis orationis partibus, convenientia agere non est huius loci. Eam igitur vel magistro usu discendam, vel ex Auctoribus, qui de particulis scripserunt, petendam relinquimus.

21) Scribitur etiam quum vel quom, qua de re vid. Quinctil. I. 7. Caeterum de hac particula, cum coniunctio est causalis, postea dicetur. [De his et sequentibus vide quae monui infra Cap. II. reg. 70. G. S.]

22) Rhenius, p. 458. eumque secuti Schmidius, p. 327. et Ursinus, p. 440. accuratius de hac particula agentes, sic praecipiunt; (1) Cum, *cum*, quando tempus absolute significat, adsciscit praesens vel futurum

Digitized by Google

¶ 2. Dum, de re praesenti nondum perfecta, *indicativo* [23]) iungitur: ut, Plaut. Amph. V. 1. 46. *Dum haec aguntur.* Virg. Aen. II. 22. *Priami dum regna manebant.*

¶ 5. Dum et donec, pro quamdiu, *indicativum* petunt: ut, Cic. Attic. IX. 12. *Aegroto, dum anima est, spes esse dicitur.* Ovid. Trist. I. 8. 5. *Donec eris felix, multos numerabis amicos.*

¶ Dum et donec, pro usquedum, modo *indicativum*, modo *subiunctivum*, adsciscunt: ut, Cic. Att. X. 3. *Ego in Arcano opperior, dum ista cognosco.* Id. Tusc. IV. 36. *Ulciscendi vim differant in tempus aliud, dum defervescat ira.* * Virg. Aen. I. 273. *Donec geminam partu dabit Ilia prolem.* Ter. Phor. II. 3. 75. *Haud desinam, donec perfecero hoc.*

¶ Quoad [24]), pro quamdiu, quantum, quatenus, *indicativo* iungitur, vel *subiunctivo*, prout sententia est finita, vel infinita: ut, Cic. Catil. III. 7. *Quoad Catilina fuit in urbe, eius consiliis obstiti.* Id. Fam. XIII. 14. *Quoad tibi aequum ac rectum videbitur.* * Id. de Amic. c. 1. *Ut, quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem.* Id. Phil. XI. 3. *Mihi Antonius perveniese videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia* [25]). ¶ Pro usquedum, vel donec, *subiun-*

---

indicativi, vel futurum subiunctivi: ut, Cic. *Cum audio ad te ire aliquem, literas ad te dare soleo.* Id. Fam. XIV. 3. *Cum inimici nostri venire dicentur, tum in Epirum ibo.* Id. *Vereor ne exeundi potestas non sit, cum Caesar venerit.* (2) Cum respondet Germanico *als* vel *da*, adsciscit imperfectum et plusquamperfectum subiunctivi: ut, *Cum scriberem; Cum scripsissem.* (3) Si vero temporis alicuius mentio praecedat, etiam quodvis tempus indicativi recipere potest: ut, Cic. Fam. XV. 14. *Multi anni sunt, cum ille in aere meo est.* Id. pro Planc. c. 42. *Nunquam obliviscar noctis illius, cum tibi vigilanti pollicebar.* Id. Fam. XV. 16. *Biennium est, cum virtuti nuncium remisisti.* Sed haec eorum praecepta non perpetua esse fatetur ipse Ursinus.

23) Rerius subiunctivo: ut, Cic. Fam. XII. 17. *Me scito, dum tu ubais, scribere audacius.* Hirt. B. Afric. c. 25. *Dum haec ita fierent.* * De dum, pro dummodo, cum subiunctivo, vide post.

24) Etiam interrogative accipitur cum indicativo: ut, Ter. Phor. I. 2. 97. *Senem quoad expectatis ventrum?* De vocis autem ortu accuratissime, ut solet, disputantem vid. Perizon p. 489.

25) Additur eleganter et pronomen eius, sequente *facere* vel *fieri* cum verbo *possum*: ut, Cic. Attic. XI. 12. *Tu velim, ne intermittas, quoad eius facere poteris, scribere ad me.* Id. Fam. V. 8. *Ut, quoad eius fieri possit, praesentiae tuae desiderium labore meo minuatur.* In quibus genitivus *eius*, non a *facere* vel *fieri*, tanquam veris nominibus (quod vult Scioppius ad Sanct. III. 6. sub init.) regitur; sed a suppresso provocabulo *aliquid*, ut docet Perizonius, loc. cit. * Caeterum quoad cum accusativo, ut *quoad corpus, quoad animam*, pro *secundum corpus, secundum animam*, vel *quod ad corpus* vel *animam attinet*, quanquam

Digitized by Google

ctivo [26]) frequentius additur: ut, Cic. Att. III. 13. *Thessalonicae esse statueram, quoad aliquid ad me scriberes.*

☞ 6. Postquam, vel posteaquam, *indicativo* fere iungitur: ut, Ter. And. I. 1. 24. *Is postquam excessit ex ephebis.* Cic. Fam. X. 1. *Posteaquam de medio cursu sum revocatus* [27]).

☞ 7. Antequam, priusquam [28]), simul, simul ac, simul atque, simul ut, ubi, pro postquam,

---

recentioribus seculis frequentissimum, Latinum tamen non esse comprobasse mihi videntur Tursellinus de partic. p. 1155. Scioppius ad Sanct. p. 668. Perizonius ad eum loc. n. 8. Mariang. Auctar. Arg. III. p. m. 14. Vorstius de Latinit. mer. susp. c. 32. Cellarius Antibarb. p. 196. Cur. poster. p. 882. et in primis Discuss. Append. Dan. p. 79.

26) Non tamen semper, uti docent Rhenius, p. 46. Schmidius, pag. 330. et Ursin. p. 443. Nam Ciceronis est, Attic. XVI. 16. *Non faciam finem rogandi, quoad nunciatum erit te id fecisse.* Et Liv. XXVI. 46. *Quoad dedita arx est, caedes tota urbe passim factae.*

27) Notat Linacer, lib. V. p. 351, docere Diomedem, col. 388. (addere poterat et Charisium, col. 208.) *postquam* non divisam, indicativis iungi: ut, Virg. Ecl. V. 36. *Postquam te fata tulerunt:* divisam subiunctivis; ut, Cic. pro leg. Manil. c. 4. *Postea quam maximas aedificasset exornassetque classes.* At legi interdum et cum subiunctivis non divisam; et divisam cum indicativis idem Linacer observat: De priore exemplum adfert hoc Plin. XVIII. 26. *Sive antequam ver praevenerit, sive postquam hiemarit, post eam diem, inquam, innumera rusticos cura distringat.* Cui addit Ursinus, p. 444, illud Plauti, Amph. IV. 1. 45. *Quaeso absolvito me hinc extemplo, postquam satis deluseris.* Verum illic, *Sive ante, quando praevernat; sive post, quando hiemat;* hic, *quando satis deluseris*, emendatius editi habent. Firmius illud Cic. Fam. VII. 3. *Me voluisse etiam reliquis omnibus; postquam non potuerim mihi ipsi finem facisse belli.* De posteriore adeo crebra testimonia sunt, ut raro aliter Auctores loquantur; veluti Cic. Fam. III. 7. *Postea vero, quam ita coepi.* Nepos in Dion. IV. 3. *Postea vero quam audivit*, etc. * *Antequam* contra, cum indivisa legitur, subiunctivis iungi volunt iidem Charisius et Diomedes locc. citt. ut, Cic. Phil. I. 1. *Antequam de repub. dicam.* Cum divisa, indicativis; ut, Virg. Aen. IV. 27. *Ante pudor quam te violo.* At Linacer, p. 352. tum divisam, tum coniunctam, utrique modo additam variis exemplis ostendit: ut, Cic. Attic. X. 15. *Si quemquam nactus fueris, qui perferat literas, des antequam discedimus.* Virg. Geo. IV. 306. *Ante novis ruheant quam prata coloribus.* Confer Budaeum Comment. ling. Gr. p. m. 885. et mox Not. seq.

28) De his *antequam, postquam* et *priusquam*, Not. 1. Solere eleganter *ante, post* et *prius* a *quam* divelli, una vel pluribus vocibus interpositis: ut, Liv. XLII. 47. *Ut omnia opportuna loca praeoccuparet ante ab eo potuerint, quam exercitus in Graeciam traiiceretur.* Id. XLIV. 2. *Decimo post die quam exercitum acceperat, castra movit.* Cicer. Attic. XIII. 4. *Filius anno post Quaestor fuit, quam Consul Mummius.* Ter. Heaut. II. 2. 8. *Pergin isthuc prius diiudicare, quam scis quid veri siet.* Ibid. III. 3. 23. *Hic prius se indicarit, quam ego argentum effecero.* Not. 2. Interdum ita distrahuntur *antequam* et *postquam*, ut *ante* et *post* casum sibi debitum regant: ut, Sueton. Domit. 23. 3. *Ante paucos quam occideretur menses.* Nep. X. 10. extr. *Quartum post annum quam ex Pe-*

Digitized by Google

modo *indicativum*, modo *subiunctivum*, admittunt; ut, Cic. Verr. II. 1. *Antequam de republica dicam.* Ter. And. II. 1. 11. *Omnia experiri certum est, priusquam pereo.* Id. pro Cor. Balb. c. 7. *Priusquam aggrediar ad causam.* Id. Acad. II. 27. *Simul inflavit tibicen, a perito carmen cognoscitur.* Liv. XXIV. 38. *Simul portarum claves tradiderimus, Carthaginensium exemplo Enna erit.* Virg. Aen. IV. 90. *Quam simul ac tali persensit peste teneri.* Varro, R. R. III. 2. *Simul ac promiseris minerval incipiam.* Cic. pro Cluent. c. 14. *Simul atque introductus est, rem confecit.* Hor. Sat. I. 9. 84. *Simul atque adoleverit aetas.* Cic. Fin. II. 11. *Omne animal, simul ut ortum est, et se ipsum et omnes partes suas diligit.* Id. Att. X. 4. *Ego ad te habebo quod scribam, simul ut videro Curionem.* Virg. Aen. VI. 628. *Haec ubi dicta dedit.* Cic. pro Rabir. Post. c. 13. *Ubi semel quis peieraverit, ei credi postea non oportet.*

8. Nae, h. e. profecto, pronominibus [29]) fere praepositum, vel *indicativum*, vel *subiunctivum* recipit: ut, Ter. Adel. IV. 2. 1. *Nae ego homo sum infelix.* Cic. Phil II. 2. *Nae tu, si id fecisses, melius famae tuae consuluisses.*

9. Ne, adverbium prohibendi, vel *imperativo* vel *subiunctivo*, et huic elegantius [30]), iungitur: ut, Plaut. Pers. IV. 5. 20. *Abi, ne iura, satis credo.* Virg. Aen. VII. 202. *Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos.* * Ter. Eun. II. 3. 96. *Ne post conferas culpam in me.* Liv.

---

loponneso in Siciliam redierat. Not. 3. Pro *postquam* saepe legas, *post* omisso, solum *quam*: ut, Liv. VII. 18. *Quadringentesimo anno quam urbs Romana condita erat.* Id. XXXI. 14. *Altera die quam a Brundisio solvit.* Vid. Vallam Eleg. III. 58. et Linac. VI. pag. 397. * Praeeunte etiam *pridie, quam* pro *ante* vel *priusquam*, ponitur: ut, Cic. de Amic. c. 2. *Pridie quam excessit e vita.* Id. Fam. I. 2. *Pridie quam haec scripsi.*

29) Nae apud Comicos Plautum et Terentium nonnunquam sine pronomine usurpari, a Cicerone non item, observat Tursellinus de Partic. c. 120. At si novissimas Iac. Gronovii (cuius Notarum indicem vide) emendationes sequimur, *nae* etiam sine pronomine non semel et ipse Cicero adhibuit.

30) Apud Oratores, Tullium in primis, nullam imperativo negationem iungi solere monet Corradus de L. L. lib. VI. sed primae antiquitati solum, Historicis atque Poëtis permissum id esse. „Interim (verba sunt Ursini, p. 446.) quod Plautus, Terentius, et Poëtarum Latinorum principes Virgilius atque Horatius, itemque probatissimi auctores alii usu triverunt, imitari suo loco quis dubitet?" * Pro ne autem *noli* vel *cave*, Cicero aliique, molliore loquendi formula, frequentissime usurpant: ut, Attic. VI. 1. *Noli putare me quicquam maluisse, quam ut mandat is, facere.* Phaedr. I. 25. 7. *Noli vereri.* Cic. Aetic. XIII. 38. *Cave facis* Liv. XXX. 14. *Cave deformes multa bona uno vitio.*

Digitized by Google

XXX. 30. *Ne tot annorum felicitatem in unius horae dederis discrimen* [31]).

10. Quasi, ceu, tanquam, perinde, quando similitudinem notant, *indicativo* iunguntur: ut, Plaut. Stich. IV. 1. 53. *Fuit olim, quasi ego sum, senex.* Virg. Aen. II. 317. *Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt.* Ter. Eun. II. 2. 32. *Tanquam Philosophorum habent disciplinae ex ipsis vocabula.* Cic. de Orat. III. 56. *Haec omnia perinde sunt, ut aguntur.* Quando autem simulationem vel ironiam significant [32]) *subiunctivum* post se habent: ut, Cic. Tusc. II. 12. *Quasi de verbo, non de re, laboretur.* Plin. Praef. *Ceu vero nesciam adversus Theophrastum scripsisse etiam feminam.* Inven. VIII. 40. *Tanquam feceris ipse aliquid.* Caes. B. C. III. 60. *Perinde, ac satisfacere et fraudata restituere vellent.*

11. Optandi et imprecandi particulae [33]), utinam, o ai [34]), ut, pro utinam, *subiunctivum* adsciscunt: ut,

---

31) Non, in significatione prohibendi, soli futuro indicativi, non item imperativo vel subiunctivo iungitur. Soloecum enim esse, *non nega, non feceris*, docent ex Quinctiliano, I. 5. Alvarus, p. 411. Schmidius, p. 334. Vossius de vit. serm. I. 35. Adfert quidem Borrichius in Analect. p. 178. nonnulla optimorum auctorum sic loquentium exempla; sed ea pleraque (si non omnia) aliena a re esse non immerito pronunciat Ursinus, p. 447.

32) In hac significatione ad *quasi* saepe additur *vero*: ut, Ter. Eun. IV. 4. 18. *Quasi vero paulum intersiet.* * *Ceu vero*, pro *quasi vero*, crebrum est Plinio. Voss. Gramm. min. p. 82. * Ad *perinde* autem fere semper adduntur hae particulae, *ac, atque, ac si, ut, quam, quasi, tanquam.* Vid. Turnell. cap. 152.

33) Haec adverbia Optandi vulgo appellant: Scaliger de caus. L. L. c. 158. et (referente Vossio, Anal. IV. 23.) Nic. Frischlinus in Strigili sua, Interiectionibus ea adnumerant. At, praeter *O* (quod exclamandi quidem interiectio est) caeterae particulae vere coniunctiones sunt; neque ex se, sed ex aliarum vocum Ellipsi, optandi significationem habent. At *ut* enim, *uti*, vel *utinam* (quae non magis inter se differunt quam *ubi* vel *ubinam*) intelligendum verbum *opto, oro, precor.* [vel *velim*, ut ap. Terent. Adelph. IV. 1. 2. *Utinam quidem, Quod cum salute eius fiat, ita se defatigarit velim.* Neque enim *velim* hic πλεονάζει, quod statuit Westerhovius: quin potius ita integranda sententia est: *Est ita ut velim utinam*, i. e. *ut ita se defatigarit.* Vid. Perizon. ad Sanct. I. 13. 1. p. 89, 93 et 94. Et IV. 5. 4.] Ad *si*, vel *o si*, membrum aliquod orationis supplendum. Sic Horatianum illud, Sat. II. 6. 10. *O si urnam argenti Fors quae mihi monstret:* ac Persianum hoc Sat. II. 9. *O si Ebulliat patrui praeclarum funus*, integre sunt, *Si hoc fuerit, vel si hoc contingat, quantum mihi felicitatis accesserit, sive quam beatus sim*, etc. Vid. Voss. l. c. Ursin. Tom. I. p. 975. et confer nos Part. I. p. 205. n. 8.

34) Si interdum pro o *si* vel *utinam* usurpatur: ut, Virg. Aen. VI. 187. *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus Ostendat nemore in tan-*

Digitized by Google

Cic. Fam. XIV. 1. *Utinam ea res ei voluptati sit.* Virg. Aen. VIII. 560. *O mihi praeteritos referat si Iupiter annos.* Ter. Eun. II. 5. 10. *Ut illum dii deaeque perdant.*

¶ 12. Ut, pro postquam[35]), *indicativum* petit: ut, Ovid. Trist. V. 10. 1. *Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister.* ¶ Item, pro quam, vel quomodo, admiratione: ut, Ter. Eun. II. 2. 45. *Ut falsus animi est!* Plaut. Capt. I. 2. 62. *Ut saepe summa ingenia in occulto latent!* ¶ Cum simpliciter similitudinem notat plerumque *indicativo* iungitur: ut, Plaut. Rud. IV. 4. 55. *Ut tute es, item omnes censes esse.* * Interdum *futuro subiunctivi*: ut, Cic. de Orat. II. 65. *Ut sementem feceris, ita metes*[36]).

¶ 13. Quin, pro cur non, *indicativum* postulat: ut, Cic. pro Rabir. perd. c. 6. *Quin continetis vocem indicem stultitiae vestrae?* ¶ Pro imo, *indicativum* vel *imperativum* recipit: ut, Ter. Heaut. IV. 4. 15. *Quin est paratum argentum.* Id. And. II. 2. 9. *Quin tu hoc audi*[37]).

---

to, Legitur et in optandi significatione *quam vellem*: ut, Cic. Attic. II. 22. *Quam vellem Romae mansisses.* Ter. Adel. IV. 1. 16. *Quam vellem etiam noctu amicis operam meos esset dari.* Sed in his *ut* subaudiendum; quemadmodum et in illo Virgilii, Aen. IV. 24. *Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat.* Confer Sanct. p. 659. * Quin utrumque et verbum et particula haud raro per Ellipsin supprimuntur: ut, Catull. II. 9. *Tecum ludere, sicut ipsa, possem*; i. e. *opto ut seu utinam possem.* Ovid. Her. X. 77. *Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava.* Sic in *Peream si, Dispeream nisi.* Vid. Sanct. p. 707. * Huc spectat et ne ad iurandum sive asseverandum quid cum sui capitis devotione adhibitum: ut, *Ne sim salvus, Ne vivam*: quae sic integrantur: *Ita precor, ita voveo, ut ne sim salvus, ut ne vivam.* Sic *utinam nec* ut, Ennius ap. Cic. N. D. III. 30. *Utinam ne in nemore Delio securibus Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes.* Ter. Phor. I. 3. 5. *Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset,* Catull. LXII. 171. *Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes.* Pro quo recentiores *utinam non* dixerunt. Vid. Propert. II. 11. 15. et V. Flacc. I. 113. Cicero utrumque adhibuit, Fam. V. 17. *Illud utinam ne vere scriberem.* Et Attic. XI. 9. extr. *Haec ad te die natali meo scripsi: quo utinam susceptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset.*

35) Sed et hic quoque similitudinem significare inde probant Scioppius ad Sanct. p. 810. et Vossius de Constr. c. 62. quod nonnunquam *ita* vel *sic* ei respondent: ut ap. Lucr. III. 917. *Tu quidem ut es leto sopitus, sic eris, aevi Quod superest cunctis privatus doloribus aegris.* Et Liv. XXI. 11. *Saguntini, ut a praeliis quietem habuerant, ita — non die, non nocte, unquam cessaverant ab opere.* * *Ut*, pro *quamvis* acceptum, ad Coniunctiones pertinet.

36) Cum ut infinite ponitur, subiunctivus ei fere semper, ut aliis vocibus infinitis, adiicitur: ut, Ovid. Pont. I. 5. 5. *Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus: Ut capiant vitium, ni moveantur, aquae.*

Digitized by Google

Pro ut non, quod non [38]), vel quo minus, *subiunctivum* petit: ut, Ter. Heaut. IV. 6. 1. *Nulla tam facilis res, quin difficilis fiat, quum invitus facias.* Cic. Att. VII. ult. *Non quin rectum esset, sed quia*, etc. Id. ibid. XI. 15. *Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus.*

De Regimine ADVERBIORUM.

62. En, velut ecce, sibi primum quartumve tulerunt.

En et ecce vel nominativum, vel accusativum recipiunt: ut, Cic. pro Deiot. c. 6. *En crimen, en causa.* Senec. Agam. v. 188. *En Paridis hostem* [1]). Cic. Verr. IV. 66. *Ecce nova turba atque rixa.* Id. de Fin. II. 30. *Ecce miserum hominem* [2]).

---

37) Quin hortantis vel iubentis gaudere indicativo vel imperativo, non subiunctivo, docet Vossius, l. c. at pro imo positum etiam subiunctivo interdum iungi idem probat hoc Plauti, Epid. III. 4. 19. *Hic non est locus, Quin tu alium quaeras, cui centones farcias.* Addere potuit et illud Ter. Eun. IV. 7. 41. *Quid nunc agitur.* Gn. *Quin redeamus.* Verum (quod notat Ursinus, p. 450.) in his etiam quin hortandi vim habet: quod adhuc manifestius liquet ex illo eiusd. Ter. Hec. I. 1. 7. *Hortor ne cuiusquam misereat, Quin spolies, mutiles, laceres, quemque nacta sis.* Adde quod in istis exemplis, quibus hortandi significationem ei Vossius tribuit, *quin* per *imo* vulgo exponitur.

38) Hoc sensu acceptum coniunctionem esse volunt; caeterum, si vocis naturam propius spectemus, eadem ubique ac vera eius significatio est *qui non*, seu *cur non*; est enim ex *quine* contracta. Sic, cum dicitur *Quin dic*, sensus est, *Dic, qui non?* sive *cur non?* cum dicitur, *Non dubium est quin uxorem nolit filius*, sensus est, *Non dubium est, qui ne sit, vel cur non sit, ut uxorem nolit fil.* et sic porro in aliis.

1) In his Elliptica constructio est, hoc pacto supplenda. Virg. Aen. I. 461. *En Priamus*, sc. *adest.* Cicer. Acad. IV. 48. *Ecce multo maior dissensio*, sc. *existit.* Virg. Ecl. V. 65. *En quatuor aras, Ecce duas tibi Daphni*, sc. *hic videtis*, vel *video*, etc. Vid. Sanct. p. 661.

2) Valla Eleg. II. 15. non meminisse se ait ecce cum accusativo apud Oratores legisse, imo ne apud Poetas quidem. Atqui Ciceronem accusativo iunxisse probat quod ex eo adduximus exemplum [Addit Ursinus, p. 490. ex eod. pro Caecin. c. 10. *Ecce eum.* Sed *Ecce idem* melioribus editum.] Virgilii autem est (fatente ipso Valla) quod modo retulimus, *Ecce duas* [sc. aras] *tibi, Daphni.* Legitur et ap. Plautum, Ep. V. 2, 15. et Ter. Adel. V. 9, 38. *Ecce me.* Est et huius, Eun. II. 3, 6. *Ecce autem alterum*; ubi *alter* scribi debere, praeter rationem, Valla affirmat. Huc adde Comicis frequenter usitata, *Eccum, eccam; eccos, eccas; ellum, ellam; ellos, ellas*; et plenius *eccillum, eccillam*, quae non adverbia esse (quod Valla contendit) sed pronomina composita, et ex *ecce eum, ecce eam, ecce illum, ecce illam*, etc. contracta probat Voss. Anal. I. 2. et IV. 7. Interim haud inficiandum est, extra hanc compositionem, *en* et *ecce* multo frequentius sibi nominativum quam accusati-

Digitized by Google

☞ Not. Hem (pro ecce) similiter cum accusativo construitur: ut, Ter. And. III. 4. 25. *Hem astutias.* Ibid. V. 2. 1. *Hem Davum tibi* [3]).

63. Temporis, atque loci, quantique adverbia quaedam
Dant patrium: quem nata die quartumve reposcunt.

I. Adverbia quaedam temporis, loci et quantitatis regunt genitivum.

1. Temporis: *Interea, postea, inde, tunc* [4]): ut, Ter. Eun. I. 2. 46. *Te interea loci cognovi.* Sall. Iug. 102. 1. *Postea loci* [5]) *Consul pervenit in oppidum Cirtam.* Lucr. V. 789. *Inde loci mortalia secla creavit.* Instin. I. 4. 4. *Ex gente obscura tunc temporis.*

2. Loci: *Ubi* et *quo*, cum eorum compositis: item, *eo, huc, huccine, unde, usquam, nusquam, longe, ibidem* [6]): ut, Cic. pro Rabir. Post. c. 13. *Ubi terrarum su-*

---

vum copulare. * *Ecce* etiam eleganter assumit dativum *tibi*: ut, Cicer. Attic. II. 15. *Ecce tibi Sebosus.* Id. Acad. II. 38. *Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato.*

3) Cum nominativo etiam iungi vult Despauterius, p. 223. ut *Hem Davus*: at neminem ex probatis sic loquentem inveniō. Addit Ursinus, p. 490. et cum dativo: ut, Ter. Heaut. II. 2, 5. Adel. II. 1, 19. *Hem misero mihi*: at *hei*, non *hem*, optimis quibusque codicibus legitur. In hoc autem eiusd. Phor. V. 6, 7. *Hem tibi! tibi* non ab *hem*, sed a verbo intellecto *dico*, *accipe*, vel simili, pendet. * Iungitur et *hem* cum vocativo: ut, Ter. And. IV. 2, 3. *Hem, Pamphile*: sed *Pamphile* hic, ut a iis omnes vocativi, absolute adhibetur.

4) Addit Ursinus, p. 485. *adhuc*, exemplum adferens e Plin. Paneg. c. 6. *Adhuc aevi*: at illic, *Ad hoc aevi*, meliores cod. habent. Rectius adduxisset illud Plauti, Capt. II. 3, 25. *Ut adhuc locorum feci.* * Adiicit similiter et Despauterius, p. 229. *tum*, confirmans illo Ter. Phor. I. 4, 7. *Tum temporis mihi punctum ad hanc rem est*: at eo in loco temporis a substantivo *punctum*, non a *tum* regi palam est. * Quin et *Tunc temporis*, quo nihil fere apud recentiores frequentius, vix alios quam vergentis Latinitatis habet auctores, Iustinum, l. c. et Apuleium, Met. III. X. et XI. cuius etiam est Florid. c. 15. *Eo temporis*, pro *eo tempore*.

5) *Loci* in his *temporis* vicem sustinet, et ornatus, non necessitatis, gratia apponitur.

6) Ex his *ubi* et *quo*, cum eorum compositis, *ubique, ubicunque, ubicubi, ubinam, ubivis, alibi, aliubi, quocunque, quovis, quoquo*: item, *usquam, nusquam, unde*, cum genitivis *terrarum* et *gentium* eleganter construuntur: *longe* et *minime* solum *gentium* admittunt; *Eo, huc et huccine* aliorum nominum genitivos recipiunt. Sic (praeter exempla in textu memorata) Apul. Flor. c. 16. *Ubique gentium ponere gratulantur.* Plaut. Asin. II. 2, 21. *Nisi Libanum invenio iam, ubiubi est gentium.* Cic. Cat. I. 4. *O dii immortales! ubinam gentium sumus?* Ter. Hec. III. 1, 4. *Ubivis gentium agere aetatem.* Apul. Flor. c. 16. *Alibi gentium.* Id. de Deo Socr. p. 690. *Aliubi gentium.* Plaut. Merc. V. 2, 17. *Quoquo*

Digitized by Google

mus! Plaut. Rud. III. 5. 44. *Non hercle quo hinc nunc gentium aufugiam, scio.* Cic. Verr. V. 55. *Ubicunque terrarum et gentium violatum ius civium Romanorum sit.* Ter. Heaut. V. 1. 55. *Imo abeat multo malo quovis gentium.* Tac. Ann. IV. 10. 3. *Eo audaciae provectus est* [7]). Curt. VII. 1. 35. *Huc malorum ventum est.* Perf. III. 15. *Huccine rerum venimus?* Plaut. Epid. III. 4. 47. *Unde haec igitur gentium est?* Id. Pseud. I. 1. 96. *Neque mihi libellae spes est usquam gentium.* Ter. Adel. IV. 2. 1. *Fratrem nusquam invenio gentium.* Cic. Att. VI. 3. *Tu autem abes longe gentium.* Plaut. Cist. II. 1. 53. *Ibidem loci res erit.*

3. Quantitatis: *Abunde, affatim, largiter, nimis, quoad, satis, parum, minime* [8]): ut, Suet. Iul. 86. 4. *Se iam-*

---

huc abducta est gentium. * Invenimus et *ubi* cum genitivo *loci*: ut, Plaut. Merc. V. 4, 26. *Ubi loci res summa nostra est publica*: Et, addito etiam genitivo *terrarum*, Id. Asin. I. 1, 17. *Ubi est isthuc terrarum loci.* * Huc referunt *eo et eodem loci*: ut, Cicer. pro Sext. c. 31. *Res erat nostra eo iam loci*: et Attic. I. 18. *Res eodem est loci quo reliquisti.* Sed in istis *eo* et *eodem* plane ablativi sunt pronominum *is* et *idem*. Vid. supra reg. 12. * Addunt et *hic* cum genitivo: ut in illo Plaut. Mil II. 3, 2. *Me vidisse hic proximae viciniae.* At *viciniae* non cum *hic* magis ibi construendum, quam in isto eiusd. Bacch. II. 2, 27. *Proximae viciniae habitat.* Vid. p. 257. n. 8. * De *inde* quoque cum genitivo constructo exemplum profert Schmidius, p. 325. hoc Ovidii, Fast. II. 848. *Inde tori qui iunctus erat.* At hanc meram hallucinationem esse ostendunt quae continuo illic sequuntur. * Haec demum Apuleii notanda magis quam imitanda sunt: Met I. *Ubique itineris.* Apol. p. 462. *Ubique littorum.* Met. VIII. *Undique laterum.* Met. VII. *Usquam ruris.* Flor. c. 16. *Alibi civitatum.* Met. V. *Longe parentum.* Eodem censu habenda sunt *Intus aedium* ap. eund. Met. VIII. et *Incoram sui*, Met. IX. et X. Vid. post reg. 68. n. 29.

7) *Eo* cum genitivo cur minus usitatum minusque probatum affirmet Tursellinus Partic. c. 59. p. m. 322. non video. An, quia forte non ita locutus Cicero, reiicienda idcirco est Sallustii, Livii, aliorumque, si non optimorum, optimis certe proximorum auctoritas? Sall. Iug. I. 5. *Eo magnitudinis procedere.* Et 5, 2. *Eo vecordiae processit.* Et 14, 3. *Eo miseriarum venturus eram.* Liv. XXV. 8. *Ubi iam eo consuetudinis adducta res est, ut*, etc. Quinctil. II. 1. *Eo usque scientiae progredi.* V. Max. VI. 11. exter. 7. *Eo claritatis evehi.* Seneca. Ep. 86. *Eo deliciarum pervenimus.* Plin. Paneg. c. 16. *Eo insolentiae furorisque procedere.* Curt. V. 12, 8. *Eo rerum ventum erat.* Suet. Iul. 77, 2. *Eo arrogantiae progressus est.* Mitto ap. Tacitum, *Eo ardoris, eo audaciae provehi, Eo discordiae, eo magnificentiae, eo inopiae, eo necessitatis, eo flagitiorum, eo furoris, venire.* Et ap. Florum, *Eo necessitatum compelli, eo magnitudinis crescere, eo insolentiae efferri, eo vesaniae progredi.* * Similiter et *quo* usus Livius, XXVIII. 27. *Qui ne hodie quidem scire videmini, quo amentiae progressi estis.* Confer Lowaeum Gramm. p. 21. Not. 4.

8) His addunt, *multum, tantum, quantum, nimium, plus, plurimum, amplius, paulum, paululum, minus*, et similia: at ea adiectiva sunt in

Digitized by Google

pridem potentiae gloriaeque abunde adeptum. Plaut. Mil. IV. 1. 33. *Tibi divitiarum affatim est.* Id. Rud. IV. 4. 144. *Credo illic inesse auri et argenti largiter.* Cic. Orat. c. 51. *Nimis insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur.* Id. Fam. III. 2. *Quoad eius facere potueris.* Sall. Cat. 5 4. *Satis loquentiae, sapientiae parum.* Ter. Eun. IV. 1. 11. *Minime gentium* [9]).

☞ 4. Quibus addi solent, *ergo*, pro *causa*, *instar*, *partim*: ut, Cic. de optim. gen. orat. c. 7. *Donari virtutis ergo.* Virg. Aen. II. 15. *Instar montis equum —— Aedificant.* Ter. Hec. Prol. 7. *Partim sum earum exactus, partim vix fleti.* * Sed haec vere nomina substantiva esse alibi docuimus.

II. Pridie et postridie (a *die* composita) vel genitivum vel accusativum recipiunt: ut, Cic. Fam. I. 4. *Pridie eius diei.* Caes. B. Gall. I. 23. *Postridie eius diei* [10]). Cic. Att. IX. 13. *Pridie Quinquatrus.* Id. XVI. 4. *Postridie ludos Appollinares.* * Sic, *Pridie, postridie, Kalendas, Nonas, Idus*; raro, *Kalendarum*, etc. [11]).

---

neutro genere pro substantivis posita, nec cum genitivo constructa adverbiorum vel speciem prae se ferunt. Vid. supra reg. 12. * Quod autem adfert Gunterius, Latin. restit. To. II. p. 867. illud Apuleii, Apol. 1. p. 346. *Tantum super omnes stultitiae vectus es*; in melioribus *stultitia vectus es*, habetur. * De *magis* cum genitivo constructo exemplum proferunt isthoc Ovidii, Heroid. XVII. 102. *Nec tibi plus cordis, sed magis oris inest*; quomodo quidem in recentioribus Editt. legitur. At cum haud temere alias *magis* pro *plus* usurpatum inveniatur, mihi retinenda potius vulgaris videtur lectio, *sed minus oris*, i. e. *pudoris* vel *verecundiae*.

9) In quibusdam genitivus accusativo vel dativo permutari videtur: ut, Ter. Phor. V. 8, 27. *Itan' parum mihi fidem esse apud te.* Sall. Iug. 102, 7. *Parentes abunde habemus.* Cic. Att. XII. 50. *Si satis consilium quadam de re haberem.* Apul. Met. VII. *Ac ne vinum quidem potatui affatim habemus.* Sed in his et similibus, adverbium (ut notat Vossius de Constr. c. 64.) absque casu ponitur; accusativus vero vel dativus regitur a verbo. In primo etiam loco pro *parum, parvam*, codices meliores habent. Confer et Ursin. p. 486.

10) Longe frequentius *Pridie* et *postridie eius diei*, quam *eum diem*, dicitur. Apud Cic. tamen Attic. XI. 23. invenimus, *Is nunciavit Philotimum pridie eum diem venisse*, consentientibus fere omnibus tum typis excusis, tum manusc. codicibus, teste Malaspina, qui tamen eam scripturam non probat, seque ait vix credere ullius auctoritate defendi posse. Caeterum aliae voces saepius accusativo ponuntur: ut, *Pridie Kalendas, pridie Nonas*, etc. *Pridie Compitalia*, Cic. Att. II. 13. *Pridie natalem ipsius*, Paterc. II. 53, 3. *Postridie eius absolutionem*, Cic. Fam. VIII. 2. *Pridie* tamen *insidiarum* dixit Tacitus, Ann. XV. 54, 2.

11) Quod ad rationem harum constructionum attinet, (1) *Interea* et *postea loci*, integre sunt, *Inter ea*, et *post ea negotia huius loci. Inde loci, inde ab negotio huius loci. Tunc temporis, Tunc in eo tempore*

Digitized by Google

64. Derivata patrum retinent adverbia casum.

Quaedam adverbia derivata regunt casum primitivorum: ut, Cic. Fam. IV. 13. *Sed haec tu melius, vel optime omnium*[12]). Id. Fin. III. 7. *Cum id sit extremum,*

---

negotio. (2) In his, *Eo vecordiae processit, Quo amentiae progressi estis, Quovis, quoquo, quocunque gentium vel terrarum abeat*, et similibus, malim, cum doctissimo Perizonio, p. 489 et 525. *eo, quo*, etc. antiquos dativos statuere, pro *eoi, quoi* (quomodo antiqui scribebant) sive *ei, cui*, intellecto *negotio* vel *loco*: quam cum Sanctio, III. 14. sub fin. Vossio de Constr. c. 64. Sciopp. Gramm. Phil. p. m. 53. Ursino, To. I. p. 894 et 920. et To. II. p. 426. antiquos accusativos plurales, pro *ad ea, quae* vel *qua, negotia*, sive *loca*. * Similiter in illis, Terent. And. I. 1, 43. *Commigravit huc viciniae.* V. Max. VIII. 1. abs. 6. *Huc necessitatis deductus. Huccine rerum venimus;* dici potest *huc* antiquum dativum esse pro *hoic* sive *huic*, supplendo *negotio* vel *loco*: vel *huc* accusativum esse pro *hoc*, subaudita praepositione ad, supplendo *negotium* vel *locum*; nam prisci *hoc locum* aeque ac *haec loca* dicebant. De priore vid. Perizon. loc. cit. Pro posteriore facit, quod *adhuc locorum* Plautus dicat. Confer Perizon. IV. 4, 30. (3) Quaedam genitivo iunguntur per Synesin, i. e. quia iis significatio inest nominis cum praepositione: ut, *Longe gentium*, pro *a longo spatio gentium*, vel *in longo loco gentium ab hoc loco: Unde gentium*, pro *de quo loco gentium, Nusquam gentium*, pro *in* vel *e nullo loco gentium*. Sic, *Ubi terrarum*, pro *in quo loco terrarum, Ubicunque terrarum*, pro *in quocunque loco terrarum*, etc. Vid. Voss. l. c. Possis et sic explicare, *Longe gentium, Ubique terrarum*, i. e. *longe, ubique, in negotio gentium* vel *terrarum*. Vid. Perizon. IV. 12, 11. Quod potius est, quam cum Sanctio, p. 733. *ex* Graecorum hic intelligere. * *Minime gentium* eadem ratione dictum vult Vossius, l. c. qua *nusquam gentium*: at Festus, pro eo *quod omnium gentium iudicio minime esset faciendum*, dictum interpretatur. (4) In istis *Abunde gloriae, Affatim divitiarum, Largiter auri* et *argenti*, et similibus, vel adverbia pro nominibus substantivis *copia*, seu *abundantia*, posita sunt: vel intelligere possis cum Vossio, l. c. *de re gloriae, de re divitiarum, de re auri*, etc. vel cum Perizonio, p. 178. *negotium*. * Par ratio istorum, *Satis* vel *sat vini*, [*magis oris,*] *nimis insidiarum*: nisi placet cum Vossio haec adiectiva statuere omnis generis, *magis* et *mage*; *nimis* et *nime*, *satis* et *sate*, per Apocopen *sat*; eadem sc. ratione qua *potis* et *pote*; *necessis*, *necesse*; *fortassis*, *fortasse*, dicuntur. (5) *Ergo, instar*, et *partim* nomina substantiva esse alibi ostendimus Part. I. p. 78. n. 59. p. 121. n. 50. et p. 124. n. 58. Exempla igitur supra prolata sic poteris integrare, *Donari ex* sive *pro ergo virtutis, Ad instar montis equum aedificant, Ad* vel *quod ad partim earum eum exactus*. Vid. Voss. l. c. et Gell. X. 13. * *Parum* quoque adiectivum neutro solum genere usitatum docuimus Part. I. p. 124. n. 69. pro *parvum*, ut subaudiendum sit *negotium*. Vid. supra p. 8. n. 8. (6) *Pridie, postridie, eius diei, Pri-*

congruenter naturae convenienterque vivere. Id. pro Sext. c. 51. *Huic ad urbem venienti tota obviam civitas processerat* [13]). Colum. de Arb. c. 30. *Terram stercoratam minimum alte pedem in pulvinos redigat.* Pallad. Sept. 3. *Alte tribus pedibus* [14]). Sic, *Proprius urbi* vel *castra* [15]). Sall. Iug. 55. 5. *Amplius opinione morabatur* [16]). Martial. XIV. 210. *Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit* [17]).

---

mero omnium hominum, omnium Oratorum; pari modo quo *omnium optimus, omnium elegantissimus* supplenda sunt. * Dicitur quoque *Sacpissime omnium, Diutissime omnium*, quamvis superlativa nominum unde haec deriventur, non exstent. [De ratione harum constructionum hodie aliter sentient prudentiores grammatici. G. St.]

13) Sic Plin. XI. 25. *Similiter his et scorpiones terrestres vermiculos ovorum specie pariunt.* His autem adverbiis dativus additur propter acquisitionem iis significatam: quae structura illis cum nominibus, verbis et participiis communis est. Vid. supra p. 1. n. 2. et p. 84. n. 84.

14) Eadem ratione qua *Altus tres pedes* vel *tribus pedibus* dicitur. Vid. reg. 17. n. 78.

15) Sic Virg. Aen. VIII. 556. *Propiusque periclo It timor.* Caes. B. Civ. I. 72. *Quam proxime potest hostium castris castra communit.* Cic. ad Octav. *Castra propius urbem moventur.* Caes. B. G. I. extr. *Qui proxime Rhenum incolunt.* Longe autem frequentius accusativus quam dativus adhibetur. In his enim quae a Vossio, Constr. c. 64. citantur, exemplis; Cic. N. D. I. 34. *Deo propius accedebat humana virtus quam figura*, et Fam. XI. 21. *Me huic tuae virtuti proxime accedere* (praeterquam quod in priore, *Ad similitudinem enim Deo* [al. *Dei*] *prop. acc. h. v. q. f.* legatur. Vid. supra p. 86. n. 86.) dubitari potest utrum dativus a verbo *accedere*, an ab adverbio pendeat. Nam, ut Cic. in Pis. c. 27. *Accedere ad ludos;* ita Liv. XXIV. 20. *Accedere muris* dixit. Vid. Alvar. p. 407. * Caeterum accusativus adverbiis *propius* et *proxime* iunctus, ab intellecta praepositione ad, eodem pacto quo in nominibus *propior* et *proximus* ita constructis, regitur. Vid. supra pag. 96. not. 65. * Adiici interdum praepositionem vult Linacer, lib. V. pag. 326. ut Cic. pro Ligar. ext. *Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando.* Id. in Verr. II. 8. *Proxime ad nostram disciplinam accedere.* Sed in his ad cum suo casu ad verbum *accedo* pertinere videtur. Confer rursus p. 94. n. 65. * Cominus similiter cum dativo vel accusativo construxit Propertius, III. 1. 26. *Aemonio cominus isse viro.* Et II. 15. 22. *Agrestes cominus ire sues:* in quo posteriore in intellige.

16) Dicitur etiam *Diutius expectatione*, quamvis *diutior* usus non admittat.

17) Hic Mantissae loco subiicere visum est alias nonnullas, quae commode satis recipi in textum nequibant,

Particulares de Adverbiorum *Constructione Observationes.*

I. Duae negationes apud Latinos in una eademque clausula faciunt affirmationem: ut, Cic. de Orat. I. 11. *Non sum nescius*, i. e. *scio.* Ter. Eun. IV. 2. 18. *Haud nihil est*, i. e. *est aliquid.* Sic *Nonnulli*, i. e. *aliqui; Nonnunquam*, i. e. *aliquando; Non nemo*, i. e. *quidam; Nemo non*, i. e. *quilibet.* * Interdum tamen, Graecorum more, duae negationes for-

Digitized by Google

II. *Constructio PRAEPOSITIONUM.*

65. Adposcit quartum sociis cum praeposituris.

Praepositiones **ad, apud, ante**, etc. accusativum regunt: ut, Propert. III. 3. 55. *Haud ullas portabis opes*

---

tius negant: ut Ennius ap. Fest. *Lapideo corde sunt multi, quos non miseret neminis.* Plaut. Mil. V. 1. 18. *Iura te non nociturum homini hac de re nemini.* Id. Bacch. IV. 9. 114. *Neque ego haud committam ut faciase dicas.* Id. Epid. IV. 1. 6. *Neque ea nunc ubi sit nescio.* Ibid. V. 1. 57. *Neque ille haud obiiciet mihi.* Propert. II. 15. ult. *Absenti nemo ne nocuisse velit.* Ovid. Pont. I. 1. 66. *Ne non peccarim, mare quoque non faciet.* At haec rara et parcissime imitanda. Vid. Voss. Constr. c. 61. Popm. de usu antiq. loc. II. 9. Budaeum, Comm. L. Gr. p. 795 et 796. Vechner. Hellenol. p. 288. Rhen. p. 467.

II. At speciales negationes, in diversis clausulis, nihil derogant generali: ut, Virg. Ecl. IV. 58. *Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus, Nec Linus.* Id. Ecl. V. 58. *Nulla neque amnem Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.* Nep. in Attic. VI. 3. *Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit.* Ter. Eun. V. 9. 47. *Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex usu tuo Nemo est.* Id. Heaut. I. 1, 11. *Agrum in his regionibus Meliorem, neque pretii maioris nemo habet.* In quibus sententia eadem erit, si pro *nemo* ponas *quisquam*, aut pro *nec* vel *neque* dicas *vel*. Vid. Rhen. p. 467. Schmid. p. 334. Voss. Constr. c. 68.

III. *Age, agite, agedum*, imperativo iunguntur vel subiunctivo, rarius tamen tertiae personae: ut, Virg. Aen. IV. 569. *Eia age, rumpe moras.* Ter. Eun. IV. 4, 27. *Agedum, hoc mihi expedi primum.* Virg. Aen. I. 627. *Quare agite, o tectis iuvenes succedite nostris.* Cicer. pro Rosc. Am. c. 36. *Age nunc illa videamus.* Liv. VII. 9. *Procedat agedum ad pugnam.* **Age* nonnunquam cum prima persona indicativi iungitur: ut, Ter. And. IV. 2, 30. *Age veniam.* Cic. Phil. V. 10. *Age, si paruerit, volumus.* * Non dicimus, *Age autem*, sed *Age vero, Age vane, Age porro, Age iam, Age nunc, Agite vero.* * *Age* non modo singulari, sed plurali etiam iungi, alibi diximus, Part. I. p. 511. n. 5. Exemplo V. Flacci ibi allato adde Sil. Ital. XI. 169. *Huc, age, adeste.* Et ipsum Cic. non semel: ut pro Mil. c. 21. *Age nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.* Et pro leg. Manil. c. 14. *Age vero, caeteris in rebus quali Pompeius sit temperantia, considerate.* Et pro Syll. c. 26. *Agedum conferte nunc cum illius vita vitam P. Syllae.* * *Agite* autem plurali semper iungitur.

IV. *Fortasse, scilicet, videlicet, aedepol*, apud veteres cum infinitivo leguntur: ut, *Fortasse* ap. Plaut. Merc. IV. 4, 42. Poen. V. 2, 44. Truc. III. 2, 12. *Scilicet* ap. Ter. Heaut. II. 3, 118. et V. 1, 19. *Videlicet* ap. Plaut. Stich. IV. 1, 49 et 51. Lucret. I. 211. et II. 468. *Aedepol* ap. Plaut. Asin. III. 2, 84. Ratio autem huius constructionis ex *inovelq* pendet verbi alicuius finiti: quae in *scilicet, videlicet*, satis expedita est, utpote ex *scire licet* (quibus integris Lucretius Liviusque utuntur) et *videre licet*, conflatis. In *fortasse* et *aedepol* intricatior res est: quam sic evolvit Gronovius Observ. III. 9. *Fortasse*, inquit, corruptum est ex *fortassis*, hoc autem ex *forte an sit*. *Aedepol* vero nihil aliud est, quam *aedem Pollucis testor*, sive *iuro per aedem Pollucis*. Vid. interim Ursin.

Digitized by Google

Acherontis ad undas. Ter. Hec. IV. 2. 8. *Ut apud me praemium esse positum pietati sciat.* Ovid. Heroid. II. 8. Sic, *Adversus* vel *adversum hostes, Cis Euphratem, Citra necessitatem, Circa* vel *circum forum, Contra inimicos, Erga amicos, Extra terminos, Inter fratres, Intra parietes, Infra tectum, Iuxta macellum, Ob quaestum, Propter virtutem, Per agros, Praeter morem* et *consuetudinem, Penes arbitros, Post tergum, Pone cervicem, Secus viam, Secundum Regem, Supra* [1] *coelum, Trans montem, Ultra Indos* [2].

66. A iungi sexto, reliquis cum fratribus, optat:
Vult tenus at patrium numeri plerumque secundi.

I. Praepositiones a, ab, abs, etc. regunt ablativum: ut, Ter. And. I. 1. 21. *Rem omnem a principio audies.* Hor. Car. II. 16. 27. *Nihil est ab omni parte beatum.* Plaut. Trin. II. 2. 2. *Neque me abs tuo conspectu occultabo.* Sic, *Absque* [3] *causa, Cum exercitu, Clam patre, Coram testibus, De lana caprina, E foro, Ex aedibus, Pro clientibus, Prae timore, Palam omnibus, Sine labore, Mento tenus.*

To. I. p. 963. et To. II. p. 450. seq. Voss. Constr. c. 62. et Maior. de var. orat. p. 427. Adde Sciopp. Verisimil. I. 16. qui *certe* eo pacto constructum notat ap. Petron. c. 2. *Et ne Poetae quidem ad testimonium citem, certe neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse.* Ubi *certe* pro *certo scio* dictum vult Lowaeus in Notis ad Gramm. p. 18. n. 5. et p. 21. n. 1. At (quanquam vulgatam tuentur Vossius de Constr. c. 62.) iis potius accedendum putem, qui *accessisse video* illic legunt.

§ Reliqua de Adverbiorum, vel inter se, vel cum aliis orationis partibus apta coniunctione, vel usu, vel ex Lexicis iisve qui de particulis ex professo scripserunt, haurienda relinquimus.

1) Supra cum ablativo iunxit Lucretius, VI. 1213. *Multaque humi cum inhumata iacerent Corpora supra corporibus.* Vid. Sciopp. Gramm. Phil. p. m. 48. et Ursin. p. 482. Nisi mavis cum Giphanio (in Indic. voc. *Praepositio*) *corporibus* hic dativo tribuere: ut, *Corpora iacerent supra corporibus;* pro, *supra iacerent corporibus*, sit dictum, eadem fere ratione qua ap. eund. v. 1255. *Matribus et patribus natos superedere vitam.* Ubi *super* propter compositionem dativo iungitur, haud secus ac in *superponere, superesse, superdicere*, etc. Giphanii sententiam haud leviter confirmat similis loquendi modus ap. Virg. Aen. II. 792. *Collo dare brachia circum*, pro *circumdare;* et ap. Cic. pro Sulla, c. 8. *Gaudeat suo generi me meum ante non ponere*, pro *anteponere.* Sic Id. Off. III. 17. *Mala bonis ponit ante.* Et Tibull. I. 1, 18. *Libatum agricolae ponitur ante Deo.*

2) Varias harum, ut et ablativum regentium praepositionum significationes ex Lexicis aliisque id genus libris petendae sunt.

3) Absque, pro *sine*, apud Comicos usitatum, apud Oratores non item, notat Tursellinus, c. 8. itaque satius esse dicere, *Sine iniuria, Sine*

Digitized by Google

II. Tenus si nomen sit plurale, genitivum fere postulat [4]): ut, Virg. Geo. III. 55. *Et crurum tenus a mento palearia pendent.* Cic. in Arat. v. 83. *Lumborum tenus.* * Interdum et ablativum: ut, Ovid. Met. XV. 512. *Pectoribus tenus* [5]).

67. Sub, super, in, subter, quartum sextumque gubernant.

Praepositiones in, sub, super et subter [6]), interdum accusativum, interdum ablativum, pro varia significatione, regunt; hoc modo:

---

ulla dubitatione, quam *Absque iniuria*, *Absque dubio*. Addit porro Io. Conrad. Schwartz in nupera sua Tursellini editione, in scriptis Ciceronis semel tantummodo se legere meminisse praepositionem *absque*, nimirum ad Att. I. 19. init. *Nullam a me epistolam ad te sine absque argumento ac sententia venire.* Sed et alibi eum hanc particulam adhibuisse reperio de Invent. I. 26. *Argumentatio quaedam, in qua nihil valet absque approbatione.*

4) Tenus genitivo plurali iungi, cum res est vel gemina, vel numero singulari carens, plerique post Vallam, Eleg. II. 9. Grammatici docent: nec diffitendum est ita rem frequentius se habere: ut (praeter exempla ex Virg. et Cicer. allata) id. Virg. Aen. X. 216. *Laterum tenus.* Lucret. I. 989. *Labrorum tenus.* Quinctilian. XXII. 2. *Aurium tenus.* Apul. Met. XII. *Talorum tenus*, etc. Item Coel. ap. Cic. Fam. VIII. 1. *Illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt.* * Invenitur tamen et genitivo plurali, ubi res non sunt geminae, adiunctum: ut, Plin. XXXIV. 8. *Corporum tenus curiosus.* Apul. Met. IX. *Costas perpetua castigatione ossium tenus renudati.* Id. Florid. c. 2. *Cum se aquila nubium tenus altissime sublimavit.* Catulli etiam est LXII. 17. *Nutricum tenus exstantes e gurgite cano:* sed *nutricum* ibi, pro *mammarum*, quae geminae sunt, dicitur. Citat et ipse Valla, l. c. ex Curtio, VIII. 14, 9. *Pauci hostium tenus exacti penetravere ad Porum:* at de vera huius loci lectione haud satis inter Interpretes convenit. * Sed et genitivum ei singularem addicit Livius, XXVI. 24. *Corcyrae tenus:* quam lectionem firmare scriptos codd. testatur Gronovius. * Accusativum denique interdum admittere volunt, Despauterius, p. 279. Linacer ap. Voss. Constr. c. 65. Calepinus, Stephanus, et alii quidam Lexicographi, adstruentes illo V. Flacci, I. 588. *Et Tanain tenus immenso descendit ab Euro:* item illo Flori, III. 4, 6. *Curio Daciam tenus venit.* Et quidem priore loco *Tanain* (non *Tanai*, quod rescribendum praecipit Vossius) tuetur Carrio, quomodo vetustioribus omnibus, et praestantissima Burmanni editione legitur. At posteriore *Dacia*, non *Daciam*, codices plerique omnes habent. Apud Ovid. quoque Heroid. XII. 27. *Scythiam tenus ille nivosam*, quidam legendum volunt, sed reclamantibus melioribus libris, quibus *Scythia nivosa* est scriptum.

5) Sic Id. ibid. v. 678. et Cels. I. 8. *Demittere se inguinibus tenus in aquam calidam:* Etiam cum vox singulari deici videtur: ut, Flor. III. 5, 25. *Colchis tenus iungere Bosporon.* Et Liv. IX. 19. *Antio atque Ostiis tenus Samnites.*

6) Clam etiam inter praepositiones utrique casui servientes a quibusdam numeratur. Vid. Part. I. p. 816. n. 5. et mox n. 29.

Digitized by Google

1. In, sub et super, cum motus ad locum significatur, accusativum postulant: ut, Caes. B. G. I. ult. *Caesar in hiberna exercitum deduxit, ipse in citeriorem Galliam profectus est.* Virg. Aen. IV. 564. *Et nunc magna mei sub terras ibit imago.* Id. Aen. II. 466. *Danaum super agmina late Incidit.*

2. Cum motus vel quies in loco significatur, in et sub regunt ablativum; super vel accusativum, vel ablativum: ut, Ter. And. III. 1. 22. *Ego in portu navigo.* Ovid. Her. XVI. 316. *In vidua iaceo solus ipse toro.* Virg. Aen. X. 469. *Troiae sub moenibus altis Tot nati cecidere Deum.* Id. Ecl. I. 1. *Recubans sub tegmine fagi.* Liv. XXXVIII. 13. *Ad Antiochiam super Maeandrum amnem posuit castra.* Virg. Aen. I. 700. *Stratoque super discumbitur ostro* [7]).

5. Subter fere accusativum poscit, sive motus, sive quietis verbis adiungatur: ut, Virg. Aen. VIII. 366. *Angusti subter fastigia tecti Ingentem Aeneam duxit.* Cic. Tusc. I. 10. *Plato iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit.* Pers. IV. 43. *Ilia subter Caecum vulnus habet.* * Interdum apud Poetas ablativum recipit: ut, Virg. Aen. IX. 514. *Omnes Ferre libet subter densa testudine casus.*

Not. 1. Speciatim, in, pro *erga, contra, per, ad, usque ad, apud, super* [8]), accusativo iungitur: ut, * Cic. de Orat. I. 44. *Amor in patriam.* Id. de Orat. II.

---

7) Super cum opponitur τῷ subter, semper fere accusativo iungitur, sive motus, sive quies significatur: ut, Virg. Aen. VI. 515. *Cum fatalis equus saltu super ardua venit Pergama.* Cic. Leg. II. 26. *Demetrius super terrae tumulum noluit quid statui nisi columellam.* Sic Ovid. Heroid. V. 15. *Super stramen iacere.* Cic. de Fin. II. 18. *Super aspidem assidere,* et similiter alii passim. Raro autem, et apud solos quod sciam Poetas, ablativum hoc sensu adsciscit: ut, Virg. Ecl. I. 80. *Requiescere noctem Fronde super viridi.* Id. Aen. VI. 208. *Gemina super arbore sidunt.* Stat. Th. V. 589. *Modico super aggere.* Hor. Car. III. 1, 17. *Districtus ensis cui super impia Cervice pendet:* ad quem locum Charisius, col. 241. *impiâ cervice* pro *impiam cervicem* dictum ait: quod mihi contra videtur, nisi dicas occultum aliquem motum sive propensionem ad locum hic significari: quae ratio in reliquis omnibus obtinebit. * Super pro *de* acceptum ablativo tantum adiungi postulat. Vid. mox Not. 6.

8) Adde, cum pro *iuxta* vel *secundum* accipitur: ut, Cic. de Prov. cons. c. 8. *Milites Romani miserandum in modum necati sunt.* Virg. Geo. I. 245. *In morem fluminis.* Sic, *In hanc sententiam, In haec verba, In speciem.* Item cum *quasi loco* vel *vice* significat: ut, Senec. de Benef. VI. 23. *Sua illis in legem aeterna voluntas est.* Ibid. c. 37. *Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam est, incendium exstinxisse quod feceris.*

Digitized by Google

40. *Indulgentia in liberos.* *Id. Nat. Deor. III. 34. *Ad impietatem in deos, in homines adiunxit iniurium.* *Id. Catil. I. 2. *Crescit in dies singulos hostium numerus.* Virg. Geo. IV. 189. *Siletur in noctem.* * Ter. Adel. II. 4. 5. *Vereor coram in os te laudare.* Cic. pro Sext. c. 16. *In legem per vim latam iurare noluerat.* Hor. Epist. I. 1. 14. *Nullius addictus iurare in verba magistri.* *Mart. I. 29. *In lucem semper Acerra bibit.* Varro, R. R. II. 5. *Pariunt* [vaccae] *in annos decem, quaedam etiam in plures.* Plin. Epist. III. 5. *Studebat in coenae tempus.* *Cic. Parad. I. 1. *Cato ea sentit quae non probantur in vulgus.* Tac. Hist. I. 71. 4. *Celebrata in vulgus Celsi salus.* *Cic. de Inv. II. 17. *In filium quam habebam potestatem, ea usus sum.* Hor. Car. III. 1. 5. *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iovis.*

℣ Item, cum distributioni vel mutationi inservit: ut, * Caes. B. G. I. 1. *Gallia est omnis divisa in partes tres.* Virg. Aen. I. 194. *Socios partitur in omnes.* Liv. XXXIV. 50. *Cum quingenos denarios pretium in capita statuissent.* * Ovid. Met. IV. 800. *Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros.* Id. Her. I. 24. *Versa est in cinerem hospite Troia viro.* ℣ Item cum *ad similitudinem* seu *formam* notat: ut, Virg. Aen. III. 553. *Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum.* Apul. Met. II. *Lapis Parius in Dianam factus* [9]).

℣ Not. 2. In, pro inter, ablativo fere adiicitur: ut, Cic. de Am. c. 5. *Hoc primum sentio, nisi in bonis, amicitiam esse non posse.* Id. Fam. XIII. 78. *Peto ut eum complectare, diligas, in tuis habeas.* Liv. XXII. 3. *Regio erat in primis Italiae fertilis.* *Raro accusativo: ut, Cic. Nat. Deor. I. 15. *Homines morte deletos reponere in Deos.*

℣ Not. 3. In nonnunquam, cum quies significatur, accusativo iungitur: ut, Cic. pro leg. Manil. c. 12. *Cum vestros portus in praedonum fuisse potestatem sciatis.* Liv. XXII. 25. *Minucium magistrum equitum prope in custodiam habitum.* Sall. Iug. 112. 3. *Cum talem virum in potestatem haberet* [10]). ℣ Contra, cum motus ad locum

9) Item cum finem actionis notat: ut, Ter. And. II. 2. 32. *Olera et piciculos minutos ferre obolo in coenam seni.* Plin. XVI. 1. *Multis Fortuna parcit in poenam; i. e. eum in finem, ut coena ei apparetur; ut gravius eos puniat.* Sed haec per *ad* variari possunt. Confer de usu huius praepositionis Linnaei. lib. V. p. 511. seqq. Despauterius, p. 289. etc.

10) Confer Vossium de Constr. c. 66. Gellium, I. 7. Vechnerum

Digitized by Google

significatur, ablativo iunctum interdum reperitur: ut, Plaut. Aul. III. 6. 17. *Qui intromisisti in aedibus quingentos coquos.* Virg. Aen. I. 176. *Rapuitque in fomite flammam.* Pallad. Feb. 25. *Pira deinde mittuntur in vasculo* [11]).

☞ Not. 4. Sub, cum ad tempus refertur, sive cum pro *circa*, vel *paulo ante*, vel *paulo post*, accipitur, accusativum fere postulat: ut, Caes. B. C. I. 28. *Pompeius sub noctem naves solvit*, i. e. *paulo post.* Liv. I. 22. *Sub idem tempus*, i. e. *circa*, vel *per idem tempus.* * Rarius ablativum: ut, Plin. XXX. 18. *Sub die ludorum.* Suet. Ner. 54. 1. *Sub exitu vitae* [12]).

☞ Not. 5. Super, pro *ultra*, *praeter* et *inter*, accusativum petit: ut, * Virg. Aen. VI. 796. *Super et Garamantas et Indos Proferet imperium.* Sall. Iug. 35. 8. *Animum advortit, super gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse.* Tac. Agr. 29. 3. *Iam super triginta millia armatorum adspiciebantur.* * Liv. XXVII. 46. *Punicum exercitum super morbum etiam fames affecit.* Suet. Claud. V. 2. *Super segnitiae notam, ebrietatis quoque et aleae infamiam subiit* [13]). * Plin. Ep. IV. 22. 6. *De eius nequitia omnes super coenam loquebantur.* Curt. VII. 4. 7. *Super mensam.* Id. VIII. 4. 30. *Super vinum et epulas*, i. e. *inter coenandum, inter pocula.*

☞ Not. 6. Super, pro *de*, *pro* vel *ob*, ablativo gaudet: ut, * Cic. Att. XVI. 6. *Hac super re scribam ad te.* Virg. Aen. I. 750. *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa* [14]). * Id. Aen. IV. 253. *Nec super*

Hellenol. I. 16. Popmam de usu antiq. locut. II. 7. Schottum, Nod. Cic. I. 6. Berneoccrum ad Iustin. III. 1, 1. Scaligerum ad Manil. I. 245. Gronov. ad Liv. II. 14. Burmann. ad Quinctil. VI. 2. p. 523. Bronkhusium ad Propert. II. 7, 50. Cellar. ad Curt. III. 5, 10. Cortium ad Sallust. Catil. 19, 3. Löwaeum, Gramm. p. 23. n. 27. plura eiusmodi proferentes.

11) Plura huius structurae dabunt Munkerus ad Hygin. Fab. 50 et 92. Davisius ad Auct. B. Gall. VIII. 8 et 27. et ad Cicer. Tusc. I. 17. p. 84. extr. Servius in art. 2dam Donati, p. 1798. Budaeus Comment. L. Gr. p. 899. Iuretus ad Senec. de Benef. III. 37. extr. Burmannus ad Phaedr. V. 1, 15. Cortius ad Sallust. Catil. 42, 3. et qui ea ad Grammaticas rationes revocare conatur Sam. Clarkius ad Caes. B. Gall. IV. §. 8. n. 26. * Sub quoque in quiete nonnunquam accusativo iungitur: ut, Tac. Hist. V. 11, 1. *Iudaei sub ipsos muros struxere aciem.* Et in motu interdum ablativo: ut, Cic. pro dom. c. 20. *Ut Cyprius Rex sub praecone subiceretur.* Proferunt et ex Auct. ad Herenn. IV. 47. extr. *Sub aspectu omnium rem subiecit:* at melioribus libris *aspectum* legitur.

12) Vid. supra p. 291. n. 9.

13) Super hoc sensu uti etiam Tacitum, Annal. XV. 72, 2. Hist. III. 45, 1. etc. et Columellam, R. R. III. 19. at non item Ciceronem, Sallustium, et alios nobiles Auctores, notat Turscllinus, c. 218. §. 3 et 4.

Digitized by Google

ipse sua molitur laude laborem, Id. Aen. I. 29. *Haec accensa super*, i. e. *ob haec* [15]).

68. Casum saepe suum dat praepositura regendum Addita composito: crebro renovatur et ipsa.

I. Praepositio in compositione eundem saepe casum regit quem extra: ut, Virg. Geo. III. 402. *Adit oppida pastor.* Sall. Iug. 4. 7. *Qui per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire.* Ter. Eun. IV. 2. 13. *Illam praetereo sciens.* Caes. B. G. II. 10. *Caesar omnem equitatum pontem transducit.* * Liv. XXXII. 4. *Ut absisteret incepto effecerunt.* Suet. Tib. 38. 1. *Biennio continuo pedem porta non extulit.* * Virg. Geo. IV. 514. *Primo leves ineunt si quando praelia Parthi.* Id. Aen. IV. 4. *Haerent infixi pectore vultus.* Id. Aen. VI. 857. *Victorque viros supereminet omnes.* Cic. Fam. IV. 2. *Supersedeas hoc labore itineris.*

II. Praepositio cum qua verbum est compositum, saepe iteratur: ut, Cic. Fam. XI. 16. *Qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt.* Id. Brut. c. 76. *Nihil non consideratum exibat ex ore.* Id. Off. II. 21. *Modo enim hoc malum in hanc remp. invasit.* Ter. Eun. IV. 7. 21. *Nunquam accedo ad te, quin abs te abeam doctior.*

Not. 1. Haec structura tum tantum locum habet, cum praepositio a verbo divelli, ac separatim suo casui praemitti potest: ut, Virg. Aen. VI. 466. *Alloquor te*, i. e. *loquor ad te.* Liv. XXV. 11. *Classis circumvehitur arcem*, i. e. *vehitur circum arcem* [16]).

---

14) Apud Pallad. in lemmate, lib. XI. c. 14. Super hoc significatu accusativo iunctum invenimus: *Quae Graeci vel alii super vina condienda curanduque dixerunt.* An vero lemmata haec Palladii ipsius sint, haud liquet.

15) De hac praepositione vid. Priscian. col. 1001.

16) Sic Plaut. Menaech. III. 2. 11. *Accubui scortum*; pro, *cubui ad scortum*, Lucret. III. 566. *Animus[1] corpus adhaeret*; pro, *haeret ad corpus.* Nep. XIII. 2. 1. *Gentes quae adiacent mare*; pro, *iacent ad mare.* Virg. Ecl. IX. 36. *Intexstrepere alnos*; pro, *strepere inter alnos.* Sic, *Interest mea* dicitur; pro, *est inter mea negotia.* Sic Virg. Aen. VI. 171. *Personat aequora concha.* Liv. XXVI. 15. *Murmur totam pervasit concionem.* Id. X. 39. *Superiacere fidem*; pro, *iacere supra fidem.* Quomodo et ap. Horat. Ep. I. 18. 16. *Propugnat nugis, pugnat pro nugis*, quidam interpretantur. Sic etiam in verbis passivis: ut, Virg. Aen. VII. 216. *Afferimur urbem*; pro *ferimur ad urbem.* Ovid. Met. III. 598. *Adducor littora*; pro, *ducor ad littora.* Tac. Ann. I. 13. 6. *Advolvi genua*; pro, *volvi ad genua.* Curt. IV. 5. 10. *Oram classes praetervehi*; pro, *vehi praeter oram.* Vid. Ursin. p. 273. et confer. Giphan. Ind. Lucret. voc. *adhaeret*, et Heins. ad Ovid. loc. cit. * Atque hinc est quod quaedam verba activa cum praepositione trans

Digitized by Google

☞ Not. 2. Ex his multa sunt, quae praepositionem iteratam respuunt: ut, *Affari, alloqui, allatrare, aliquem*; non, *ad aliquem*. Sic, *Alluere urbem, Accolere flumen, Circumvenire aliquem, Obire legationem, Praeterire iniuriam*: et *Abdicare se magistratu, Efferre pedem domo, Evertere aliquem omnibus fortunis*, etc. [17]).

---

composita duplicem nonnunquam accusativum adsciscant, alterum ex praepositionis, alterum ex verbi ipsius vi pendentes: ut, Caes. B. G. VII. 11. *Exercitum Ligerim traduxit.* Plancus Cic. Fam. X. 9. *Exercitum Rhodanum traiecit.* Caes. B. G. IV. 16. *Orabant ut exercitum modo Rhenum transportaret.* Vid. Saturn. I. 12. *Circumduco* etiam sic construit Plautus, Most. III. 2. 155. *Circumduce istum hasce aedes et conclavia.* Addit, sed sine exemplo Saturnius, l. c. *circumveho.* * In verbis autem activis, cum aliis praepositionibus regentibus accusativum compositis, vel praepositio iteratur: ut, Ter. Hec. V. 3. 38. *Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes.* Cic. Phil. V. 16. *Caesar se ad neminem adiunxit.* Plaut. Bacch. III. 3. 92. *In te hoc onus omne impono.* Vel eius aliquae casus loco dativus adhibetur: ut, Cic. Attic. I. 14. *Hic dies me valde Crasso adiunxit.* Id. ad Q. Fr. II. 1. *Ne quod onus nobis imponeret.* At *Adiungo me neminem, Impono te onus*, nullus dixerit. * Peculiari quidem formula dictum est apud antiquos, *Adigere aliquem iusiurandum, adigere aliquem arbitrum*; pro, *Agere ad iusiurandum, ad arbitrum.* Vid. Caes. B. C. I. 76. Liv. XLIII. 15. Cic. Top. c. 10. Senec. Epist. 65. et adde Brissonium in Formulis, p. 470. * Cum eod. Caesare, B. G. I. 24. *Postquam id animum advertit*; et Lucret. II. 124. *Haec animum te advertere par est*; pro, *ad id, ad haec*, recte dixeris. At *insinuare se pecudes*; pro, *insinuare se in pecudes*, quod habet idem Lucret. I. 117. parce vel nunquam adhibuerim. In illis autem, quae ex Plauti Asin. IV. 1. 21. *Ne quem oculos adiiciat*: et Cic. pro Cluent. c. 24. *Staleni familiaritatem se applicavit*, adfert Despanterius, p. 337. emendatioribus libris ad expressum reperio. * Interdum tamen, altero ex duobus accusativis dissimulato, alterum absque praepositione positum invenimus: ut, *Attendere aliquid*; pro, *tendere animum ad aliquid: Circumsistere aliquem*; pro, *sistere se circum aliquem*; *Innubere domum*; pro, *nubere se in domum*: *Insistere munus*; pro, *sistere se in munus.* Vid. Ursin. p. 275.

17) Sic *Circumire, circumetare, circumsedere, circumsilire, circumvolare aliquem* vel *aliquid*, omissa semper praepositione, dicuntur. Cum trans composita rarius praepositionem geminant: ut, Caes. B. G. I. 35. *Ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam transduceret.* Liv. XXV. 14. *Afreptum vexillum trans vallum hostium traiecit.* Plaut. Mil. II. 5. 58. *Commeatus transtinet trans parietem*: Saepius eam secundo loco omittunt: ut, Caes. B. G. II. 5. *Flumen Axonam exercitum transducere maturavit.* Adde paulo ante Not. praeced. et Perizon. p. 305. * Quaedam cum inter, et omnia fere cum praeter composita: ut, *Intercino, intererro, interfluo, interfuro, interluo, intermeo, interstrepo*; item, *Praeterago, praetereo, praeterfero, praeterfluo, praetergredior, praeterlabor, praetermeo, praetermitto, praetervecho, praetervolo*, praepositionem communiter omittunt, *Interiaceo, interiicio, intercedo, interpono*, eam vel repetunt, vel omittunt; vel aliter dativum, ut *intermitto, intervenio*, adsciscunt. Vid. supra p. 158. * Cum in, ob et sub composita saepius dativum, cum super frequentius accusativum recipiunt. Vid. supra p. 129 et 130. et p. 141. seqq. p. 146 et 148 et p. 172.

Digitized by Google

☞ Not. 3. Rursus alia sunt, quae solum cum praepositione, quantum constat, construuntur: ut, *Accurrere ad aliquem*, *Adhortari ad aliquid*, *incidere in morbum*; non, *Accurrere aliquem*, *Adhortari aliquid*, etc. *Quod ad me attinet*; non, *quod me attinet* [18]). Sic, *Avocare a studiis*, *Avertere ab incepto*, etc.

☞ Not. 4. Multa sunt, quae praepositionem compositi vel repetunt, vel omittunt; ut, Cic. N. D. III. 5. *Aggredi ad disputationem.* Id. de Orat. II. 44. *Aggredi causam.* Liv. III. 70. *Per mediam hostium aciem perrumpere.* Cic. Off. III. 8. *Poenam legum perrumpere.* Id. Attic. XV. 11. *Ingredi orationem.* Id. Phil. VII. 3. *Ingredi in orationem.* Sic *Inducere animum*, vel *in animum.* *Aberrare proposito* et *a proposito.* *Abstinere cibo*, *a scelere.* *Evadere undis*, Virg. Aen. IX. 99. *e manibus*, Liv. XXII. 49. *Decedere de suo iure*, *Decedere provincia*, *via*; vel, *de provincia*, *de via.* *Expellere*, *eiicere*, *exterminare*, *extrudere*, *exturbare urbe*: et *ex urbe*, etc. [19]).

☞ Not. 5. Multa denique sunt, quae cum dativo, vel aliter, construuntur: ut, *Assurgere alicui*, *Illacrymari morti alicuius*, *Accedere urbem*, *ad urbem*, *urbi*; *Appropinquare ad portam*, *muro.* *Insilire in scapham*, Plaut. Rud. II. 3, 36. *Insilire puppim*, Lucan. III. 621. *puppi*, Id. IX. 252. *Circumdare brachia collo*, *Succumbere oneri*, *Inesse rei alicui*, et *in re aliqua.* *Extorquere argentum ab aliquo*, Cic. Att. VI. 1. *ferrum alicui de manibus*, Id. Catil. II. 1. [20]).

---

18) Vid. supra p. 209. n. 81.

19) Sic *Adire*, *accedere aliquem* et *ad aliquem*; *Incumbere gladium* et *in gladium*; [Vid. supra p. 186.] *Insultare bonos*, Sall. Hist. VI. *in rempublicam*, Cic. pro Mil. c. 82. *Increpare aliquem*, Virg. Aen. X. 880. *in aliquem*, Liv. I. 51. *Incursare aliquem*, Plaut. Asin. I. 2. 22. *in aliquem*, Cic. Att. XII. 41. *Pervadere urbem*, Liv. II. 28. *per agros*, Cic. Verr. III. 26. *Illudere aliquem*, Ter. Phor. V. 8. 22. *in aliquem*, Id. Eun. I. 4. 20. *Peragrare silvas*, Virg. Aen. IV. 72. *per animos*, Cic. de Orat. I. 52. Sic *Abalienari potestate*, et *a potestate*, *Abhorrere vero*, et *a fide.* *Avellere templo Palladium*, Virg. Aen. II. 165. *Avellere aliquem a se*, Ter. Eun. III. 3. 14. Confer supra p. 205, 206. et adde Linacr. p. 250. seqq. et Behourt, p. 261. seqq. ☞ Quaedam suarum praepositionum loco alias similis significationis admittunt: ut, *Dehortari*, *deficere*, *desciscere*, *exprimere*, *extorquere*, *ab aliquo.* Sic *Abire*, *demigrare loco*; et *a*, *de*, *ex*, *loco*; *Abripere a* vel *e complexu*; *Abstrahere aliquem a*, *de*, vel *e conspectu*; *Decidere spe*, *a spe*, *de spe*; *Declinare via*, *a* vel *de via*; *Deerrare itinere*, *in itinere*, *a proposito*; *Deflectere a virtute*, *de regione*, *ex itinere*; *Deiicere loco*, et *ex loco*; *Desistere sententia*, *a* vel *de sententia*; *Excidere manibus*, *de manibus*, *e manibus*, etc. Vid. Ursin. p. 331.

Digitized by Google

Not. 6. Quaedam cum praepositionibus *e* vel *ex* composita, vel accusativum vel ablativum admittunt: ut, Stat. Theb. VI. 258. *Campum exire vetat.* Virg. Ecl. I. 54. *Quamvis multa meis exiret victima septis.* Plin. Epist. VII. ult. *Non debet historia egredi veritatem.* Ovid. Her. XVI. 125. *Portubus egredior.* Lucan. I. 412. *Patrios excedere muros.* Virg. Aen. III. 60. *Scelerata excedere terra*[21]), [22]).

---

20) Quaedam aliter casibus variant: ut, *Abalienare aliquid alicuius*, pro *ab aliquo*, Cic. Rull. II. 24. *Abstine irarum*, pro *ab iris*, Hor. Car. III. 27. 69. [*Abstine isti hanc tu manum*, pro *ab isto*, ex Plaut. Truc. V. 62. citat Ursinus, p. 332. at in meis *Abstine isthac tu manum* habetur] *Exprimere, extorquere, eripere quid alicui*, pro *ab aliquo*, *Abdicare magistratum*, pro *se magistratu*. Sic, *Abhorrere aliquid*, et *ab aliquo*; *Deflectere iter*, et *ex itinere*; *Evadere manus alicuius*, pro *e manibus*; *Propugnare commoda patriae*, et *pro salute alicuius*.

21) Sic Tac. Ann. I. 61. 5. *Elabi vincula.* Ovid. Art. I. 432. *Elapsus auro lapis.* Cic. Orat. II. 50. *Elabi e manibus.* Stat. Th. VI. 884. *Elapsus oneri.* Curt. IV. 2. 21. *Paululum molis aquam eminebat.* Cic. Tusc. I. 28. *Globum terrae eminentem e mari.* Virg. Aen. I. 580. *Erumpere nubem.* Id. Geo. IV. 78. *Erumpunt portis.* Cic. Verr. IV. 48. *Ignes ex Aetnae vertice erumpunt.* Tac. Ann I. 51. extr. *Evadere sylvas.* Cic. Div. II. 5. *Evadere ex insidiis.* Virgil. Aen. IX. 99. *Evadere undis.* [Confer Drakenb. ad Sil. XVI. 522.] Senec. N. Q. IV. Praef. *Eluctatus natalium angustias.* Id. N. Q. V. 18. *Effugere procellosos montes.* Cic. pro leg. Manil. 9. *Rex e manibus effugit.* Ap. Plin. Epist. III. 16. *Exiluit cathedram* plures codices habent, probatque Munkerus ad Hygin. Fab. 99. aliis *cathedra* legitur. Ovid. Met. V. 35. *Exiluit stratis.* Plaut. Amph. V. 1. 63. *Puer e cunis exilit.* His adde quaedam cum praepositione composita, quae interdum accusativum recipiunt: ut, Lucan. VI. 76. *Romae praelapsus moenia Tybris In mare descendit.* Hor. Car. IV. 14. 25. *Qui regna Dauni praefluit Apuli.* Sil. IV. 51. *Volucri praevectus littora classe.* Lucan. IX. 1005. *Asiamque potentem praevehitur.* Huc adde, *Praesidere Italiam*, *praetacere castra*, *praeminere caeteros*, *praestare omnes eloquentia*, etc. Vid. supra p. 149 et 150.

22) Superest ut de totius huius constructionis causis nonnihil dicamus. Et primum, quod ad superiora illa attinet, in quibus casus, praepositioni, quae cum verbo composita est, congruus, verbo adiungitur: ut, *Adire urbem*, *Exire urbe*, etc. vulgaris sententia est (quam et Ursinus, To. I. p. 462, 463. et To. II. p. 274 et 332. strenue tuetur) *urbem* et *urbe* vi praepositionum ad et ex, quae verbis ipsis insunt, regi; adeoque cum praepositio iteratur, diciturque v. g. *adire ad urbem*, *exire ex urbe*, et similia, pleonasmum esse. Contra Priscianus, lib. XVIII. col. 1189. Voss. de Constr. c. 43 et 66. in primis vero Perizonius, p. 297, 305, 306, 307, etc. in his *Insilire puppim*, *adire*, *accedere aliquem*, *invadere urbem*, *transmittere fluvium*, *abesse urbe*, *depellere loco*, *eximere vinculis*, *educere castris*, *infigere pectore*, etc. casum non a praepositione composita, sed ab eadem per Ellipsin praeterita, et animo extra compositionem repetenda regi statuunt, proindeque integram in his septentiam esse, *Insilire in puppim*, *adire ad aliquem*, *abesse ab urbe*, etc. Cum tamen iidem scriptores, Vossius sub init. c. 66. et Perizonius, p. 307. non negent, quando praepositio eadem repetitur, pleonasmum in his ali-

Digitized by Google

Alia de Praepositionibus *Observationes.*

Praepositionibus accusativum regentibus vulgo adduntur, circiter, prope, usque, et versus: ut, Caes. B. G. I. 50. *Circiter meridiem exercitum in castra reduxit.* Cic. de Inv. II. 42. *Hostes prope muros castra habent.* Curt. VII. 9. 21. *Corpora usque pedes carbaso velant.* Plin. V. 8. *Vastae solitudines orientem versus.* * Sed haec vere adverbia sunt, quibus subaudienda est praepositio ad; quae cum tribus posterioribus nonnunquam exprimitur [23]): ut, Nep. XIX. 21. *Cum prope ad annum octogesimum prospera permansisset fortuna* [24]). Hor. Sat. I. 3. 5. *Ab ovo Usque ad mala* [25]). Plin. VI. 30. *Ad occidentem versus* [26]).

---

quem inesse, fateanturque perinde esse, sive *Adire ad aliquem*, sive *Ire ad aliquem* dicatur, nisi quod priore illo maiorem quandam Emphasin notari volunt; haud magno discrimine referre arbitror, sive in praepositione simplice, sive in ea quae cum verbo est composita, Pleonasmus iste statuatur. * In his autem verbis, quae cum praepositionibus a vel ex et prae composita, accusativum recipiant: ut, *Egredi urbem*, *Praevehi littus*, et similibus; vel praepositiones illae vim eandem quam *extra* et *praeter* habent, quae communis opinio est; vel potius, cum Perizonio, p. 306, 307 et 332. statuenda est harum praepositionum Ellipsis: ut, *Erumpere nubem*, *Praelabi moenia Romae*, integre sint, *Erumpere extra nubem*, *Praelabi praeter moenia Romae.* An vero ad *Praesidere provinciam*, *exercitum*, satis quadret haec Ellipsis: Et an in *Praeiacere castra*, *Praeminere caeteros*, dixeris intelligendum *praeter* pro *ante*, quod affirmat Perizonius, l. c. an potius referenda haec sint ad Ellipsin τοῦ *ad* vel *quod ad*, quod mavult Ursinus, To. I. p. 456. doctia diiudicandum relinquo. Certe in his *Evasit me*, *malum*, *necem*, etc. ut et in *Effugit me*, etc. *quod ad* vel κατὰ intelligit idem Perizonius, p. 334. n. 55.

23) Ad quoque cum τῷ *circiter* expressi exemplum proferunt Sanctius, I. 16. p. 152. et Ursinus, p. 488. hoc Ciceronis, Att. II. 17. *Verum haec in Arpinati ad sextum circiter Idus Maias non deflebimus.* At ibi, cum libris emendatioribus, *a. d. sextum*, i. e. *ante diem sextum*, legendum. Vid. supra p. 291. n. 9. * Invenitur et *Circiter* cum ablativo iunctum: ut, Plaut. Most. III. 1. 51. *Redito huc circiter meridie.* Caes. B. G. IV. 23. *Ipse hora circiter diei quarta Britanniam attigit:* ubi supplendum *in*, ac sententia porro sic integranda, *in meridie*, *aut circiter ad meridiem*; *in hora quarta*, *aut circiter ad id tempus.*

24) Sic Liv. VIII. 29. *Prope ad ultimum dimicationis ventum est.* * Sed et cum aliis praepositionibus hoc adverbium construitur: ut, Liv. I. 14. *In ipsis prope portis bellum ortum.* Et I. 23. *Civili simillimum bello prope inter parentes natosque:* in primis vero cum *a* vel *ab*; ut, Cic. Verr. V. 2. *Tam prope a Sicilia.* Id. Verr. II. 3. *Tam prope ab domo detineri.* Plin. XV. 18. *Tam prope a muris habemus hostem.* Vid. Sanct. p. 153. et adde quae de nominibus *propior* et *proximus*, et adverbiis *propius* et *proxime*, ab eo derivatis, ac similiter fere constructis, supra diximus, p. 97. n. 65. et p. 320. n. 15.

25) Videtur et usque dativo iunctum in illo Taciti, Annal. I. 19. 1. *Aggerebatur nihilominus cespes, iamque pectori usque adcreverat:* nisi mavis *pectori* illic cum *adcreverat* copulare. * Cum praepositionibus *in*,

Digitized by Google

II. Inter ablativum regentes numeratur et procul [27]); ut Liv. VI. 16. *Haud procul seditione res erat.* * Sed hoc quoque adverbium est: ablativus autem regitur ab intellecta praepositione a vel ab; quae et saepissime exprimitur: ut, Virg. Ecl. X. 46. *Procul a patria* [28]). Quinctil. I. Prooem. *Procul ab ostentatione* [29]).

---

trans, *a*, *ab*, *ex*, constructi exempla vid. supra pag. 285. et n. ibi 45. Adde *extra* et *sub*: ut, Plin. VIII. 17. *Usque extra solitudines deductus est.* Virg. Geo. I. 211. *Usque sub extremum brumae intractabilis imbrem.*

26) Adde supra p. 285.

27) Procul quoque cum accusativo iunctum volunt: at vid. nos supra, Part. I. p. 315. n. 6.

28) Cicero fere addit praepositionem (ut, *Procul a nocte*,) nisi ubi poëtice loquitur. Vid. Giphan. Obs. L. I. p. 290. extr. Adde et Goclen. Probl. Gram. lib. II. c. 24.

29) Adverbiorum etiam naturam primitus habuisse videntur aliae quaedam praepositiones; *Adversus*, *iuxta*, *propter*, *secus*, *secundum* et *clam*. Nam (1) Adversus interdum cum dative iungitur: ut, Plaut. Casin. II. 8. 29. *Cum ei adversum veneram:* et Trin. III. 2. 98. *Qui meo here adversus venerit.* Cum autem accusativus ei additur, subaudiri potest, aeque ac in simplice *versus*, praepositio *ad*: ac similiter etiam in *exadversus*; ut, Ter. Phor. I. 2. 38. *Exadversum ei loco tonstrina erat.* Et Cic. Div. I. 45. *Ara exadversus* [ad] *eum locum consecrata est.* (2) Iuxta, vel *iuxtim*, est a *iugo*, *iuxi*, pro quo posteriores *iungo*, *iunxi* dixerunt; et proinde *prope*, *post* et *aequali modo* significat: ut, Tacit. Germ. 30. 5. *Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.* Id. Hist. II. 76. 3. *Iuxta Deos in tua manu positum est.* Supple utrobique *ad*. Postrema significatione, vel absolute ponitur: ut, Sall. Iug. 72. 2. *Civis, hostis iuxta metuere.* Ibid. 95. 3. *Graecis et Latinis literis iuxta eruditus.* Vel cum *ac* vel *atque*; ut, Liv. I. 54. *Absentium bona iuxta atque interemptorum divisa fuere.* Sall. Iug. 45. 2. *Iuxta ac si hostes adessent:* Vel cum praepositione *cum*; ut, Plaut. Pseud. IV. 7. 62. *Iuxta cum ignarissimis scio.* Sall. Cat. 58. 5. *Iuxta mecum omnes intelligitis.* (3) Propter contracte dicitur, pro *propiter*, a *prope* vel *propis*, unde *prope*, eodem pacto quo a *firmus firmiter*, a *fortis fortiter*, a *circo circiter*. Cum accusativo autem iungitur per Ellipsin praepositionum *ad* vel *ob*: ut, Sall. Catil. 59. *Ipse propter aquilam adsistit.* Cic. pro Rosc. Am. c. 23. *Duo filii propter patrem cubantes*, supple *ad*. Cic. Brut. c. 26. *Ea suspicio propter hanc causam fuit.* Id. Fin. II. 26. *Amicitia ex se et propter se expetenda*, supple *ob*. (4) Secus ut adverbium saepissime occurrit; modo absolute positum: ut, Cic. Fam. VI. 4. *Etsi id ipsum videatur secus.* Id. in Pis. c. 28. *Recte an secus, nihil ad nos:* modo ad sequens *ac*, *atque*, aut similes particulas, relatum; ut, Virg. Aen. III. 256. *Haud secus ac iussi faciunt.* Ut praepositio, adeo raro usurpatum invenitur, ut Charisius eam constructionem novam ac sordidam pronunciet, col. 61. et ipse Vossius, Anal. IV. 22. rectius ea abstineri censeat, utcunque semel atque iterum bonis auctoribus exciderit, veluti Sempron. Asellio ap. Charis. col. 195. *Ne possent stationes facere hoc secus.* Plin. XXIV. 15. *Nascitur secus fluvios:* et Quinctilian. VIII. 2. *Conductus est coecus secus viam stare.* Sed in his adverbium esse, non praepositionem, accusativumque non ab eo, sed ab intellecta vera praepositione *ad*, pendere affirmat Sanctius, I. 16. et ad eum Perizon. n. 9. (5) Secundum eiusdem esse generis et naturae cuius *primum*, *multum*.

Digitized by Google

plurimum, etc. idem Perizonius docet, p. 148. Interdum ut adverbium adhibetur: ut, Plaut. Amph. II. 1. 1. *Age, i tu secundum.* Plerumque tamen ut praepositio: ut, Cic. Off. II. 8. *Proxime et secundum Deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt:* quod duplici Ellipsi sic explicat Perizonius, p. 151. *ad secundum locum post Deos.* (6) Clam interdum dativo, interdum accusativo, saepius ablativo iungi, alibi notavimus, Part. I. p. 316. n. 5. Cum accusativo quoque constructum invenitur, quod ab eo derivatum est, *clanculum:* ut, Ter. Adel. I. 1. 27. *Alii clanculum patres quae faciunt.* At neutrum ideo praepositionem esse ostendit contra Ursinum Perizonius, l. c. et ante eum Priscianus, col. 998. Cum accusativo autem subaudiendum *xατὰ*, vel *quod ad*; cum ablativo, *a* vel *ab.*

¶ Praepositionum denique numero a quibusdam excluduntur palam et pone: ut, cum Livius, VI. 14. *Palam populo;* Horat. Epod. XI. 28. *Te palam*, dicant, subaudiendum sit *coram.* Et cum a Plauto, Curc. IV. 1. 20. *Pone aedem Castoris:* et a Tacito, Hist. III. 85. 4. *Vinctae pone tergum manus*, dicuntur, subaudiendum sit *post.* Aliter vero haec longe frequentius adverbialiter accipi notissimum est. * Tenus quoque non esse praepositionem, quum genitivum habet, ut *Crurum tenus*, docet Sanctius, III. 13. additque Scioppius subaudiri *fine*, ut integrum sit, *Fine crurum tenus.* Sed et hoc pacto subaudiendum insuper vult Lowaeus, p. 23. in. Mihi ubique praepositio videtur. * Multa etiam alia ex praepositionum in adverbiorum ordinem refert Priscianus, lib. XIV. veluti *extra, infra, contra, citra, supra*, et haec quidem non male forsan, inquit Perizonius, p. 152.

¶ Sunt et aliae quaedam particulae, ad adverbiorum classem vere ac semper pertinentes, quae, praepositionum instar, cum accusativo vel ablativo, vel interdum genitivo, constructae reperiuntur: quales sunt, *Intus, foras, cominus, retro, seorsus* sive *seorsum, simul.* (1) Intus cum genitivo: ut, Apul. Met. VIII. sub fin. *Intus aedium audito ruditu meo.* Cum accusativo: ut, Plaut. Mil. II. 6. 55. *Intus domum.* Liv. XXVII. 11. *Intus cellam.* Plin. XXXIII. 1. *Tellurem intus.* Cum ablativo: ut, Lucr. IV. 1085. *Nam cibus atque humor membris assumitur intus.* Virg. Aen. VII. 192. *Intus templo divum.* (2) Foras, cum ablativo: ut, Lucr. IV. 554. *Ore foras.* Cum accus. iunxit vulg. Interp. Ezek. XLVII. 2. *Foras exteriorem portam:* et Act. XXI. 5. *Usque foras civitatem.* (3) Cominus cum accusativo, vid. supra p. 320. n. 15. in fin. (4) Retro, cum accusativo: ut, Apul. Met. VI. p. 180. *Conveniat retro metas Martias Mercurium praedicatorem.* Sic vulg. Interp. Esa. LVII. 8. *Retro postem:* et Marc. VIII. 33. *Vade retro me, Satana.* Quos nolim secutus fuisset Buchananus noster: qui Hist. Scot. XV. 58. *Retro aggerem terranum collocavit;* et paulo post, *Retro collem propinquum exspectare iussit;* et XVI. 84. *Retro illos.* (5) Seorsus sive seorsum cum ablativo, ut Lucret. III. 563. *Seorsum corpore*, et v. 631. *Seorsum anima.* Cum genitivo etiam constructum existimat Vossius de Constr. c. 54. ap. Apul. de Deo Socrat. p. 692. *Annon apud Homerum, ut in quodam ingenti speculo, clarius cernis haec duo distributa, seorsus divinationis, seorsus sapientiae officia?* At genitivos hosce *divinationis et sapientiae*, non a *seorsus*, sed a substantivo *officia*, regi iam notavit Ursinus, p. 436. (6) Simul cum ablativo: ut, Hor. Sat. I. 10. 86. *Simul his te, candide Furni,* — *praetereo.* Sil. V. 418. *Avulsa est protinus hosti Ore simul cervix.* Ovid. Trist. V. 10. 29. *Quippe simul nobis habitat.* Sic Tacitus saepius loquitur. Vid. Freinshemii Indic. * In his autem adverbia Graecorum more pro praepositionibus, *intus* pro *in*, *foras* pro *e* vel *extra*, *retro* pro *post* vel *pone*, *seorsum* pro *a* vel *absque*, *simul* pro *cum*, sunt usurpata: vel his ipsis praepositionibus oratio supplenda est: quomodo Lucret. II. 964. *Suis ire-*

Digitized by Google

☞ III. Praepositiones aliis interdum casibus, quam quos consuete regunt, per Ellipsin junguntur: ut, Suet. Iul. 20. 6. *Campum Stellatem divisit extra sortem ad viginti millibus civium;* i. e. *civium millibus ad viginti millia* [30]). Sic Cic. At VI. 1. *Ad Opis.* Ter. Adel. IV. 2. 45. *Ad Dianae;* supple, *aedem.* Cic. Fam. XIV. 2. *A Vestae;* supple, *aede* [31]).

---

pidant in sedibus intus. Id. II. 1044. *Cum summa loci sit Infinita foris* (al. *foras*) *haec extra moenia mundi.* Cael. ad Cic. Fam. VIII. 9. *Seorsum a collega.* Lucr. III. 632. *Seorsum absque anima.* Nep. III. 2. 2. *Simul cum Pausania.* Caeterum *Simul* cum dativo constructum vult Heinsius in loc. Ovid supra cit. *Simul nobis.* Vid. eum ad Ovid. Amor. I. 4. 1. At illic aliisque eiusmodi ablativum, *cum* intellecto, locum habere longe verius est. Confer Drakenborch ad Sil. VIII. 395. et Burmàn. ad V. Flacc. IV. 88. * Superioribus adde (7) Desuper et insuper, utrumque cum accusativo, vi praepositionis simplicis super, constructum: ut, Lucan. I. 688. *Nunc desuper Alpis Nubiferae colles atque aëriam Pyrenen Abripimur.* Vitruv. V. 12. *Insuper eam exaequationem:* et IX. 6. *Insuper Arietis signum:* et X. 20. *Collocentur insuper basim tigna duo.* Hoc etiam pacto loqui Caesarem affirmat Vossius, Anal. IV. 23. extr. At in unico, ubi id factum videtur loco, B. Civ. II. 9. *Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei ac vinearum passum est, laterculo adstruxerunt:* tò *contignationem,* non ab *insuper,* sed ab *adstruxerunt,* regi verius est. * *Intus aedium,* ap. Apul. l. c. *Incoram sui,* ap. eund. Met. IX. p. 282. *Incoram omnium,* ibid. p. 276. per Synesin dicuntur, pro *in interiore parte aedium, in praesentia sui* vel *omnium.* Vid. Vossius, de Constr. c. 64. et confer supra p. 317. n. 6. ☞ Huc referuntur et alia de quibus superius diximus, (1) Pridie et postridie cum genitivo vel accusativo, p. 319. n. 11. (2) Abhinc cum accus. vel ablat. p. 292. n. 10. (3) Plus, minus, amplius itidem cum accus. vel ablat. p. 118. n. 95. (4) Aequo cum ablativo, p. 96. n. 81. (5) Quoad cum genitivo vel accusativo, p. 310. n. 25. (6) Quo et unde cum accus. ut, Hor. Epist. I. 5. 12. *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* supple cum Sanctio, p. 660. *parari,* vel cum Ursino, p. 438. *optem* aut *petam.* Cic. Fam. VII. 23. *Martis signum quo mihi pacis auctori?* subaudi, cum eod. Sanctio, *parasti,* vel potius, cum Perizonio, *bonum putas.* Hor. Sat. II. 7. 116. *Unde mihi lapidem? — unde, sagittas?* supple, *inveniam* vel *parabo.*

30) Sic Sisenna ap. Nonium, *Ad binum millium numero utrinque sauciis factis.* Suet. Aug. XXXVIII. 1. *Super triginta ducibus triumphos, et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.* Quae sic integrat Gronovius, de pec. vet. I. 7. *Sauciis factis numero ad capita binum millium: Decernenda curavit ducibus super triginta.* Vid. eund. Gronov. ad Liv. XXVIII. 36. n. 4. Sic Gell. I. 25. *Induciis in mensium aliquot factis,* supplendum cum Perizonio, p. 171. *spatium* vel *tempus,* vel, quod idem potius putat, delenda vocula *in,* quomodo et Gronovius edidit.

31) Sic Plaut. Poen. I. 2. 120. Sall. Catil. 49. 4. *Circum Concordiae,* supple *fanum,* vel *templum.* Item *Per Varronis;* sc. *fundum; Ex vicini,* sc. *agro; Ex Apollodori,* puta *Chronicis,* etc. Vid. supra p. 41. n. 4. et adde Vechneri Hellenol. I. 3. n. 4. * Huc refer ante et post cum ablativo constructa: ut, *Anno ante, Longe post tempore.* Vid. supra p. 291. n. 9. * Hinc porro petenda ratio est antiquae illius locutionis Impraesentiarum, in qua genitivus non a praepositione *in,* quod voluit Sanctius, p. 174. sed a suppressa voce *tempore* regitur.

Digitized by Google

IV. Tenus [32]) et versus [33]) casibus suis postponuntur: reliquae fere praecedunt [34]): usque [35]) promiscue adhibetur.

Vid. Perizon. p. 171. et nos supra Part. I. p. 312. n. 14. * Hic autem quaeritur, utrum, cum Vitruvius ex et in, item Paulus ICtus super cum genitivo construunt, Hellenismus sit an Ellipsis. Priorem in sententiam inclinant Vossius, Constr. c. 65. et Ursinus, p. 55, 284 et 480. (sic tamen ut alteram illam non damnent:) et ante eos Sanctius, p. 170. seqq. et Scioppius, Gramm. Phil. p. m. 145, de ex et in a Vitruvio sic constructis idem senserant. Posteriorem autem tuetur Cl. Perizonius ad Sanct. l. c. qui genitivos hosce non proxime a praepositionibus illis, sed ab intellectis alterius casus substantivis, regi contendit. Ex illius igitur mente, ea quorum meminimus Scriptorum loca, cum Vossio, supplere possis; (1) E X. Vitruv. I. 2. *Quantitas est modulorum ex ipsius operis sumptio*, supple *modulo*. Ibid. c. 4. *Piscium naturae plurimum ex aëris et terreni sunt compositae*, puta *natura*. Et III. 2. *Si ex imbrium aquae vis occupaverit*, intellige *casu* vel simile. Et IX. ult. *Descriptio ex duodecim coelestium signorum sit figurata*, nempe *figuris*. (2) In. Vitruv. I. 5. *Cum ergo iis rationibus erit salubritatis in moenium collocandorum explicatio*, sc. *ratione*. (3) Super. Paulus, l. 5. ff. de verb. signif. *Super pecuniae tutelaeve suae*, supple *re* vel *negotio*. Adde Lowaeum, Gramm. p. 23. n. 25.

32) Est tamen ubi *tenus* casui suo praeeunte adiectivo anteponitur: ut, Flor. I. 15. 2. *Adriatico tenus mari*. Virg. Aen. I. 741. *Summo tenus attigit ore*.

33) De *versus*, Vid. supra p. 297.

34) Ex his tamen haud paucae casibus suis postpositae, idque non apud Poëtas modo, sed prosae quoque scriptores inveniuntur. Et (1) Perpetua fere est haec quam praepositionis Anastrophen vocant, in *Mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum*. (2) Frequens est cum pronomine *qui*: ut, Nep. XII. 3. 1. *Diem certam Chabriae praestituerunt, quam ante diem nisi redisset*, etc. Cic. Acad. IV. 15. *Haec aiunt probari a Stoicis quos contra disputant*. Virg. Aen. I. 348. *Quos inter medius venit furor*. Tac. Ann. XV. 1. 4. *Quem penes erat regimen*. Cic. de leg. Manil. c. 16. *De huius hominis felicitate, quo de nunc agimus*. Tac. Ann. VI. 35. 8. *Quos super*. Quibus adde *Quicum*, *quocum*, *quacum*, *quibuscum*, quae longe quam *cum quo*, *cum qua*, *cum quibus*, sunt usitatiora. (3) Saepe et eleganter inter adiectivum et substantivum praepositio interponitur, ut, Cic. de Sen. c. 10. *Quam ad suavitatem*. Id. Brut. c. 64. *Suos inter aequales*. Id. Verr. V. 28. *Aliquam aliam ob causam*. Liv. XII. 25. *Paucos post dies*. Cic. de Orat. III. 27. *Similibus de rebus*. Id. pro Cluent. c. 18. *Magno cum metu*. Id. contr. Rull. II. 21. *Hoc ex loco*. Id. Amic. c. 21. *Omni ex parte*. Id. Verr. V. 28. *Hostilem in modum*. Id. Orat. I. 50. *Nulla in re*, etc. Quo pertinent et composita *Quemadmodum quamobrem*. (4) Aliter rarius substantivo postponitur, (1) Vel soli: ut, Nep. IX. 2. 2. *Hunc adversus*. Stat. Theb. III. 395. *Tydea circum*. Virg. Aen. I. 13. *Italiam contra*. Ter. Heaut. II. 3. 24. *Te erga*. Sil. III. 117. *Acies inter*. Tac. Ann. III. 75. 4. *Praeturam intra*. Id. Ann. VI. 39. 2. *Urbem iuxta*. Ovid. Fast. I. 119. *Me penes*. Virg. Geo. III. 276. *Saxa per et scopulos*. Tibull. IV. 13. 3. *Te praeter*. Virg. Aen. IV. 320. *Te propter*. Flor. Prooem. I. *Aetatem ultra*. Tac. Ann. III. 24. 7. *Patribus coram* [et sic alibi passim, Vid. Freinsheinii Indic.] Plaut. Asin. II. 3. 17. *Qui pro isthuc*, i. e. *pro quo*. Horat. Epod. XI. 28. *Te potam*.

Digitized by Google

V. Inter praepositionem et casum ab ea rectum nonnunquam apud Poetas aliquid interponitur: ut, Virg. Ecl. VI. 19. *Iniiciunt ipsis ex vincula sertis.* Ovid. Pont. III. 3. 46. *Discipulo perii solus ab ipse meo* [35]).

VI. Praepositiones saepe omittuntur: ut, Virg. Aen. VI. 638. *Devenere locos laetos.* Cic. Orat. c. 56. *Magnam partem ex Iambis nostra constat oratio*; supple, *ad.* Ter. Eun. V. 7. 4. *Nunc id prodeo. Ire inficias, suppetias, exsequias*; sup. *ob* vel *propter.* Virg. Aen. VI. 351. *Maria aspera iuro*; sup. *per.* Id. Aen. IV. 550. *It portis.* Caes. B. G. III. 15. *Ut se loco movere non possent*; sup. *e* vel *de.* Virg. Aen. III. 286. *Aere cavo clypeus.* Hor. Epod. II. 47. *Vina promens dolio*; sup. *ex.*

Claud. V. 268. *Te sine dulce nihil.* Sil. II. 271. *Consultant bello super.* Pers. IV. 43. *Ilia subter caecum vulnus habet.* (II) Vel sequente adiectivo: ut, Ovid. in Ib. I. *Tempus ad hoc.* Virg. Aen. V. 175. *Puppi deturbat ab alta.* Senec. de Benef. IV. 25. extr. *Si exemplari ab suo non aberrat.* Virg. Aen. VII. 228. *Diluvio ex illo.* Ovid. Met. VIII. 319. *Crinis — nodum collectus in unum.* Virg. Aen. II. 442. *Postes sub ipsos.* Id. Ecl. I. 81. *Fronde super viridi.* (III) Vel sequente genitivo: ut, Tac. Ann. III. 72. 1. *Ornatum ad urbis.* Id. Ann. VI. 31. 6. *Ripam apud Euphratis.* Claud. XXVI. 259. *Ora sub Augusti.* Lucr. I. 159. *Opera sine Divum.* (IV) Vel praemisso etiam adiectivo: ut, Virg. Aen. I. 32. *Maria omnia circum.* V. Flacc. I. 44. *Hospita vina Inter.* Plaut. Cist. IV. 2. 8. *Loca haec circiter.* Lucan. V. 28. *Plaustrum glaciale sub ursae.* (V) Vel genitivo: ut, Tac. Ann. III. 1. 1. *Coreyra, insula littora Calabriae contra sita.* Virg. Aen. X. 567. *Iovis cum fulmina contra — streperet.* (VI.) Vel denique alia voce: ut, Virg. Aen. I. 29. *His accensa super.* Lucr. I. 936. *Prius oras pocula circum Contingunt.* (VII) Dura, nec temere vel Poëtis imitanda sunt haec ap. Lucretium Anastrophes exempla: II. 790. — *Ex albis quoniam non alba creantur, Nec quae nigra cluent de nigris, sed variis de.* Ibid. v. 730. *Ne forte haec albis ex albis rearis Principiis esse:* Et VI. 88. *Scilicet haec ideo terris ex omnia surgunt.* Confer de hac re Linacr. p. 459. Budaeum Comment. L. Gr. p. 821. Popmam de usu antiq. locut. I. 16. Lowaenum, Gram. p. 28. n. 81. in primis vero Maiorem de var. orat. p. 648. ieqq. et nos supra, Part. I. p. 314. n. 1.

35) Praeponitur in his, Cic. Att. XV. 29. *Usque Puteolos.* Plin. Epist. X. 28. *Usque Ephesum.* Celsus, VII. 7. §. 15. *Usque mortis diem.* In istis autem postponitur, Cic. Att. V. 16. *Tarsum usque.* Ter. Adel. IV. 5. 21. *Miletum usque.* Suet. Claud. 34. 8. *Vesperum usque.* Confer supra p. 297. et n. ibi 45. * Lowaenus, l. c. huic comitem adiungit penes, quam saepius postponi ait: at id fere accidit praecedente pronomine *qui*, quod et in aliis praepositionibus (ut modo diximus) satis familiare. Aliter vero *penes* longe frequentius praeponitur. Exempla vide ap. Stephanum in Thesauro L. L. et Nizolium in Indic. Ciceroniano. * Rectius addidisset coram, quam Tacitus fere semper postponit.

36) Sic Virg. Aen. II. 278. *Vulneraque illa gerens quae circum plurima muros Accepit patrios.* Claudian. LXII. 4. *Raras inter habetur opes.* Lucret. V. 702. *Qui faciunt Solem certa de surgere parte.* Propert. II. 8. 26. *Ponitur hic imos ante corona pedes.*

Digitized by Google

Ter. Heaut. II. 3. 76. *Quid illo facias*; sup. *de*. Caes. B. G. V. 45. *Si reipublicae commodo facere posset*; sup. *cum*, etc. [37]).

VII. A et E sonsonantibus; ad et ex saepius vocalibus, haud raro et consonantibus, praeponuntur: ut, *A patre*, *E regione*: *Ab initio*, *Ab rege* [38]); *Ex urbe*, *Ex parte* [39]). * Abs ante *q* et *t* ponitur [40]): ut, Ter. Adel. II. 3. 1. *Abs quivis homine*. Cic. Fam. VII. 31. *Vel vincam te, vel vincar abs te*.

---

37) Quam latissime pateat haec praepositionis Ellipsis passim per totam Syntaxeos doctrinam supra ostendimus. Confer eis Sanctium, IV. 6. Linacr. lib. 6. p. m. 393, seqq. Vechner. Hellen. I. 5. n. 5. Voss. Constr. c. 66. Farnab. p. 90. etc.

38) Ab consonantibus, quae mollioris sunt soni, praecipue *l*, *n*, *r*, *d*, *s* et *i* consonae praeponi posse notat Schmidius, p. 338: ut, *Ab legatis*, *ab nullo*, *ab Romanis*, *ab ducibus*, *ab Iove*. Idem in hypom. p. 352. praepositionem hanc observat eadem fere ratione consonantibus praeponi, qua componi solet cum verbis; proindeque ut *abdo*, *abfui*, *abrego*, (ap. Fest.) *abhorr.*, *abiicio*, *ablego*, *abnuo*, *abripio*, *absumo*, *abverto*, (ap. Plaut.) sic etiam *Ab dictatore*, *ab foribus*, *ab Gallis*, *ab hoste*, *ab Iove*, *ab legatis*, *ab Numa*, *ab Romanis*, *ab Samnitibus*, *ab viris perversis*, dici posse: quorum exempla ait apud Livium frequentiora occurrere; qui etiam ante *c* et *t* praepositionem ab saepe usurpat: ut, *Ab classe*, *ab Carthagine*, *ab Turquinio*, *ab tergo*. Sed neque his solum, sed aliis plerisque omnibus consonantibus, etiam *m*, *p* et *q*, ut *ab moenibus*, *ab portis*, *ab quaestore*, Ciceronem, Caesarem, in primis Livium, aliosque; eam praeposuisse pluribus exemplis ostendit Guntherius Latin. restit. Part. II. p. 1. seqq. *Ab zonis quinque*, Auctore nescio quo, profert Ursinus, p. 482. *Ab Ziela*, Hirtii est B. Alex. c. 72. Solam *b* consonam excipit Lowaeus, p. 23. Id certe liquet, quod ab eodem Guntherio animadversum, praepositionem ab multo frequentius, quam hodie fieri solet, sequente consone, fuisse usurpatam. Confer Tursell. Partic. p. m. 21, 22.

39) E et ex usu distingui docet ipse Cicero, Orat. c. 47. ubi sic ait, ex usu *dicunt*, *et* e repnblica, *quod in altero vocalis excipiebat*, *in altero esset asperitas*, *nisi literam sustulisset*. Hoc aliqui sic accipiunt, quasi dixisset Cicero, *e* melius a consonantibus, ex a vocalibus excipi. Sed ut de e perpetuo quidem hoc verum est, ita ex frequentissime vocibus quae ab aliqua consonante incipiunt iungi videas vel ab ipso Cicerone. Sunt qui praeceptum de ex restringunt ad solam caninam, vocibusque ab hac inceptis saltem e, non ex, praeponendam docent, ut Erasmus in Vall. Eleg. Epit. et Perottus in Cornucop. Sed neque hoc Cicero ipse semper observavit, cuius est Orat. II. 82. *Non ex reis*, *sed ex rebus numerare causas*: item Fam. XII. 19. *Ex re*, etc. Ursin. p. 482. * Sunt tamen quaedam dicendi formulae quibus e solum, non ex; et e contrario ex, non e, adhiberi possunt: ut, *E longinquo*, *e regione*, *e vestigio*, *e re mea est*, etc. item, *Ex praeparato*, *ex compacto*, *ex toto*, *ex sententia*, *ex tempore*, *magna ex parte*, etc.

40) Abs interdum et ante *e* positum invenitur: ut, Plaut. Capt. III. 1. 10. *Inopes abs se segregat*. Liv. XXXII. 1. *Abs Suessa nunciatum est*. Caes. B. G. I. 44. *Copias uno abs se praelio fusas esse*. Addit Paraeus in Lexico Crit. ex Sallust. Iug. c. 61 et 66. *Quae abs se defecerant*: at *ab se* emendationibus editum; priore loco *ad se* Cortius prae-

Digitized by Google

III. *Constructio INTERIECTIONUM* [1]).

69. O, heu, proh primum, quartum, quintumque tenebunt.
Hei sibi, vaeque petunt casum subiungere ternum.

I. Interiectiones, O, heu et proh, regunt nominativum vel vocativum [2]); interdum etiam accusativum. Nom. ut, Ter. Phor. II. 2. 20. *O vir fortis atque amicus!* Plin. XXXII. 1. *Heu vanitas humana* [3])! Liv. XXII. 14. *Tantum, proh dolor! degeneramus a parentibus nostris!* Voc. ut, Ter. And. III. 2. 12. *O Dave* [4]), *itane*

---

tulit. Confer Turnebum c. 2. Admon. 4. qui nonnunquam et literae praepositam notat: ut, Ter. Heaut. I. 1. 23. *Tantumne est abs re tuo otii tibi.* At *ab re* illic habent libri meliores, ut et hunc locum imitatus Cicero ad Attic. XII. 6. * Vulgo etiam dicunt, *Non abs re erit*, pro *alienum ab instituto*, quomodo et multis editionibus ap. Gell. XVIII. 14. *Haec notare meminisseque non esse abs re visum est*, legitur. At veteres omnes constanter *ab re* dicere, itaque corrigendam apud Gellium scripturam, ostendit Cellarius, cur. poster. p. 387. Confer et Gunther. Latin. restit. To. I. p. 8 et 9.

1) Cum Interiectiones non cohaereant cum reliqua oratione, sed per se sententiam perficiant, nulla proprie earum Syntaxis est. Quicunque igitur casus iis adjungitur, eum (nisi vocativus sit, qui absolute semper ponitur) a verbo aliquo intellecto pendere necesse est. Vid. Sanct p. 659. et 660. Sciopp. Gramm. Phil. p. 58. Voss. de Constr. c. 69. Ursin. p. 487. etc. Quo autem pacto quaeque supplenda sint, in sequentibus docebimus.

2) Cum ad id solum comparatus sit vocativi usus, ut eo personam vel veram vel fictam ad aliquid audiendum efficiendumve excitemus, plane consequitur eum casum non proprie sententiae partem esse, neque adeo ab Interjectione *O*, vel alia quaquam regi, sed ipsum per se sibi sufficere. Vid. Voss. l. c. et Sanct. p. 659. et confer supra p. 6. n. 10.

3) Quidam constructionem τοῦ heu ad accusativum solum et vocativum restringunt, ut *vanitas* hic non nominandi sed vocandi casu sit prolatum. Atqui cum in hisce omnibus Elliptica fere oratio sit, obstare nihil video quo minus, ut in accusativo, *Heu me miserum*, supplendo explicant, *Heu quam me miserum sentio*; sic in *Heu vanitas humana*, in nominativo, *quanta est*, supplere itidem possis. Similiter apud Virgilium, Aen. IV. 65. *Heu vatum ignarae mentes?*, supple *sunt*. Et ap. eund. Aen. VI. 879. *Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello dextera*, rectius mea sententia in nominativo explicaveris *quae, qualis* vel *quanta erat ejus pietas, fides*, etc. quam cum Ursino, p. 490. haec in vocativum per Apostrophen resolveris. * Invenitur, singulari exemplo, heu cum dativo ap. Plaut. Merc. III. 4. 76. *Heu misero mihi*; nisi forte *hei* ibi legendum. * Item cum genitivo, exemplo non minus singulari, ap. Propert. IV. 7. 28. *Foederis heu taciti*: quod ad Graecismum revocat Vechnerus, Hellen. I. 38. Graeci enim dixissent, *Οἴμοι τῶν σπονδῶν.*

Digitized by Google

contemnor abs te? Virg. Aen. VI. 883. *Heu miserande puer!* Cic. Phil. II. 13. *Proh sancte Iupiter!* Accus. ut, Cic. Phil. III. 2. *O praeclarum custodem ovium (ut aiunt) lupum!* Ter. Hec. III. 1. 2. *Heu me infelicem* [5])*!* Cic. Verr. III. 60. *Proh Deum hominumque fidem* [6]), [7]).

II. Hei et vae regunt dativum: ut, Ter. Heaut. II. 2. 5. *Hei misero mihi!* Martial. V. 34. *Vae tibi, causidice* [8]).

APPENDIX *de aliis Interiectionibus.*

☞ 1. Heus et ohe [9]) vocativo tantum apponuntur: ut, Ter. Adel. V. 2. 1. *Heus Syre.* Martial. IV. ult. *Ohe iam satis est, ohe libelle.*

---

4) De O, Not. (1) Cum exclamandi particula est, vel nominativum, vel accusativum, vel vocativum adsciscit: ut Virg. Aen. I. 437. *O fortunati, quorum iam moenia surgunt.* Id Geo. II. 458. *O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.* Id. Ecl. II. 6. *O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas.* (2) Cum vehementior aliquis affectus significatur, accusativo saepius jungitur: ut, Cic. Phil. II. (2) *O incredibilem audaciam!* Id. Fam. XIV. 9. *O me perditum, o me afflictum!* Id. Att. XII. 4. *O gratas tuas mihi jucundasque literas!* (3) Cum levior affectus subest, fere omittitur O: ut, Cic. Att. X. 10. *Me caecum, qui haec ante non viderim!* Id. Phil. II. 26. *Miserum me!* Vid. Vallam, Eleg. II. 13. 3) Inservit Ironiae nonnunquam haec forma: ut, Ter. Eun. II. 2. 23. *Scitum herele hominem!* Ursin. p. 488. (4) Interdum cum genitivo reperitur, sed subaudita voce generali: ut, Lucan. II. 45. *O miserae sortis!* sc. *homines.* Catull. IX. 5. *O mihi nuntii beati,* supple *res.* Vid. Perizon. p. 173. (5) O, cum vocandi, compellandi, blandiendi particula est, vocativum tantum recipit: ut, Virg. Geo. I. 18. *Adsis, O Tegeaee favens.* Cic. Fam. x. 26. *O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti!* Virg. Ecl. i. 6. *O Meliboee, Deus nobis haec otia fecit.* (6) Sed saepius animo reticetur: ut, Cic. pro Rosc. Amer. c. 1. *Credo vos mirari, Judices.* Virg. Aen. i. 8. *Musa, mihi causas memora.*

5) Eheu similiter construitur: ut, Plaut. Rud. II. 6. 28. *Eheu Palaestra atque Ampelisca! ubi estis nunc.* Ter. Phor. i. 4. 10. *Eheu me miserum!* Cic. anteq. ir. in exil. C. 12. *Eheu conditionem hujus temporis.*

6) Interdum accusativus *fidem* intelligitur: ut, Ter. Phor. II. 3. 5. *Pro Deum immortalium.* Ad quem locum vide Donatum simile ex Ciceronis Oeconom. citantem.

7) Cum in his fere omnibus constructio, uti diximus, Elliptica sit, quae attulimus oxempla sic integrare poteris; *O quam es vir fortis atque amicus! Heu quanta est vanitas humana; Proh quantus est dolor! O quam praeclarum custodem ovium lupum habituri eramus! Heu quam me infelicem sentio! Proh Deum atque hominum fidem imploro* vel *obtestor.* Et sic porro in aliis ejusmodi.

8) In his hei et vae nominum naturam quodammodo referunt: ut, *Hei mihi,* pro *malum est mihi; Vae victis,* pro *funesta omnia victis obtingam.*

Digitized by Google

2. Ah et vah accusativo vel vocativo: ut, Ter. Adel. III. 2. 11. *Ah me miserum* [10])! Virg. Ecl. VI. 47. *Ah virgo infelix*! Incert. *Vah inconstantiam* [11])! Plaut. Bacch. IV. 8. *Vah salus mea, servasti me.*

Hem dativo, accusativo et vocativo ut, Ter. Adel. V. 3. 4. *Hem tibi* [12]). Id. And. III. 4. 25. *Hem astutias* [13])! Cic. Fam. XIV. 2. *Hem mea lux, meum desiderium* [14]).

4. Reliquae fere interiectiones, et pleraeque etiam earum quas diximus, absque casu orationi inseruntur [15]).

IV. *Constructio CONIUNCTIONUM.*

[De natura et usu coniunctionum dicturus debuerat antea usum temporum atque modorum verbi illustrasse, quem locum, nescio cur, plane neglexit. Equidem quum alio tempore rem uberius illustraturus sim, nunc satis habui, indicasse libros meliores, unde repeti possint, quae sciri intersit. Illustraverunt autem hunc locum recentio-

---

9) Quibus adde *an*, *eho*, *ehodum*, *ehem*, *heia* etc. *io*: ut, Ter. Adel. III. 2. 36. *An mi homo, sanusne es?* Plaut. Pseud. I. 3. 114. *Eho, Pseudole, I gladium affer.* Ter. And. III. 5. 10. *Ehodum, bone vir, quid ais?* Id. Adel. V. 7. 3. *Ehem, pater mi, tu hic eras?* Plaut. Aul. II. 2 43. *Heia Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis.* * Sed in hisce omnibus omissa dici potest particula O; vel, quod verius est, vocativus absolute poni.

10) Supple *sentio* vel *experior.*

11) Hoc exemplum vel nullo, vel incerto Auctore proferunt Rhenius, p. 501. Schmidius, p. 355. Vossius, Gram. min. p. 62 et alii: neque ullum probati scriptoris jam succurrit, nisi illud forte Terentii, And. III. 4, 10. *Vah consilium calidum!* ubi *iniisti, cepisti*, vel *narras*, possis intelligere: aut, ut nominativo dictum sit, *est* supplere.

12) At vid. supra p. 316. etc. n. ibi 3.

13) Supple *vide* vel *videte.*

14) Hui itidem cum accusativo junctum invenimus: nt, ap. Ter. Heaut. I. 1. 40. *Hui tam graves rastros quaeso*, subaudi *tractas.* * Addunt et apage: ut, Plaut. Merc. I. 2. 33. *Apage istiusmodi salutem cum cruciatu quae advenit.* Sed hoc potius verbum esse alibi docuimus, Part. I. p. 271.

15) Casum omnino respuunt, *Atat*, *evax*, *ha*, *ha*, *he*, *oh*, *papae*, *phy.* Quae etiam cum casu aliquo construuntur, eae saepe absolute

ribus temporibus *Gst. Schadelooch* (*v. d. Zeiten d. Zeitwörter u. ihrem Gebrauche im lat. Geschichtsstyl. Rostock*, 1797, 8.) *I. Ch. F. Dietz* (*Beiträge zur genauern Bestimmung der Lehre von d. Gebrauche d. Zeiten bes. in d. Lat. Sprache. Ratzeb.* 1807.) *I. H. C. Dau* (*über d. richtigen Gebrauch d. hist. Temporum, insbes. des Imperf. in der lat. Spr., als Zugabe zu d. bisher. Grammatick. Lips.* 1819. 8.) *Wagner in diss. de temporibus verbi, quae repetita legitur in Miscellan. Critt. a Friedemanno et Seebodio editt. Vol.* I. fasc. III. Idem *Wagnerus* Marburgi 1817, edidit commentat. *de coniunctivi modi apud Latinos natura usuque*; quem locum nuper fusius illustrare conatus est *Fr. Tiburtius* in libro: *Versuch über die Lehre vom Gebrauch des Coniunctiv im Lateinischen. Lips.* 1822. Nec negligendus est liber praestantissimus a *G. T. A. Krügero*, Brunsvici 1821, editus: *Von der Folge der Zeiten in der oratio obliqua, nebst Bemerkungen über denselben Gegenstand in der oratio recta; und über den Gebrauch der Praeterita des Indicativs anstatt der conditionalen Zeitformen*; qui etiam sub hoc titulo prostat: *Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprache von Krüger, 2ter Theil.* Nonnulla, quae huc referenda sunt, continentur etiam libro egregio: *Aphorismen über die lateinische Schreibart der Neuern, allen, welche lateinisch zu schreiben haben, zur Beherzigung vorgelegt. Leipzig*, 1821, cuius auctorem esse virum S. Rev. B. Winerum inter omnes constat. Etiam *Rosenhainius* in append. libri *Latein. Lesebuch 1ster und 2ter Cursus.* (Regiomont. 1810. 8.) de his rebus quaedam disseruit. Num etiam in libro Anglice scripto: *On the syntax of the Latin verbs by Sam. Seyer. London*, 1800. 8., reperiantur, quae ad hunc locum illustrandum valeant, equidem cum illum nondum viderim, dicere nequeo. Tironibus autem praeter recentiores quosdam grammaticos scripsit egregie *Zumptius* in Grammatica iam supra laudata. Ceterum ut ad rem redeam, de caussis coniunctionum disseruit *Ev. Scheidius* App. ad Sanctii Min. p. 653. sqq. G. St.]

70. Disiungens sociansque ligat coniunctio casus,
Atque modos, regimen si non varietur, eosdem.

Coniunctiones [1]) copulativae, *Et, ac, atque, nec, ne-*

1) Conjunctiones non similes casus, sed modos tantum connectere quidam volunt. In hoc enim (inquiunt) *Amo patrem et matrem*, et

Digitized by Google

que, etc. et disiunctivae, *Aut*, *ve*, *vel*, *seu*, *sive*, connectunt similes casus et modos [2]): ut, Hor. Car. IV. 7. 16.

---

non copulat *patrem* et *matrem*, sed *amo* et *amo*; plena quippe oratio est, *Amo patrem et amo matrem*. Vid. Kirkwodum nostrum, p. m. 63. Atqui, cum praecipuum conjunctionis munus sit non tam voces singulas, quam totas orationes conjungere, dicendum in hoc similibusque exemplis duas diversas orationes esse, *Amo patrem*, *amo matrem*, proindeque neque casus neque modus, sed binas sententias, copula et interjecta hic conjungi. Conjunctiones tamen non diversas semper sententias, sed singulas interdum voces, adeoque et casus conjungere ostendit Perizonius ad Sanct. I. 18. n. 1. etc. nos ex eo Part. I. p. 320. n. 1. *Si hae conjunctiones cum uno verbo geminentur: ut, *Petrus et pius et doctus est*, *Vir et consilio et manu promtus*, *Aut bibe aut abi*, priorem nihil copulare, i. e. ut ego interpretor, pene otiosum esse, docet Kirkwodus, l. c. Mihi contra Elliptica potius in his oratio videtur; qua, cum ambiguum quasi esset quid priore quid posteriore loco nominaretur, rem bis, sed inverso ordine, enunciandam significamus hoc modo: *Pius est et doctus*, *Doctus est et pius*; *Bibe aut abi*, *Abi aut bibe*. Sic in hoc Plauti, Cist. I. 3. 1. *Utrumque haec et multiloqua et multibiba est anus*, sententia videtur q. d. *Utroque hoc vitio haec anus laborat*, *loquacitate et temulentia*, *ut nescias utri priores partes tribuas*, i. e. *multiloqua est et multibiba*; vel *multibiba et multiloqua*. Indeque factum arbitror, quod vernaculo nostro sermone pro priore et Beides dicamus; Peter iſt beides, fromm und gelehrt. Sed nihil de hac re audacius pronunciatum volo.

2) Neque casus tantum et modos, sed, gradus etiam et tempora saepe etiam et personas et numeros hae conjunctiones connectunt: sed hoc non tam strucurae rationi, quam aptae sermonis dispositioni et concinnitati adscribendum est. Aliter enim hanc convenientiam haud raro neglectam invenimus: ut, Cic. Amic. C. 2. *Sed hi nec comparentur Catoni maximo et spectato viro*. Id. ad Q. Fr. i. 2. 3. *Homo et mei observantissimus*; *et sui juris dignitatisque retinens*. Sic Ter. And. IV. 1. 24. *Nisi me lactasses amentem*, *et falsa spe produceres*. Id. Att. I. 17. *Confidebam*, *ac mihi persuaseram fore*, *ut omnia placarentur inter vos*. Durius illud Virg. Aen. II. 12. *Quamquam animus meminisse horret*, *luctuque refugit*, ubi perfectum pro praesente positum est. Vid. Voss Constr. c. 67. Ursin. p. 454 et 456. et nos part. I. p. 326. n. 10. [Videlicet similia significatione tempora inter se rectissime permutantur, veluti praesens cum perfecto, imperfectum cum plusquamperfecto etc. Sed fieri etiam potest, ut imperfectum et perfectum (aoristi) copulentur, ubi primo loco res simpliciter tanquam facta commemoratur, altero autem sive saepius repetita sive diuturna fuisse indicatur, ita ut altera quodammodo ab altera separata cogitari debeat: veluti ap. Livium: *Quum haec decrevit plenus irae intonuisset*, *multitudo ipsa se dimovit*, *desertaque praeda iniuriae puella stabat*. Plura dabunt Cortius ad Sallust. Cat. I. c. 12. Drackenb. ad Liv. III. 46. 9. Cortius ad Sallust. Jug. 13. 6. c. 26. 3. et ad Plinii Epp. II. 14. 10. et ep. 17. 23, Burmann. ad Gratii Cyneg. 44. J. Fr. Gronov. ad Liv. 29. 27. 5. G. St.] Variantur similiter et numeri: ut, Sall. Cat. 23. 6. *Pleraque nobilitas invidia aestuabat*, *et quasi pollui Consulatum credebant*. Tac. Ann. III. 24. 6. *Ut quis ex longinquo revenerat*, *miracula narrabant*. Liv. XXXII. 18. *Etiam clausit portas*, *nec nisi ut egerentur*, *recepturi moenibus videbantur aut ducem aut exercitum Romanum*. Flor. IV. 10. 3. *Cum subito hostium manus erupit*, *et missis un-*

Digitized by Google

Pulvis et umbra sumus. Id. Art. v. 413. *Qui studet optatam cursu contingere metam, Multa tulit fecitque, puer, sudavit et alsit.* Ovid. Pont. I. 9. 39. *Nec census, nec clarum nomen avorum, Sed probitas magnos ingeniumque facit.* Hor. Art. v. 333. *Aut prodesse volunt, aut delectare Poetae.*

* His adde, *Quam, nisi, praeterquam, an* [8]: ut, Ter. Hec. IV. 2. 30. *Haec res non minus me male habet, quam te.* Cic. de Amic. c. 5. *Philosophi negant quenquam virum bonum esse, nisi sapientem.* Id. Catil. III. 11. *Pro tantis rebus nullum a vobis praemium postulo, praeterquam huius diei memoriam sempiternam.* Virg. Aen. II. 390. *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*

* Item, Adverbia similitudinis, *ceu, tanquam, quasi, ut*, etc. Plin. X. 21. *Pergami omnibus annis spectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum.* Cic. Tusc. I. 45. *Gloria virtutem tanquam umbra sequitur.*

Exc. Si diversa sit vocum structura, dissimiles necessario casus copulantur; ut, Cic. Fam. II. 19. *Mea et reipublicae interest.* Iuv. VII. 178. *Balnea sexcentis, et*

---

dique sagittis duas legiones oppressurunt. Confer Cort. ad Sall. l. c. et Burman. ad Quinctil. IX. 2. p. 790. *Sed neque diversi modo gradus, tempora et numeri, sed etiam casus et modi, addo et integrae diversarum constructionum sententiae, per conjunctiones copulantur. De quibus exempla vid. mox n. 5. 6. 7. [Ceterum non possum hoc loco quin tirones advertam ad usum formae *ae*, quo nusquam vocalibus et *h* litterae praemittitur sed in *atque* mutatur, quod non minus ante vocales quam consonas habera locum satis constat. Cfr. Wolf. ad Sueton. Caesar. c. 26. Bremi ad Nep. Agesil. c. 2. Tschucke adMelam II. 3. 10. not. critt. p. 253. Heindorf ad Cic. de N. D. I. 1. p. 4. De ceteris, quae ad conjunctionum significationem et usum spectant, conferri velim Zumptii Gram. §. 66. p. 188. sqq. Hoc tamen addere placet, male vulgo *et* et *que* sine ullo discrimine poni, quum tamen ita differant hae particulae, ut *et*, quemadmodum καί, sit conjunctiva, *que* autem, ut τέ, adiunctiva. vid. Hermannum in Censura Medeae a Petro Elmsleio editae p. 331. sqq. edit. Lips. Itaque recte dicitur *Senatus Populusque Romanus*: non enim conjuncti in unam communitatem intelliguntur, sed senatum censuisse, idque populum deinde approbavisse. G. St.]

8) Quibus adde, *nempe, licet, quamvis, quantumvis, nedum, sed, verum*, etc. similia, quae, ut et praecedentia, ad eandem vocem relata, vi vocis illius casum sibi praecedenti expresso vel suppresso similem adsciscere possnut: ut, Cic. Phil. x. 5. *Legiones abducis a Bruto. Quas? Nempe eas quae ille ab Antonio ecclere avertit. Amandus pater, licet difficilis.* Cic. N. D. II. 1. *Nec pertimuissem sine ista philosophia Rhetorem, quamvis eloquentem.* Liv. XXXIV. 20. *Vix clamorem eorum, nedum impetum Suessetani tulere,* Ter. Eun. V. 2. 39. *Unum hoc scio, contumeliae me non feciese causa, sed amoris.* Confer Sciopp. Gram. phil. p. m. 58.

Digitized by Google

pluris porticus empta. Cic. Att. V. 18. *Sive Romae es, sive in Epiro* [4]).

☞ Not. Si sententia variationem constructionis admittat, casus etiam et modi variari interdum possunt: ut, Boët. lib. I. prof. 1. *Mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris.* Sic, *Vir magni ingenii, summaque industria* [5]). Sall. Iug. 7. 2. *Ubi vidit neque per vim, neque insidiis oppri-*

---

4) Ejusmodi sunt, Hor. Art. v. 387. *In Meti descendat judicis aures, Et patris et nostras.* Cic. Verr. I. 40. *Sortem nactus est urbanae provinciae, magis ex sua et Chelidonis, quam ex populi Rom. voluntate.* Ter. And. V. 22. *Meo praesidio atque hospitio.* In quibus possessivum primitivi sui genitivum referre ejusque κατ' ὑπόνοιαν vice fungi plerique existimant. Vid supra p. 48. n. 23. In aliis autem Ellipsis est casus suppressi qui cum alio expresso conveniat: ut, *Malo Panormi esse quam Syracusis*, pro *in urbe Panormi, quam Syracusis; Sive Romae es, sive in Epiro*, pro *in urbe Romae, sive in Epiro; Emistine librum centusse, an minoris*, pro *Emistine pro centusse, an pro minoris aerit pretio.* Sall. Cat. 53. 2. *Quae populus Rom. domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit; pro in negotio domi militiae*, etc. Vid. Sciopp. l. c.

5) Sic suppressa conjunctione, Cic. fam. Fam. I. 7. *Lentulum eximia ope, summae virtutis adolescentem fac studias:* quanquam id in eadem oratione parce faciendum praecipiat Valla, Eleg. III. 17. Alia tamen eiusmodi exempla vide supra, p. 58. et n. illic 41. Et adde eund. Cic. N. D. II. 59. *Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares carnibus iis qui ad nervos resonant in cantibus.* Et Verr. 1. 26. *Homo, qui et summa gravitate, et jam ea aetatis, et parens esset, obstupuit hominis improbi dicto.* Tac. Ann. XIII. 54. 5. *Quod comiter a vicentibus acceptum, quasi impetus antiqui et bona aemulatione.* Gell. I. 4. init. *Antonius Julianus rhetor perquam fuit honesti atque amoeni ingenii, doctrina quoque ista utiliore ac delectabili.* Colum. VII. 6. *prope init. Optimus* [caper] *habetur, amplissimi corporis, cruribus crassis, plena et brevi cervice, flaccidis et peraegravantibus auribus, exiguo capite, nigro densoque, et nitido, atque longissimo pilo.* Gell. III. 16. *Cum faceret eodem nomine et ejusdem argumenti comoediam.* Ejusdem generis sunt et haec: Sall. Catil. 38. 1. *Plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sunt.* Horat. Sat. I. 6. 110. *Hoc ego commodius, quam tu, praeclare Senator, Multis atque aliis vivo.* Tac. Ann. XV. 53. 2. *Animi validus et corpore ingens.* Auson. Parent. Epig. 9. 23. *Genus inclyta et inclyta forma*, Sall. Jug. 74. 3. *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti.* Plaut. Asin. III. 2. 31. *Ut meque teque atque ingenio nostro decuit.* Vet. Inscriptio ap. Galeum in Anton. Iter Brit. p. 71. VIXIT ANNOS XVI. ET MENSIBUS VII. Plura ejusmodi dabit Cl. Cortius ad Sallust. Catil. 25, 2, etc. 33, 1. In hoc autem, quod ex Sall. Jug. 61. adfert Perizonius, p. 482. *Facile Numidae persuadet, cum ingenio infido, tum metuenti* etc. poteris cum Ursino, p. 455. supplere *existenti*: vel *infido* hic tertii est, non sexti casus, eadem ratione, qua *fervidus ingenio, mobilis ingenio*, etc. dicimus.

Digitized by Google

mi posse hominem [6]). Pers. IV. ult. *Tecum habita, et noris quam sit tibi curta suppellex* [7]).

71. *Quo, licet, utque* modum poscunt *utinam*que secundum:
Queis infinitas voces, *ne, dummodo*, iunge.

I. *Ut, quo* [8]), *licet* [9]), *ne* [10]), *utinam* [11]) et *dummodo* [12]), subiunctivo modo fere semper adhaerent: ut, P.

---

6) Sic Liv. XXXIX. 8. *Multa dolo, pleraque per vim audebantur.* Tac. Agric. 41. 2. *Tot exercitus temeritate aut per ignaviam ducum amissi.* Suet. Jul. 16. 2. *Qui vi ac per arma prohiberent.* Hor. Sat. I. 4. 26. *Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.* Ovid. Am. II. 10. 18. *Quid folia arboribus, quid pleno sidera coelo, in freta collectas alta quid addis aquas?* Virgil. Ecl. V. 5. *Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras, Sive antro potius succedimus.* Catull. XCV. 1. *In te, si quenquam, dici pote, putide Vetti, Id quod verbosis dicitur et fatuis.* Suet. Oth. 7. 5. *Dicitur ea nocte per quietem pavefactus, —— postridie quoque graviter prolapsum.* Vid. Cort. ad Sall. Catil. 33. 1. * Ob eandem rationem diversi interdum numeri conjunguntur: ut, Sall. Catil. 7. 4. *Juventus in castris per usum militiam discebat: magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis et conviviis libidinem habebant.* Plura ejusmodi vid. supra n. 3.

7) Sic Cic. Fin. II. 19. *Decius, cum se devoveret, et equo admisso in mediam aciem irruebat.* [Hic locus, etsi quodammodo huc pertinet, tamen melius eo loco, ubi de significatione conjunctionis *cum* agitur, afferri poterat. Sed, quia facta infecta reddi nequeunt, addamus hic, quae addenda videntur. Itaque de ratione hujus variationis lege Bremium et Goerenzium ad l. c. et, si exempla ejusdem usus desideres, adi Oudendorpium ad Caes. de B. G. Lib. II. 10. Drackenb. ad Liv. XLI, 24. 5. G. St.] * In his autem, Ter. Hec. IV. 2. 23. *Et me suspicione exsolvam, et illis morem gessero.* Cic. Fam. X. 14. *Et romp. divino beneficio affeceris, et ipse aeternam gloriam consequere.* Propert. II. 4. 22. *Nec tibi perjuro scindam de corpore vestem, Nec mea praeclusas fregerit ira fores.* Hor. Epod. XV. extr. *Eheu translatos alio maerebis amores, Ast ego vicissim:* et similibus, modum convenire docet Ursinus, p. 454. et ante eum Vossius, Anal. III. 13. Neque tempus discrepare existimat Johnsonius, Gram. Comment. p. 840. At vid. Cl. Perizonium, invictis, ut mihi videtur, rationibus contraria ostendentem, p. 101. *Potiore jure dixerint casuum in his convenientiam esse, Virg. Aen. VI. 620. *Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.* Cic. Sen. c. 19. *Quid stultius quam incerta pro certis habere?* Ovid. Am. II. 2. 28. *Quis minor est homini quam tacuisse labor?* In his enim infinitivus aut vere nomen est, aut nominis locum sustinet. * Conjunguntur et diversarum constructionum sententiae: ut, Liv. I. 46. *Criminandi Servii occasionem sibi datam ratus est, et ipse juvenis ardentis animi et domi uxore Tullia inquietum animum stimulante.* Id. XIV. 20. *Omnibus honoribus et praesens est cultus, et proficiscentem prosecuti sunt*, sc. *Romani.* Sall. Jug. 79. 10. *Carthaginienses eo in loco Philaenis fratribus aras consecravere, aliique illis domi honores instituti.* Vid. Perizon. I. 18. 1. et III. 14. 1. et adde Cort. ad Sall. Catil. 53. 3.

Digitized by Google

Syr. *Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu?* Ter. Eun. I. 2. 70. *Adiuta me, quo id fiat facilius.* Virg. Aen. XI.

---

8) Scil. cum pro ut ponitur: quomodo etiam usurpatur *qui*; ut, Ter. And. II. 1. 34. *Efficite, qui detur tibi; Ego id agam, mihi qui ne detur.* Male autem, mea sententia, huc refert Vossius, Gram. min. p. 70. illud ejusd. Ter. And. Prol. v. 5. *Nam in prologis scribundis operam abutitur, Non qui argumentum narret, sed qui malevoli Veteris poëtae maledictis respondeat:* Item haec Ciceronis, Fam. IV. 8. *Etsi nemini concedo, qui majorem ex pernicie et peste reipub. molestiam traxerit.* Et Fam. X. 8. *Nemini concedens qui tibi vetustate necessitudinis potiòr possit esse.* In his enim posterioribus *qui* plane pronomen est, et nominandi casus: priore autem illo Terentii loco *qui*, pro *utpote qui*, acceptum docet Westerhovius, pari ratione, qui apud Plaut. Bach. I. 1. 48. *Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo.* Et Virg. Aen. XI. 218. *Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro, Qui regnum Italiae, et primos sibi poscat honores.* Nec minus errare idem Vossius videtur, qui loc. cit. hoc exemplum adferens *Stultus es qui hunc credas, qui* inter conjunctiones reponit, atque ibi *quod* valere affirmat.

9) Licet (quod vere verbum est impersonale, *ut* subaudito) cum indicativo interdum constructum quorundam JCtorum testimoniis probant Vossius de Constr. c. 67. et God. Stewechius de Partic. L. L. Ac quamvis ea notanda, non imitanda, pronunciet Ursinus, p. 459. et ante eum Sanctius, p. 468. et Perizonius in loc. n. 6. ausus tamen est Buchananus noster sic loqui, Epigr. II. 26. 11. *Te licet in primo rapuerunt fata juventa, Non immaturo funere raptus obis.* Vid. Muncker. ad Fulgent. Planciadem, p. 28. similia ex mediae ac cadentis Latinitatis Scriptoribus, Am. Marcelliano, Capella, Macrobio, Corippo Africano, aliisque adferentem.

10) Ne pro *ut ne* positum docet Vossius, Gram. l. c. et de Constr. c. 67. quae utraque interdum et satis venuste exprimuntur, ut, Ter. Eun. V. 4. 20. *Ulciscar, ut ne impune in nos illuseris.* Cic. Fam. VI. 9. *Sed tamen ita velim, ut ne quid properes.* Et Off. I. 7. *Justitiae munus est, ut ne cui quis noceat.* Et, voce una aut altera interjecta: ut, Plaut. Pers II. 4. 16. *Potin' ut molestus ne sies.* Cic. Fam. XIII. 35. *Ut socrus adolescentis rea ne fieret.* Id post red. in Sen. C. 5. *Ut lex Aelia et Fusia ne valerent.* Confer Tursell. in partic. c. 247. §. 2. n. 16. In his autem nullum esse Pleonasmum (quod quidam volunt) sed integram tantum locutionem ostendit idem Vossius de Const. c. 67. Eoque fit (notante illo ibid.) ut in hoc aliisque ejusmodi, Cic. Acad. IV. 19. *Vide, ne illarum quoque verum pulcherrimarum a te ipso minuatur auctoritas,* subjunctivus sit ob naturam particulae ut intellectae, non propter adverbium *ne* pro *ut ne*. Cic. pro leg. Man. c. 15. *Ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem.* Id. Fam. VI. 1. *Est tuum sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem aut timorem.* Vel, pro *quin*: ut, Cic. pro Balb. c. 20. *Potest igitur, judices, L. Cornelius damnari, ut non C. Marii factum condemnetur?* Id. pro leg. Manil. c. 7. *Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant.* De loquendi formulis, *Vereor ne, Vereor ut, Vereor ne non*, vid. supra p. 287. [Quod nullum statuit inter *ne, ut ne* et *ut non* discrimen, Ruddimanni aetati facile condonabis. Cfr. Zumpti Gr. p. 191. coll. Grotefendti Grammat. §. 238. G. St.]

Digitized by Google

348. *Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur.* Hor. Car. IV. 7. 7. *Immortalia ne speres, monet annus.* Quinct. I. 2. *Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus.* Cic. Off. III. 21. *Omnia honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur.*

II. Interrogativa omnia, sive nomina, sive pronomina, sive adverbia, sive coniunctiones [13]) sint, cum indefinite ponuntur, subiunctivum adsciscunt: ut, Hor. Sat. II. 2. 1. *Quae virtus, et quanta, boni, sit vivere parvo, Discite.* Ter. Eun. IV. 6. 20. *Metuo qualem tu me esse hominem existimes.* Cic. Attic. V. 9. *Ut sciam quid agas, ubi quoque, et maxime quando Romae futurus sis.* Ovid. Met. I. 585. *Nescit vitane fruatur, An sit apud Manes* [14]).

---

11) De *utinam* superius diximus, p. 318. et n. ibi 33.

12) De *dum* pro *dummodo* hunc modum postulantem vid. mox p. 352.

13) Nomina: ut, *quantus, qualis, quotus, quotuplex, uter.* Pronomina: ut, *quis* et *cujas.* Adverbia: ut, *ubi, quo, unde, qua, quorsum, quando, quamdiu, quamdudum, quampridem, quoties, cur, quare, quamobrem, num, utrum, quomodo, qui, ut, quam, quantopere.* Coniunctiones, *ne, an, anne, annon.* Ea autem cum primum sententiae locum occupant, interrogativa sunt, ac indicativo iunguntur: cum vero praecedit aliquod verbum, ut, *scio, nescio, video intelligo, rogo, peto, cedo, dic, dubita;* item, *incertus, dubius, ignarus,* et similia indefinita fiunt, subjunctivumque sibi subjiciunt: ut, *Ubi est frater tuus? Nescio ubi sit. An venturus est? Dubito an venturus sit. Quotus esse vis? Tu quotus esse velis, rescribe,* Hor. Ep. I. 5. 30. *Quid agunt proceres? Incerti quid agant proceres,* Ovid. Met. XV. 666.

14) Interdum tamen hae voces indefinite positae indicativo junctae inveniuntur: ut, Plaut. Amph. I. 3. 9. *Observatote quam blande mulieri palpabitur,* Bach. I. 2. 45. *Scio quid ago.* Pi. *Et pol ego scio quid metuo.* Aul. I. 1. 24. *Neu persentiscat ubi aurum est absconditum.* Rud. IV. 3. 11. *Vide num quispiam consequitur prope nos.* Ter. Phor. II. 3. 11. *Vide avaritia quid facit.* Id. Hec. III. 5. 21. *Si nunc commemorare hic velim, Quam fideli animo et benigno in illam et clementi fui, Vere possum.* Cic. Attic. X. 12. *Vides quam turpe est.* Ibid. XIV. 13. *Quid nobis faciendum est ignoro.* Virg. Aen. II. 738. *Heu? misero conjux fatone erepta Creusa substitit, erravitne via, seu lassa resedit, incertum.* Propert. II. 13. 29. *Adspice quid donis Eriphilla invenit amaris, Arserit et quantis nupta Creusa malis.* Lucan. I. 126. *Quis justius induit arma, Scire nefas.* Confer Voss. de Constr. c. 62. Maj. de var. orat. p. 376. in primis vero Linacr. lib. III. p. 155. [Cicer. pro Rosc. Amer. c. 30. *quaeramus ubi maleficium et est et inveniri potest,* ad quem locum plures Ciceronis locos attulit Cl. Matthiae, laudatis etiam Wopkens. Lectt. Tull. p. 145. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 98. Malasp. in Cicer. ad Attic. XIV. 13. Heusing. ad Offiic. II. 5. 5. 10. G. St.] Et adde Sol. Lowaeum, qui Gram. p. 20. *n.* 12. distinctionem in his facit, hoc pacto: Indicativo, inquit, congruunt, (1) Saepius, *quantus, qualis, qua, quo, ubi, unde;* ut, Cic. de Amic. c. 21. *Nec cognoscunt haec vis amicitiae qualis et quanta est,* [at in meis *ipsi sibi exemplo sunt, h. v. a. qualis et quanta*

Digitized by Google

¶ Item relativum qui, quoties in continuato cum praecedentibus sermone adhibetur, subiunctivo frequentius quam indicativo iungitur: ut, Cic. Attic. VII. 1. *Pompeius non dubitat ea quae de republica nunc sentiat, mihi valde probari.* Id. Att. VIII. 14. *Dices, quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis* [15])?

---

sit, legitur.] (2) Rarius *quis:* ut, Plaut. Mil. I. 36. *Scio jam quid vis dicere.* Id. Rud. IV. 3. 11. *Vide num quispiam consequitur prope nos.* (3) Rarissime alia: ut, Plaut. IV. 6. 7. *Eloquere ut haec res obtigit de filia.* Haec Lowkeus. At nullam in his ejusmodi distinctionis causam subesse adhucdum reperio. * In his autem, Ter. And. I. 1. 18. *Quin tu uno verbo dic quid est quod me velis.* Mart. XIV. 217. *Dic quotus es, quanti cupias coenare.* Cic. Att. XII. 24. *Sed quaero quid illi opus erit Athenis permutari ut possit*, aliisque similibus, in quibus praecedit *dico* vel *quaero*, structuram cum indicativo defendi posse notat Linacrus, p. 156. distinctione post *dic* vel *quaero* adhibita. Quanquam quae duo postrema ab illo adferuntur exempla aliter jam emendatioribus codd. legantur. * Neque praeceptum hoc vellicatur in illa dicendi figura, Virg. Ecl. III. 103. *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Et Plin. *Tum mihi nescio quis in aurem insusurravit.* Haec enim (ut eidem Linacro observatum) ordo ipse a vitio defendit, sic: *oculus nescio quis, homo nescio quis.* * Neque denique huic regulae adversantur quae per *si qui* sub indicativo efferuntur: ut, Cic. Attic. II. 2. *Si quid est de Antonii adventu quod audieris, scribas ad me;* propterea quod *si quis* ejusmodi infinitum non sit. Vid. eund. p. 157. * *Qualis* etiam et *quantus*, cum ad *talis* et *tantus* respondent, indicativum sibi plerumque subjiciunt: ut, Ovid. Met. III. 284. *Quantusque et qualis ab alia Junone excipitur; tantus talisque rogato Det tibi complexus.* Cic. pro Rosc. Am. c. 4. *Te magnopere quaeso, ut qualem te jam antea populo Rom. praebuisti, talem te nobis hoc tempore impertias.* Item *qualiscunque* et *quantuscunque*: ut, Cic. de leg. III. 4. *Qualescunque summi civitatis viri sunt, talis est civitas.* Id. Fam. XV. 1. *Regis Dejotari copias, quantaecunque sunt, nostras esse duco.* Vid. Cl. Bentlejum ad Horat. Sat. I. 10. 88. ** Huc pertinet formula, *Haud scio an*, *Nescio an:* quam saepius quidem subjunctivus, nonnunquam tamen et indicativus sequitur: ut in hoc Ter. Adel. IV. 5. 33. *Qui infelix haud scio an illam misere nunc amat.* Caeterum quamvis negationi propior haec phrasis videatur: veteres tamen ea contrariam fere in partem, pro eo, quod vulgo *Haud scio an non*, usi sunt. Vid. supra p. 286. n. 24.

15) Adde Linacr. p. 158. et Turner. Exerc. Gramm. p. 189. [Cfr. Zumptii Gr. p. 267. et Walchii Emendatt. Livv. p. 191. G. St.] * Legitur et sic quoque cum indicativo: ut, Cic. Att. III. 8. *Quod ei crediderim, quem esse nefarium non putaram*, al. *putarem.* Id. ad VII. 2. *Nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis eis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri: me in cujus exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi, dedecus est nostrum.* In quo sermone utriusque modi est exemplum. Linac. p. 859. * Ubi non est talis sententiae cum praecedentibus continuatio, relativum potius indicativum vult: ut Virg. Aen. I. 12. *Urbs antiqua fuit Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo.* Id. ibid. v. 469. *Nec procul*

Digitized by Google

hinc Rhesi niveis tentoria velis Agnoscit lacrymans, primo quae prodita somno Tydides multa vastabat caede cruentus. Linac. ibid. * Eadem ratio est adverbiorum *ubi*, *quo*, *unde*, *qua*, quando in relativum absque ejusmodi continuatione resolvi possunt: ut, Cic. Fam. VI. 1. *In ea urbe es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitae*, i. e. *in qua* Hor. Epist. I. 6. 27. *Ire tamen restat Numa quo devenit et Ancus*, i. e. *ad locum ad quem.* Ter. Adel. III. 2. 4. *Tot res repente circumvallant, unde emergi non potest*, i. e. *e quibus.* Ovid. Met I. 510. *Aspera qua properas loca sunt*, i. e. *per qua.* * *Qui*, cum causam significat, subjunctivis fere tantum adjicitur; ut, Ter. And. IV. 4. 10. *Satin' sanus es, qui me id rogites.* Virg. Aen. II. 248. *Nos delubra Deum miseri, quibus ultimus esset ille dies, festa velamus fronde per urbem.* Nep. XXV. 8. 4. *At ille, qui officia amicis praestanda sine factione existimaret, semperque a talibus se consiliis removisset, respondit, si quid Brutus*, etc. Cic. Att. VI. 8. *At multa; qui et properarem, et ei literas darem, qui aut mecum, aut paullo ante venturus esset.* Indicativo tamen sub hac notione junxit idem Cic. Att. v. 10. *Ephesum ut venerim, nosti, qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem*: id quod rarissimum judicat Linacer, p. 160. et Malaspina ad cit. Cic. loc. * Eadem ratione *quippe qui* et *utpote qui* cum subjunctivo construuntur, ut, Cic. pro Rosc. Am. c. 18. *Convivia cum patre non iniibat, quippe qui ne in oppidum quidem, nisi perraro veniret.* Sallust. Catil. 57. 4. *Neque Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus sequeretur.* In hac loquendi figura (ut notat Linac. l. c) Quinctilianus et alii illius aetatis particulam *ut*, pro *utpote*, relativo praeponunt: ut, Quinct. I. 2. *Omnia nova offendit: ut qui solus didicerit quod inter multos faciendum est.* Colum. XI. 3. *Locum neque pinguem, neque stercoratum, sed apricum desiderant, ut quae macerrimo solo per se maritimis plerumque regionibus nascantur.* Inveniuntur tamen, licet rarius, *quippe qui*, *et utpote qui*, cum indicativo juncta: ut, Sall. Jug. 1. 3. *Quippe quae probitatem, industriam, aliasque artes bonas neque dare, neque eripere cuiquam potest.* Cic. Attic. II. 24. *Ea nos, utpote qui nihil contemnere solemus, non pertimescebamus.* Id. Phil. v. 11. *Lucius quidem frater ejus, utpote qui peregre depugnavit, familiam ducit*, al. *depugnarit.* * In his formulis, *Est qui*, *Sunt qui*, *Est quando*, *Est ubi*, uterque usurpatur modus: ut, Hor. Car. I. 1. 3. *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat.* Ibid. v. 19. *Est qui nec veteris pocula Massici Spernit.* Colum. VI. 7. *Sunt qui teneras laurus caulium libram cum abrotani macerati pari portione dent, cum aquae calidae duobus sextariis.* Ovid. Fast. XI. 3. *Sed erunt qui me finxisse loquantur, Nullaque mortali numina visa putent.* Nisi haec proxima (inquit Linacer. p. 161.) potentialis modi pro indicativi futuris dicas: [Cfr. Heusinger. ad Cicer. Offic. I. 24. Drackenb. ad Liv. XLII. 66. 9. Heindorf. ad Horatii Satyr. p. 92. ad Cic. de N. D. II. 32. 82. Bremi ad Cic. de Fin. I. 20. et ad Corn. Nepot. Miltiad. c. 3. 2. Gernhard ad Cic. de Offic. I. 2. 5. Mihi ita de hac re videtur statuendum. Ubi *qui* indicat internum sententiarum nexum, sive causa, sive finis, sive eventus significetur; conjunctivus ponatur necesse est; indicativus autem adhibetur, quando sententia additur non pendens ab ea quae praecessit, neque cum ea necessario conjungenda, sed rem simpliciter indicans. Ut *si* dicas *Fuerunt qui dicerent*, quod nihil aliud est quam: *Fuerunt homines ejusmodi s. tales, ut dicerent;* ut adeo hoc ex illo consequi cogitetur tanquam effectus ex causa, quae quidem in eorum ingenio et moribus cernatur. Contra qui dicit *Fuerunt qui dicebant*, is nil nisi rem factam esse affirmat, non facta significatione nexus illius inter-

Digitized by Google

☞ Not. 1. Post haec verba, *Volo, nolo, malo, rogo, precor, censeo, suadeo, licet, oportet, necesse est*, et similia; item post imperativos, *sine, fac*, vel *facito*, ut, eleganter reticetur: ut, Ter. And. II. 3. 14. *Ducas volo hodie uxorem.* Cic. pro Rosc. Amer. c. 17. *Artificium obliviscatur et studium deponat licebit.* Ter. Heaut. V. 1. 52. *Fac te patrem esse sentiat.*

☞ Not. 2. Ne, post *cave* saepius omittitur: ut, Cic. Attic. XIII. 33. *Cave facias.* Ter. And. II. 5. 29. *Cave te esse tristem sentiat.*

☞ Not. 3. Ut et quod sic fere distinguuntur:

☞ 1. Ut notat causam finalem, et plerumque de re futura dicitur: ut, Ter. Heaut. I. 1. 26. *Vel me monere hoc, vel percontari puta: Rectum est? ego ut faciam: non est? te ut deterream.* Nep. I. 4. 4. 3. *Cursorem miserunt, ut nunciaret, quam celeri opus esset auxilio* [16]). * Adhibetur etiam post voces intensivas, *Adeo*,

---

ni, quo sententias copulare licet. Ex his autem sponte intelligitur, saepenumero a scriptorum pendere arbitrio conjunctivus an indicativus ponatur, neque hodie licere ubique certa manu restituere genuinam et ab ipsis scriptoribus profectam scripturam iis locis, in quibus codicum manu scriptorum magna est dissensio. Deinde vero etiam illud patet, non sine caussa idonea factum esse, ut poëtae indicativum praeferrent conjunctivo. Nam poëseos est sententias ita proponere, ut voluti ex ipsa rerum natura et humana vita repetitae videantur. Eo enim fit, ut et clariores fiant et majorem afferant delectationem. Subtilitatem autem illam, quae est in sententiis logica ἀκριβείᾳ connectendis, etsi non negligit, tamen non ita sectatur, ut nolit vividiorem et jucundiorem dicendi rationem praeferre. Quae quum ita sint, temere profecto usum indicativi e sola imitatione poëtarum Graecorum fluxisse arbitrantur; quae nisi cum rei natura conveniret, ne locum quidem habere ullo modo posset. G. St.]

** Finem huic rei imponam verbis saepius laudati, nunquam nimis laudandi Linacri, p. 157. „Acriter inquit, attendendum est, ne provocabulum *qui* nobis pro infinito *quis* imponat: ut, *Audivi quae legisti*; ubi si *quae* ut provocabulum ceperis, recte habet, pro *illa quae legisti*: si pro infinito, non *legisti* dicendum erat, sed *legeris*. Nam quoties accusativus praecedit, qui transitum verbi excipiat, omnino provocabuli vox est; quae sub specie infiniti *quis* sequitur. Infinitivum enim cum suo verbo ἀμέσως transitionem verbi accusativi vice excipiunt. Atque hac ratione illud Ovidii, Fast. I. 91. defenditur: *Ede simul causam, cur de cuelestibus unus, Sitque quod a tergo, sitque quod ante videt:* si illud *cur* in *propter quam* solvas."

16) Ut respondet Graecorum ἵνα, idemque fere valet quod, *Ita fine, in hunc finem, eo consilio*, etc. [Etiam sign. *eo exitu, eo eventu* etc. Nam quia finis et eventus sibi invicem respondent, alter cum altero facile potuit commutari. G. St.] Praecipue locum habet, (1) Post verba *petendi, jubendi, timendi, faciendi;* Item quae voluntatem et studium significant: ut, *volo, curo, laboro* etc. Praeterea quae indicant eventum: ut, *fit, evenit, contingit*, etc. (2) Post ne-

Digitized by Google

ita, sic, tam, talis, tantus, tot [17]), et similia: ut, Cic. pro C. Rabir. c. 10. *Adeone ignarus es consuetudinis nostrae, ut haec nescias.* Plin. VIII. 22. *Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.* Cic. de Amic. c. 3. *Vita quidem talis fuit, ut nihil posset accedere.*

---

mina *tot, tantus, talis*, et pronomina *hic* et *is*, ut *hoc nomine, in hunc finem, eo consilio, ea conditione, lege, spe*, etc. (3) Post partilas, *adeo, ideo, idcirco, sic, ita, tam, tantum abest*, atque ejus generis similia. Vid. Vallam, Eleg. II. 37. et quae Stewechius et Turscllinus de particulis scripserunt. * Hic vero Not. 1. Loco τοῦ ut cum subjunctivo, saepe adhibetur infinitivus. Vid. supra p. 12 et 229. Not. 2. Post voces intensivas, *tam, talis, tantus*, pro ut saepe usurpatur *qui*: ut, Cic. Fam. IX. 2. *Quis est tam Lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat.* Id. Fam. X. 6. *Talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorum civium societate sejungas.* Id. Fam. XV. 11. *Nihil est tantum, quod ego non tua causa debeam.* Sic post *dignus, indignus, idoneus, major*, ejusmodi ut, Ter. Hec. II. 1. 15. *Qui illum decreverunt dignum, suos cui liberos committerent.* Id. And. III. 2. 12. *Itane tandem idoneus Tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias dolis!* Ovid. Met. VI. 196. *Major sum, quam cui possit Fortuna nocere.* Cic. pro leg. Manil. c. 2. *Genus belli est ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare debeat.* Not. 3. Si verbum praecedat praesentis vel futuri temporis, ut adsciscere solet praesens subjunctivi: ut, Cic. Fam. XI. 3. *Ea re minaciter agis, ut judicium nostrum metus videatur.* Id. Fam. I. 2. *Ut quam rectissime agantur omnia providebo.* Sin praeteritum antecesserit, saepius consequitur imperfectum subjunctivi: ut, Cic. Fam. V. 16. *Tantum ex molestiis tuis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem.* At si actio adhuc durare intelligatur, praeeunte praeterito sequi potest praesens: ut, Ter. Ant. IV. 2. 4. *Orare jussit hera, ut ad se veniam.* Id. Adel. I. 1. 29 *Ea ne me celet, consuefeci filium.* In hoc autem Terentii, Adel. III. 2. 18. *Sublimem medium arriperem, et caput primum in terram statuerem, Ut cerebro dispergat viam*, Anna Dacieria, patris emendationem secuta, *dispergeret* legendum vult: alii Enallagen temporis praesentis pro imperfecto statuunt. Similiter ap. eund. Heaut. III. 1. 83. *Dum id quaero, tibi qui filium restituerem*; alii *restituam* legunt, alii *restituerim* pro *restituam*, ut *dixeris* pro *dicas* dicitur: quomodo quidem etc. Plautus, Baceh. I. 1. 8. *Metuo mihi in monendo ne defuerit oratio*, pro *ne desit*. Vid. Ursin. p. 468. * Interdum et praeteritum sequitur praesens, si id sensus postulat: ut, Cic. Fam. III. 13. *Velim ita Fortuna tulisset, Deum precor ut hic dies tibi feliciter fluxerit.* Not. 4. Ut more graeco cum infinitivo construxisse videtur Horatius, Car. I. 11. 3. *Ut mihi quicquid erit pati*, pro *patiaris*, ὅστε παθεῖν. Vid. Voss. de Constr. c. 62. sub fin. et Vechner. Hellenol. I. 86. Confer et Lowaeum, Gram. p. 2. n. 25. qui alios aliter interpretari observat, (2) *Ut sapias melius pati quicquid erit*; inclusis quae inter *pati* et *sapias* interjecta sunt parenthesi. (3) *Ut* [vel *cum*] *melius sit pati quicquid erit, quam tentare numeros*, etc. (4) *Ut* [vel *quanto*] *melius est aequo animo pati quicquid erit.*

17) Post has autem voces ut non causam, sed modum significat.

Digitized by Google

☞ 2. Quod notat causam efficientem, seu impulsivam, diciturque plerumque de eventu seu re gesta: ut, Cic. de leg. III. 1. *Gaudeo quod te interpellavi.* Id. Divin. II. 24. *Cato mirari se diebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset* [18]).

APPENDIX.

De aliis Coniunctionibus *cum* Indicativo *vel* Subiunctivo *constructis.*

☞ 1. Etsi, tametsi [19]) quamquam, in principio statim sententiae indicativum postulant: ut, Cic. pro Mil. c. 1. *Etsi vereor, iudices*, etc. Id. pro Rosc. Amer. c. 27. *Tametsi vicisse debeo, tamen de meo iure decedam.* Id. Fam. X. 19. *Quanquam gratiarum actionem a te non desiderabam.* * Alibi etiam subiunctivum admittunt: ut, Cic. Fam. VI. 4. *Nunc tantum videmur intelligere, non diuturnum bellum: etsi id ipsum nonnullis videatur secus.* Ter. Eun. II. 1. 10. *Memini tametsi nullus moneas.* Quinct. I. 3. *Caedi vero discentes, quanquam receptum sit, et Chrysippus non improbet, minime velim.*

2. Etiamsi [20]) et quamvis saepius subiunctivo, interdum indicativo adhaerent: ut, Cic. de Amic. c. 27. *Omnia brevia tolerabilia esse debent, etiamsi maxima sint.* Virg. Geo. I. 38. *Quamvis Elysios miretur Graecia campos.* * Cic. Att. III. 24. *Ista veritas, etiamsi iucunda non est, mihi tamen grata est.* Hor. Ep. I. 17. 1. *Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis* [21]).

---

18) De quod et ut inter se permutatis vid. supra p. 235. n. 23.

19) Eodem pacto construitur et tamenetsi: ut, Cic. Fam. IV. 15. *Sed tametsi antea scripsi.* Plaut. Trin. III. 2. 53. *Datur ignis, tametsi ab inimicis petas.* Caeterum de hac voce videsis Taubman. ad Plaut. Mil. IV. 5. 10. Turnellin. in partic. Cortium ad Sall. Cat. 21. etc. Jug. 13. 3. et quos alios illic laudant Scriptores.

20) Negat Alvarus, p. 419. se, quod meminerit, etiamsi cum indicativo legisse: at saepius ita loqui Ciceronem ostendit Vossius de Constr. c. 67.

21) Sic id. Horatius Epist. I. 14. 6. *Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur.* Ovid. Pont. I. 2. 31. *Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit.* Propert. II. 7. 89. *Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura.* Adde Hor. Car. III. 7. 25. et 10. 13. Sat. I. 3. 129. II. 2. 29. etc. 5. 15. etc. Art. v. 155. et Ovid. Fast. III. 49. et Pont. I. 2. 3. et VI. 45. Neque Poëtae solum sic loquuntur: sed etiam alii; ut, Col. II. 9. *Quamvis de mensura minus auctoribus convenit.* Et Quinctilianum saepe, Celsum semper, hanc particulam indicativo jungere notant hinc Schwarzius ad Turnellinum, c. 177. §. 8. illinc

Digitized by Google

☞ 3. Ut, pro quamvis, subiunctivo solum adiungitur: ut, Oyid. Pont. III. 4. 79. *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

4. Quòniam, quando, quandoquidem, indicativum fere postulant: ut, Ter. And. II. 1. 5. *Quoniam non potest id fieri quod vis, Id velis quod possit.* Id. Adel. V. 3. 16. *Quando ego tuum non curo, ne tu cura meum.* Virg. Ecl. III. 55. *Quandoquidem in molli consedimus herba* [22]). ☞ 5. Quippe, pro *nam*, indicativo iungitur: ut, Virg. Aen. I. 1. 39. *Quippe vetor fatis.*

☞ 6. Utpote, et quippe pro *utpote*, sequente *qui*, saepius subiunctivum, rarius indicativum, habent: ut, Suet. Aug. 30. 4. *Aedes sacras opulentissimis donis adornavit; utpote qui in cellam Iovis Capitolini sedecim millia pondo auro contulerit.* Cic. Fin. II. 3. *Non ignorat voluptatem Epicurus, quippe qui testificetur*, etc. * Id. Phil. V. 11. *Lucius quidem frater eius, utpote qui peregre depugnavit, familiam ducit.* Id. Phil. III. 2. *Quippe qui cives optimos iugulari iussit* [23]). * Id. Off. II. 9. *Ad*

Burmannus ad Quinctil. Decl. V. init, Vid. porro Cl. Perizonium qui III. 14. 3. Sanctium refellit affirmantem Horatium *quamvis* semper indicativis, alios subjunctivis jungere. Etenim Horatius, Car. IV. 6. 6. *Filius quamvis Thetidos marinae Dardanas turreis quateret.* Et Sat. II. 6. 90. *Nam quamvis referas memori mihi pectore cuncta.* Et sic alibi. Alii autem, licet frequentius subjunctivo jungant, non tamen semper indicativum refugiunt, uti ex exemplis supra positis patet. Idem denique Perizonius ad Sanct. p. 498. *quamvis*, cum subjunctivo jungitur, intelligi τὸ *licet*; cum indicativo autem constructum desiderari *etsi*, observat. [*Quamvis* quum significet: wenn auch noch so, facile intelligitur, cur conjunctivum adsciscat. Quod autem indicativus etiam, praesertim apud poëtas reperitur, contulisse iuvabit, quae ad not. 15. de *sunt qui* disserui. G. S.]

22) Interdum licet rarius hae particulae subjunctivo junguntur: ut, Plin. II. 10. *Figuram autem umbrae* [manifestum est] *similem metae ac turbini inverso, quando mucrone tantum ingruat, neque lunae excedat altitudinem; quoniam nullum aliud sidus eodem modo obscuretur, et talis figura semper mucrone deficiat.* Cic. Verr. II. 3. *Statuerunt urbes ac sedes suas relinquere, quandoquidem agros jam ante istius injuriis exagitati reliquissent.* * His adde *quatenus* pro *quoniam*, qua significatione saepius indicativo jungitur: ut, Plin. Epist. II. 7. *Quatenus negatur nobis diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testetur:* interdum subjunctivo; ut, Suet. Claud. 26. 8. *Confirmavitque pro concione apud praetorianos, quatenus sibi matrimonia male caderent, permansurum se in coelibatu.* Sed in hoc, ut in superioribus exemplis, subjunctivus idcirco adhibetur, quia oratio quodammodo infinita est, et oblique a praecedente clausula dependet. * *Quando* et *quatenus* alioquin adverbia sunt, hoc loci, illud temporis. Cur interdum conjunctivum adsciscant, hodie satis constat. G. St.]

Digitized by Google

fidem faciendam iustitiae plus pollet, quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis. Id. Attic. V. 8. *Me incommoda valetudo, utpote cum sine febri laborassem, tenebat. Brundisii.*

§ 7. Quod et quia in sententia finita indicativo, in infinita subiunctivo sociantur [24]): ut, Cic. de Fin. III. 4. *Bene facis, quod me adiuvas.* Ter. Hec. III. 5. 56. *Quia paululum vobis accessit pecuniae, sublati animi sunt.* * Cic. Att. II. 1. *Mihi quod Nasicam defendissem, leviter succensuit* [25]). Id. de Fin. I. 10. *Nemo ipsam vo-*

---

23) Sic Colum. XI. 3. *Capparis cultu aut nullo aut levissimo contenta est, quippe quae res etiam in desertis agris citra rustici curam convalescit.* Sall. Jug. 14. 10. *Quippe queis hostis nullus erat, nisi quem vos jussissetis.* Id. Jug. 48. 1. *Quippe cui verbis pax nunciabatur, caeterum re bellum asperrimum erat.* Adde paulo superius notam n. 15. * Quippe, sequente *quod*, subjunctivo; sequente *quid*, vel *quoniam*, indicativo jungitur: ut, Cic. Fam. I. 9. *Multa de mea sententia questus est Caesar, quippe quod etiam Crassum ante vidisset.* Ter. Heaut. III. 2. 27. *Quippe quia magnarum saepe id remedium aegritudinum est.* Plin. XXVI. 10. *Insanabilis non est credendus* [podagrae morbus,] *quippe quoniam et in multis sponte desiit, et in pluribus cura.* In his autem *quod*, *quia* et *quoniam* πλεονάζειν videntur. * Utpote et quippe elegantur interdum sine verbo ponuntur: ut, Horat. Art. v. 206. *Populus numerabilius, utpote parvus.* Cic. Fin. I. 6. *Sed Democrito magnus videtur, quippe homini erudito.*

24) Vel (ut aliter rem exprimit Vossius, Gram. min. p. m. 90.) quod et quia in oratione directa, unde incipimus plurimum, indicativis jungitur: in oratione obliqua, quae saepius subjicitur, subjunctivis.

25) De quod praeterea, Not. 1. Quod causale, pro *eur* vel *quamobrem*, cum verbo *est*, cum subjunctivo constituitur: ut, Plaut. Aul. II. 2. 26. *Est quod te visam.* Cic. Fam. VI. 2. *Non est, pro malis temporum, quod moleste feras.* Id. in Pis. c. 38. *Nihil est, quo me invites.* Id. pro Rosc. Amer. c. 1. *Credo ego vos mirari, quid sit, quod ergo potissimum surrexerim.* In his autem et similibus plena oratio est, *negotium ob* vel *propter quod.* [Apage cum isto *negotio.* Cur conjunctivus ponatur, ratio in promtu est. cfr. not. 15. G. St.] Not. 2. Quod declarativum, sive specificativum, Graeci ἐιδικόν, sive *formale*, vocant, in oratione finita seu directa, indicativis; in infinita, sive obliqua, subjunctivis, jungitur: ut, Cic. Att. I. 4. *Quod ad me Hermathena scribes, per mihi gratum est.* Juv. XIV. 71. *Gratum est quod patriae civem populoque dediti.* Cic. Verr. IV. 17. *Non tibi objicio, quod hominem omni argento spoliasti.* Plaut. Asin. I. 1. 37. *Equidem scio filius quod amet meus.* Cic. Att. VIII. 11. *Caesar ad me scripsit, gratissimum sibi esse quod quieverim.* Id. Off. I. 12. *Illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur.* Not. 3. Quod pro *quantum*, *quoad* vel *quatenus*, prout oratio itidem finita est vel infinita, indicativo vel subjunctivo adjicitur: ut, Ter. Eun. II. 8. *Munus nostrum ornato verbis quod potuit.* Id. Adel. III. 5. 1. *Istam, quod potes, fac consolere.* Ibid. IV. 5. 58. *Prodidisti et te et gnatum, quod quidem in te fuit.* Plaut. Menaech.

Digitized by Google

luptatem, quia voluptas sit; aspernatur: neque quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet.

Quum, seu cum [26]), pro *quoniam* [27]), subiunctivum; pro *quod* indicativum, longe frequentius adsciscit, ut, Ovid. Am. III. 9. 35. *Cum rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso) Sollicitor nullos esse putare Deos.* Cic. Off. III. 2. *Cum Athenas tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est.* * Plaut. Menaecch. V. 7. 42. *Cum tu liber es, Messenio, gaudeo.* Cic. Fam. XIII. 24. *Tibi gratias ago, cum tantum literae meae potuerunt.*

9. Si, sin, ni, nisi, siquidem, modo indicativis, modo subiunctivis adhaerent [28]): ut, Ter. And.

III. 2. 35. *Non edepol ego te, quod sciam, unquam ante hanc diem vidi.* Ter. Hec. Hec. V. 1. 33. *Meritus de me est, quod queam, illi ut commodem.* Liv. XXXIX. 45. *Id eos ut prohiberet, quod ejus sine bello posset, Praetori mandatum est*, ad q. loc. vid. Gronov. Not. 4. Eleganter in principio periodi (sed ita tamen, ut ejus cum praecedente oratione nexum ostendat) adhibetur quod, sequente *si, ni, nisi, etsi, utinam:* ut, Cic. Fam. I. 13. *Quod si tibi unquam sum visus in rep. fortis, me certe in illa causa admiratus esses.* Ter. Phor. I. 3. 3. *Quod ni fuissem incogitans, ita eum exspectarem, ut par fuit.* Virg. Geo. I. 155. *Quod nisi et assiduis terram inseotabere rastris.* Cic. Fin. IV. 4. *Quod etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur: ars tamen est dux certior quam natura.* Id. Fam. XIV. 4. *Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus, certe nihil aut non multum, in vita mali vidissemus.* * In his autem Quod saepe abundat: ut, Auct ad Herenn. IV. 55. *Quod simulatque Grachus perspexit fluctuare populum.* Sallust. Jug. 14. 21. *Quod utinam illum eadem haec simulantem videam.* Confer Linacr. lib. II. p. 97. Sciopp. Auctar. Mariang. Epist. VI. p. m. 65. 66. 67. Boecler. in Indic. C. Nep. Perizon. ad Sanct. p. 127 et 664. Adde et Linacr. p. 213 et 407. et Vossium de Constr. c. 29.

26) De cum, adverbio temporis, dictum supra p. 309.

27) *Cum* etiam pro *quamvis* subjunctivum petit: ut, Cic. Fam. I. 8. extr. *Cum etiam plus contenderimus, quam possumus, minus tamen faciemus, quam, debemus.* Id. Fam. I. 2. *Cui* [sententiae] *cum Cato et Caninius intercessissent, tamen est perscripta:* Ursin. p. 459. Rhenius, p. 496.

28) Has particulas, cum sententia finita, vel certa, seu directa est, indicativum; cum infinita est, obliqua, vel potentialis, subjunctivum adsciscere, docent Diomedes, col. 387. Priscianus, col. 1143, seqq. Rhenius, col. 491. Schmidius, p. 349. Vossius Gram. p. m. 90. etc. At hoc discrimen non semper observari ostendit Linacer, Lib. V. p. 347. Sic ergo potius, illo praeeunte, praecipiendum videretur, (1) Cum in posteriore membro indicativus vel subjunctivus subjicitur, eodem modo, post *si, ni, nisi*, in anteriore utendum: ut, Cic. Fam. II. 18. *Si me audies, vitabis inimicitias.* Ter. Eun. IV. 7. 25. *Pamphilam ergo huic redde, nisi mavis eripi.* Plaut. Menaech. II. 1. 13. *Si acum quaereres, acum invenisses.* Virg.

Digitized by Google

I. 3. 5. *Si illum relinquo, eius vitae timeo; sin opitulor, huius minas.* Ibid. III. 4. 19. *Mirum ni domi est.* Cic. Attic. VIII. 7. *Pompeius Domitium, nisi me omnia fallunt, deseret.* Id. Fam. X. 33. *Robur et soboles militum interiit, siquidem, quae nunciantur, vera sunt.* * Ter. And. IV. 5. 13. *Si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem.* Sall. Iug. 46. 4. *Persuadet, uti Iugurtham ma-*

Aen. I. 58. *Ni faciat, maria ac terras caelumque profundum Quippe ferant rapidi secum.* Ter. And. IV. 1. 44. *Si omnes hunc conjectum in nuptias inimici vellent, quod nisi hoc consilium darent?* (2) Cum res facta significatur, si indicativis adjicitur: ut, Cic. Catil. I. 8. *Si illustrantur, si erumpunt omnia,* Virg. Aen. VI. 147. *Si te fata vocant.* * Aliter vero, nisi pro *quamvis* accipiatur, indifferentur utrique modo adstruitur: ut, Cic. *Si vales, bene est.* Ter. And. IV. 2. 4. *Orare jussit, si se ames, Glycera, ut ad se venias.* * Pro *quamvis* autem subjunctivo fere adjungitur: ut, Ter. Eun. I. 1. 4. *Redeam? non, si me obsecret.* * Addito *quis*, indicativum fere, ut supra notavimus p. 348. n. 14. postulat: ut Ovid. Art. I. 1. *Si quis in hoc artem populo non novit amandi.* * Si interdum intelligitur; quod cum fit, verbum subjunctivo plerumque ponitur: ut, Juven. Sat. III. 78. *Graeculus esuriens in coelum, jusseris, ibit.* Virg. Aen. VI. 30. *Tu quoque magnam Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.* Tibull. I. 7. 59. *Attigeris, labuntur opes.* Sic in eleganti hac phrasi, *Absque eo esset,* pro *si absque eo esset.* Vid. Plaut Capt. III. 5. 96. et Ter. Phor. I. 4. 11. * Interdum indicativo: ut, Ter. Eun. II. 2. 21. *Negat quis, nego; ait, ajo:* pro, *si quis negat, si quis ait.* Id. Heaut. I. 7. 27. *Rectum est, ego ut faciam; non est, te ut deterream:* pro, *si rectum est,* vel *non est.* Vid. Sanct. p. 702. At rectius mihi sentire videntur, qui haec interrogative dicta volunt, *Negat quis? nego; ait? ajo,* etc. quo pacto nullus particulae *si* erit locus. [Cfr. Bentlei. ad Horat. Satyr. II. 6. 48. Drackenb. ad Liv. XXI. 10. 6. Heindorf. ad Horat. Satyr. I. 1. 45. qui etiam Graecum loquendi usum illustravit. G. St.] (3) Sin plerunque adhibetur, cum si praecessit, et adversativam fere sententiam infert, pro *si vero, sed si.* * Aliquando absque *si* ponitur: ut, Ter. Adel. III. 2. 49. *Hoc reliquum est: Sin inficias ibit, testis mecum est annulus, quem ipse amiserat.* Confer plura ejusmodi ap. Tursell. c. 209. §. 100. seqq. * Interdum absolute pro *si* accipi videtur: ut, Cic. Att. IX. 2. *Sin, cum potuero, non venero, tum erit inimicus.* Praesertim si *autem* accedat: ut, Cic. Off. I. 34. *Luxuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, ipsa senectus concipit dedecus.* (4) Ni, nisi, sive praecedant, sive subsequantur, indicativis et substantivis promiscue caetera adjungi possunt: Nisi tamen, si priorem sententiam corrigat, indicativum amat: ut, Cic. pro Muren. c. 6. *Nemo fere saltat sobrius, nisi insanit.* (5) Siquidem in significatione causali, pro *quandoquidem*, indicativo fere jungitur: ut, Cic. Tusc. I. 1. *Antiquissimum e doctis genus est poëtarum: siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam.* In significatione conditionali pro *si, si modo, si saltem,* indicativum vel subjunctivum sine discrimine adsciscit: ut, Ter. And. III. 1. 7. *Actum est siquidem haec vera praedicat.* Cic. Catil. II. 4. *O fortunatum rem. siquidem hanc sententiam ejecerit.* [Imo cum discrimine!]

Digitized by Google

xime vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent. Ter. Phor. II. 1. 48. *Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.* Virg. Aen. XI. 112. *Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.* Cic. pro Flacc. c. 7. *O morem praeclarum, quem a maioribus accepimus, siquidem* [eum] *teneremus.* ☞ Si pro *quamvis*, subiunctivo fere adiicitur: ut, Ter. Eun. I. 1. 4. *Redeam? Non, si me obsecret.* Id. And. IV. 2. 12. *Non, si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines.* * Rarius indicativo: ut, Id. Phor. II. 1. 65. *Verum, si cognata est maxime, Non fuit necesse habere.*

☞ Dum, pro [29]) *dummodo;* et quin, pro *ut non* vel *quod non* [30]), subiunctivum petunt: ut, Cic. Off. I. 28. *Oderint, dum metuant.* Ter. And. I. 2. 1. *Non dubium est quin uxorem nolit filius.* Cic. Fam. IV. 7. *Non quin ipse dissentiam, sed quod,* etc.

LIBER SECUNDUS.

De Syntaxi irregulari, seu Figurata [1]).

☞ Figurae Syntaxeos ad quatuor genera reduci possunt. Vel enim (1) Aliquid ad integritatem orationis deficit, et haec Figura generali nomine Ellipsis appellatur. Vel (2) Aliquid redundat, seu superfluum est, quae Pleonasmus dicitur. Vel (3) Orationis partes earumve accidentia inter se permutantur, quae Enallage nominatur. Vel denique (4) Vocum ordo pervertitur seu turbatur, quae Hyperbaton insignitur.

CAP. I.

De Ellipsi *eiusque speciebus.*

☞ Ellipsis est, unius vel plurium vocum ad plenam orationem faciendam defectus [2]).

---

29) De dum adverbio temporis dictum supra, p. 310.

30) Vid. supra p. 294.

1) Quam superiore libro dedimus, ideo Regularis sive Analoga *Syntaxis* est appellata, quod generaliores, atque ex consuetudine communi petitas Latinae orationis construendae leges contineat. Id tamen non adeo stricte accipiendum est, quasi nullus in his ano-

Digitized by Google

Ea autem in duas species dividi potest. Vel enim (1) Id quod in oratione desideratur, foris petendum est. Vel (2) E proximis vicinisque vocibus intelligendum. Prior Ellipsis *strictius sic dicta* appellari potest; ac sub se etiam *Appositionem*, *Synecdochen* et *Asyndeton* complectitur. Posterior Ellipsis *laxiore sensu accepta* dici potest, continetque etiam sub se *Zeugma*, *Syllepsin* et *Prolepsin*.

ELLIPSIS *strictius dicta*.

☞ Ellipsis *strictius dicta* est, cum in oratione deficit vox extrinsecus petenda. Estque omnium partium orationis.

☞ 1. Nominis: ut, *Aiunt*, supple *homines*. *Hectoris Andromache*, sup. *uxor*. *Aberant bidui*, sc. *via*. *Decies sestertium*, sc. *centena millia*. *Pro Deum immortalium!* puta *fidem*. *Non est oneri ferendo*, sup. *aptus*.

☞ 2. Pronominis: ut, Virg. Aen. I. 1. *Arma virumque cano*, sc. *ego*. Ter. And. II. 5, 18. *Memini videre*, sc. *me*. Cic. Offic. I. 11. *Negat ius esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste*, sup. *eum*. Horat. Sat. I. 4, 24. *Sunt quos hoc genus minime iuvat*, sc. *quidam*. Plin. VIII. 42. *Equo fere, qui homini, morbi*, sup. *iidem*. [Dissimilia confudit. G. St.]

☞ 3. Verbi: ut, Ter. And. I. 1, 55. *Egomet continuo mecum*, sc. *cogitabam*. *Quid multa?* sc. *dicam*. Cicer. Verr. III. 25. *Ridere convivae, cachinnari ipse Apronius*, sup. *coeperunt*, et *coepit*.

☞ 4. Participii: ut, Inv. VI. 1. *Saturno Rege*, sup. *ente*. Cic. Attic. IV. 16. *Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est*, sup. *scripta*. [Vide quae supra de ablativis absolutis monui. G. St.]

---

maliae seu figuratae locutioni locus esset. Aliter enim, ut superius passim ostensum, paucissimae regulae sunt, in quibus non aliqua vox ad complendam sententiam necessaria deficiat, id est, *Ellipsis* aliqua, nonnunquam et aliae figurae locum habeant. In hac igitur parte, perspicuitatis et memoriae causa, visum est omnes Syntaxeos figuras, non modo eas quae minus frequenter, sed et quae usitatissime occurrant, simul atque uno conspectu exhibere.

2) Ellipsin invexit sermonis tum brevitas, tum elegantia. Caeterum tam late diffusus est, ut in omni lingua, sic Latina in primis, ejus usus, ut infinito proximum esset omnes illius species particulatim recensere. Nobis hoc in loco summa ejus capita attigisse sufficerit. Qui pleniorem de ea tractationem volet, is adeat Linacrum, lib. VI. p. 362, seq. Sanctium, lib. IV. cap. 2, 3, 4, 5, 6 et 7. Scioppium, Gramm. philos. p. m. 61, seqq. Methodi Auctorem, p. 538, seqq. [Non tam late patere ellipsin, quam Ruddimannus opinatur, hodie exploratum habemus. Itaque de singulis dicere vix attinet. G. St.]

Digitized by Google

☞ 5. Adverbii: ut, Caes. B. Civ. I. 46. *Vulnerantur amplius sexcenti*, pro *quam sexcenti*. Liv. III. 23. *Ad unum omnes occidit*, pro *usque ad unum*. [Cur *usque* supplendum sit, non apparet. G. St.]

☞ 6. Praepositionis: ut, *Eo Romam*, pro *ad Romam*. *Pridie Nonas*, pro *ante Nonas*. Virg. Aen. I. 102. *Stridens Aquilone procella*, pro *ab Aquilone*. Ter. And. IV. 2, 26. *Quid me fiet*, pro *de me*. Id. And. II. 3, 2. *Si pater id succenseat*, pro *propter id*. [Nihil deest. G. St.]

☞ 7. Interiectionis: ut, Ovid. Met. I. 508. *Me miserum!* ubi O vel *heu* supplendum. [Nihil supplendum. G. St.]

☞ 8. Coniunctionis: ut in Asyndeto, de quo mox.

APPOSITIO.

☞ Appositio [3]) est, duorum substantivorum in eodem casu, per Ellipsin participii *ens*, coniunctio: ut, *Urbs Roma*, i. e. *urbs ens*, vel *quae est Roma*. Liv. XXVIII. 2. *Celtiberi novus miles diffugerunt*, i. e. *entes*, vel *qui erant novus miles*, seu *novi milites*. Id. XXX. 30. *Annibal peto pacem*, i. e. *ego ens*, vel *qui sum Annibal*. Id. I. 24. *Audi tu populus Albanus*, i. e. *tu ens*, vel *qui es populus Albanus* [4]).

SYNECDOCHE.

☞ Synecdoche est, cum ablativus partis vel adiuncti mutatur in accusativum, intellecta praepositione Graeca κατὰ, vel Latina *secundum*, seu *quod ad*. Partis: ut, Virg. Aen. I. 715. *Expleri mentem nequit*. Id. Aen. VI. 495. *Deiphobum videt lacerum crudeliter ora*; pro, *quod ad mentem*, *quod ad ora*. Adiuncti: ut, Id Ecl. III. 106. *Flores inscripti nomina Regum*. Hor. Art. 302. *Qui purgor bilem sub verni temporis horam*; pro, *quod ad nomina Regum*, *quod ad bilem* [5]).

---

3) Sunt qui Appositionem Figurarum numero eximunt, utpote in qua nihil a communibus linguae regulis recedatur: in his enim *Cicero Orator*; *Plato Philosophus*, et similibus, plenam constructionem esse, nihilque necessario subaudiendum contendunt. Vid. And. Monroum, Inst. Gramm. p. 81. Ipse etiam Vossius, de Constr. c. 2. in fin. hac de re haesitat, nec quicquam definit. Mihi autem potior videtur Prisciani, lib. XVIII. col. 1139. Linacri, p. m. 140. Sanctii, p. 572. aliorumque opinio, quae in his locutionem figuratam agnoscit, subaudiendumque esse verbi substantivi participium statuit. Confer supra p. 84, n. 73.

4) Cum diversarum personarum substantiva apponuntur, Evocationem vulgo appellant: at vide quae nos ea de re supra diximus, p. 85, n. 76.

5) Confer quae de hac figura supra fusius dicta sunt, p. 62.

Digitized by Google

ASYNDETON.

☞ Asyndeton est, coniunctionis, maxime copulativae, in oratione defectus: ut, *Deus optimus maximus*; pro, *optimus et maximus*. *Sartum tectum conservare*; pro, *sartum et tectum*. *Aequi boni consulere*; pro, *aequi et boni*. Sic Sall. Cat. 54, 1. *Genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere*. Cicer. Catil. II. 1. *Abiit, excessit, evasit, erupit*. Virg. Aen. IV. 594. *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos*. * Item aliarum coniunctionum: ut, *Velis, nolis*, sup. *seu*. *Plus minus*, pro *plus minusve*. *Sex septem dies*, pro *sex vel septem*. Hor. Sat. I. 4, 15. *Decies centena dedisses Huic parco*, pro *si dedisses* [6]). Virg. Ecl. II. 17. *Nimium ne crede colori: Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur*, pro *nam alba ligustra*, etc. Ter. Adel. II. 1, 5. *Quanquam est scelestus, non committet hodie unquam, iterum ut vapulet*; pro, *non committet tamen* [7]). [Praecipue in oratione trimembri et sententiis oppositis regnare asyndeton, satis notum est. G. St.]

ELLIPSIS *laxiore sensu accepta*.

☞ Ellipsis *laxiore sensu accepta* est, cum vox in oratione deficiens e proximo assumenda est. Id autem dupliciter fit:

☞ I. Cum adiectivum vel verbum semel expressum, in diversis membris, absque ulla mutatione, repetendum est: ut, Cic. Parad. VI. 2. *Nulla possessio, nulla vis auri pluris quam virtus aestimanda est*. Quae sententia, ut omnibus numeris absoluta fiat, sic integranda est: *Nulla possessio pluris quam virtus aestimanda est: Nulla vis auri pluris quam virtus aestimanda est*. Ubi nec genus, nec numerus, nec casus mutatur [8]). Sic Id. pro C. Rabir.

---

6) Vid. supra p. 856. n. 28.

7) Add. Ursinum, p. 539 et 540.

8) Eleganter interdum desideratur idem verbum, sed alia significatione: ut si dicas, *Aeneas patrem, Nero matrem sustulit*. Cui similia sunt, Justin. VI. 9. 14. *Provolutae deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur*. Et III. 1. 9. *Et caedem patris, et se ab insidiis vindicavit*. Ubi in priore exemplo verbum *deprecor*, alibi pro *precor*, alibi pro *precando adversor*, accipitur: in posteriore *vindico*, et pro *ulciscor*, et pro *libero* sumitur. Confer Linacrum, lib. VI. p. M. 437. Sanctium, et in eum Perizonium, IV. 8. n. 4. * Saepe plures orationes uno verbo claudi videntur, sed ad verum sensum aliud supplendum est; ut, Ter. And. III. 5. 18. *Hoc tempus praecavere mihi me; non te ulcisci sinit*. Cic. Att. X. 4. *Fortuna qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur*. Tac. Ann. II. 20. 2. *Quod arduum sibi, caetera lega-*

Digitized by Google

c. 8. *Virtus, et honestas et pudor cum Consulibus esse cogebat.* Et Virg. Aen. X. 176. *Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent, Et linguae volucrum, et praesagi fulminis ignes.* In quibus exemplis, *cogebat* et *parent* semel posita, illud bis, hoc ter praeterea, sine mutatione, repetenda sunt[9]).

☞ II. Cum adiectivum vel verbum, semel expressum, in diversis membris repetendum est, sed genere, numero, casu vel persona mutatis. * Id autem varie, pro triplici adiectivi vel verbi exprimendi ratione, in tribus quae hinc ortae sunt figuris, Zeugmate, Syllepsi et Prolepsi, ut mox patebit, accidere solet.

---

tis permisit. Nep. XXIII. 8. 2. *Alii naufragio, alii a servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt.* In priore horum exemplorum parte, *jubet, usi esse, sumpsit, periisse,* intellige. Sic Phaedr. IV. 17. 31. *Non veto dimitti, verum cruciari fame:* ubi posteriore loco *jubeo* supplendum. Cui geminum illud Buchanani nostri, Hist. Scot. lib. VII. extr. *Vetuit quenquam a peregrinis invecta emere, praeter mercatores: caeteros autem quod cuique usui esset, ab illis redimere*: ubi posteriore clausula *jussit* intelligendum. Plura ejusmodi vide ap. Linacr. p. 458. Sanct. pag. 712. et ad eum Perizon. ibi, Methodi Auct. p. 539. item Manut. ad Cic. Fam. IV. 5. Gronov. Observ. IV. 2. Munker. ad Hygin. Fab. XIV. circa fin. Cortium ad Sall. Jug. 38. 9. et 42. 4. * Huc adde, cum vox *negat* ad duo commata refertur, in quorum altero intelligendum tantum *dicit*: ut, Plaut. Most. V. 1. 3. *Ille quidem haud negat.* Th. *Imo aedepol negat profecto: neque se has aedes Philolachi vendidisse,* subaudi *dicit*, vel *affirmat.* Auct. ad Her. IV. 20. *Negat se accedere posse, nec aedificare etiam nunc audere,* supple *dicit.* In his autem, ut alias saepe, *negat* in expositione et constructione accipiendum pro *Non dicit*, vel *dicit non.* Pari itidem ratione *nemo* in *non homo* vel *homo non* resolvendum, et negatio in posteriore commate omittenda: ut, Hor. Sat. I. 1. 1. *Qui fit, Maecenas, ut nemo quam sibi sortem, Seu ratio dederit, seu Fors objecerit, illa Contentus vivat? laudet diversa sequentes,* i. e. *homo non vivat contentus, sed laudet,* etc. Confer Perizon. p. 695 et 713. Goclen. Observ. L. L. p. 359. [De vocc. *quisque, aio, volo, ut,* post *nemo, nego, nolo, ne,* omitti solitis cfr. Manut. ad Cic. Or. pro Quinct. 26. Gronov. Observatt. IV, 2. Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 47. Heindorf. ad Horat. Satyr. I, 1. 1. coll. not. ad Gorgiam. §. 29. Potuit etiam huc referre omissum *non* post *non modo*, sequente *nequidem*, et aliis formulis, de quo vid. Oudendorp. ad Caesar. B. G. II, 17. extr. Manutius ad Cic. Epist. I, 9. 23. Muret. Var. Lectt. X. 7. Ernesti in Cla. Cicer. Heindorf. ad Cicer. de N. D. III, 25. Walchii Emendatt. Livian. pag. 56. sqq. Beierum ad Cic. Offic. III, 29. §. 105. Ochsnerum ad Oliveti Eclogas Cicer. p. 259. collat. August. Matthiae in Wolfii Analectis Litter. III, p. 4. G. St.]

9) Sic idem Virg. Aen. III. 359. *Trojugena, interpres Divum, qui numina Phoebi, Qui tripodas: Clarii lauros, qui sidera sentis, Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae*: ubi *sentis* semel positum, quinquies praeterea iterandum est.

Digitized by Google

ZEUGMA.

☞ Zeugma [10]) est, cum adiectivum vel verbum diversis nominibus substantivis adiunctum, cum propiore expresse convenit, alteri, sed mutatis accidentibus, intelligendum [11]).

☞ Estque, vel generis, vel numeri, vel personae [12]).

---

10) Multi latius *Zeugmatis* vocem extendunt, et hoc quoque *Ellipseos* genus ea comprehendunt, in quo adjectivum vel verbum in diversis membris ἀπὸ κοινοῦ repetitur eodem modo quo expressum est: ut, Sall. Catil. 52. 6. *Libertas et anima nostra in dubio est.* Ter. Adel. III. 3. 88. *Homo antiqua virtute ac fide:* de qualibus modo diximus. * Alii contra, ut Diomedes, col. 440. Donatus, col. 1773. eosque secuti Linacer. p. 425. et Alvarus, p. 430. quae Despauterius, Saturnius, et plerique omnes recentiores Grammatici Zeugmati, ea Syllepsi subjiciunt.

11) Ad *Zeugma* igitur quinque requiruntur; 1. Plura diversa supposita, seu substantiva. 2. Copula, sive conjunctio. 3. Proprietas, i. e. verbum vel adjectivum. 4. Concordia proprietatis cum viciniore supposito. 5. Discordia ejusdem cum remotiore. Sic in illo Statii, Achill. I. 500. *Sordet vulgo Calydonius heros, Et magno Telamone satus, Ajaxque secundus, Nos quoque.* 1. Diversa supposita sunt *Diomedes, duo Ajaces*, et *nos.* 2. Copula *et, que, quoque.* 3. Proprietas, *sordet.* 4. Ejus concordia cum propiore supposito, *Calydonius heros*, i. e. *Diomedes, sordet.* 5. Discordia cum remotiore *nos, sordemus* enim erat dicendum.

12) Etiam in verborum temporibus Zeugmati locus est: ut in illo Virgilii, Ecl. VI. 69. *Hos tibi dant calamos (en accipe) Musae, Acraeo quos ante seni*, supple *dederunt.* Sic Sallust. Catil. III. 2. *Quia plerique quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia putant*, supple *reprehendisse:* Ter. Adel. III. 4. 8. *Nisi facient quae illos aequum est*, puta *facere:* in quibus etiam et modi Zeugma est. Adde Cortium ad Sall. Jug. 64. 5. Quin et interdum *Casuum Zeugma* fit, cum scil. diversae constructionis verba vel nomina uni casui expresse, alteri tacite subjicitur: ut, Ovid. Met. I. 578. *Nescia gratentur, consolenturne parenti:* ubi priore loco *parenti* supplendum. Sic Quinctil. V. 10. *Et quas res, quosque homines, quibus rebus, aut hominibus, vel conciliasset, vel alienasset ipsa natura.* Et Ter. Adel. I. 2. 4. *Quem neque pudet quidquam: nec metuit quenquam: neque legem se putat tangre ullam.* Et v. 65. *Verum si augeam, Aut etiam adiutor sim eius iracundiae.* At haec parum tersae Latinitatis, nec temere imitanda pronunciant L. Valla, Eleg. III. 26. Linacer, p. 420. et Despauterius, p. 219. Alios tamen et optimos Latinitatis scriptores ita nonnunquam locutos invenimus: ut, Sall. Jug. 54. 1. *Universos in concione laudat, atque agit gratias.* Id. Catil. 51. 38. *Imitari quam invidere bonis malebant.* Cic. pro Cluent. c. 2. *Unaquaque de re dicam, et diluam.* Liv. XXXVI. 31. *Si qua haberent, de quibus aut recusare, aut in posterum caveri sibi vellent, Corinthum ad se venirent.* Confer Cortium ad Sallustii loc. proxime cit. * Est et aliud *Zeugmatis* genus, quod *sensus*, sive *significationis* dici possit: ut, Virg. Aen. II. 320. *Sacra manu, victosque Deos, parvumque nepotem Ipse trahit*; ubi unum verbum tribus vocibus additur, quod tamen cum postremae tantum, sc. *nepotem*, respondeat, subaudiendum aliud verbum, significatione huic nonnihil affine, quod prioribus

Digitized by Google

☞ I. Generis: ut, Horat. Sat. II. 5. 8. *Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est.* Ter. And. III. 4, 5. *Utinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.* Id. Eun. VII. 9. *Huc ades, O Meliboee; caper tibi salvus, et hoedi.* Id. Aen. I. 16. *Hic illius arma, hic currus fuit.* Id. Aen. V. 343. *Tutatur favor Euryalum, lacrymaeque decorae.*

☞ II. Personae: ut, Cic. ad Q. Fr. II. 10. *Paene ille timore, ego risu corrui.* Virg. Ecl. II. 16. *Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.* Ter. Heaut. i. 2. 17. *Clinia servulum misit, et ego una nostrum Syrum.*

☞ Not. 1. Pro diverso adiectivi vel verbi situ Zeugma trifariam dividi solet: nimirum in Protozeugma, sive *Zeugma in principio*: ut, Virg. Aen. IV. 525. *Cum tacet omnis ager, pecudes, pictaeque volucres.* Mesozeugma, sive *Zeugma in medio* [13]): ut, Id. Geo. II. 495. *Illum non populi fasces, non purpurea Regum Flexit, aut infidos agitans discordia fratres, Non res Romanae, perituraque regna.* Et Hypozeugma, sive *Zeugma in fine*: ut, Sallust. Cat. 10. 2. *Iis otium, et divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere.*

☞ Not. 2. Nonnunquam adiectivum vel verbum cum substantivo convenit remotiore [14]): ut, Suet. Calig. 13. 1.

---

illis, *sacra* et *victos Deos*, conveniat, veluti *portat, fert*, vel simile. Sic id. Virg. Geo. I. 93. *Ne tenues pluviae, rapidive potentia Solis Acrior, aut Boreae penetrabile frigus adurat!* ubi verbum *adurat* commode quidem ad *potentia rapidi Solis* et *penetrabile frigus Boreae* refertur; at non item ad primum *tenuis pluviae*, in quo *noceant* aut simile quid subaudiendum, Hor. Sat. I. 3. 9. *Saepe velut qui Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui Junonis sacra ferret*: ubi posteriore loco *incedebat* intelligendum. Confer paulo superius n. 8. et adde Ursin. To. II. p. 531. Goclen. Probl. Gramm. IV. 16. Drakenb. ad Sil. XII. 64. Bronkh. ad Tibull. I. 4. 59. Lowaenm, Gram. p. 18. n. 22. dd. [Vide Sanctii Minerv. p. 382. sqq. ed. Bauer. Gronov. ad Senec. de Ira 3, 3. Graev. ad Flor. III. 21. 26. Heusing. ad Nep. Alcib. III, 5, Matthiae ad Cic. pro Rosc. Am. §. 22. G. St.]

13) Quae vulgo *Mesozeugmatis* exempla Grammatici adferunt, huc non quadrant: veluti, Virg. Ecl. VII. 9. *Caper tibi salvus, et hoedi.* Tac. de Orat. 10. i. *Mediocres poëtas nemo novit, bonos pauci.* Liv. XXXVII. 53. *Nemo miles Romanus magis assiduus in castris fuit, quam ego fratresque mei.* In his enim cum verbum vel adiectivum cum primo supposite conveniat, verius est ad *Protozeugma* ea referre.

14) Saturnius, X. 4. et Vossius Constr. c. 19. hoc Zeugma *inversum* sive *praeposterum* vocant: Ursinus vero, pag. 175. ad *Syllepsin* potius referendum censet; utpote in quibus dignioris generis vel personae ratio haberi videatur. Quod autem ex Julio Obsequente de Prodig. adferunt Saturnius, l. c. Sanctius, p. 712. *Caelum ac terra ardere visum*, non facile imitandum duxerim. Plura de hac re vide supra p. 52. n. 70.

Digitized by Google

sic imperium adeptus populum Romanum, vel dicam hominum genus, voti compotem fecit. Sall. Iug. 49. 5. *Cum natura loci, tum dolo, ipsi, atque signa militaria, obscurati.* Liv. I. 52. *Ego populusque Romanus populis priscorum Latinorum bellum indico facioque.*

☞ Not. 3. Alioquin principali substantivo, sive propiori, sive remotiori, adiectivum vel verbum aptius accommodatur: ut, Sall. Iug. 2. 2. *Ingenii egregia facinora, sicut animae, immortalia sunt.* Liv. XXXI. 24. *Porta ea, velut in ore urbis posita, maior aliquanto patentiorque, quam caeterae, est.* Sic Ter. Heaut. v. 3. 20. *Praeterea talem, nisi tu, nulla filium pareret:* Vel, *Talem filium nulla, nisi tu, pareret* [15]).

☞ Not. 4. Interdum tamen aliter fit: ut, Sall. Cat. 25. 3. *Sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit.* Id. Iug. 50. 6. *Sin opportunior fugae collis, quam campi fuerant* [16]). Virg. Eccl. VIII. 67. *Nihil hic, nisi carmina desunt.* Cic. Phil. IV. 4. *Quis igitur illum Consulem, nisi latrones putant* [17])?

---

15) Vix aliter locum habet haec loquendi formula, nisi cum intercedit adverbium aliquod comparandi seu similitudinis: ut, *Melius ego istud, quam vos, fecissem;* non, *quam vos fecissetis. Ille perinde, ut tu, liber est;* non, *ut tu liber es.* Sic Cic. Att. VIII. 12. *Nunc, cum hoc tempore nihilo magis ego, quam vos, subsidio Domitio ire possim.* Sic vulg. Interp. Psal. XCVII. 5. *Montes, sicut cera, fluxerunt:* et Psal. CII. 12. *Ego, sicut foenum, arui:* et Psal. CXXIV. 7. *Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium.*

16) Ita plerique et meliores editi: MStis tamen *fuerat* legitur, quod et defendit Perizonius ad Sanct. p. 712. At Cortius, quanquam in consensu codicum dubitat, nihilo minus veram esse alteram illam lectionem existimat. * Sic cum pluribus MStis ap. eund. Sall. Iug. 74. extr. *Nam ferme Numidae in omnibus praeliis pedes magis quam arma tuta sunt*, edidit idem Cortius, praeeuntibus Grutero et Wassio. Aliis (quod eodem redit) *tutata*; aliis *tutati sunt*, legitur.

17) Ubi nisi clausulam subiungit, tametsi verbum posteriore loco ponitur, tamen cum priore nominativo potius in accidentibus concordare docent Linacer, p. 425. et Despauterius, p. 220. At alienum est quod eius rei adducunt ex Terentii loc. cit. exemplum, *Talem, nisi tu, nulla filium pareret;* illic eum verbum, ut cum principaliore, ita cum viciniore supposito *nulla* convenit. Hoc eorum praeceptum rationi magis et regulis artis consentaneum esse non nego. At in his Latinos Scriptores, Poëtas praesertim, verbum propinquiori substantivo, licet minus principali, saepius adaptasse existimo. Exemplis allatis adde Ovid. Art. III. 27. *Nil, nisi lascivi per me discuntur amores.* Id. Remed. v. 591. *Quid, nisi secretae laeserunt Phyllida silvae?* Id. Trist. I. 2. 1. *Quid enim nisi vota supersunt?* Quinctil. Declam. 12. 17. *Nihil gravius quam destitutae aquae torquent.* Similiter et Nasonem scripsisse crediderim, Trist. IV. 10. 85. *Si tamen exstinctis aliquid nisi nomina restant:* et Pont. IV. 2. 45. *Quid nisi Pierides, solatia frigida,*

Digitized by Google

SYLLEPSIS.

Syllepsis [18]) est, qua adiectivum vel verbum, diversis substantivis additum, consentit cum digniore [19]).

Triplex autem est Syllepsis; 1. *Generum.* 2. *Personarum.* 3. *Numerorum* [20]).

Ex generibus vero dignius est masculinum femininо, et hoc neutro [21]). Ex personis prima dignior est secunda, et haec tertia. Ex numeris pluralis dignior est singulari.

SYLLEPSIS *generum.*

Syllepsis *generum* est, quando adiectivum, substantivis diversi generis iunctum, cum eo quod dignioris generis est, convenit.

Estque vel *explicita*, vel *implicita*,

Explicita est, cum substantiva diversi generis exprimuntur: ut, Ovid. Met. VIII. 681. *Attoniti novitate pavent, manibusque supinis Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon.*

Implicita est, cum substantiva diversi generis non exprimuntur, sed sub voce aliqua latent animo intelli-

---

restant: quomodo vetustius editi compluresque ex MStis habent: quanquam illic Heinsius, eumque secuti *restat* praetulerint. Quamobrem et codicibus nonnullis Met. XIV. 396. *Nec quidquam antiqui Pico, nisi nomina restant*, legerim; quamvis Heinsius, castigatioribus plerisque *restat* scriptum affirmet.

18) Latine Conceptio, seu Comprehensio: ideo sic dicta, quod per eam id quod dignius est minus dignum concipiat, seu comprehendat. Ad Syllepsin autem constituendam quinque omnino sunt necessaria; 1. Vox concipiens, i. e. substantivum dignioris generis, personae vel numeri. 2. Vox concepta, substantivum. sc. generis, personae vel numeri minus digni. 3. Proprietas, i. e. adiectivum vel verbum pluralis plerumque numeri. 4. Copula, sive coniunctio, aut eius loco praepositio cum. 5. Convenientia proprietatis cum voce concipiente, non vero cum concepta.

19) Hoc praecipue discrimine Syllepsis a Zeugmate distinguitur, quod hic propioris, illic dignioris substantivi ratio habeatur.

20) Vulgo et quartam huius figurae speciem, Syllepsin nempe *casuum*, adiiciunt: ut in his Virg. Aen. I. 292. *Remo cum fratre Quirinus Jura dabunt.* Et Curt. IV. 3. 17. *Pharnabazus cum Apollonide et Athenagora vincti traduntur*, et similibus; in quibus adiectivum vel verbum plurale nominativo et ablativo, intercedente praepositione cum subiicitur: nominativum enim caeteris casibus digniorem esse volunt. At cum nulla proprie uni casui prae reliquis dignitas sit, rectius cum Saturnio, X. 5. et Ursino, p. 553. et 561. haec ad Synesin referenda sunt. Confer etiam supra p. 29. n. 62. et pag. 34. n. 71.

21) An femininum neutro dignius sit, haud satis inter se Grammatici conveniunt. Vid. supra p. 31. n. 66.

Digitized by Google

genda: ut, Ovid. Med. I. 575. *Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque* [22]) *Pronus humi*; i. e. *Deucalion* et *Pyrrha*. Virg. Aen. IV. 95. *Una dolo Divum si femina victa duorum est*; i. e. *Cupidinis* et *Veneris* [23]).

Rursus *Syllepsis generum* vel *directa* est, vel *indirecta* [24]).

☞ Directa fit per coniunctionem copulativam: ut, Ter. Eun. III. 3. 11. *Pater mihi et mater mortui.*

☞ Indirecta fit per praepositionem cum: ut, Sall. Hist. III. *Dux hostium cum urbe Valentia et exercitu deleti* [25]).

☞ Not. 1. In rebus inanimatis adiectivum ut plurimum neutro genere adhibetur: ut, Virg. Ecl. III. 12. *Daphnidis arcum Fregisti et calamos: quae — cum vidisti puero donata dolebas.* Cic. Fam. VI. 10. *Ut operam, consilium, rem, fidem meam, sibi ad omnes res parata putent* [26]).

☞ Not. 2. Cum duobus substantivis singularibus diversi generis apponitur aliud substantivum plurale, digniores generis ratio habetur: ut, Liv. XXXVII. 3. *Ptolemaeus et Cleopatra Reges Aegypti*; i. e. *Rex* et *Regina*. Sic *parentes mei*, de *patre* et *matre*, *Liberi mei*, de *filio* et *filia*; *Fratres mei*, de *fratre* et *sorore*, dicuntur [27]).

SYLLEPSIS *personarum.*

☞ Syllepsis *personarum* est, quando substantivis personae adiungitur verbum plurale [28]), digniori personae congruens.

---

22) Ex hoc apparet adiectivum (accedente *uterque*) quandoque singulari, sed digniore genere adhiberi posse. Sic id. Ovid. Heroid. v. 46. *Miscuimus lacrymas maestus uterque suas.* Interdum plurali: ut, Ovid. Heroid. IV. 114. *In magnis lacsi rebus uterque sumus.* Interdum utroque, Id. Art. II. 508. *Impliciti laqueis nudus uterque jacent.* * Ursinus autem, p. 551. in his: Planci ad Cic. Fam. X. 24. *Amor tuus, ac judicium de me, utrum plus mihi dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facile dixerim*: et Fam. V. 21. sub fin. *Praeter culpam, ac peccatum, qua semper caruisti*, Syllepsin generis agnoscit, qua adiectivum etiam singulare ad dignius quamvis remotius genus aptatur. Confer supra p. 35. n. 70.

23) Sic Ovid. Fast. III. 394. *Nuberc si qua voles, quamvis properabitis ambo, Differ: habent parvae commoda magna morae.* Sic Virg. Ecl. III. 33. *Bisque die numerant ambo pecus: alter et hoedos; ambo*, i. e. *pater* et *noverca*, et *alter* [parentum] i. e. *noverca*. Vid. ibi Servium.

24) Alii Syllepsin *directam* eam vocant quae fit per Homoeoptosin, i. e. *pares casus*: *Indirectam* vero quae per Heteroptosin, i. e. *casus impares.*

25) Confer quae de hac Syllepsi dicta sunt, p. 29. n. 62. praecipue vero p. 37. n. 71.

Digitized by Google

☞ Ea quoque *explicita* est, vel *implicita*.

☞ Explicita est, cum personae exprimuntur: ut, Cic. Fam. VII. 5. *Sustulimus manus et ego et Balbus.* Id. in Rull. I. *Errastis, Rulle, vehementer, et tu et collegae tui.*

☞ Implicita est, cum personae non exprimuntur: ut Plaut. Epid. V. 2. 54. *Quem per urbem uterque defessi sumus quaerere.* Id. ibid. II. 2. 73. *Dederim vobis consilium catum, Quod laudetis, ut ego opinor, uterque.*

☞ Est et *Directa*, vel *Indirecta*. Directa: ut, Cic. Fam. XIV. 5. *Ego et Cicero valemus.* Indirecta: ut, Id. Cic. Attic. VII. 18. *Ipse cum fratre Capuam ad Consules adesse iussi sumus* [28]).

SYLLEPSIS *numerorum.*

☞ Syllepsis *numerorum* est, cum diversorum numerorum substantivis adiectivum vel verbum plurale subiicitur: ut, Virg. Aen. IV. 140. *Phrygii comites et laetus Iulus Incedunt.* Id. ibid. v. 651. *Dum fata Deusque sinebant, Vixi* [31]). Curt. III. 6. 10. *Proiectisque amiculo et literis.*

---

26) Interdum etiam et in rebus animatis, Vid. supra p. 31. n. 68.

27) Adde supra p. 36. n. 78.

28) Non ad verbum solum plurale restringendam esse *personarum* Syllepsin existimat Ursinus, p. 555. sed et eam cum verbo nonnunquam singulari invenire: ut in hoc Livii, I. 32. *Ego populusque Romanus populis priscorum Latinorum bellum indico faciòque*: item in hoc Horatii, Sat. II. 6. 65. *O noctes coenaeque Deum, quibus ipse meique Ante Larem proprium vescor.* In his enim ait personae dignioris rationem habitam esse. Atque hoc quidem mihi verius videtur, quam quod alii volunt, qui haec ad Zeugma (sed inversum) referunt. Vid. supra p. 32. n. 70. et paulo ante n. 14.

29) Singulari crebrius uti Oratores notat Vossius, Gram. min. p. 95. ut, Cic. ad Q. Fr. III. 2. *Domitius cum Mesalla certus esse videbatur.* Confer supra p. 34. n. 71.

30) Sunt qui non satis recte Syllepsin numeri restringunt ad solum verbum, excluso adiectivo. Alii autem tam late eam extendunt, ut verbum quoque vel adiectivum plurale substantivis singularibus copula coniunctis redditum ea comprehendant: ut in his Virg. Aen. II. 316. *Furor iraque mentem praecipitant.* Cic. in Orat. c. 12. *Herodotus Thucydidesque mirabiles.* At Saturnius, X. 5. et Ursinus, p. 552. rectius id genus ad Synesin, vulgo Synthesin dictam, reducunt. * Sed et haec, Virg. Ecl. I. 81. *Sunt nobis mitia poma, Castaneae molles, et pressi copia lactis.* Sall. Catil. 58. 2. *Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam hortere*, et similia, quae Aldus Manutius, fol. 103. Despauterius, p. 216. Behourtius, p. 51. huc referunt, rectius mea sententia ad Zeugma pertinere videntur, utpote in quibus non tam dignitas numeri, quam ipsius propinquitas respiciatur. Id quod ipse Despauterius, l. c. in hoc Virgilii, Ecl. V. 23. *Atque Deos atque astra vocat crudelia mater*, agnoscit, qui Hypozeugmati id tribuit.

31) In illo autem Virg. Ecl. VII. 45. *Muscosi fontes, et somno*

Digitized by Google

☞ Not. Ea nonnunquam et *indirecte* fit: ut, Tac. Ann. II. 11. 4. *Equites cum Aemilio subvenientes periculo caeteros exemere.*

PROLEPSIS.

☞ Prolepsis est, cum toti subiiciuntur partes, numeris aut personis a toto diversae, verbo vel adiectivo non repetito [32]). Numeris: ut, Liv. I. 12. *Principes utrinque pugnam ciebant; ab Sabinis Mettius Curtius, ab Romanis Hostus Hostilius.* Sall. Catil. 58. 6. *Exercitus hostium duo, alter ab urbe, alter a Gallia, obstant.* Personis [et *numeris*:] ut, Ter. Adel. II. 2. 5. *Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.* Virg. Ecl. v. 1. *Boni quoniam convenimus ambo, Tu calamos inflare leves, ego dicere versus*; i. e. *Ego conveni, bonus inflare calamos; tu convenisti, bonus dicere versus.* Et sic in aliis.

☞ *Prolepsis* etiam *explicita* est, vel *implicita.*

☞ Explicita est, in qua totum et partes exprimuntur: ut, Liv. IX. 27. *Consules, Sulpicius in dextro, Petilius in laevo cornu, consistunt* [33]).

☞ Implicita est, in qua totum vel partes supprimuntur: ut, Virg. Ecl. VII. 2. *Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum, Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas*; i. e. *pastores* [Thyrsis et Corydon.] Ter. Adel. I. 2. 50. *Curemus aequam uterque partem; tu alterum, ego item alterum*; i. e. *nos uterque, ego meam, tu tuam, partem curemus.* Ovid. Her. XIII. 150. *Vestras quisque redite domos*; i. e. *vos redite domos, tu tuam, alius suam* [34]).

---

mollior herba, Et quae vos rara viridis tegit arbutus, umbra, Solstitium pecore defendite, et numerorum et personarum simul Syllepsis est: neque enim hic necesse est cum Linacro, p. 477. Enallagen personarum statuere, pro *arbute quae tegis.* Quid enim obstat quo minus aliquem praesentem, ut is cum alio absente aliquid agant, numero plurali secundaque persona compellare queamus? veluti, *Tu, et Petrus, qui oves ruri pascit, eas a lupis defendite: Tu Labiene, cum Cotta, qui legioni quintae praeest, dextrum hostium cornu invadite.* Conf er interim Despaut. p. 216.

32) Ad *Prolepsin* quinque sunt necessaria; 1. Totum. 2. Partes. 3. Determinationes partium. 4. Proprietas, verbum nempe vel adiectivum. 5. Ordo, qui in eo consistit, ut praecedat totum, partes sequantur. Quibus addi potest et 6. Ut totum et partes eiusdem sint casus. Aliter enim, si in genitivo partitionis totum sit positum, haec Figura locum non habet: ut si dicam, *Consulum alter de Hernicis, alter de Aequis triumpharunt.* Confer supra p. 82. n. 27. et 28.

33) Verbum fere cum toto, non cum parte aliqua convenit, proindeque pluralis numeri est. Interdum tamen aliter fit: ut, Liv. XLI. 13. *Quando duo ordinarii Consules eius anni, alter ferro, alter morbo perissent.* Sic Id. VI. 34. *Fabii Ambusti potentis viri filiae duae nuptae,*

Digitized by Google

CAP. II.

De Pleonasmo *eiusque speciebus.*

Pleonasmus [1]) est, vocis unius vel alterius in oratione redundantia.

Estque praecipue, Nominis, Pronominis, Participii, Adverbii aut Coniunctionis [2]).

1. Nominis: ut, Ter. Adel. III. 2. 51. *Hisce oculis egomet vidi.* Virg. Aen. I. 614. *Sic ore locuta est.*

Ser. Sulpitio major, minor C. Licinio erat: Caes. B. G. I. 53. *Duae filiae harum, altera occisa, altera capta est.*

34) Huc spectant et illae loquendi formulae, Virg. Aen. VI. 743. *Quisque suos patimur manes*, i. e. *Ego patior meos, tu tuos pateris, ille patitur suos.* Sall. Catill. 7. 1. *Coepere se quisque extollere*, i. e. *hic, ille, alius coepit*, sive *omnes coepere.* Sic Plaut. Stich. II. 2. *Alius alium perconlamur.* Senec. Epist. I. 7. *Satis magnum alter alteri theatrum sumus.* Sall. Jug. 12. 2. *Reguli in loca propinqua thesauris alius alio concessere.* Gell. XI. 7. *Adspexerunt omnes qui aderant alius alium.* In quibus et similibus *alius* et *alium* saepius quasi repeti intelligenda sunt. Confer Alvar. p. 433. et Cortium ad Sall. loc. cit. Sic in hoc Terentii, Adel. IV. 4. 24. *Aperite aliquis actutum ostium*, totum in *vos aperite* continetur, partes in *aliquis* intelliguntur, q. d. *aliquis tu, tu*, vel *tu, quicunque intus es, aperi ostium.* Cui geminum illud Plauti, Pseud. V. I. 37. *Aperite, aperite, heus, Simoni me adesse quis nunciate:* Alii tamen haec ad Synesin, alii ad Archaismum referunt.

1) Duplex est *Pleonasmus*, alius *nativus*, alius *consuetudinis.* In illo vox una vel altera vere abundat; in hoc videtur quidem abundare, revera autem orationem integrat, v. g. in hoc Sallustii init. *Omnis homines, qui sese student praestare caeteris animalibus*, pronomen *sese*, quod ad usum recentiorem attinet, abundat; non item si nativam constructionem respicias. Similiter in hoc Terentii, Adel. I. 1. 24. *In eo me oblecto*, praepositio usu redundat, re autem vera ad orationis integritatem pertinet. Par ratio in *homo Italus, homo consularis, homo servus*, ubi usus communis vocem *homo*, quam tamen naturae ratio requirit, fere abjicit. Et sic in aliis. Nos hic de nativo Pleonasmo potissimum loquimur. Ursin. p. 516. * Ad Pleonasmum consuetudinis refer, cum antecedens, quod plerumque omitti solet, tum relativo reperitur: ut, Caes. B. G. I. 6. *Diem dicunt, qua* [*die*] *ad Rhodani ripam omnes conveniant.* Vid. supra 17. et n. ibi 46. [Pleonasmi, ut ellipseos, notionem accuratius definivit God. Hermannus ad Vigerum p. 885. coll. p. 869. G. St.]

2. Nonnunquam et verba redundant: ut in his Plautinis, Poen. I. 3. 24. *Pergin' pergere.* Aul. II. 2. 4. *Propero properare.* Capt. II. 1. *Meminisse ut memineris.* Sed haec aliaque ejusmodi Comicis [illegible] *Male mulcatus*

Plaut. Capt. IV. 3. 33. *Memoria memini.* Sic, *Ubique locorum, Nusquam gentium.* Item, *Vivere vitam, Servire servitutem* [3]), etc.

2. Pronominis: ut, Hor. Epist. I. 3. 15. *Quid mihi Celsus agit?* Virg. Aen. V. 591. *Ubi nunc nobis Deus ille magister* [4]). Cic. Fam. XIII. 28. *Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo.* Plaut. Poen. V. 2. 109. *Pater tuus, is erat frater patruelis meus* [5]). Ter. Heaut. I. 1. 32. *Fac me ut sciam.* Cic. ad Q. Fr. II. 15. *Haec me ut confidam faciunt.*

3. Participii: ut, Lucr. I. 121. *Ennius aeternis exponit versibus edens.* Virg. Aen. IV. 17. *Postquam primus amor deceptam morte fefellit* [6]).

4. Adverbii: ut, Plaut. Pseud. I. 4. 15. *Praesensit prius.* Ter. Eun. II. 2. *Olim isti fuit generi quondam quaestus apud seclum prius.* Virg. Cul. v. 78. *Magis beatior* [7]). Sic, *Nimis demiror, Insanum valde deamare,*

---

8) Sic Ter. Heaut. IV. 1. 39. *Expers partis de nostris bonis; Homo nemo*, apud Comicos et ipsum Cic. *Parricidam parentis sui clamitans esse*, ap. Curt. VIII. 7. 2. In quibus vox compositae additur, quae jam in ea continetur. * Cum nomini deminutivo additur adjectivum deminutionem notans: ut, *Ossicula parva, navicula parva, minuti piciculi*, adjectivum non prorsus superfluum esse, sed majorem rei deminutionem significare videtur. Adde Part. I. p. 192.

4) Vid. supra p. 126. n. 44. [Dativum illum *πάθος* quoddam et animi affectionem indicare, inter omnes constat. G. St]

5) Sic Liv. I. 19. *Urbem novam, conditam vi et armis, jure eam legibusque de integro condere parant.* Id. Ibid. c. 58. *Cultrum, quem sub veste abditum habebat, cum in corde defigit.* Cic. Fam. VII. 9. *Cn. Octavius Cn. Cornelius, is me crebro invitat.* Ibid. Ep. 26. *Lex sumptuaria, — ea mihi fraudi fuit.* Senec. ad Marc. c. 25. *In aeterna rerum per vasta et libera spatia dimissos, non illos interfusa maria discludunt.* Sall. Catil. 37. 4. *Sed urbana plebes, ea vero praeceps erat multis de causis.* Adde quae ibi Cortius. * Inderdum eadem vox repetitur: ut, Plaut. Aul. III. 6. 15. *Qui mihi omnes angulos Furum implevisti in aedibus misero mihi.*

6) Adde major, de var. orat. cap. IV. Sect. 3. p. 438.

7) Talia sunt adverbia ejusdem fere significationis conjuncta: ut, *Jam nunc, repente subito, propere ocyus, deinde deinceps, ibi tum, tandem denique, rursum denuo, sane quidem, prorsus omnino, nequicquam frustra*, et similia, quae ex variis auctoribus congessit idem Major, cap. V. Sect 9. p. 550. * Quae autem Pleonasmi in particulis geminatis exempla idem affert, p. 547, seqq. pleraque non sunt: ut, *Jam jamque, ubi ubi, etiam atque etiam, iterum iterumque, magis magisque, minus et minus, plus plusque*, etc. Alia enim his geminatis (ut Ursino, p. 519. notatum) vis inest et significatio, quam cum extra geminationem et solitarie ponuntur. * Nonnunquam per Epizeuxin vel Anaphoram eaedem voces repetuntur: ut ap. Sil. XVII. 230. *Nunc nunc invadere ferro Quis prohibet?* Et Virg. Ecl. v. 14. *Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi Ulla moram*

Digitized by Google

Itera mihi iterum, *Rursus reverti*, ap. Plaut. *Retro referri*, ap. Virg. *Multa concurrunt simul*, ap. Terent. etc. [8]).

☞ 5. Coniunctionis: ut, Plaut. Pseud. I. 3. 119. *Etiam consultis verbis quoque.* Ter. Eun. II. 3. 25. *Itaque ergo amantur.* Cic. Att. XVI. 7. *Etsi quamvis non fueris suasor.* Sic, *Quasi si*, *Nisi si*, *Tamenetsi tamen* [9]).

☞ Sub *Pleonasmo* comprehendi possunt, *Parelcon Polysyndeton*, *Hendiadys* et *Periphrasis.*

PARELCON.

☞ Parelcon est, adiectio syllabica, vel particula aliqua, pronominibus, verbis vel adverbiis sic addita, ut significatione eorum nihil nisi forte Emphasis quaedam inde accedat. Talia sunt, 1. Met, te, ce, pronominibus addita: ut, *Egomet*, *tute*, *hucusque* [10]). 2. Dum, imperativis verborum adiectum: ut, *Agedum*, *memoradum*, *adesdum* [11]), etc. 3. Sis, iisdem imperativis additi solitum: ut, *Agesis*, *capsis*, *videsis*, etc. 4. Nam, interrogativis maxime adiunctum: ut, *Quisnam*, *ubinam*, *numnam*, etc. 5. Quam in *Admodumquam*, *oppidoquam*, *sanequam*, *nimisquam*, et similibus. 6. An in *fortassean*; ne in *Anne*, *numne*, etc.

POLYSYNDETON.

☞ Polysyndeton est coniunctionis, praecipue copulativae, redundantia: ut, Virg. Aen. I. 85. *Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.* Cic. pro leg. Manil. c. 6. *Asia tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.*

---

fecere: ubi alterum *nam* supervacuum videri, at non sine gratia esse, notat Quinctil. Inst. IX. 3. p. 804.

8) Confer Perizon. ad Sanct. p. 222.

9) Sic, *Sed vero*, *quippe etenim*, *quia enim*, *quanquam etsi*, *ergo igitur*, *ergo propterea*, *id propterea*, *itaque adeo*, etc. Exempla vid. ap. eund. Major. p. 555, et 614. et Sanct. p. 520, et seqq.

10) Item cum, in *mecum*, *tecum*, pro *me*, *te*, ap. Comicos: ut, Plaut. Curc. III. 62. *Tecum oro et quaeso.* Ter. Hec. IV. 4. 64. *Egi atque oravi tecum*, *uxorem ut duceres.* Vid. Popmam de us. antiq. locut. I. 6. et Paraeum in Lexic. Plaut. Sic et *donicum* pro *donec* ap. Catonem, Plautum et alios. [*Mecum* apud verbum *orare* ponitur ut cum dicitur *queri cum aliquo* sich bei einem beklagen. Vid. Cortium ad Cicer. Epist. III. ep. 7. §. 4. G. St.]

11) Etiam cum aliis orationis partibus: ut, *Primumdum*, *hictum*, *quidum*, *etiamdum*, *nequedum*, *vixdum*, etc. Vid. eund. Popmam l. c. et Ursin. To. I. p. 1007. [Verti potest voc. noch. G. St.]

Digitized by Google

HENDIADYS.

Hendiadys (rectius Ἓν διὰ δυοῖν) est, cum quod re unum est, sic effertur, quasi duo essent: ut, Virg. Geo. II. 192. *Pateris libamus et auro*, pro *pateris aureis*. Id. Aen. I. 51. *Molemque et montes insuper altos Imposuit*, pro *molem altorum montium*. Sall. Catil. 2. 2. *Tum primum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse*, pro *periculosis negotiis*. Liv. VI. 11. *Nisi a se prius Capitolium atque arx servata esset*, pro *arx Capitolii*, sive *Capitolina* [22].

PERIPHRASIS.

Periphrasis est, qua rem unam pluribus verbis circumloquimur: ut, *Urbs Patavi*, *urbs Troiae*, ap. Virg. Aen. I. 247 et 565. pro *Patavium*, *Troia*. *Arbor fici*, *Olus atriplicis*, ap. Colum. XI. 2 et 3. pro *ficus*, *atriplex*. *Res voluptatum*, ap. Plaut. Amph. II. 2. 1. pro *voluptates*. *Res cibi*, ap. Phaedr. IV. 7. 4. pro *cibus*. Sic, *Medicorum filii*, pro *Medicis*, *Teneri ovium foetus*, pro *agnis*, Virg. Ecl. I. 22. *Coeli lucida templa*, Lucr. I. 1015. pro *coelo*. Sic Plaut. Poen. V. 2. 78. *Ut tu sis sciens*, pro *ut scias*. Ter. Heaut. Prol. 26. *Vos oratos volo*, pro *oro*. Id. Hec. III. 5. 51. *Si est, ut velit reducere uxorem*, pro *si vult reducere*. Id. Hec. II. 2. 3. *Faciam, ut tibi concedam*, pro *concedam tibi*. Sic, *Habere sollicitum*, Cic. Fam. VII. 3. *Habere dubium*, Sal. Hist. III. *Habere rem tacitam*, Iustin. XX. 3. 3. pro *sollicitare*, *dubitare*, *tacere*; et innumera eiusmodi alia [23].

CAP. III.

De Enallage *eiusque speciebus.*

Enallage est, vocum aut earum accidentium inter se permutatio. Ea autem varias sub se species continet; veluti, *Antimeriam*, *Enallagen strictius dictam*, *Heterosin* et *Antiptosin*. Ad *Enallagen* quoque referri possunt, *Synesis*, *Anacoluthon*, *Hellenismus* et *Archaismus*.

ANTIMERIA.

Antimeria est, unius partis orationis pro altera positio. Per hanc autem figuram omnes orationis partes aliae pro aliis ponuntur: Veluti,

---

22) Plura huius Figurae exempla suggerunt Major, de var. orat. p. 176. et Cortius ad Sallust. l. c.

Digitized by Google

☞ I. Nomen (1) Pro pronomine: ut, Hor. Epod. XV. 12. *Si quid in Flacco viri est*, pro *in me*; ipse enim *Flaccus*, sive Horatius, loquitur. (2) Pro verbo. Plaut. Pers. IV. 4. 37. *Tua merx est, tua indicatio est*, pro *tuum est indicare*. Liv. XXXIV. 2. *Utrum e republica sit necne, vestra existimatio est*, pro *vestrum est existimare*. 3. Pro participio. Virg. Aen. I. 21. *Populum late regem*, pro *regnantem*. Id. Aen. II. 211. *Sibila lambebant linguis vibrantibus ora*, pro *sibilantia*. Sic, *Gnara se peti*, pro *sciens*, ap. Plin. VIII. 30. *Corusca Fulmina molitur dextra*, pro *coruscantia*, interprete Servio, ap. Virg. Geo. I. 328. (4) Pro adverbio: ut, Plaut. Capt. III. 5. 67. *Nisi cotidianus sesquiopus confeceris*, pro *nisi quotidie*. Sall. Cat. 60. 3. *Illi haud timidi resistunt*, pro *haud timide*. Ovid. Heroid. II. 32. *Quique erat in falso plurimus ore Deus* [14]), pro *plurimum*. Huc refer et illa, *Horrendum clamat, Immane sonat, Acerba tuens, Multa gemens* [15]). (5) Pro interiectione. Ter. Phor. IV. 5. 11. *Quid tua, malum! id refert*. Virg. Aen. I. 251. *Navibus infandum! amissis* [16]).

☞ II. Pronomen (1) Pro nomine: ut, *suus*, pro *uniuique proprius*, veluti in hoc Virg. Geo. I. 57. *Mittunt sua thura Sabaei*: item pro *propitius*; ut ap. Ovid. Met. IV. 573. *Vota suos habuere Deos* [17]). (2) Pro coniunctione: ut, Cic. Off. I. 7. *Huic coniuncta beneficentia est, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet*, pro *quam etiam* [18]).

☞ III. Verbum (1) Pro nomine: ut, Pers. I. 9. *Nostrum istud vivere triste*, pro *nostra ista tristis vita* [19]). (2) Pro interiectione: ut, *Age*, hortantis; *apage*, aversantis; *amabo, quaeso, sodes*, blandientis, etc. (3) Pro coniunctione: ut, *licet*, pro *quamvis*.

---

13) De hac Figura fusius agentem videsis Ursin. To. II. p. 552, et seqq.

14) Sic *matutinus, vespertinus, nocturnus, serus*; pro *mane, vesperi, noctu, sero*; *rarus*, pro *raro*, *nullus*, pro *non*, Vid. supra, p. 10. n. 17. et adde Cort. ad Sallust. Jug. 38. 1. Hujus loci sunt et *Alias, caeterum, una, primo, secundo, tertio, paulum, tantum, quantum, multum, mutuo, crebro, perpetuo, raro*, et plurima ejusmodi alia, quae vere nomina esse alibi ostendimus, Part. I. p. 311. n. 3.

15) Vid. p. 159. et n. ibi, 16.

16) Vid. Part. I. p. 381.

17) Vid. supra, p. 56. n. 86.

18) Adverbiorum quoque munere funguntur, *eo, quo, ea, qua, hac, isthac, illac, qui* pro *quomodo*, quae vere atque ex sua natura pronomina sunt. Vid. Part. I. p. 202. n. 19. et p. 311. n. 4.

19) Vid. supra, p. 223.

Digitized by Google

☞ IV. Participium (1) Pro nomine: ut, *Amans*, pro *amatore*, passim; *Medentes*, pro *Medicis*, Lucr. I. 935. *Volantes*, pro *avibus*; *natantes*, pro *piscibus*; *venantes*, pro *venatoribus*; *silentes*, pro *Manibus*, Virg. Aen. VI. 239. Geo. III. 541. Aen. IX. 551. et Aen. VI. 452. Sic, *conspectus*, pro *conspicuus*, Id. Aen. VIII. 588. item, *illaudatus*, *immotus*, *invictus*; pro, *illaudabilis*, *immobilis*, *invincibilis* [20]). (2) Pro verbo: ut, Plin. IX. 51. *Torpedo octogenos foetus habens invenitur* [21]), pro *habere*. Liv. XXX. 38. *Qui et quae petentes venissent*, pro *petere*, sive *petitum*. (3) Pro adverbio: ut, Plaut. Cas. V. 1. 14. *Lubens fecero ac solens*, pro *libenter et consuete* [22]).

☞ V. Adverbium, (1) Pro nomine: ut, Pers. V. 68. *Aliud cras*, pro *alius dies crastinus*. Ter. And. I. 1. 55. *Sic vita erat*, pro *talis*. Id. Phor. III. 2. 44. *Ego hunc esse aliter credidi*, pro *alium*. Item in his, *Bene est*, *Recte est*; pro, *Bonum est*, *Rectum est* [23]). (2) Pro pronomine qui, cum praepositione aliqua, expressa vel suppressa: ut, Plaut. Epid. I. 1. 74. *Nunquam hominem quenquam conveni*, *unde abierim libentius*, pro *a quo*. Id. Mil. II. 1. 40. *Capiunt praedones navem illam*, *ubi vectus fui*, pro *qua*, sive *in qua* [24]). (3) Pro praepositione: ut, Virg. Aen. VII. 192. *Intus templo Divum*, pro *in*. Apul. Met. VI. *Retro metas*, pro *post* vel *pone*. (4) Pro coniunctione: ut, *Dum*, *iam*, *nunc*, adverbia temporis, pro coniunctionibus, primum conditionali, alterum continuativa, tertium adversativa. Sic, *quando*, pro *quoniam*; *simul* geminatum, pro *et et*.

☞ VI. Praepositio, (1) Pro nomine: ut, *super*, pro *superstes*, in hoc Virg. Aen. III. 489. *O mihi sola mei super Astyanactis imago*. (2) Pro adverbio: ut, *ante*, *post*, *infra*; pro, *antea*, *postea*, *inserius* [25]).

☞ VII. Interiectio, pro nomine vel adverbio: ut, *Hei mihi*, pro *malum vel male mihi est*. *Vae tibi*, pro *magnum malum tibi sit*.

---

20) *Sic doctus*, *eruditus*, pro *literato*; *admirandus*, pro *admirabili*, seu *admiratione*, etc. in his, ut et in superioribus illis, participia in nominum naturam quodammodo transierunt. Vid. Part. I. 306.

21) Nisi mavis, cum Ursino, p. 600. hic. *esse* intelligere.

22) Sic Sallust. Jug. 44. 5. *Pecoris et manicipiorum praedas certantes agere*, pro *certatim*.

23) Sic Sallust. Cat. 7. 4. *Magisque in decoris armis et militaribus equis*, *quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant*, pro *majorem lubidinem*. Liv. XXXI. 42. *Maxime usui fuit Amyandri*, pro *maximo*. Sallust. Cat 58. 9. *Commeatus nobis abunde*, pro *sufficientes*, vel *satis larga copia*. Vid. Cort. ibi, etc. ad c. 7. 4.

Digitized by Google

VIII. Coniunctio, pro adverbio: ut, *Ac, atque*, in significatione comparandi sive eligendi. *Sed*, pro *imo*, ap. Plaut. Cas. III. 5. 51. *Habet gladium, sed duos.* *Si*, pro *an*, in hoc Ter. Eun. III. 4. 7. *Visam, si domi est.*

ENALLAGE *strictius dicta.*

Enallage *strictius dicta* est, qua una vox pro alia eiusdem partis orationis, veluti, nomen pro nomine, verbum pro verbo, etc. ponitur. Hoc pacto,

I. In nomine Enallage fit,

1. Qualitatis: ut, (1) Substantivum pro adiectivo: ut, *Exercitus victor*, pro *victorioso; scelus*, pro *scelesto.* Sic et abstractum pro concreto: ut, *coniugium*, pro *coniuge*, Virg. Aen. II. 579. Sic, *matrimonia*, pro *uxoribus*, Iustin. III. 5. 8. *Servitia*, pro *servis*, Sallust. Catil. 24. 4. *Amicitias tibi iunge pares*, pro *pares amicos*, Ovid. Trist. IV. 4. 44. Sic, *Nobilitas*, pro *nobilibus; iuventus*, pro *iuvenibus; vicinia*, pro *vicinis*, vulgo dicuntur [26]). (2) Adiectivum pro substantivo: ut, Cic. Attic. XIII. 21. *Possum falli, ut humanus*, pro *ut homo.* Sic et concreta, pro abstractis: ut, *verum, bonum, aequum*; pro, *veritas, bonitas, aequitas.* [Fallitur. Nam pro talibus *verum dicere, verum invenire* etc. ne licet quidem *veritatem* ponere, ut quae de vero dicatur quatenus cogitatione seiungitur a rebus, factis, dictis, quibus inest. Lege Ernestium in Clave Cicer. s. v. *veritas.* G. St.] (3) Proprium pro appellativo: ut, Senec. Epist. 96. *Omne tempus Clodios, non omne Catones fert*; i. e. *omne tempus fert homines improbos, non omne autem viros probos.* Mart. Epig. VIII. 56. *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones*; i. e. *Sint munifici patroni, non deerunt boni poëtae.* (4) Appellativum pro proprio: ut, *Urbs*, pro *Roma; Philosophus*, pro *Aristotele; Orator*, pro *Cicerone* [27]).

2. Speciei: ut, (1) Primitivum pro derivativo: ut, *Dardana arma*, pro *Dardanià*; *Laticem Lyaeum*, pro *Lyaeeium*, ap. Virg. Aen. II. 618. et I. 686. [28]). (2) Deri-

---

24) Vid. supra p. 88. n. 85.

25) Vid. Part. I. p. 316. n. 8.

26) Confer Part. I. p. 5. n. 20. supra, p. 4. n. 4.

27) Haec nominis proprii et communis permutatio speciali nomine Antonomasia dicitur, et ad *Synecdochen* (Tropum) refertur. * Eodem vero pertinere videntur patronymica, gentilia vel possessiva pro propriis adhibita: ut, *Priamides*, pro *Hectore*; *Tirynthius*, pro *Hercule*; *Stagirites*, pro *Aristotele*; *Saturnius*, pro *Iove*, etc.

28) Confer Voss. de Anal. II. 21. Method. p. 446. Bouckhus. ad Propert. I. 11. ult. et Bentlej. ad Horat. Car. II. 13. 8.

Digitized by Google

vativum pro primitivo: ut, Virg. Aen. X. 213. *Ter denis navibus ibant*, pro *ter decem*. Inven. I. 64. *Cum iam sexta cervice feratur*, pro *sex cervicibus*.

☞ 5. Figurae: ut, (1) Simplex pro compōsito: ut, *avus*, pro *abavus* [29]); *nepos*, pro *pronepos*. (2) Compositum pro simplice: ut, *consceleratus*, pro *sceleratus*.

☞ II. In Pronomine Enallage fit,

☞ 1. Significationis: ut, cum relativa et reciproca inter se permutantur [30]).

☞ 2. Speciei, (1) Primitivae pro derivativa: ut, *Frequentia vestrum*, *Voluntas vestrum*, pro *vestra*. *Labor mei*, *tui*; pro, *meus*, *tuus* [31]). (2) Derivativae pro primitiva: ut, *Desiderium tuum*, *Odium tuum*, pro *tui* [32]).

☞ 3. Figurae. (1) Simplicis pro composita: ut, *Quis* pro *aliquis*. (2) Compositae pro simplice: ut, *Tibimet*, pro *tibi*; *Memet*, pro *me*, ap. Senec. Agam. v. 798. et Oedip. v. 847. ubi *met* plane redundat.

☞ III. In Verbo Enallage fit,

☞ 1. Generis: ut, (1) Activum pro passivo: ut, Virg. Aen. II. 8. *Nox humida coelo praecipitat*, pro *praecipitatur*. Liv. V. 49. *Iam verterat Fortuna*, pro *versa erat*. [Nisi in his potius est Ellipsin pronominis se statuere.] (2) Passivum pro activo: ut, Virg. Geo. II. 425. *Placitam Paci nutritor olivam*, pro *nutri*. Colum. de Arb. c. 11. *Cacumina virgarum, ne luxurientur, mutilato*, pro *luxuriant* [33]).

☞ 2. Speciei: ut, (1) Primitivae pro derivativa: ut, Ter. Adel. IV. 5. 4. *Pellere fores*, pro *pulsare*. Plaut. Menaech. Ptol. 69. *Qui Syracusis habet*, pro *habitat*. Virg. Aen. XII. 709. *Cernere ferro*, pro *certare*. (2) Derivativae pro primitiva: ut, *Madesco*, *tepesco*, *fervesco*, et similia, ap. Poëtas; pro, *madeo*, *tepeo*, *ferveo*. Item, *Ductare exercitum*, *Agitare laetitiam*, *Obiectare periculis*; pro, *ducere*, *agere*, *obiicere*, ap. Sall., *Imperito*, pro *impero*, ap. Lucret. *Dormito*, pro *dormio*, ap. Cic. [34]).

☞ 3. Figurae: ut, (1) Simplicis pro composita: ut, Virg. Aen. I. 202. *Moestumque timorem mittite*, pro *omittite*. Cic. Off. III, 10. *Ponit personam amici*, *cum induit iudicis*, pro *deponit*. Sic *colere*, ap. Liv. XXIV. ult. pro *incolere*. *Scindere*, ap. Plaut. Bacch. IV. 9. 150. pro *ex-*

28) Vid. Rupertum ad Pomponii Enchirid. p. 436, seqq.
30) Vid. supra p. 54, 55. et n. illic, 30.
31) Vid. supra p. 51. et n. ibi 25.
32) Vid. supra ead. p. 50. et n. 24.
33) Vid. Part. I. p. 278.
34) Vid. Part. I. p. 290. n. 21.

Digitized by Google

scindere. *Servare*, ap. Virg. Geo. I. 335. pro *observare*, etc. (2) Compositae pro simplice: ut, *Deprecor*, ap. Justin. XI. 9. pro *precor*. *Retine me*, ap. Ter. Heaut. III. 4. 25. pro *tene* [35]).

☞ IV. In Participio a quibusdam Enallage statuitur significationis, (1) Activae pro passiva: ut, Virg. Ecl. I. 29. *Tondenti barba cadebat*, pro *tonso*. Id. Aen. I. 234. *Volventibus annis*, pro *volutis*. Sic, *vehens*, pro *eo qui vehitur*, Cic. Brut. c. 97. *Gignentia*, pro *iis quae e terra gignuntur*, Sall. Iug. 93. 4. (2) Passivae pro activa: ut, Virg. Aen. I. 561. *Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur*. Ovid. Met. XIII. 534. *Albentes laniata comas*; pro, *demittens, lanians*. * At in prioribus Ellipsis est pronominis *me, te*, vel *se* [36]); in posterioribus, praepositionis *ad* vel *quod ad* [37]).

☞ V. In Adverbio Enallage fit, (1) Ratione significationis: ut cum adverbia loci et temporis inter se permutantur: ut, *ubi*, pro *quando*; *ibi*, pro *tum*; *hinc*, pro *ab eo tempore*, etc. Item, cum illa qualitatis, *bene* et *male*, pro *valde*, quod intendendi est, ponuntur: ut, Cic. de Orat. II. 88. *Sermo bene longus*. Plaut. Pseud. III. 1. 18. *Male enim metuo*. Sic cum numerus certus ponitur pro incerto: ut, *Millies audivi*, i. e. *saepissime*. *O terque quaterque beati*, i. e. *maxime beati*. (2) Ratione figurae: ut, cum *quo*, *qua*, pro *quocunque*, *quacunque*, adhibentur.

☞ VI. In Praepositione denique et Coniunctione Enallage fit, cum aliae pro aliis ponuntur: ut, Cic. pro Lig. c. 10. *Ad iudicem agere*, pro *apud*. Ter. And. I. 1. 15. *Gratum esse adversus aliquem*, pro *erga*. * Sic, *Et*, pro *etiam*; *si*, pro *quamvis*; *dum*, pro *dummodo*, etc.

HETEROSIS.

☞ Heterosis [38]) est, cum unius eiusdemque vocis Accidentia [39]) alia pro aliis ponuntur. Ea autem in Nomine, Pronomine et Verbo praecipue locum habet.

---

35) Adde Part. I. p. 294. n. 50. sub fin. [Quae illic disputat, nihil faciunt, ut demonstretur hic usus verborum compositorum; quae equidem pernego usquam pro simplicibus verbis usurpata esse, quamvis simplicia pro compositis poni facile concedam. Etenim facile animo intelligas, quae addi ratio sententiae postulet, licet non diserte verbis significata; expressa autem et verbis indicata pro non indicatis habere, id vero sine molestia fieri nullo modo potest. G. St.]

36) Confer Part. I. p. 299. n. 8. sub fin. etc. Part. II. p. 156. n. 4.

37) Vid. supra p. 62 et 63.

38) Alio nomine et Alloiosis dicitur.

Digitized by Google

☞ I. In Nomine et Pronomine Heterosis fit,

☞ 1. Generis, (1) Neutri, pro masculino: ut, Terent. Eun. II. 1. 5. *Ego quoque una pereo, quod mihi est carius*, pro *qui mihi sum carior*. (2) Neutri, pro feminino: ut, Ter. Heaut. I. 1. 5. *Vel virtus tua me, vel vicinitas, Quod ego in propinqua parte amicitiae puto, Facit*, etc. Plin. XVIII. 35. *Nube gravida candicante, quod vocant tempestatem albam*, pro *quam*. * Sed in his Ellipsis potius est vocis *negotium* [40]).

☞ 2. Numeri, (1) Singularis pro plurali: ut, *Romanus, Scotus, Gallus*; pro, *Romani, Scoti, Galli*, etc. Item, *hostis, miles, eques, pedes*; pro, *hostes, milites, equites, pedites*. (2) Pluralis pro singulari: ut, *Colla, corda, ora, pectora*, et alia plurima ap. Poëtas [41]). Ter. Eun. V. 9. 32. *Cur in his ego te conspicor regionibus*, pro *in hac regione*. Sic *liberi* de *una sobole: Nos* et *noster*, pro *ego* et *meus*.

☞ 3. Casuum, quae Antiptosis dicitur, de qua mox.

☞ II. In Verbo Heterosis fit,

☞ 1. Modi, (1) Indicativi, pro subinnctivo: ut, Virg. Geo. II. 132. *Et si non alium late iactaret odorem, Laurus erat*, pro *esset*. Hor. Car. II. 17. 27. *Me truncus illapsus cerebro Sustulerat*, pro *sustulisset*. [Quae de usu temporum et modorum hoc loco disserit, ea maximam partem falsa sunt. Itaque in universum conferas Zumptii Gr. §. 76. De singulis autem quaedam addere nos constituimus. Locis de imperfecti usu allatis addimus. Virgil. Aen. II. 55. *Si mens non laeva fuisset, impulerat ferro Argolicas foedare latebras*. Livius XLI. 24. *Divinat etiam, quae futura fuerant, si Philippus vixisset*, ubi vide Drackenb. Senec. de Ir. I. 11. *Perierat imperium, si Fabius tantum ausus esset, quantum suadebat*. Flor. IV. 5. *Populus Romanus — rediisse in statum pristinae libertatis videbatur: et redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Caesar haeredem reliquisset*. Plura dabunt Schwarzius ad Plinii Panegyr. c. 8. Heusinger. ad Cic. Offic. p. 590. 1. Matthiae ad orat. pro leg.

---

39) *Accidentium* nomine ea hic tantum intelligimus, quae in vocum declinabilium inflectionibus locum habent: qualia sunt *genus, casus, numerus, modus, tempus, persona*. Aliter enim et *species* et *figura* omnibus fere orationis partibus communes; item *comparatio* nominibus, et *genus* verbis et participiis competens, *Accidentia* quidem sunt: at ejusmodi fere naturae, ut eorum variatione variari voces ipsae, ac non jam unae eaedemque manere, sed diversae quasi fieri existimentur. Ea igitur ab his separare, atque peculiari sibi classe collocare potius visum est.

40) Vid. supra p. 22. n. 52. et p. 25. n. 55.

41) Vid. Part. I. p. 164. p. 90. sub fin.

Digitized by Google

Manil. c. 17. Pertinent etiam huc Liv. II. 58. *Ubi si unum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit.* Idem lib. II. c. 10. *Pons sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset.* Cfr. libr. VIII. c. 17. In his locis omnibus indicativus non sine magna quadam elegantia positus est. Indicat enim *subiectivam veritatem:* quae quum non alia esse possit, quam quae sola mentis cogitatione continetur, facile intelligitur, contrarium eius, quod pronuntiatur, revera factum esse indicari. Itaque *impulerat* gravius indicat mentis perversitatem eius, qui equum non percussit, quam *impulisset:* cogitamus enim *at non fecit.* Eadem ratio est loci Liviani, ubi *futura fuerant* cum gravitate quadam monet evenisse contrarium. Quoniam autem veritas subiectiva in eo cernitur, ut nobis rem aliquam animo nostro quasi repraesentemus, propterea etiam certum futurum fuisse rei eventum indicamus, ubi indicativo praemissa conditionis significatione utimur. Itaque *perierat imperium* indicat, certo imperium ad interitum ruiturum fuisse; quod minus graviter exprimit coniunctivus *periisset.* Etenim coniunctivus plusquamperfecti indicat fieri aliquid potuisse, alius cuiusdam rei ratione habita (*possibilitatem relativam* barbare dicunt). Quoniam vero, ubi de praeterito tempore sermo est, si quid ab alio quodam pependisse indicatur, id non factum esse innuitur: hinc fit, ut etiam huic modo notio non factae rei adhaereat. Ex his autem quid inter indicativum atque coniunctivum in sententiis conditionalibus positum intersit, unusquisque facile perspiciet, ut uberiore rei explicatione non opus esse videatur. Illud tamen non erit supervacaneum monuisse, etiam indicativum verborum *posse, debere, oportere, decere, satius, melius, aequius esse,* itemque gerundivorum in *-dus* cum *esse* coniunctorum simili modo explicandum videri. Quae verba cur ita poni soleant, ut subiectivae veritatis ubique fiat significatio, altioris est indaginis, quam ut hoc loco explicari possit. G. St.] Pro imperativo: ut, Cic. Att. II. 18. *Tu hoc silebis,* pro *sile.* Pro infinitivo: ut, Plaut. Truc. II. 2. 62. *Verum ego illum, quanquam violentus est, spero mutari potest,* pro *posse.* (2) Subiunctivi, pro indicativo: ut, Plaut. Amph. Prol. 39. *Debetis velle quae velimus,* pro *volumus.* Sall. Catil. 52. 29. *Ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam Deos implores* [42]), pro *implorabis.* Pro imperativo: ut, Ter. And. III. 4. 19. *Quiescas,* pro *quiesce:* et sic passim. [Haec omnia quo modo inter se differant, ho-

42) Adde Part. I. p. 282. n. 93. med.

Digitized by Google

die vel tironibus notum. G. St.] (3) Imperativi pro indicativo: Virg. Ecl. V. 36. *Si foetura gregem suppleverit, aureus esto*, pro *eris*. (4) Infinitivi pro imperf. indicativi: ut, Ter. And. I. 1. 35. *Facile omnes perferre ac pati*, pro *perferebat ac patiebatur* [43]) [De infinitivo historico supra fusius disputavi. G. St.] Pro subiunctivo: ut, Liv. II. 5. *Bona censuerunt reddi*, pro *ut redderentur*. Virgil. Aen. VI. 313. *Stabant orantes primi transmittere cursum*, pro *ut primi transmitterent* [44]).

2. Temporis. (1) Praesentis pro imperfecto: ut, Ter. And. II. 1. 10. *Tu si hic sis, aliter sentias*; pro, *esses, sentires*. [Nempe hac enallage etiam sensus verborum mutatur. Etenim qui in sententia conditionali imperfecto coniunctivi utitur, is conditionem talem esse significat, quae ut rata fiant dicta, non permittere videatur. Quod secus est, ubi utimur tempore praesenti. Ita enim fieri posse indicamus, quae dicuntur. Quocirca qui existimat, fieri posse ut alter aliquando ea conditione utatur, qua Sempronius necessario dicere debet: *Tu si hic sis, aliter sentias*; Quodsi vero illud omnino non posse fieri persuasum habet, imperfecto utatur necesse est. Itaque quum dicimus: *Si veniret, vehementer laetarer*, animo intelligimus: *sed dubito an non venturus sit*. Sin vero ita loquimur: *Si veniat, vehementer laeter*, iudicium de eo, quid futurum sit, in incerto relinquimus, ita tamen ut posse rem fieri innuamus. Idem praesentis et imperfecti discrimen in optando et vovendo obtinet. *Utinam puellam conspicerem*, dicendum est, si quis desperat de opportuna eius videndae occasione; *Utinam puellam conspiciam!* necesse est dicat is, qui sperat futurum esse, ut voti sui damnetur. Sed haec satis sunto de re hodie non ignota. G. St.] Pro praeterito: ut, Plaut. Stich. IV. 1. 25. *Quamdudum in portum venis?*

---

43) Vid. supra p. 8. n. 18.

44) Sic Tac. Ann. XIV. 60. *Impulit quendam servilem ei amorem objicere*, pro *ut objiceret*. Claudian. Gigant. V. 50. *Undique concurrant aream defendere cives*, pro *ut defenderent*. * Sed in his dici etiam potest infinitivus pro participio seu gerundivo cum ad positus; *ad objiciendum amorem, ad defendendam aream*. * Singulatim vero praesens infinitivi passivi cum verbo *censeo*, pro participio in dus cum *esse*, construitur: ut in allato Livii loco, *Bona censuerunt reddi*, pro *reddenda esse*. Sic Gell. v. 6. *Donari a repub. censui*, pro *donandum*. Plin. XXIII. 1. *His nucleis ad purgationem non censuerim uti*, pro *utendum*. Vid. Ursin. p. 512. et confer Cort. ad Sallust. Catil. 52. 5. [Cfr. Guentherus: Ueber den *Accusativus cum Infinitivo* anstatt der Construction mit *ut* oder *ne*, in Athenaeo ab ipso et Wachsmuthio edito Tom. I. fasc. 1. p. 95. sqq. qui tamen huiusmodi locos non attigit. G. St.]

Digitized by Google

pro *venisti*. [Temporum permutatio hic locum non habet. Verte: *Wie lange machst du, ehe du in den Hafen kommst?* G. St.] Id. Menaech. V. 9. 76. *Hunc censebat te esse, cum vocat ad prandium*, pro *vocavit*. Sic passim in narrationibus: ut, Ter. And. I. 1. 90. *Effertur, imus*, pro *elatus est, ivimus*, etc. Pro futuro; Vel modi eiusdem; ut, Plaut. Cas. IV. 6. 6. *Quam mox navigo Ephesum*, pro *navigabo*. Cic. Fam. XVI. 4. *Nunc quidem non dubito, quin, quoad plane valeas, te neque navigationi, neque viae committas*, pro *commissuris sis*. Id. Attic. IV. 16. *Cato affirmat, se vivo, illum non triumphare*, pro *triumphaturum esse*. Vel diversi: ut, Sall. Cat. 58. 2. *Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere*, pro *hortaberis*. Virg. Aen. III. 39. *Eloquar, an sileam?* pro *eloquar an silebo* [45])? [De locis paullo ante allatis non est quod dicamus, quum usus praesentis temporis caussis sat apertis nitatur. Unus ille Ciceronis locus, ubi *triumphare* dixit ita ut futurum tempus etiam respiciat, paullo impeditior alicui videatur. Verum enim vero ubi Graeci et Latini futuram aliquam actionem significant a praesenti statim tempore inchoandam ac deinceps uno tenore continuandam, praesens tempus adhibere solent. Itaque Cato apud Ciceronem hoc dicit: *Me vivo neque nunc, neque postero tempore ille triumphabit*. De Sallustii et Virgilii locis quid iudicandum sit, non est obscurum. In altero enim modus potentialis locum habet, quem constat ἦθος quoddam loquentis indicare, in altero coniunctivus deliberativus positus est, qui quid differat a futuro, facillimum est intelligere. G. St.] (2) Imperfecti, pro praesenti: ut, Caes. B. G. I. 7. *In eo itinere persuadet Castico, ut regnum in sua civitate occuparet*, pro *occupet*. [Videlicet post praesens historicum, quod vocatur, recte ponitur imperfectum coniunctivi constructione ad sensum conformata. Exempla huius usus afferre, id vero esset γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. G. St.] Pro plusquamperfecto: ut, Sall. Iug. 59. 3. *Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent*, pro *fecissent*. [Horat. Satyr. II. 3. 93. *Si forte minus locuples*

---

45) Sic Nepos, Eum. c. 2. *Quod si quis illorum leget facta, paria horum cognoscat, neque rem ullam nisi tempus interesse judicet*, pro *cognoscet, judicabit*. Liv. Praef. *Si in tanta Scriptorum turba meum nomen in obscuro sit, nobilitate eorum qui nomini meo officient, me consoler*, pro *erit, consolabor*. Virg. Ecl. II. 57. *Nec si muneribus certes, concedat Iolas*, pro *concedet*. Vid. Perizon. ad Sanct. I. 12. 1. Cort. ad Sall. Catil. 58, 2. et confer nos Part. I. p. 283. n. 93.

Digitized by Google

☞ 4. Personae, (1) Primae pro tertia indefinite posita: ut, Curt. III. 4. 2. *Aberat ea regio L. stadia ab aditu quo Ciliciam intramus*, pro *homines intrant*, vel *Cilicia intratur*. (2) Secundae, pro prima, cum quis seipsum alloquitur tanquam alium: ut, Ovid. Heroid. IX. 146. *Impia quid dubitas Deianira mori?* pro *ego dubito*. Pro tertia indefinite posita: ut, Ter. And. III. 1. 2. *Fidelem haud ferme mulieri invenias virum*, pro *quis inveniat* [52]). (3) Tertiae, pro prima: ut, Ter. Phor. I. 2. 1. *Si quis me quaeret rufus*. Da. *Praesto est*, pro *praesto sum*, nam ipse loquitur [53]).

ANTIPTOSIS.

☞ Antiptosis [54]) est, casus pro casu positio: ut,

☞ I. Nominativus, (1) Pro accus. Hor. Car. III. 27. 75. *Uxor invicti Iovis esse nescis*, pro *te esse uxorem* [55]). (2) Pro vocat. ut, Virg. Aen. I. 754. *Adsis laetitiae, Bacchus dator*, pro *Bacche* [56]).

---

52) Sic Virg. Aen. IV. 401. *Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.* Liv. XXIV. 38. *Si in occasiones momento cunctatus paululum fueris, nequidquam mox amissam quaeras.* Plin. Epist. I. 12. 8. *Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat;* pro, *quis cernat, si quis cunctatus fuerit*, etc. Sic, *credas, crederes, videas, videres, sidisses, cerneres, discerneres.* Vid. Cort. ad Sall. Jug. 1. 2. [Opportune mentionem facit hujus imperfecti *crederes, videres, cerneres, discerneres, putares*, quo Livium imprimis delectari constat. cfr. libr. II. 35. *Quidquid erat patrum, reos diceres* (man hätte sagen sollen, daß alle Senatoren Angeklagte wären.) Ibid. II. 43. *Moestique, crederes victas, in castra redeunt.* Ovid. Fast. II. 418. *Marte satos scires.* Ibid. 391. *Hic ubi nunc fora sunt, lintres errare videres.* Ibid. 418. al. Videlicet ad haec mente intelligi possunt: *si adesses, si interesses s. interfuisses* et quae sunt similia. Unde intelligitur quaenam sit hujus imperfecti ratio et causa. cfr. Zumptii Grammat. p. 261. G. St.]

53) Sic Plaut. Mil. IV. 2. 21. *Homo quidam est, qui scit, quod quaeris, ubi sit*, pro *ego sum, qui scio.*

54) Sanctius, IV. 12. ejusque perpetuus fere sectator Methodi auctor, p. 562. Antiptosin explodunt: nihil enim imperitius, aiunt, quam docere quemvis casum pro alio poni posse. Quod figmentum si esset verum, magna nos sollicitudine liberaret: frustra enim quaereremus quem casum verba regerent. At immerito prorsus impactam esse hanc Grammaticis dicam ostendit Ursinus, p. 501. „Quasi (*inquit*) ullus Grammaticorum ita insanisset, ut temere quovis casu pro alio licere uti docuerit; aut in eo falsi fuerint Grammatici, cum certa ratione suoque loco casum pro casu poni posse affirmarunt. Parum autem in eo roboris est, quod pleraque quae adferuntur Antiptoseos exempla ad Hellenismum, aliqua et ad Archaismum revocari possunt. Quid enim vetat (*ut recte arguit idem Ursinus*) diverso respectu idem exemplum ad duas referre figuras, Hellenismum quidem vel Archaismum, quatenus origo vel usus respicitur; Antiptosin vero, quatenus revera casus casu permutatur."

55) Adde supra p. 16. n. 42.

Digitized by Google

☞ II. Genitivus, (1) Pro nominat. Plin. XI. 50. *Canum degeneres.* Liv. XXX. 9. *Expediti militum*, pro *canes, milites*[57]). (2) Pro dativo: Sall. Iug. 2. 3. *Corporis et fortunae bonorum, ut initium, finis est.* Liv. XXXVII. 55. *Ut civitates Asiae, quae Attali stipendiariae fuissent, Eumeni vectigal penderent*; pro, *bonis, Attalo*[58]). (3) Pro accusat. cum ad: Sall. Iug. 15. 1. *Ne alium putarent ac Numantiae cognitus esset.* Liv. XXVI. 39. *Classis viginti ferme navium Rhegii stabat*; pro, *ad Numantiam, ad Rhegium*[59]).

☞ III. Dativus, (1) Pro nom. Virg. Aen. I. 267. *Cui nunc cognomen Iulo*, pro *Iulus*[60]). (2) Pro genit. Ovid. Met. II. 818. *Cui dextra trisulcis Ignibus armata est*, pro *cuius*[61]) (3) Pro accusat. Mart. IX. 12. *Nobis non licet esse tam disertis*, pro *disertos*[62]). Et cum ad: ut, Virg. Aen. V. 451. *It clamor coelo*, pro *ad coelum*[63]). (4) Pro ablat. cum a vel ab: ut, Virg. Aen. I. 440. *Neque cernitur ulli*, pro *ab ullo*[64]).

☞ IV. Accusativus, (1) Pro nominat. Plaut. Asin. I. 1. 45. *Meam uxorem, Libane, nescis qualis siet*; pro *nescis qualis sit uxor mea.* Ter. Adel. T. 4. 20. *Illum ut vivat, optant*; pro, *optant ut ille vivat.* Cic. Fam. IV. 1. *Rem vides quomodo se habeat*[65]); pro, *vides quomodo res se habeat.*

---

56) Confer Part. I. p. 56. n. 61. Huc referendum est, cum nominativus absolutus pro alio casu ponitur. Vid. omnino Cortium ad Sall. Jug. 33. 2. et 80. 1. in primis vero vexatissimum illum ejusd. loc. Jug. 18. 3. et confer supra p. 298. n. 6.

57) Alia vid. supra p. 80. * Huc etiam pertinent. *Ardua montium, angusta viarum, opportuna locorum*, etc. item Tac. Hist. II. 88. *Lubrica viae.* Claud. Mamertr. de statu An. III. 4. *Ex opinionis incerta.* Sall. Jug. 48. 3. *Qua humi arido atque arenoso giguntur.* Vib. ibi Cortium, et adde supra p. 65. * Hujus itidem loci sunt, *Urbs Buthroti*, ap. Virg. Aen. III. 293. *Fons Blandusiae*, ap. Hor. Car. III. 13. 1. *Arbor olivae*, ap. Colum. V. 11. etc. Vid. supra p. 87. n. 81.

58) Confer Cortium ad Sallust. l. c.

59) Vid. eund. Cort. ad Sallust. l. c.

60) Vid. sup. p. 125.

61) Plura habes supra p. 22. et ap. Cortium ad Sall. Catil. 11. 4. et 40. 2. et Jug. 7. 4.

62) Adde supra p. 15. n. 40.

63) Vid. supra p. 154.

64) Adde supra p. 99. et p. 211.

65) Scilicet in his accusativus per Hellenismum jungitur verbo quod ad totam refertur sententiam: cujus generis plurima sunt exempla ap. Plaut. ut, Asin. I. 1. 15. *Te faciam ut scias.* Aul. IV. 6. 4. *Ego illum corvum ad me veniat velim.* Pseud. IV. 7. 83. *Chlamydem hanc commemores quanti conducta sit*, etc. Non pauca et apud Terentium: ut, Eun. V. 9. 5. *Scin' me in quibus sim gaudiis?* Hec. Prol. 2. V. 4. *Novas qui exactas feci ut inveterascerent*, etc. Quaedam et apud alios,

Digitized by Google

(2) Pro dativo: Sall. Hist. III. *Ut arma sua quisque stantes incumberent*, pro *armis suis*. Apul. Met. VIII. *Timore hoc inani perfuncti longe pejores inhaesimus laqueos*; pro, *pejoribus laqueis*. (3) Pro ablat. Virg. Aen. IV. 558. *Omnia Mercurio similis*, pro [in] *omnibus*[66]). Plaut. Epid. II. 2. 7. *Ego ileum audivi in amorem haerere*[67]), pro *in amore*.

V. Vocativus, pro nom. Virg. Aen. II. 282. *Quibus Hector ab oris Exspectate venis*, pro *exspectatus*[68]).

VI. Ablativus, (1) Pro dat. Sall. Cat. 1. 9. *Aliquo negotio intentus*, pro *alicui negotio*. Virg. Aen. X. 361. *Haeret pede pes*, pro *pedi*[69]). (2) Pro accus. Ovid. Trist. V. 2. 36. *Saepe sub victor lenis in hoste fuit*, *pro in hostem*[70]).

SYNESIS.

Synesis[71]) est, quando structura non ad vocem, sed ad sensum sive intellectum refertur. Estque triplex:

I. Generis tantum: ut, Ter. Eun. IV. 3. 3. *Scelus postquam ludificatus est virginem*, pro *sceleste*[72]). *Liv.* X. 3.

---

ut, Cic. Fam. VIII. 20. *Nosti Marcellum, quam tardus sit.* Caes. B. G. I. 39. *Rem frumentariam ut satis commode supportari posset, metuebat.* Varro, R. R. I. 2. *Videt eos fore ut pestilentia dispereant*, etc. Vid. Vechner. Hellen. I, 16. sub fin. Goclen. Observ. L. L. p. 809. Budaei Comment. L. Gr. p. 320. Davis. ad Cic. Tusc. I. 24. in primis Perizon. ad Sanct. II. 5. 5. * In his autem major adhuc licentia est: Plaut. Capt. II. 3. 16. *Qui me quid rerum hic agitem, et quid fieri velim, Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.* Id. Trin. IV. 2. 36. *Fac me certiorem, hosce homines ubi habitent.* Senec. de Benef. IV. 32. *Deos verisimile est, ut alios indulgentius tractent.* Ubi vid. Gronov. „Quae loca (inquit Ursinus, p. 557.) si in conspectu habuisset Methodi auctor, c. VII. de Figuris Constr. p. 563. aliquando sine dubio aequiorem se Nonio praebuisset, citanti X. 11. hoc Pomponii Praecon. poster. *Quot laetitias insperatas modo mihi irrepserunt in sinum.* * Huic constructioni affinis est, et illa de qua diximus, p. 18. n. 48. " [Attractionem recentiores grammatici hoc structurae genus nominaverunt. G. St.]

66) Vid. supra p. 60, et 344.

67) Plura ejusmodi dabit Cortius ad Sall. Catil. 19. 3. et quos nominavimus supra p. 325. et n. ibi 10.

68) Adde Part. I. p. 56. n. 61. extr.

69) De his videri omnino merentur, quae a doctissimo Cortio ad Sallust. Cat. 1. 9. et Jug. 16. 3. commentata sunt.

70) Adde supra pag. 305. n. 11. et quos ibi Scriptores alia ejusmodi proferentes laudavimus.

71) Ignorata fuit veteribus haec Figura. Itaque quae ei a recentioribus tribuuntur, veteres illi, ut et Linacer, Alvarus, Sanctius, atque hunc secuti Scioppius et Methodi auctor, sententiae eorum (ut Ursino visum, p. 558.) hic tenaciores, ad Syllepsin referunt. Caeterum vulgo, sed parum apto nomine, Synthesin vocant. Vid. Voss. de Constr. c. 3. extr.

72) Plura ejusmodi vid. supra, p. 23. n. 53.

Digitized by Google

Capita conjurationis virgis caesi, pro *principes*. Id. III. 7. *Latium Capuaque agro multati*, pro *Latini et Campani*[73]).

¶ II. Numeri tantum: ut, (1) In collectivis, qualia sunt, *populus*, *plebs*, *turba*, *pars*, *manus*, *juventus*, etc. Liv. I. 41. *Clamor inde concursusque populi, mirantium quid rei esset*[74]). Ovid. Fast. II. 507. *Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum.* Virg. Geo. IV. 378. *Pars epulis onerant mensas*[75]). (2) In partitivis, qualia, *quisque*, *uterque*, *neuter*[76]), etc. ut Liv. II. 3. *Missi confestim honora-*

---

73) Sic Liv. XXIX. 12. *Auxilia irati*: ubi vid. Gronov. * In primis hoc frequens in voce *millia*: ut, Liv. X. 46. *Minus duo millia capti.* Curt. IV. 4. 17. *Duo millia* [Tyriorum] *crucibus affixi.* * Insolens plane, vel potius sine exemplo est istud Virg. Aen. VII. 624. *Pars pedes ire parat campis: pars arduus altis Pulverulentus equis furit*: quod tanquam singulare σολοικοφανὲς, notat Cl. Muretus, Epist. XXXII. ¶ Huc referunt nonnulli et ista, Virg. Aen. v. 122. *Centauro invehitur magna*, Ter. Eun, Prol. 32. *Transtulisse in Eunuchum suam.* Virg. Aen. VIII. 561. *Praeneste sub ipsa.* Auson. Epigr. LXIX. *Campana in Benevento.* Sed verius in his Ellipsin statuere vocum generalium *navis*, *fabula*, *urbs*. Idemque de *Elephantus gravida*, ap. Plaut. Stich. I. 3. 14. *Mures praegnantes repertae*, ap. Plin. X. 65. habendum, ubi *femina* vel *feminae*; *Amethysti Indicae*, ap. Plin. XXXVII. 9. ubi *gemmae. Sola bubo*, ad. Virg. Aen. IV. 462. ubi *avis*, intelliguntur, Vid. Part. I. p. 18. n. 72.

74) Mira est numeri mutatio in hoc Sallustii, Catil. 56. 5. *Interea servilia repudiabat, cujus initio magna ad eum copiae concurrebant*, pro *quorum*. Vid. supra p. 24. n. 54.

75) Huc adde regionum et urbium nomina pro incolis posita: ut, Cato ap. Gell. III. 7. *Propter ejus virtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclutissimae decoravere monumentis, signis, statuis aliisque rebus.* Liv. VI. 30. *Eodem anno Setiam, ipsis querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti*, q. d. *in Setinos*. Id. XXVIII. 19. *Castulo, cum prosperis rebus socii fuissent, post caesos cum exercitibus Scipiones, defecerant ad Paenos.* Plur. vid. ap. Gronov. de pecun. vet. II. 4. et ad Liv. VIII. 11. et IX. 41. et Cortium ad Sall. Cat. 5. 8.

76) Huc referuntur a quibusdam et illa, Virg. Aen. II. 667. *Alterum in alterius mactatos sanguine cernam.* Ovid. Her. III. 11. *Alter in alterius jactantes lumina vultum.* Sall. Cat. 62. 28. *Inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini.* Curt V. 5. 12. *Nisi mutuo essemus miseri, olim alius alii potuissemus esse fastidio*; et similia: item hoc Terentii, Adel. IV. 4. 25. *Aperite aliquis actutum ostium.* Sed haec ad Prolepsin potius pertinere ostendunt quae de ea Figura

tissimus quisque ex patribus. Sallust. Cat. 49. 2. *Uterque cum illo graves inimicitias exercebant.* Plaut. Menaech. v. 2. 3. *Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia* [77]).

☞ III. Utriusque simul: ut, Sall. Jug. 14. 16. *Pars in crucem acti, pars bestiis objecti.* Liv. XXVI. 85. *Haec ingens turba circumfusi fremebant.* Stat. Th. VII. 605. *Subeunt Tegeaea juventus Auxilio tardi.*

☞ Not. Nonnunquam ad idem nomen collectivum numeri singularis referuntur duo verba alterum singulare, alterum plurale: ut, Virg. Aen. II. 31. *Pars stupet inuptae donum exitiale Minervae, Et molem mirantur equi.* Et v. 63. *Undique visendi studio Trojana juventus Circumfusa ruit, certantique illudere capto.* Sic in illo Sallust. Jug. 14. 5. *Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginensi amicitiam instituit. — Quorum progeniem vos, P. C. nolite pati frustra a vobis auxilium petere*, a verbo singulari *instituit*, ad adjectivum plurale *quorum*, transitur.

☞ Synesis quoque in *explicitam* et *implicitam* distingui potest.

☞ Explicita est, in qua substantivum clare exprimitur, cui adjectivum vel verbum ita redditur, ut non cum eo, sed cum alio cui idem est sensus, conveniat: ut in exemplis praedictis.

☞ Implicita est, in qua substantivum non exprimitur, sed in adjectivo antecedente continetur: ut, Ter. Adel. V. 4. 27. *id mea minime refert, qui eam natu maximus:* ubi *qui* refertur ad *ego*, quod in *mea* includitur. Cic. Fam. XIV. 5. *De hereditate Preciana, quae quidem mihi magno dolori est (valde illum amavi) hoc velim cures:* ubi per *illum* intellige *Precium*, quod in *Precianus* continetur [78]).

---

dares, hoc quaeso advertite animo, Synecdoche est partis pro toto, q. d. *Calliope et caeterae Musae, Hasdrubal et reliqui duces Carthaginienses.* Confer supra p. 8. n. 20.

77) Addit Ursinus, p. 562. Synesin etiam casus; quam statui posse existimat in pronominibus possessivis, quibus genitivus alterius pronominis, nominis, vel participii jungitur: ut, Bithyn. ad Cic. Fam. VI. 16. *Contentus ero nostra ipsorum amicitia.* Id. pro Sext. c. 64. *Quam non admiror quod meam legem contemnat hominis inimici.* Ovid. Her. v. 45. *Nostros vidisti flentia ocellos*, etc. De qualibus supra diximus, p. 46. — 48. et n. ibi 22 et 23.

78) Ejusmodi sunt, Cic. pro Sull. c. 22. *Vestra enim, qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime interest.* Plin. Epist. IV. 13. *Vehementer intererat vestra qui patres estis.* Catull. XLII. 10. *Nam Sestianus dum volo esse conviva, Orationem in Antium petitorem Plenam veneni et pestilentiae legit*, sc. *Sextius*, quod in *Sextianus* intelligitur. [Pertinent huc illa Sallustii Catil. 18. in. *Sed antea item coniuravere pauci, in quibus Catilina:* de qua, *quam verissime potero,*

Digitized by Google

ANACOLUTHON.

☞ Anacoluthon est, cum consequentia antecedentibus non cohaerent: ut Ter. Hec. III. 1. 6. *Nam nos omnes, quibus, est alicunde aliquis objectus labos, Omne quod est interea tempus priusquam id rescitum est, lucro est*: ubi nihil est cum quo conveniat illud, *Nos omnes*: Auctor autem incepit, quasi dicturus esset, *lucro habemus*: finivit, quasi dixisset, *nobis omnibus*. Sic Varro, R. R. II. 4. *In Arcadia scio me esse spectatum suem, quae prae pinguitudine carnis non modo surgere non posset; sed etiam ut in ejus corpore sorex, exesa carne, nidum fecisset, et peperisset mures*. Pro, *sed etiam adeo pinguem, ut in ejus corpore*[79]), etc.

HELLENISMUS.

☞ Hellenismus (qui et Graecismus) est, quo Auctores, a Latina consuetudine recedentes, Graecos imitantur. Estque duplex, *Analogicus* et *Syntactius*.

☞ Hellenismus *Analogicus* est, quo nomina Latina Graeco more terminantur, vel flectuntur. Prioris generis

---

dicam, ubi ex *coniuravere* intelligendum esse *de qua coniuratione* egregie demonstravit Cortius. Simile huic est illud Ciceronis ad Fam. II. 3. init. *Equidem quid* sentiam, *aut scribam ad te postea pluribus, aut, ne ad eam meditere, imparatum te offendam*, ubi *eam* referendum est ad *r. sententiam*, quae in verbo *sentiam* latet. G. St.] • Huc addnnt et illa, Cic. Att. XII. 14. *Ut ipse me per literas consolarer, quem librum mittam ad te*. Liv. III. 10. *Pluit carne, quem imbrem*, etc. et similia, de quibus diximus, p. 23. n. 53. • Item ista Terentii, Eun. I. 28. 3. *Eunuchum dixti velle te, quia solae his utuntur Reginae, his*, nempe *Eunuchis*. Et ibid. II. 1. 19. *Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse*, sc. *hominem*. Sed haec vel ad Enallagen numeri, vel ad Ellipsin, aptius retuleris.

79) Sic Plaut. Poen. III. 3. 46. *Tu, si te Dii amant, agere tuam rem occasio est*. Cic. Orat. II. 10. in fin. *Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua his ampla et honesta res objecta est, totos ad se convertit, et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?* Hirt. de bell. Afric. c. 25. init. *Dum haec ita fierent, Rex Juba, cognitis Caesaris difficultatibus, copiarumque paucitate, non est visum dare spatium convalescendi, augendarumque ejus opum*. Plura ejusmodi adfexunt Muretus, Epist. XXXIII. Perizon. ad Sanct. IV. 11. 5. Munkerus, Dissert. de Hygino, p. 5. Davisius ad Cic. Tusc. II. 1. et III. 2. Confer et Linacr. p. m. 458 et 487. et Budaeum Comment. L. Gr. p. m. 951. Aliqui *Anacoluthon* idem statuunt quod *Soloecophanes*: sed hoc latius patet, omnesque Figuras, in quibus aliqua orationis incongruitas apparet, complectitur. Quae autem vere Anacoluthi nomen merentur, pro hallucinatione potius atque oscitantia Scriptorum, quam pro Figura, cum Scioppio, Gram. Phil. p. m. 98. habenda sunt. Vid. et Voss. Gram. min. Syntax. sub fin. [De anacoluthis apud Ciceronem scripsit Aug. Matthiae, quae dissertatio inserta est Analectis Litterariis a Wolfio editis Vol. III. p. 1 — 25. G. St.]

Digitized by Google

sunt, *Helene*, *Crete*, *Nymphe*, etc. pro, *Helena*, *Creta*, *Nympha*. Item, *Antiphon*, *Demiphon*, *Milon*; pro, *Antipho*, *Demipho*, *Milo* [80]), etc. Posterioris sunt: In prima declinatione, gen. sing. *auras*. In secunda, gen. sing. *Orpheos*, dat. *Orphei*, accus. *Orphea*. In tertia, gen. sing. *Pallados*, accus. *Pallada*: dat. plur. *Troasin*; accus. *Troadas*. De quibus omnibus in Etymologia abunde diximus.

☞ Hellenismus *Syntacticus* [81]) est, quo Syntaxis a communi Latinorum ratione discrepans, ad Graecorum consuetudinem conformatur. Is autem multiplex ac varius est: praecipue vero locum habet in his et similibus;

☞ 1. Cum nominibus substantivis diversi generis adiectivum neutrum adiungitur: ut, Cic. Fam. VI. 21. *Omnium rerum mors est extremum*. Virg. Ecl. III. 80. *Triste lupus stabulis*. De quibus supra p. 3.

☞ 2. Cum certis nominibus adiectivis et verbis genitivus additur: ut, *Praestans animi*, *Degener virtutis*, *Flavus comarum*, etc. Item, *Abstine irarum*, *Desine querelarum*, etc. De quibus p. 71, et seqq. et. p. 120, et seqq.

☞ 3. Cum verbis certandi, distandi, coëundi, arcendi, dativus subiicitur. Vid. p. 216.

☞ 4. Cum accusativus (pro nominativo) verbo, quod ad totam orationem subsequentem refertur, iungitur: ut, Plaut. II. 1. 35. *Ego te faciam ut miser sis*. Id. Merc. II. 4. 15. *Quo leto censes me ut peream potissimum* [82]).

☞ 5. Cum verbo infinito esse, ac similibus, nominativus pro accusativo apponitur: ut, Ovid. Trist. II. 10. *Acceptum refero versibus esse nocens*, pro *me esse nocentem*. Pers. VI. 10. *Postquam destertuit esse Maeonides*, i. e. *somniare desiit se esse Homerum*. Hor. Epist. I. 5. 15. *Patiarque vel incousultus haberi*, i. e. *me inconsultum haberi*. Vid. p. 16.

---

80) De his Not. 1. Latinos nonnumquam Graecorum nominum genus et declinationem mutasse: atque ex illorum obliquis nova sibi nomina formasse; ut, *glaucoma*, *-mae*; *schema*, *-mae*, feminina primae ex neutris tertiae: *Abacus*, *Aethiopus*, *delphinus*, *elephantus*, *Ibe-*

Digitized by Google

☞ 6. Cum dativus, antecedenti respondens, pro accusativo, verbo esse et similibus adiungitur: ut, Martial. XI. 8. 5. *Penelope licet esse tibi sub Principe Nerva*, pro *Penelopen*. V. Max. V. 4. 2. exter. *Maximo tibi et civi et duci evadere contigit*, pro *maximum civem et ducem*. Vid. p. 15.

☞ 7. Cum nominibus adiectivis vel substantivis additur infinitivus, ubi Latina loquendi ratio alia est: ut, Hor. Epist. I. 2. 27. *Fruges consumere nati*, pro *ad fruges consumendas*. Sic, *Liber dignus legi*, pro *lectu*, vel *qui legatur*; *Amor cognoscere*, pro *cognoscendi*. Vid. p. 224. et 245.

☞ 8. Cum accusativus partis vel adiuncti adiectivis vel verbis subiicitur: ut, Hor. Sat. I. 1. 5. *Fractus membra*. Virg. Aen. VII. 796. *Picti scuta Labici*. De qualibus dictum, p. 59 et 342. sqq.

☞ 9. Cum neutra adiectivorum pro adverbiis ponuntur: ut, Hor. Car. III. 27. 67. *Perfidum ridens*. Virg. Aen. IX. 794. *Acerba tuens*; pro, *perfide*, *acerbe*. Vid. supra.

☞ 10. A Graecis tractum et hoc genus Ellipseos, Virg. Aen. I. 573. *Urbem quam statuo, vestra est*, pro *urbs quam urbem*. Item istud eiusd. Aen. XII. 897. *Saxum antiquum, ingens, campo qui forte, iacebat Limes agro positus*, pro *quod* [83]).

☞ 11. Graecorum denique more dicta sunt haec Horatiana, Epod. VIII. 7. *Mammae putres, Equina quales ubera*, quo *qualia*. Et Sat. I. 5. 41. *Animae quales neque candidiores Terra tulit*, pro *qualibus* [84])

☞ Not. Ad *Hellenismos* pleraque pertinent *Antiptoseos*, haud pauca et *Heteroseos*, (ut ex praecedentibus liquet) exempla.

ARCHAISMUS.

☞ Archaismus est, loquendi ratio priscis usitata, sed meliori aevo penitus vel pene obsoleta. Is itidem duplex est, *Analogicus* et *Syntacticus*.

☞ Archaismus *Analogicus* est, cum pro vocibus usitatis voces adhibentur exoletae formae: ut, *Aulai*, pro *aulae*; *lacte*, pro *lac*; *sanguen*, pro *sanguis*. *Eius anuis causa*, pro *anus*. *Nihil ornati, nihil tumulti*; pro, *ornatus, tumultus*. *Mis, tis*; pro, *mei, tui*. *Olli*, pro *illi*. *Quis, quisquam*, gen. fem. *Duint*, pro *dent*. *Expugnassere, impetrassere*; pro, *expugnaturum, impetraturum esse*. *Capsimus*, pro *ceperimus*; *adaxint*, pro *adegerint*. *Aperibo, audi-*

83) Vid. supra p. 20. n. 50.
84) Vid. supra p. 27. n. 59.

Digitized by Google

bis; pro, *aperiam*, *audies*. *Moriri*, pro *mori*. *Siem*, pro *sim*, *Fuat*, pro *sit*. *Here*, *quase*, *donicum*: pro, *heri*, *quasi*, *donec*. *Nenu*, pro *non*; *endo*, *indu*, pro *in*, etc. De quibus in parte prima.

☞ Archaismus *Syntacticus* est, cum constructio usu antiquata reducitur. Eiusmodi sunt;

☞ 1. Cum verbalia in IO cum casu sui verbi construuntur: ut, Plaut. Amph. I. 3. 21. *Quid tibi hanc curatio est rem?* Vid. p. 239.

☞ 2. Cum verba *Utor*, *abutor*, *fruor*, accusativum adsciscunt. Vid. p. 195.

☞ 3. Cum participia futura activa, ac praeterita passiva, cum verbo esse, pro indeclinabilibus accipiuntur: ut, Cic. Verr. V. 65. *Hanc sibi rem praesidio sperant futurum*. Plaut. Amph. Prol. V. 33. *Justam rem et facilem esse oratum a vobis volo*. Vid. Etym. p. 286.

☞ 4. In *Absente nobis*, *Praesente testibus*. Vid. supra p. 299.

CAP. IV.

De Hyperbato *eiusque speciebus.*

☞ Hyperbaton est, cum consuetus verborum vel sententiarum ordo turbatur.

☞ Eius species sunt, *Anastrophe*, *Hysteron proteron*, *Hypallage*, *Synchysis*, *Tmesis*, *Parenthesis et Hyperbaton strictius dictum.*

ANASTROPHE.

☞ Anastrophe est, vocum, maxime praepositionum, praepostera collocatio: ut, *Celsus Cornelius*, *Pollio Asinius*, praenomine postposito [1]). Ovid. Am. I. 6. 58. *Quam face sustineo tecta superba petam*, pro *face quam*. Virg. Aen. I. 13. *Italiam contra*: et. v. 29. *His accensa super*: et v. 218. *Spemque metumque inter dubii* [2]). Ter. And. I. 1. 144. *I prae*, *sequar*, pro *praei*. Virg. Aen. II. 792. *Collo dare brachia circum*, pro *circumdare*. Lucr. VI. 962. *Principio terram Sol excoquit et facit are* [3]), pro *arefacit*.

---

1) De his aliisque *Anastrophes* exemplis vid. Aus. Popmam de usu antiq. locut. I. 16.

2) Vid. supra p. 385. [De praenomine postposito egregie disseruit Drackenb. ad Liv. II. 33. 10. et libr. III. 1. 1. G. St.]

3) In quibusdam *Anastrophe* adeo usu recepta est, ut vix aliter Auctores loquantur: ut in his compositis, *Mecum*, *tecum*, *secum*, *nobiscum*, *vobiscum*, *quamobrem*, *quapropter*, *quemadmodum*, *quatenus*,

Digitized by Google

HYSTERON PROTERON.

☞ Hysteron Proteron [4]) est, cum quod sensu posterius est priore loco ponitur: ut, Ter. Heaut. III. 1. 21. *Valet atque vivit*; pro, *Vivit et valet*: natura enim prius est *vivere* quam *valere*. Sic Virg. Aen. II. 353. *Moriamur et in media arma ruamus*; pro, *in medià arma ruamus et moriamur*. Id. Aen. III. 662. *Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit*. At primum debuerat dicere, *Venit ad aequora*; deinde, *tetigit fluctus* [5]).

HYPALLAGE.

☞ Hypallage est, mutua casuum permutatio [6]): ut, Virg. Aen. III. 61. *Dare classibus Austros*; pro, *Dare clas-*

---

hactenus. § Accidit porro Adverbiis et Conjunctionibus: ut cum, Caes. B. C. I. 16. *Diutius cum nostrorum impetum sustinere non posseut.* Ibid. *Diu cum esset pugnatum*; pro, *cum diutius, cum diu*: ut. Terent. Andr. IV. 1. 30. *Nec te quivit hodie cogere illam ut duceres*, pro *ut illam duceres*. Que et ne: ut, Hor. Sat. I. 6. 43. *Magna sonabit Cornua quod vincatque tubas*, pro *cornua tubasque*. Id. Sat. I. 8. 2. *Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum*, pro *scamnumne Priapumne*. Haec et alia ejusmodi Linacer, p. 460. Confer et Part. I. p. 323. n. 7, 8, 9, 11.

4) Aliis Hysterologia nominantur. Ursinus autem *Hysterologiam* ab *Hystero protero* sic distinguit; ut illic vocabulorum, hic autem rerum ipsarum transpositio sit. Prioris generis ei sunt, (1.) Cum praepositio verbo, non nomini, cui debetur, praeponitur: ut, Virg. Aen. I. 388. *Tyriam qui adveneris urbem*, pro *qui veneris ad urbem Tyriam*. Sic. Cic. Off. III. 16. *Adigere aliquem arbitrum*. Senec. Epist. 96. *Adigere jusjurandum*; pro, *adigere ad arbitrum, ad jusjurandum*. Vid. Gronov. ad Gell. VII. 18. (2.) Cum relativum *qui* praenomini demonstrativo, cujus demonstrationem explicat, vel sententiae ad quam refertur, praeponitur: ut, Cic. pro Lig. c. 7. *Sed hoc non concedo, ut quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis*. Id. *Qui proficiscerentur in Epirum, non accidit ut haberem*; pro, *non accidit ut haberem* [homines aliquos] *qui proficiscerentur in Epirum*. (3.) Cum alioqui in collocatione membrorum orationis, quod posterius erat, praeponitur: ut, Cic. Fam. I. 1. *Caeteris satisfacio omnibus, mihi ipse numquam satisfacio*. Id. *Ubi tu es natus, plus amabo posthac locum*. * Ex his prius ad Anastrophen refert Scioppius, Gram. Phil. p. 97. de posterioribus confer et Linacrum lib. VI. p. m. 466.

5) Huc revocari possunt et illa in quibus obtestatio, cum comprecatione, rei quaesitae seu desideratae praeponitur: ut, Virg. Ecl. IX. 30. *Sic tua Cyrneas fugiam examina taxos; Sic cytiso pastae distentent ubera vaccae; Incipe, si quid habes*. Hor. Car. I. 3. 1. *Sic te Diva potens Cypri, Sic fratres Helenae lucida sidera, Ventorumque regat pater, Obstrictis aliis praeter Japyga, Navis, quae tibi creditum Debes Virgilium, finibus Atticis Reddas incolumem precor*. Natura enim res petita praecederet: ut in illo Ovidii, Pont. II. 6. 15. *Idque facis, faciasque precor: sic mater et uxor, Sic tibi sint fratres, totaque salva domus*. Vid. Linacr. qui haec sub Synchysi collocat.

6) Duplex ab Ursino, pag. 586. Hypallage statuitur, *Perfecta* et *imperfecta*. *Perfecta* est, qua uterque casus, anterior et posterior, vel

Digitized by Google

ses *Austris*, sive *ventis*. Id. Ecl. III. 43. *Necdum illis labra admovi*; pro; *Necdum illa labris admovi*. Cic. pro Marcell. c. 6. *Gladium vagina vacuum in urbe non vidimus*; pro, *vaginam gladio vacuam* [7]).

SYNCHYSIS.

☞ Synchysis est, confusus atque intricatus verborum ordo: ut, Hor. Sat. I. 5. 49. *Namque pila lippis inimicum et ludere crudis*; pro, *lippis et crudis*. Virg. Aen. I. 109. *Saxa vocant Itali mediis quae in fluctibus Aras*; pro, *quae saxa in mediis fluctibus Itali vocant Aras*. Tibull. I. 5. 47. *Vidi ego qui juvenem seros desisset amores*; pro, *Vidi ego juvenem, qui* [8]), etc.

---

ambo posteriores, inter se permutantur; ut in exemplis allatis: quibus adde, Plin. VII. 56. *Vinum aqua miscere*, pro *aquam vino*. Hor. Car. I. 17. 1. *Saepe Lucretilem Mutat Lycaeo Faunus*, pro *Lycaeum Lucretili*: et II. 12. 21. *Num — pinguis Phrygia Mygdonias opes Permutare velis crine Licymniae*, pro *crinem Licymniae opibus Mygdoniis*. Item Virg. Aen. IV. 385. *Et cum frigida mors anima seduxerit artus*, pro *animam seduxerit artubus*. Sic Curt. X. 6. 10. *Alexandri modo sanguinem ac stirpem regiae majestati convenire*, pro *Alexandri modo sanguini ac stirpi regiam majestatem convenire*. *Imperfecta Hypallage* est, cum unus modo casuum permutatur altero, fitque ita constructionis mutatio: ut, Propert. II. 7. 77. *Solvere vitam alicui*, pro *solvere aliquem vita*. Plaut. Menaech. v. 2. 121. *Tantus ei morbus incidit*, pro *incidit in tantum morbum*, Ter. Hec. IV. 4. 67. *Inducere animum ad aliquid*; pro quo idem, Heaut. V. 4. 5. *Inducere aliquid in animum*. Id. Eun. IV. 8. 4. *Ipsam capillo concidit*, pro *capillum ipsi concidit*. Vid. supra p. 173. 174. et n. ibi 60. 62.

7) *Hypallagen* esse Figuram Rhetoricam, non Grammaticam, judicat Methodi auctor, p. 568. At alia mens Vossio est, qui Instit. Orat. lib. IV. p. 254. Hypallagen potius Schema esse censet quam Tropum: quae et sententia est Ursini, p. 569. Aliquando tamen eam cum Tropo concurrere idem fatetur: ut, *Cepit me dolor*, pro *Capio dolorem*. *Caruit te febris*, pro *Caruisti febri*. Sic in hoc Maronis, Aen. VI. 268. *Ibant obscuri sola sub nocte*, pro *soli obscura sub nocte*. Item isto ejusd. Aen. II. 231. *Sceleratam intorserit hastam*, pro *ipse sceleratus*. Sic, *infesta arma*, *infesti enses*; pro, *homines infesti*, *cum armis aut ensibus in hostes incurrentes*.

8) Huc spectant et ista, Plaut. Aul. I. 8. 1. *Pici divitiis qui aureos montes colunt*, *Ego solus supero*; pro, *Ego solus supero divitiis pices, qui pici a. m. e.* Vid. supra p. 18. n. 48. et Perizon. IV. 12. 5. Ter. Hec. IV. 2. 5. *Teque ante quam me amare rebar*, *ei rei firmasti fidem*. Quo in loco explicando multum laborant Interpretes. Doctissima Dacieria, quam et sequitur Westerhovius, sic evolvit: *Et quam*, i. e. *quantopere*, *ante rebar te me amare*, [nunc] *ei rei firmasti fidem*. Ursinus vero p. 570. verba sic ordinanda ac supplenda censet: *Et ei rei* [nunc] *firmasti fidem te amare me*, *quam ante rebar*, scil. *te amare me*. Vid. plura ejusmodi ap. Perizon. ad Sanct. IV. 11. 6. et IV. 12. 2. 3. Multus in hac Figura Horatius: ut, Sat. I. 5. 72. *Pene arsit macros dum turdos versat in igne*; pro, *dum versat macros turdos, pene arsit in igne*. Id. Sat. I. 8. 30. et 34. *Lanea et effigies erat, altera cerea*: et,

Digitized by Google

TMESIS.

¶ Tmesis est, vocis compositae interfectio, una vel pluribus aliis interiectis: ut, Virg. Geo. III. 381. *Septem subiecta trioni Gens*, pro *septentrioni*. Id. Aen. II. 567. *Jamque adeo super unus eram*, pro *supereram*. Ter. And. I. 5. 28. *Quae meo cunque animo lubitum est facere*. Cic. Att. I. 20. extr. *Per mihi, inquam, pratum feceris* [9]), pro *pergratum* [10]).

Serpentes atque videres Infernas errare canes; pro, *erat lanea effigies, et altera cerea:* et, *Videres serpentes errare atque infernas canes.* Id. Art. v. 29. *Qui variare cupit rem prodigialiter unam; Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum:* et v. 284. *Chorusque turpiter obticuit, sublato jure nocendi.* In quibus ordo est, *prodigialiter appingit:* et, *sublato jure turpiter nocendi.* Vid. Linacr. p. M. 464, 465. et Sanct. IV. 11. * Eodem pertinet cum inter praepositionem et casum ejus aliquid interponitur: cujus exempla aliquot dedimus p. 536. et. n. ad eand. 36. * Estque in primis hoc usitatum in per, cum obtestationibus inservit: ut, Ter. And. III. 3. 6. et V. 1. 15. *Per ego te Deos oro.* Virg. Aen. IV. 314. *Per ego has lacrymas dextramque tuam te — Oro.* Liv. XXIII. 9. *Per ego te, inquit, fili, quaecunque jura liberos jungunt parentibus, precor quaesoque.* Adde Gronov. ad Liv. XXIV. 18. et Freinshem. ad Curt. IX. 2. 28.

9) Sic Sallust. Cat. 5. 4. *Cujus rei libet simulator ac dissimulator.* Et Cat. 52. 10. *Cujus hace cumque modi, nostra an nobiscum nna hostium futura sint.* Cic. de Orat. II. 23. *Quantulum id cunque sit.* Id. Fam. I. 8. *Commutata tota ratio est Senatus, judiciorum, rei totius publicae.* Quinct. II. 14. *Neque enim rogationibus plebisve scitis sancta sunt ista praecepta.* Cic. Fam. III. 5. *Per fore accommodatum tibi.* Gell. II. 18. *Socrati et Platoni per fuit familiaris.* Id. XII. 6. *Per hercle antiquum perque lepidum.* Virg. Aen. I. 412. *Et multo nebulae circum Dea fudit amictu.* * Veteres hac Figura paulo licentius usi: ut Lucilius, lib. XXX. n. 72. *Juratam se uni, cui sit data deque dicata*, pro *dedicata*. Lucret. VI. 396. *Con brachia suefaciunt*, pro *consuefaciunt*. Sic distracta apud antiquos *arefacio, excandefacio, fervefacio*, notat Aus. Popma de usu antiq. locut. I. 16. ut Varro, R. R. II. *Are hos facies.* Ibid. *Excande me fecerunt*, et Cato, R. R. *Ferve bene facito.* Sed et vocem simplicem intersecat Ennius, [ap. Donat. de Trop. col. 1777. et Serv. ad Aen. I. 412.] *Saxo cere comminuit brum*: et *Massili portant juvenes ad littora tanas*, pro *Massilitanas*. ¶ Ad *Tmesin* quoque referri possunt voces quasi compositae aut conjunctae, quae non sine elegantia, aliis interpositis, dirimuntur: ut, Ter. Eun. III. 3. 26. *Thais maxime te orabat opere, ut cras redires;* pro, *maximo opere*, vel *maximopere*. Cic. Tusc. I. 46. *Ante enim Salaminam ipsam Neptunus obruat, quam Salaminii tropaei memoriam; priusque Bocotia Leuctra tollentur, quam pugnae Leuctricae gloria;* pro, *antequam, priusquam*. Sic in adverbiis congreganti, *non modo, non solum, non tantum*: ut Quinct. V. 11. *Sententiis quidem Poëtarum non orationes modo sunt refertae, sed libri etiam Philosophorum.* Cic. de Sen. c. 9. *Est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam et virium.* Justin. V. 4. 13. *Omnibus non humanis tantum, verum et divinis cum honoribus onerant.* Confer Linacr. p. 463. ¶ Fit denique et *Tmesis* in Appositione: ut, Liv. XXXV. 40. *Triumviri deduxerunt eos, Q. Naevius, M. Minutius, M. Furius Crassipes.* Cic. Fam. XIII. 65. *Tuque ipse et ex hujus observantia, gratissimi*

Digitized by Google

PARENTHESIS.

☞ Parenthesis est, sententia sermoni, antequam absolvatur, interiecta: ut, Virg. Ecl. IX. 23. *Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas.* Hor. Sat. I. 1. 15. *Caetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem Delassare valent Fabium.* [De variis modis, quibus oratio, parenthesi interrupta, continuari soleat, nonnulla monuit Matthiae in dissert. supra laudata.' Idem ad Cicer. Epist. Selectt. p. 42. *ut* iterari ostendit, si longior interposita sit sententia, laudato Cic. pro Planc. 58, 92. Acad. IV. 45. 139. Fin. III. 13. 43. G. 84.]

HYPERBATON *strictius dictum.*

☞ Hyperbaton [11]) *strictius dictum*, est verbi, quo sententia perficitur, longior dilatio: ut, Virg. Aen. XII. 161.

Interea Reges: ingenti mole Latinus
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cinguut,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro:
Hinc pater Aeneas Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo et coelestibus armis;
Et iuxta Ascanius magnae spes altera Romae:
Procedunt castris. —

ubi inter nominativum *Reges* et verbum *Procedunt*, hemistichium ac toti septem versus interseruntur.

---

hominis, et ex sociorum gratia, hominum amplissimorum, maximum fructum capies. Vid. Cort ad Sall. Jug. 27. 3.

10) *Tmesi* contraria est Figura quam Hyphen vocant, qua duo vocabula in unum conflari potantur: ut, Ter. And. I. 2. 4. *Heri semper-lenitas mirabar quorsum evaderet*, q. d. *perpetua lenitas.* Virg. Aen. I. 199. *Neque enim ignari sumus ante-malorum*; pro, *malorum quae ante passi estis.* Sic Catull. IV. 11. *Ubi iste post-phaselus ante fuit comata silva.* Plaut. Amph. II. 2. 138. *Tu intus-pateram proferto foras.* Et Pers. III. 1. 57. *Non tu nunc-hominum mores vides.* Sed horum pleraque per Ellipsin participii *ens*, *factus*, aut similis, explicari possunt: ut adeo Hyphen, quamvis veteribus etiam Grammaticis Donato et Servio agnitum, Figurarum numero eximendum statuat Gronovius Observ. in Script. Eccles. p. 152. sub fin. suffragante Ursino, p. 542.

11) Tale *Hyperbaton* est ap. eund. Virg. Aen. II. 848. *Juvenes, fortissima frustra Pectora*, etc. et Caes. B. G. II. 17. *Nervii antiquitus*, etc. qualia non pauca apud nobilissimum eum Scriptorem alibi occurrunt. Poteris et ad *Hyperbaton* revocare quamcunque longiorem sententiam, cujus partes intricatae, aut a naturali suo situ paulo remotius collocatae sunt. Quales ap. Horat. principio Odes 3. lib. I. et Odes 4. lib. IV. habentur: nisi mavis eas ad Hysterologiam vel Synchysin referre.

Digitized by Google

APPENDIX I.

De Virtutibus et Vitiis orationis.

☞ Orationis praecipuae virtutes sunt, 1. *Puritas.* 2. *Perspicuitas.* 3. *Aequalitas.* 4. *Proprietas.* 5. *Suavitas.* 6. *Simplicitas.* Quibus singulis sua vitia opposita sunt. Quamvis autem ex his virtutibus sola prima ad Grammaticam, caeterae ad Rhetoricam proprie pertineant: nobis tamen haud ab re fore visum est, si singulas, vitiaque cuique adversantia, hic breviter perstringeremus.

☞ I. Puritas orationis postulat, ne quid regulis artis, vel recte loquentium consuetudini officiat.

☞ 1. Regulis artis adversantur *Barbarismus* et *Soloecismus.*

☞ Barbarismus [1]) est, usus vocis, aut omnino barbarae: ut, *Riderus*, pro *equite; perla*, pro *unione; croftum*, pro *agello*, etc. aut Latinae, quidem, sed scriptione, inflexione, pronunciatione, vel alio quocunque modo, vitiosae. Scriptione: ut, *Author*, pro *auctor; charus*, pro *carus*, etc. Inflexione: ut, *coela*, pro *coeli; stavi*, pro *steti; legebo*, pro *legam*, etc. Pronunciatione: ut, si quis *tibicen*, *cuculus*, *rubrica*, penultima correpta; aut, *adamantinus*, *philosophia*, *erudit*, ea syllaba producta, pronunciet.

☞ Soloecismus [2]) est, vitiosa partium orationis constructio: ut, *Acuta gladius*, *Adiuvare alicui*, *Non nega*, *Scribo cum calamo.*

---

1) Haec *Barbarismi* species, qua vox prorsus peregrina et Latinis auribus ignota usurpatur, ab aliis Barbara lexis appellatur.

2) Aliis etiam modis fit *Barbarismus*: ut *formatione*; qualia sunt, ex. gr. *carentia*, *gratitudo*, *ingratitudo*, *dolorosus*, nomina; *necessitare*, *recommendare*, verba; et alia innumera, quae ad *Neoterismum* quoque referre liceat. Item, cum voces Latinae *aliena significatione* adhibentur: ex. gr. *causari*, pro *efficere*; cum Latinis sit *causam* sive veram sive vanam afferre; *discretus*, pro *modesto*, cum sit idem quod *divisus*, *separatus*; *imo* in sensu affirmandi, cum sit corrigentis, etc. Vid. Ursin. p. 581. et confer Quinctil. I. 5.

3) Hoc differunt *Barbarismus* et *Soloecismus*: *Barbarismus* fit in singulis verbis; *Soloecismus* in contextu vel complexu orationis. Vel, *Barbarismus* est vox una, aut peregrina, aut Latina quidem, sed cor-

2. Recte loquentium consuetudini contraria est Insolentia, cui subiiciuntur *Archaismus*, *Neoterismus* et *Idiotismus*.

De Archaismo supra diximus. Is autem tum vitiosus est, cum praeter modum et decorum, vel voces obsoletae, vel antiquatae vocum constructiones, in scenam denuo revocantur.

Neoterismus est, vocum phrasiumve, optimis linguae Latinae aetatibus necdum adhibitarum, usus: ut, *breviarium*, pro *summario*; *usualis*, pro *solito* vel *vulgari*; *confiscare aliquem*, pro *bona eius in fiscum redigere*. Sic Quinctiliani aetate, *Plenum vino*, *incumbere rei*, *adulari alicui*, pro quibus melioris aevi scriptores, *Plenum vini*, *incumbere in rem*, *adulari aliquem*, dicebant, ipso teste, introducta sunt.

Idiotismus, [Hoc vocabulum perperam ita adhiberi, satis notum est. G. St.] qui et Peregrinitas, est, vocum Latinarum usus ad propriam aliarum linguarum consuetudinem conformatus. Est autem multiplex lateque diffusum hoc vitium: continet enim speciatim, *Hebraismum*, *Scoticismum*, *Anglicismum*, *Gallicismum*, omnesque eos loquendi modos, per quos homines, praesertim rudiores, suae cuiusque linguae sive idiomatis consuetudine abrepti, a nativa Latine loquendi ratione deerrant: in quos etiam viri doctissimi interdum nec opinantes prolabuntur.

II. Perspicuitas orationis postulat, ut ea clara facilisque intellectu sit. Ei contraria est Amphibologia,

---

potest. Soloecophanes autem est quod *Soloecismi* quidem speciem habet, sed ratione aliqua excusari potest: ut ap. Ter. And. III. 5. 4. *Ubi illic est scelus qui me perdidit*: et Eun. II. 3. 10. *Ut illum Dii Deaeque senium perdant qui me hodie remoratus est.* In quibus utrisque, cum antecedens neutrum sit, relativum vero masculinum: si relativi et antecedentis leges audiendae sunt, *Soloecismus* videtur: at si rationem quae Poetae sic loquentis animo suberat attendamus, schema est figura, quae antiquis *Syllepsis*, recentioribus *Synesis* vel *Synthesis* appellatur. Respexit enim Terentius ad intellectum non ad verba; siquidem in his *scelus* et *senium*, pro *scelestus* et *senex* accipiuntur, cum quibus relativum *qui* consentit. * „Si quid igitur (verba sunt Cl. Danesii. Paralip. p. 284.) legeris apud Ciceronem. Caesarem. Virgilium. Ovidium. aliumve qui erudito illo seculo eloquentiae laude flo-

quae est oratio constructionis ambiguitate obscurata: ut in illo oraculi ad Pyrrhum, *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*

☞ III. Aequalitas orationis in eo consistit, ut ne plus minusve dicatur, quam res exigit. Plus dicit Tautologia, i. e. inanis eiusdem rei per verba diversa repetitio: ut, *Ipse egomet venio. Exultans redeo, gaudensque revertor.* Item et Perissologia, i. e. adiectio superflua, sine ulla vi rerum: ut, *Ibant quà poterant, qua non poterant non ibant.* Minus dicit Tapinosis, cum infra rei magnitudinem subsidit oratio: ut, *Saxea verruca in summo montis vertice* [4]).

☞ IV. Proprietas voces aptas poscit, et rei respondentes. Huic virtuti opponitur Acyrologia vel Catachresis [5]), i. e. impropria vocis usurpatio: ut, *Sperare*, pro *timere*. Iuv. IV. 57. *Iam quartanam sperantibus aegris.* Virg. Ecl. VII. 7. *Vir gregis ipse caper deerraverat.* Abusive, inquit Servius, nam *vir* sive *maritus* tantum hominum est.

☞ V. Suavitas *Euphonia* gaudet, i. e. grata auribus literarum vel vocum compositione. Huic Cacophaton opponitur, quae est iniucunda et male sonans literarum positio vel repetitio: ut, *conlaudo, conrigo*; pro *collaudo, corrigo.* Virg. Aen. III. 185. *Sola mihi tales casus Cassandra canebat:* ubi *ca* syllaba saepius iteratur. Item Cacosyntheton, quae est indecens verborum structura: ut, Virg. Aen. IX. 610. *Versaque iuvencum Terga fatigamus hasta.* [Pertinet huc notum illud grammaticorum praeceptum, ut vitetur diligenter eorundem vocabulorum frequens repetitio. Sed haud semel id esse vel ab optimis scriptoribus neglectum praeter ea quae supra II. p. 18. notavimus, ingenti exemplorum multitudine evicit Drackenborchius ad Livium I, 3. §. 9. Alia passim ad I. Caesarem sunt collecta ab Oudendorpio. G. St.]

☞ VI. Simplicitas denique orationis exigit, ut nihil ei insit affectati. Huic adversatur Cacozelia, i. e. nimium elegantiae studium, ut, Ovid. Met. II. 108. *Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae, radiorum argenteus ordo.*

---

4) Vid. Quinctil. VII. 3.

5) De *Acyro* et *Catachresi* operae est videre Quinctil. VIII. 2 et 6. Quidam ad *Acyrologiam* referunt obliquiorem quamcunque et impropriam orationem, quae ex regulis artis aegre resolvi potest: ut, Liv. II. 42. *Moti ira numinis, causam nullam aliam vates canebant, publice, privatimque, nunc extis, nunc per aves consulti; quam haud rite sacra*

Digitized by Google

De Analysi, seu Expositione.

Analysis, sive Expositio, duplex est: *Analogica*, sive *vocum*; et *Syntactica*, sive *Sententiarum*.

1. *De Analysi analogica, sive Vocum.*

Analysis analogica, sive *Vocum* est, qua singulae in unaquaque sententia voces ad suas classes, quas orationis partes vulgo dicimus, reducuntur earumque proprietates et accidentia exponuntur.

Hoc pacto, si vox sit declinabilis, nomen, pronomen aut participium, ipsius casus, et numerus, et, si adjectivum sit, etiam genus declarantur: tum thema (a quo declinandi fit initium) constituitur.

Constituto themate, si nomen sit, ejus indicatur qualitas; utrum sciz. substantivum sit an adjectivum; et si substantivum, propriumne sit, an appellativum: substantivi deinde declinatio memoratur et genus; cui si quid in eo momenti sit, genitivus, aut alius quivis casus, adjiciuntur: adjectivi motio, declinatio, et si eam recipiat, comparatio explicantur: postremo utriusque species et figura subjiciuntur.

In pronomine, exponitur ejus significatio, persona, motio; denique et ipsius species ac figura.

Participii traditur significatio, tempus, motio, comparatio, ac derivatio a verbo; postremo figura.

In verbo, voce conjugabili, prima occurrit persona; inde numerus, tempus, modus: tum thema constituendum, a

---

fieri, pro *consulentes*: non enim *vates consuluntur per exta et aves*; sed ipsi per exta et aves consulunt Deos. Plaut. Most. II. 1. 42. *Patrem faciam tuum, ut fugiat longe ab aedibus*; pro, *faciam ut pater fugiat*. Haec Lowaens, Gramm. p. 1. Not. 5. At in priore illo exemplo dici potest, Romanos primum haruspices et augures consuluisse, ut ipsi ex artis suae disciplina, i. e. per exta et aves Deos rursum consulerent, seu irarum ab iis intentatarum causas exquirerent; atque hoc pacto nescio an *motis* illic pro *moti* legendum sit, ut haec vox ad populum Rom. non ad vates referenda sit. [In proprietate verborum sitam esse maximam partem elegantiae Latine scribendi, hoc est quod tirones quam saepissime monere debent qui illos Latine litteris instituunt. Nam quod multi ita usurpant voces et locutiones, ut nullam habeant primariae earum significationis rationem, id ne quid gravius dicam, per est ridiculum multosque effecit et lepidissimos errores. Atque hinc etiam fieri solet, ut nec varia orationis genera discernantur et quae vix summam caveam delectent, ea rebus gravissimis perversa ratione accommodentur. Quod vitium quum Graevius, Burmannus, Ernestius, Ruhnkenius, alii, exploserint, mirandum est hodie a multis ita admitti, ut etiam in eo sibi placere videantur. G. St.]

Digitized by Google

quò conjugandi fit initium, cum praeterito perfecto, supino et praesenti infinitivi. Distinguendum porro in personale et impersonale; et personale rursus in activum, passivum, neutrum, deponens, commune; impersonale in activae vel passivae vocis. His conjugatio, ac denique species et figura subjunguntur.

In adverbio indicanda est ejus significatio, comparatio (siquidem ejus capax sit) species et figura.

In reliquis vocibus invariabilibus, resolutio secundum ea quae in ipsis spectari solent, facienda.

Ut clarius res pateat, exemplo sit initium Satyrae primae Horatianae, quod sic analogice resolutum exhibemus.

Qui est antiquus ablativus singularis pronominis *qui*, quod significatione relativum est, omnium personarum, mobile per tres terminationes, *qui*, *quae*, *quod*, speciei primitivae, figurae simplicis. Hic autem adverbii loco accipitur, *qui*, pro *quo*, supple *negotio*, i. e. *quomodo*.

Fit est tertia singularis praesentis indicativi, a themate *Fio*, *factus sum*, *fieri*, quod est verbum personale, passivum, anomalum, tertiae coniugationis, figurae simplicis, speciei derivativae, a verbo activo *Facio*, *feci*, *factum*, *facere*.

Maecenas est vocativus singularis, a themate itidem *Maecenas*, *-atis*, quod est nomen substantivum proprium, declinationis tertiae, generis masculini, speciei primitivae, figurae simplicis. Quod si Graecam originem spectes, speciei est derivativae et figurae compositae, a μὴ κοινός, i. e. *non communis*, seu *unus ex multis*, q. d. *vir singularis* [z]).

Ut est coniunctio finalis, seu perfectiva ordinis praepositivi, speciei primitivae, figurae simplicis.

Nemo est nominativus singularis, seu ipsum thema, nominis substantivi appellativi sive communis, declinationis tertiae, communis generis, speciei primitivae, figurae compositae, a *ne*, i. e. *non*, et *homo*.

Quam est accusativus singularis, feminini generis, pronominis relativi *qui*, de quo supra.

Digitized by Google

Sortem est accusativus singularis, a themate *sors*, quod est nomen substantivum appellativum, declinationis tertiae, generis feminini, speciei primitivae, figurae simplicis.

Seu est coniunctio disiunctiva, praepositivi ordinis, speciei primitivae, figurae compositae a *si* et *ve* coniunctionibus, per Apocopen et Antithesin seu.

Ratio est nominativus singularis, adeoque ipsum thema, nominis substantivi appellativi, tertiae declinationis, feminini generis, speciei derivativae, a supino inusitato *ratum*, vel potius a participio *ratus -a, -um*, verbi *reor*, figurae simplicis.

Dederit est tertia singularis futuri subjunctivi, a themate *Do, dedi, datum, dare*, quod est verbum personale, activum, conjugationis primae, speciei primitivae, figurae simplicis.

Seu est coniunctio disiunctiva, de qua supra.

Fors est nominativus singularis, ac proinde ipsum thema nominis substantivi proprii (pro *Fortuna*) tertiae declinationis foeminini generis, speciei derivativae, a *ferendo*, est enim *Fors* prout *res fert*, figurae simplicis.

Obiecerit est tertia singularis futuri subjunctivi, a themate *Obiicio, obieci, obiectum, obiicere*, quod est verbum personale, activum, tertiae conjugationis, speciei primitivae, figurae compositae, a praepositione *ob* et verbo *iacio*.

Illa est ablativus singularis, feminini generis, a themate *ille*, quod pronomen est relativum, tertiae personae, mobile per tres terminationes, *ille, illa, illud*, speciei primitivae, figurae simplicis.

Contentus est nominativus singularis, sive ipsum thema, masculini generis, participii (vel potius nominis, cum temporis adsignificationem amiserit) *contentus*, quod est mobile per tres terminationes, *-us, -a, -um*, primae et secundae declinationis; comparabile per omnes gradus, saltem per primum et secundum, *contentus, contentior, contentissimus*, speciei derivativae, a verbo *contineo*, figurae compositae, a praepositione inseparabili *con*, et participio apud probatos vix usitato *tentus, -a, -um*, verbi *teneo*.

Vivat est tertia singularis praesentis subiunctivi, a themate *Vivo, vixi, victum, vivere*, quod est verbum personale, neutrum, tertiae coniugationis, speciei primitivae, figurae simplicis.

Laudet est tertia singularis praesentis subiunctivi, a themate *Laudo, -avi, -atum, -are*, quod est verbum per-

Digitized by Google

sonale, activum, primae coniugationis, speciei primitivae, figurae simplicis.

Diversa est accusativus pluralis neutrius generis, a themate *diversus*, quod est participium praeteritum passivum, mobile per tres terminationes, *-us*, *-a*, *-um*, primae et secundae declinationis, comparabile regulariter hoc modo, *diversus*, *diversior*, *diversissimus*, speciei derivativae, a verbo *diverto*; figurae compositae, ex praepositione inseparabili *di*, et *verto*.

Sequentes est accusativus pluralis masculini generis, a themate *sequens*, quod est participium praesentis temporis activum, mobile per tria genera, sed unam habens nominativi singularis terminationem, declinationis tertiae, quantum constat incomparabile, speciei derivativae, a verbo deponenti *sequor*, figurae simplicis.

2. *De Analysi syntactica, seu Sententiarum.*

Analysis *syntactica*, seu *sententiarum*, est qua omnes sententiae alicuius voces, sive expressae, sive intellectae, proprio suo ordine collocantur, ut vera ipsius structura adeoque et sensus appareat.

I. Sententia omnis vel *simplex* est, vel *composita*.

Sententia simplex est cui unum tantum inest verbum finitum.

Sententia composita est cui duo vel plura insunt verba finita [2]). Vel aliter; *Sententia composita* est quae duabus vel pluribus constat sententiis simplicibus, *copulis* quibusdam inter se connexis.

Hae copulae quatuor generum sunt. 1. Pronomen relativum *Qui*. 2. Voces comparandi aut similitudinis, cuiusmodi sunt, *Tam, quam, aeque, ac, sic, adeo, ita, ut, uti, sicut, tanquam, quasi, ceu, quemadmodum, potius, praecipue, praesertim, aliter, secus, nedum,*

---

2) E. Camerarius, in sua Cyclopaedia, sive Dictionario universali [voce *Sententia*] ubicunque occurrit ablativus absolute positus, sententiam *statuit compositam*, sive, ut ille nominat, *conjunctam*, quamvis ei unicum tantum insit verbum finitum: ut, Ovid. Trist. III. 7. 44. *Nil non mortale tenemus, Pectoris exceptis ingeniique bonis*: illic enim clausulam, *Pectoris exceptis ingeniique bonis*, huic aequivalere: *Si pectoris ingeniique bona excipiantur.* Idem quoque locum habere affirmat in pluribus nominibus oppositione coniunctis: ut, Mart.

etc. item, *tantus, quantus; talis, qualis; tot, quot*, etc. 3. Voces indefinitae, qualia sunt interrogativa omnia, cum interrogandi vim amittunt: ut, *quis, uter, qualis, ubi, quo, quando, quotiens, cur, quare, quomodo, num, an, utrum*, etc. 4. Conjunctiones fere omnes.

In Sententia simplice duo praecipue consideranda veniunt, 1. Partes ejus *essentiales*. 2. Partes *accidentales*.

Essentiales Sententiae partes sunt nominativus et verbum 3).

Accidentales ejus partes sunt quintuplices. 1. Eae quae attentioni faciendae inserviunt: quales in primis sunt omnes vocativi; item excitandi particulae, *o, en, ecce, heus*, etc. 2. Voces introductoriae: quales sunt eae quae sententiae unius cum alia, vel praecedente vel subsequente, nexum ostendunt: veluti, *iam, hactenus, interea, protinus, deinde, nam, sed, ideo, ergo, igitur, itaque, cum, dum, quia, quandoquidem, quoniam, si, sin, nisi, quamvis, etsi, licet*, et similes, 3. Voces interrogativae, *quis? qualis, quantus? an? num? ubi? quo? quomodo?* etc. item negativae, *ne, non, neutiquam, nunquam*. etc. 4. Voces quae generaliorem atque indefinitam vel nominativi vel verbi significationem restringunt atque definiunt; eae autem plerumque sunt nomina substantiva; veluti si dicam, *Petrus adolescens filius Ioannis legit Virgilii Georgica*: in qua sententia partes essentiales sunt *Petrus legit*; accidentales autem *adolescens filius Ioannis*, et *Virgilii Georgica*: quarum illae nominativum *Petrus* ab aliis *Petris* distinguunt; hae autem vagam alioqui verbi *legit* actionem ad *Virgilii* carmina, quae *Georgica* vocantur, restringunt. 5. Voces quae nominativi aut verbi significationem plenius explicant atque illustrant: talesque sunt adjectiva, adverbia, et praepositiones cum suis casibus. * Interdum compositae

---

3) Si tamen Dialecticorum regulas sequi velimus, in unaquaque sententia (quam illi *Propositionem*, sive *enunciatum* vocant) tres sunt partes essentiales, *subjectum*, *praedicatum* et *copula*: *subjectum* de quo aliquid dicitur: *praedicatum* id quod dicitur; et *copula*, sive verbum substantivum, praedicatum cum subjecto uniens sive conjungens. At quia haec copula in omnibus propositionibus, in quibus aliud verbum quam substantivum adhibetur, non exprimitur, sed implicite tantum continetur: ut, *Petrus scribit*, i. e. *Petrus est scribens*; imo et verbum substantivum sic interdum est resolvendum: ut, *Deus est*, *i. e. Deus est existens*: ideo Grammatici, ad ea tantum quae exprimuntur, non autem ad ea quae in ipsorum significatione includuntur, attendentes, duas tantum statuunt voces sententiae essentiales, nominativum scil. et verbum; utpote ex quibus plena ac perfecta oratio constare possit.

Digitized by Google

sententiae pars vocum tam restringentium quam explicantium vices sustinet [4]).

Atque haec de Sententia, eiusque partibus: proximum est ut de vocum in ea ordine dicamus.

II. Ordo vocum in sententia duplex est: *Naturalis*, sive *Grammaticus*; et *Artificialis*, sive *Oratorius*.

Ordo naturalis est, cum voces iuxta eum ordinem, qui naturae cuiusque consentaneus est, quemque in animi nostri conceptibus habent, collocantur [5]).

Ordo artificialis est, cum voces, relicto naturali, eo ordine disponuntur, qui ad sermonis suavitatem, auresque mulcendas, maxime est accommodatus.

Ordo igitur *naturalis* unus semper idemque est: at *Ordo artificialis* varius saepe ac multiplex, ex aurium judicio, atque optimorum Scriptorum usu constituendus.

III. *Sententia* ex *artificiali* in *naturalem ordinem* per has sequentes regulas resolvi potest.

1. Si adsint, sumantur vocativi, excitandi particulae, voces introductoriae, interrogativae et negativae.

2. Sequatur nominativus, vel quod ejus loco ponitur.

3. Succedant voces quae generalem nominativi significationem vel restringunt vel explicant; quales sunt voces cum nominativo convenientes, aut ab eo vel aliae ab aliis continua serie, usque dum ad verbum perveniatur, rectae.

---

4. Possunt haec duo postrema *vocum accidentalium* genera ad unum reduci, vocum nimirum quae qualicunque modo voces sententiae essentiales, i. e. nominativum vel verbum, afficiunt, sive eae istarum significationem restringant, sive explicent. Grammatici autem voces explicantes, nonnunquam et restringentes, *Declarantium* nomine appellant.

5) Hoc pacto, vox cui altera concordat ei quae cum ipsa concordat, ut et regens rectae, quaeque explicatur explicanti, nomen substantivum adjectivo, item alteri a se recto, nominativus verbo finito, accusativus infinito, tanquam eorum supposita, verba (interdum et nomina) adverbiis, praepositiones casibus a se rectis, et sic porro, ordinarie praeponenda sunt. Ordinarie dico: nam (ut post

Digitized by Google

4. Tum locum habeat verbum personale finitum. Sed si verbum impersonale fuerit, ab eo inchoandum.

5. Sequantur denique voces verbi significationem restringentes, vel explicantes: quales sunt substantivorum casus a verbo recti; item voces, sicubi occurrant, cum iis substantivis congruentes, aut ab iis rectae; ut et adverbia, praepositiones cum suis casibus, etc. naturali ordine aliae aliis connexae, ad finem usque sententiae.

6. Si quid per Ellipsin omissum sit, id supplendum.

7. Si Sententia composita sit, ejus membra, prout alia ab aliis pendent, seorsum accipienda, singulaque juxta regulas praecedentes ordinanda, praemissa semper quae posterius cum priore connectit copula.

Exemplum Analyseos hujus syntacticae esto rursus initium primae Satyrae Horatianae: quae cum sententia composita, atque ex quinque simplicibus conflata sit, eius membra et vocabula hoc pacto in naturalem suam structuram atque ordinem sunt resolvenda.

1. O *Maecenas*, *qui* [i. e. quo modo] negotium *fit*, 2. *ut nemo* [i. e. nullus homo. vel homo non] *vivat contentus illa* sorte, 3. *quam sortem seu ratio dederit sibi*, 4. *seu* quam sortem *Fors obiecerit* sibi, 5. sed homo *laudet* homines *sequentes* negotia [vel studia] *diversa* a suis negotiis [vel studiis.]

Not. 1. Voces interrogativae primum semper in sententia, nisi eas antecedat praepositio, locum obtinent.

Not. 2. Voces negativae proxime ante verbum consistunt.

Not. 3. Vox regens rectae praeponitur.

Not. 5. Vox aliam explicans vel declarans ei quam explicat vel declarat postponitur: ut adjectivum substantivo, adverbium verbo, infinitum finito, etc.

Excipe relativum *qui*, *quae*, *quod*, et indefinita seu redditiva, *quantus*, *qualis*, *quot*, etc. quae vocibus a quibus recta sunt [6]), nisi eae sint praepositiones, anteponuntur.

---

6) Relativum, *qui*, *quae*, *quod*, ut et interrogativa, et ex his facta indefinita, non tantum ipsa primum in sententia locum obtinent, sed etiam substantiva, quibuscum cohaereat, vel a quibus recta sunt, secum trahunt: ut, Hor. Epist. i, 2. 69. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem Testa diu*: Ordo est, *Testa servabit diu odorem, quo* [odore] *ea testa est imbuta semel recens*, [i. e. cum recens esset.] Hor. Carm. I. 12. 1. *Quem virum, aut heroa, lyra vel acri Tibia sumes celebrare, Clio?* Ovid. Heroid. II. 109. *Cujus opes auxere meae.* Sic construe; *Quem virum sumes celebrare*, etc. *Cujus opes auxere meae opes auxere.*

Digitized by Google

Not. 5. Subiunctivus modus, quoquam fere, nisi in sententia composita, locum habet.

Not. 6. Sententiae compositae partes, certis quibusdam Notis distinguuntur, quas *Interpunctiones* appellamus, de quibus sequente Appendice dicendum [7]).

APPENDIX III.

De Ratione orationem distinguendi, seu interpungendi.

Distinctio est certa orationem in sua membra partiendi ratio.

Ea autem duplex est, *orationis* sciz. vel *pronunciatae*, vel *scriptae*.

Distinctio orationis pronuntiatae est mora, quam in variis orationis clausulis inter pronunciandum adhibemus.

Distinctio orationis scriptae (quam et Interpunctionem dicimus) est Nota, sive character, eam, quae in pronunciando adhibenda sit, moram repraesentans [1]).

---

7) „Huic constructionis ordini (ut optime a doctissimo Ursino monitum, p. 576.) hucusque tradito, in locis Auctorum ex Latina in vernaculam transferendis, non ita mordicus inhaerendum, ut hujus genio, quae fere solet, vis inferatur. Aliud enim est vocabula construere, aliud Latina in patriam linguam convertere. In versionibus igitur faciendis magis probem, ut, quoad fieri potest, ordo verborum Auctoris, in quo non parum saepe momenti, vel ad sententiam est, retineatur. Sioubi vero obscuritas et perplexitas occurrit, tum demum ad ordinem constructionis, tanquam ad filum quoddam Ariadneum, confugiatur?"

1) Quo primum tempore hae distinctionum notae introductae fuerint, haud satis liquet. Dausquius in Orthogr. Vol. 1. p. 137. eas antiquissimas esse contendit, atque cum ipsa lege scribendi natas adeoque conjunctas fuisse. At Erycius Puteanus, peculiari de hac re libello, quam *Faculam distinctionum* appellat, eas longe recentius, paulloque ante Ael. Donati et Diomedis aetatem (qui quarto post Christum natum seculo claruisse videntur) inventas existimat. Quamvis autem Cicero, Quinctilianus, aliique veteres, Periodi, Coli, et Incisi seu Commatis meminerint; eos tamen de intervallis seu pausis, quae in oratione pronunciandi fieri debeant, non de characteribus, quibus ea notantur, intelligendos esse, idem, nec sine ratione, colligere mihi videtur. Utcunque vero haec se res habeat, primi certe qui de his Notis expresse aliquid tradiderunt, sunt veteres illi quos nominavimus Grammatici, Donatus et Diomedes; quos deinde secuti sunt Sergius, Marius Victorinus, Aur. Cassiodorus et Isidorus Hispalensis; quorum ultimus seculo post C. N. septimo floruit. Caeterum, quas *Distinctiones* vocamus, antiquiores illi Posituras ideo appellabant, quod uno tantum signo, i. e. puncto, sed diversis in locis posito, ad sententias earumve partes secernendas uterentur: unde et adhuc *Interpunctionum* iis nomen remansit, eademque de causa Gracis θέσεις et

Digitized by Google

Utraque haec distinctio pro triplici respirationis humanae intervallo [2]) triplex est potissimum. Nam vel minima est respiratio, quae sententiam sustinet; vel media, quae eam suspendit; vel plena, quae eam finit, sive deponit. Prima dicitur *Comma*, altera *Colon*, tertia *Periodus*. Quibus vulgo additur Quarta, quae *Semicolon*; a nonnullis et quinta, quae *Semiperiodus* vocatur. Huc denique refertur *Parenthesis*. item affectuum, sive *Interrogationis* et *Admirationis*, signa.

Ut autem harum distinctionum usus melius intelligatur, quaedam de *Sententia*, sive *Oratione*, eiusque *membris* in genere sunt praemittenda [3]).

1. In omni Sententia duae partes necessario requiruntur, nominativus et verbum finitum [4]).

Quicquid praeterea his accedit, alterutrum eorum afficit, aut per se, aut interventu alicuius, a quo prius afficitur.

στιγμαί sunt nuncupatae. Porro *Positurae* illis tres tantum erant: Prima, quam *distinctionem finalem*, nonnunquam et *distinctionem* simpliciter, sive κατ' ἐξοχήν vocabant, Gr. στιγμὴν τελείαν, cujus nota erat punctum ad summam literam positum. Secunda erat *distinctio media*, Gr. μέση, quam puncto ad mediam literam posito signabant. Tertia erat subdistinctio, Gr. ὑποστιγμή, quae puncto ad imam literam posito notabatur. Prima igitur Periodo, secunda Colo, tertia Commati respondet. Haec vera apud veteres illos interpungendi ratio: errant enim in re Theod. Gaza, sub Grammaticae suae fine, item Vergara, Grammat. Graecae, Part. 4, et Vossius Gramm. min. Syntax. p. 104. qui haec omnia pervertentes, antiquos puncto ad mediam literam Comma; ad caput literae Colon; ad imam literam Periodum notasse affirmant. Vid. Nov. Meth. p. m. 666.

2) Sunt qui haec intervalla inter orationem legendam vel pronunciandam Musica quadam proportione distinguant, hoc modo: ut post Comma vox pronunciantis interquiescat, dum quis *pes*, *vir*, *lac*, aut aliquod nomen monosyllabum animo vel tacite proferre possit: ut post Semicolon, haec mora dupla; post Colon, tripla; post Periodum denique quodrupla fiat. Vid. Camerarium in Cyclopaed. sive Lexico univ. voc. *Comma*. Nuperus autem Scriptor, de Ratione interpangendi, Vossii Elementis Rhetoricis subnexa, p. 58. haec ita distinguit. „In Commate, *inquit*, suspensio vocis duplo longior esse debet quam inter alia vocabula, quae nulla distinctione separantur; in Semicolo triplo; et similiter in reliquis majoribus interpunctis, eadem proportione servata.“

3) Haec quae sequuntur magna ex parte desumpta sunt ex ingenioso illo libello nuperae Elementorum Rhetoricorum Ger. J. Vossii editioni Anno 1724 subjuncto, qui accuratissime omnium interpungendi rationem exposuisse mihi visus est. Ejus auctorem (nam ipse nomen suum non exprimit) Camerarius, sive Chambers, in suo Dictionario universali, Wardum appellat.

5) Prius subjectum, posterius praedicatum Dialectici appellant. Vid. supra p. 404. et n. ibi 3.

Digitized by Google

2. Sententia (ut supra docuimus) aut *simplex* est, aut *composita*.

Simplex est, quae ex uno tantum nominativo, unoque verbo finito consistit.

Composita, quae ex pluribus nominativis ac verbis finitis, expressis vel intellectis, constituitur.

5. Sententia simplex nullam distinctionem postulat, periodo excepta, qua sensus terminatur.

4. In sententia composita quot sunt nominativi aut verba finita, expressa vel intellecta, tot distinctiones esse possunt.

Sic in hoc Ter. Ant. I. 1. 41. *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Duo sunt nominativi ac proinde tot distinctiones, comma nempe cum periodo. In illo Cic. Catil. II. 1. *Catilina abiit, excessit, erupit, evasit* quatuor sunt verba finita, adeoque et quatuor distinctiones, i. e. tria commata cum periodo.

Cum plures igitur nominativi quam verba occurrunt, aut contra, aequali numero intelligi censentur; quia ut quisque nominativus suum verbum, ita quodque verbum suum nominativum, quicum conveniat, postulat.

5. Sunt et alia quaedam sententiarum genera, quae pari ratione in compositarum numerum referri quodammodo possunt. Ac,

(1) Ablativus absolute positus vi sua membrum constituit. Ut apud Cic. Tusc. III. 10. *Medici, causa morbi inventa, curationem esse inventam putant.* Voces *causa morbi inventa* idem valent ac *cum causa morbi sit inventa.*

(2) Idem quoque de nominibus appositis dicendum: ut, Liv. XXVIII. 2. *Celtiberi, novus miles, diffugerunt;* h. e. *cum essent novus miles.*

(3) Huc etiam vocandi casus [5]) et interiectiones quaedam [6]) revocari possunt: ut, Cic. Amic. c. 4. *Istud quidem, Laeli, ita necesse est.* Id. in Verr. II. 17. *Quae, malum, ista fuit amentia?*

(4) Est etiam latens quaedam distinctio, ut ita dicam, in participiis; quae manifestius se ostendit, si quid ab iis pendeat. Pro natura autem sententiae, aut loco, quem in

---

5) Vocativus (ut in Rudimentis, p. 108. notavimus) proprie loquendo sententiae pars non est, sed tantum casus, quo aliquem ad id quod dicimus audiendum faciendumve excitamus: ut proinde a sententia ipsa, si in principio, distinctione una, si in medio, duabus sit secernenda.

6) Interjectionum eam esse naturam, ut sententiam quasi per se perficiant, alibi docuimus Part. I. p. 318.

Digitized by Google

ea teneant, num a voce, quacum consentiant, separari consultius sit, necne, cuiusque arbitrio relinqui potest. Ita: *Verecundia impeditus ad illum non accessi.* At non male forsan: *Ad illum non accessi, verecundia impeditus*; h. e. *quia verecundia impeditus fui.*

(5) Cum denique plura adiuncta aut nominativum aut verbum eodem modo afficiunt; aut aliud quiddam, a quo alterutrum eorum prius afficiatur, singula a se invicem sunt separanda: ut in istis, *Vir bonus, doctus, sapiens ornat rempublicam. Voce, vultu, gestu hominem perterruisti. Caute, modeste, pie se gessit. Vidi hominem vulnere, morbo, senio graviter confectum.* Ubi in primo exemplo adiuncta nominativum, in secundo et tertio verbum, in postremo aliud adiunctum, proxime afficiunt [7]).

6. Ut sententiam in simplicem et compositam divisimus, ita interpunctionum ratione sententiae compositae membra in *simplicia* et *composita*, atque haec rursus posteriora in *minora* et *maiora* dividi possunt.

Simplicia hic *membra* appello, quae unum nominativum et verbum finitum continent.

Composita quae plura membra simplicia complectuntur.

Ex his *minora* ea voco, quae ex membris tantum simplicibus constant; *maiora* autem quae ex membris compositis, vel uno saltem composito, caeterisque simplicibus efficiuntur.

Aliae orationes membrorum reflexionem habent, aliae non item. Prioris generis exemplum sit: *Umbra movetur, sed motus non percipitur.* Item, *Gratia tantum possumus, quantum victi.* Posterioris autem illud, Cic. de leg. Agr. II. 34. *Accedet eo mons Gaurus, accedent salicta ad Minturnas, adiungetur etiam illa via vendibilis Herculanea.* In postremo exemplo singula membra sunt directa; nec quod sequitur, ad illud quod praecessit, omnino respicit, ut in superioribus.

Cum membra sunt reflexa, prior pars dicitur πρότασις, Latinis *propositio;* posterior ἀπόδοσις, h. e. *redditio.* Et huiusmodi orationes non tantum vocis elevationem ac depressionem, sed peculiarem quoque inflexionem saepe desiderant, qua partes istae inter pronunciandum clarius distingui possint.

---

7) In his enim et similibus tot sententiae simplices esse censentur, quot sunt adjuncta, hoc pacto, *Vir bonus ornat remp. Vir doctus ornat remp. Vir sapiens ornat remp.* etc.

Digitized by Google

Inter pausam et vocis inflexionem in sententiarum pronunciatione distingui oportet, ut inter quantitatem et accentum in vocabulis pronunciandis.

In brevioribus sententiis, ut etiam in membris quibusdam compositis vocis inflexio pausae longioris vicem nonnunquam supplet, quo minus oratio praecipitetur.

Atque haec de Sententia eiusque membris in genere dicta sint: proximum est ut de Distinctionum natura et usu iam sigillatim agamus.

De COMMATE.

Comma (Ciceroni *Incisum*) est quod simplicia orationis membra distinguit.

Eius nota est semicirculus, sive virgula ad imum literae apposita, hoc modo [,] ut, Cic. Tusc. II. 27. *Nihil potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur.* Id. Off. I. 15. *Primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur.* Id. ibid. c. 14. *Qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena convertant.*

In huiusmodi orationibus, quibus singula membra recto ordine alia aliis subnectuntur membrorum numerus commatum numerum uno semper excedere debet, ut in exemplis allatis videre est [8]).

Sin autem unum membrum, aut pars eius altero includatur, quod ita includitur comma utrinque requirit; quo fit ut pro membrorum inclusorum numero distinctionum quoque numerus adaugeatur. Ita Cic. Tusc. IV. 24. *Stoici, qui omnes insipientes insanos esse dicunt, nonne ista colligunt?* Et Id. Off. II. 11. *Iustitiae tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae vivere.* Hic prius bimembris sententiae exemplum duo commata, posterius trimembris tria complectitur. At in illo eiusd. de Orat. II. 10. *Tum Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, hominemque reddidit:* quatuor membrorum oratio sex commatibus distinguitur.

Digitized by Google

Item cum plures nominativi ad unum verbum referuntur, si proximus nominativus verbo non conveniat, commate ab eo separandus est. Aliter, si qui verbo proximus est nominativus cum eo consentiat, rectius plerumque comma omittitur. Exemplo sit illud Sallustii, Iug. 49. *Sin opportunior fugae collis, quam campi, fuerat:* ut legit Perizonius. Editi autem codices habent: *quam campi fuerant:* sine commate [9]).

Est et alius commatis usus, cuius meminit Vossius [10]): nempe, cum ad ambiguitatem tollendam, etiam in sententia simplice adhibetur. Quemadmodum in illo Ciceronis, Offic. II. 3. *Summa quidem auctoritate Philosophi, severe sane, atque honeste, haec tria genera confusa, cogitatione distinguunt.* Ubi comma ponitur post *confusa*, ne coniungendum putetur cum *cogitatione*, quod proxime sequitur.

Quanquam autem in omni sententia composita, ubicunque novum membrum, aut pars illius incipit, locum habeat distinctio, cuius ope ab eo, quod praecessit, separetur; saepe tamen accidit, ut comma melius omitti possit.

Atque sic se res habet, cum in brevioribus sententiis, quae adeo per se manifestae sunt, ut nullam distinctionem postulent; tum etiam in longioribus, ubi interpunctionum multitudo nimis conferta confusionem potius, quam lucem pariat orationi.

In primis autem inter duo vocabula, copula tantum separata, comma omitti potest. Ut si dicam: *Hoc et illud fieri oportet;* vel, *Nec hoc nec illud fieri oportet.* Et praesertim si voces eiusdem significationis sint: ut illae, *Doctrina et eruditione clarus atque illustris.* Sin deest copula, rectius comma interponitur. Sic, *Iusta, iniusta pariter aestimat.* Item si tres vel plures sint voces, quarum singulae aut duae postremae copula vinciuntur, hoc pacto: *Vir magnus, et doctus, et pius:* aut, *Vir magnus, doctus, et pius.*

Quae autem in nominibus ostendimus, de verbis et adverbiis pari ratione intelligi debent.

Apposita etiam nomina, si sola, aut cum una tantum voce coniuncta, distinctionem melius excludere videntur. Ut in illis, *Stella Arcturus,* Virg. Ecl. X. 22. et 26. *Tua cura Lycoris. Pan Deus Arcadiae venit.* Attamen si plures voces a nomine apposito dependeant, melius seiunguntur. Ut ap. Horat. Carm. IV. 8. 3. *Donarem tripodas, praemia fortium Graiorum.*

9) Vid. supra p. 868. n. 16.
10) Syntax. p. m. 104.

Digitized by Google

Idem quoque dici potest de sententiis relativis, ut vocantur, quoties nimirum antecedens membrum ex una voce consistit. Ut in illo, *Sunt qui ita dicant.* At, *Vivunt hodie, qui ea facere haud dubitent.* Item: *Non desunt doctissimi homines, qui ita sentiant.*

His adiungi debent sententiae eiusmodi, quarum posterius membrum per modum infinitum efferri potest. Ita sine distinctione dicimus, *Volo ut tu facias:* et *Volo te facere.* Contra autem, *Rex statim iussit, ut quam primum ab urbe discederet.* Sed excluso commate, *Rex eum statim jussit ab urbe quam primum discedere.*

Ex his autem quae diximus, de aliis haud dissimilis naturae non difficile erit iudicium facere.

De SEMICOLO.

Semicolon est, quod ad composita ea orationis membra, quae ex simplicibus tantum constant, distinguenda adhibetur.

Eius nota est punctum cum virgula subjecta, hoc modo [;].

Ut Semicoli usus planior fiat, revocandum in memoriam est, quod supra de sententiae membris diximus, eorum tres gradus sive species esse, quaedam nempe simplicia, quaedam composita, quaedam denique decomposita sive ex compositis conflata.

Si igitur oratio in membra aliquot primo dividi possit, quae in alia iterum sed simplicia tantum separentur, priora semicolo disiungi debent. Exemplo sit illud Senecae, Epist. 16. *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives.* Ubi cum sententia in duas aequales partes primo dividatur, quarum utraque duas alias comprehendat, priores semicolo, posteriores commate distinguendae sunt.

Quod igitur in commate antea diximus, idem in semicolo locum habet: quot nimirum in sententia erunt membra secundi gradus, i. e. ex simplicibus tantum composita, tot uno dempto erunt semicola. Sic in exemplo praedicto duo sunt eius gradus membra, unumque semicolon. In hoc autem Cic. Off. I. 30. *Si considerare volumus, quae sit in natura excellentia et dignitas; intelligemus quam sit turpe diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere; quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie.* Tria eiusmodi membra sunt, semicola duo. In isto denique Cic. Off. I. 26. *Res familiaris primum bene parta sit, nullo neque turpi quaestu, neque odioso; tum quamplurimis, modo dignis, se utilem praebeat, deinde augeatur*

Digitized by Google

ratione, diligentia, parsimonia; nec libidini potius luxuriaeque, quam liberalitati et beneficentiae pateat. Quatuor secundi gradus sunt membra, semicolia tria. Itemque in sententiis plurium membrorum statuendum.

Quanquam autem semicolon ad composita membra distinguenda proprie adhibeatur; non tamen necessarium est, ut omnia membra, quae hac distinctione dividuntur, sint composita. Etenim, cum oratio in partes maximas et inter se aequales secetur; si quaedam ex iis, vel una tantum sit composita, omnes istae partes eiusdem gradus censendae sunt, ac proinde semicolo suspendi debent, ex. gr. Cic. Tusc. III. 7. *In quem cadit aegritudo, verisimile est in eundem cadere timorem, infractionem animi, et demissionem.* Item Id. pro Mil. c. 16. *Nihil est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile; quam voluntas civium.* In hujusmodi sententiis nunc protasis, nunc apodosis duo, tria, aut plura etiam membra simplicia complectitur. Sic in exemplis prolatis prioris prius, posterioris posterius membrum est simplex. Ita in his, Erythr. de elocut. p. 96. *Non dico te ab sociis pecunias accepisse; non eum in eo occupatus, quod civitates, regna, domos omnium depeculatus es; furta, rapinas omnes tuas omitto.* Et Terent. Eun. I. 2. 75. *Parvula hinc est abrepta; eduxit mater pro sua; soror est dicta; cupio abducere, ut reddam suis.* In altero exemplo primum tantummodo membrum est simplex, in altero ultimum tantum est compositum.

Fit etiam aliquando, ut membra inter se opposita, quae ad idem verbum spectant, semicolo separentur: ut, Sall. Iug. 14. *Non enim regnum; sed fugam exilium, egestatem, et omnes has, quae me premunt, aerumnas cum animo simul amisisti.* Eleganter Tullius, Catil. II. 11. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido;* etc.

Huc etiam referri possunt sententiae eiusmodi, quibus praeeunte toto, partes sequuntur. Quale est illud: *Artis dicendi partes sunt quatuor; inventio, dispositio, elocutio, et pronuntiatio.*

Interdum propter comma exclusum, semicolon in comma mutari potest ut in hoc Terentii, Hec. III. 3. 20. quod duplicem interpungendi rationem admittit. Scribas enim: *Omnibus nobis ut res dant sese; ita magni, atque humiles sumus.* Aut, omisso commate, hoc pacto: *Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.*

Digitized by Google

Sic in illo Ciceronis pro Caecin. 1. *Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Caecina Sexti Aebutii impudentiae, quam tum in vi faciendi cessit audaciae.* Comma hic omittitur post vocem *agro*, atque aliud post *foro*; cum alioquin revera hujus sententiae protasis duo coniuncta membra contineat, quae, commatibus his adscriptis, semicolo ad verbum *potest* seiungi oporteret; unde etiam protasis, quae verbo *valeret* terminatur, colon requireret [11]).

Semicolo autem nunquam est locus, ubi comma in eadem oratione non invenitur [12]).

De COLO.

Colon est, quod ea distinguit composita orationis membra, quae in alia iterum dividi possunt, quorum unum saltem est compositum [13]).

Eius nota est geminum punctum, hoc modo [:].

Ut haec coli descriptio paulo clarius intelligatur, exemplis rem illustrabimus. In hac sententia: *Quemadmodum horologii umbram progredientem non cernimus, ita ingeniorum profectus ex intervallo tantum sentitur.* Cum duo solum membra simplicia sint, ea commate duntaxat secernere sufficiet. In ista autem: *Quemadmodum horologii umbram progressam sentimus, progredientem non cernimus; ita ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex intervallo sentitur.* Cum ea in duas partes aequales easque compositas, utpote alias continentes, dividatur; maiores partes semicolo, minores commate distinguendae sunt. In illa denique: *Quemadmodum horologii umbram progressam sentimus, progredientem non cernimus*

---

11) Non ignoro hanc sententiam non modo in libris editis sic distingui, sed ita eam distinguendam meliores interpungendi magistros praecipere; sed hac quam post Cl. Wardum, secuti sumus ratione, singula orationis membra clarius et elegantius, ni faller, inter se respondere videntur.

12) Non defuerunt tamen (ut notat doctissimus Wardus, p. 71.) qui sententias ex duobus simplicibus membris confectas semicolo dissecari voluerint, si partes reflexionem habeant; quo sane hujus interpunctionis usus cum eo commatis confundi videtur. Nam quae iusta causa (*inquis*) diversae distinctionis inter haec duo: *Umbra movetur, et motus non percipitur:* et, *Umbra movetur, sed motus non percipitur?* Si longior vocis suspensio inter membra posterioris, quam prioris requiri dicatur; vocis inflexione eam satis rependi posse supra monuimus.

13) Ut igitur membra orationis simplicis commate, et composita semicolo, ita bicomposita, sive ex compositis uno vel pluribus constantia, colo sunt terminanda.

Digitized by Google

et fruticem aut herbam crevisse apparet, crescere autem nulli videtur: ita et ingeniorum profectus, quoniam minutis constat auctibus, ex intervallo sentitur. Cum duplex comparatio fiat, quarum utraque compositum sententiae membrum constituat; idcirco prius a posteriore semicolo disiungendum est. At cum bina haec sententiae membra composita, tanquam in unum iuncta, reliquae sententiae ex adverso respondeant, ideo longiore iam spiritus mora, maioreque proinde interpunctionis nota, i. e. colo, haec ab illis sunt secernenda [14]). Alterum exemplum sit illud Cic. Off. I. 1. *Quanquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae, propter summam et doctoris auctoritatem, et urbis; quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi, neque id in dicendi exercitatione solum, sed etiam in philosophia feci; idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate.* In priore ex his exemplis protasis in duo membra semicolo suspensa dividitur, quorum utrumque iterum commate disiungitur; apodosis autem duo tantum simplicia membra complectitur, commate disiuncta. Sed in exemplo posteriore tum protasis, tum apodosis in duo composita membra separatur.

Fit autem nonnunquam, ut sententiae colo divisae pars altera duo aut plura forsan semicola contineat, cum altera ex simplice membro consistat: ut, Cic. pro Arch. c. 1. *Si quid est in me ingenii, iudices, quod sentio quam sit exiguum; aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si huiusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope suo iure debet.*

Sin autem rem accuratius expendimus, in longioribus quibusdam sententiis aliam distinctionis notam colo maiorem deesse inveniemus. Ut in illo Cic. pro Mil. c. 4. *Est*

---

14) Cum dubio antea aut parum fixo discrimine colon a semicolo apud scriptores distingueretur, primus utrique suas certas sedes, suaque propria munia, qualia supra descripsimus, assignavit doctissimus Wardius. Et quamvis ab hac norma longe diversa sit ea, quae jam per aliquot secula, apud doctiores etiam, invaluit interpungendi consuetudo; adeo tamen ingeniosae ejus rationes mihi sunt visae, ut eas non modo ipse ubique secutus sim, sed et alios, ut eandem deinceps, quantum fieri possit, insistant viam, cohortandos putem.

Digitized by Google

igitur haec, iudices, non scripta, sed natu lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset; omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Prior pars sententiae (nam summa membra hic non sunt inflexa) voce *sumus* terminatur, quae maiorem distinctionem, quam colon, requirit; quia duo cola in partibus eius interpungendis praecesserunt. Quamobrem in huiusmodi orationibus aut novam aliquam distinctionis notam introduci, aut colon duarum interpunctionum vicem sustinere necesse est [15]).

Colon autem in iis orationibus, quae semicolon non habent, nunquam invenitur; praeterquam ob duas causas, quae locum ei vindicent.

Prima est, cum verba alicuius introducuntur: ut, Caes. B. Gall. I. 11. *Is ità cum Caesare egit: Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem ituros, atque ibi futuros Helvetios, ubi Caesar constituisset*, etc. [16]). Id: paulo post: *His Caesar ita respondit: Eo sibi minus dubitationis dari, quod eas res, quas legati Helvetii commemorassent, memoria teneret*, etc.

Altera est, cum, finito sensu, aliquid attexitur, quod a priore sententia dependet. Ita: *Ferunt Aegyptii se omnium hominum primos fuisse: at me non conviuunt.* Sed melius in orationibus compositis. Ut apud Sueton. Calig. 55. *Incitato equo, cuius causa pridie Circenses, ne inquietaretur, vicinae silentium per milites indicere solebat, praeter equile marmoreum, et praesepe eburneum, praeterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam, et familiam, et supellectilem dedit, quo lautius nomine eius invitati acciperentur: consulatum quoque traditur destinasse.* In utroque exemplo prius membrum sensum per se efficit perfectum, sed non ita posterius.

De SEMIPERIODO.

Semiperiodus (sive *Punctum minus*) est media inter colon et periodum distinctio; hac minorem, illo majorem in pronunciando pausam adhibendam significans.

---

15) Aliud exemplum videre licet in principio orationis *Ad Quirites post reditum*; ubi apodosis incipit a verbis, *eius devotionis.*

16) Imo quod ita adducitur, in medio alterius sententiae aliquando inclusum cola ab eo utrinque distinguitur. Ut apud Cic. de Orat. III. 26. *Illa ipsa exclamatio: Non potest melius: sit velim crebra.* Hic

Digitized by Google

Ejus nota est punctum ad imam literam signatum, sequente litera minuscula, hoc modo [.].

Locum habere tum praecipue existimatur, cum duae vel plures occurrunt sententiae, in se quidem perfectae, sed quarum posterior a priore quodammodo pendeat: ut, Senec. Epist. 37. *Si vis tibi omnia subiicere, te subiice rationi. multos reges, si ratio te rexerit.* Item Sallust. Catil. 1. *Nostra omnis vis in animo et corpore sita est. animi imperio, corporis servitio magis utimur. alterum nobis cum Dis, alterum cum belluis commune est* [17]).

Cum huiusce autem distinctionis usus illi, quem colo proxime tribuimus, valde affinis videatur; nonnulli [18]) in eo discrimen posuerunt, quasi tum demum semiperiodo locus sit, quum sensus posterior a priore dependeat, sed copula ei non connectatur [19]).

Qui semiperiodo non utuntur, alias colon ejus loco adhibent; alias periodum [20]), de qua jam dicturi sumus.

De PERIODO.

Periodus [21]) est quae sententiam jam prorsus absolutam esse, nec sequentia prospicere indicat [22]).

---

autem notandum, quandocunque alicujus verba sic recitantur, initium a majuscula debere fieri.

17) Exemplum adfert Vossius illud Senecae: *Non est fides, nisi in sapiente, apud sapientem sunt ipsa honesta, apud vulgum simulacra rerum honestarum.* Nec tamen adverser (inquit) post *honesta* colon malenti. Sic in altero illo, quod pro semiperiodi usu ex Musonio ap. Gell. XVI. 1. exemplum Vossius adducit: *Si quid turpe feceris cum voluptate; voluptas abit, turpitudo manet, si quid honeste feceris cum labore; labor abit, honestas manet*: colon in media sententia sufficere videtur. Addit porro idem Vossius hanc distinctionem in primis locum habere, si sequens periodus priori quasi famuletur; qualis a Graecis ἐπισύναψις dicitur: ut in illo Cic. Phil. II. 19. *Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. tamet si incidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema veniamus.*

18) Hic *Louisium*, vel *Lewis*, tentam. p. 2. citat Wardus.

19) Discrimen hoc satis manifestum apparebit, si exempla hic adscripta cum eo conferantur, quod de colo agentes postremum attulimus, Ward.

20) Certe semiperiodi usus, quanquam pro eo strenue pugnet Eryc. Puteanus, Facula Distinct. c. 18. jam fere exolevit, praeterquam in Auctorum classicorum editionibus.

21) Periodus, ac proinde comma et colon, alia sunt Rhetoribus, alia Grammaticis; quia hi sensu orationis, illi magnitudine et numero

Digitized by Google

Ejus nota est punctum sequente litera maiuscula.

Exemplo sit, praeter ea quae supra passim occurrunt, illud Ciceronis Off. I. 54. *Est igitur proprium munus magistratus intelligere, se gerere personam civitatis, debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura describere, ea fidei suae commissa meminisse. Privatum autem oportet aequo et pari cum civibus iure vivere; neque submissum et abiectum, neque se efferentem; tum in repub. ea velle, quae tranquilla et honesta sunt. talem enim et sentire bonum civem, et dicere solemus. Peregrini autem et incolae officium est, nihil praeter suum negotium agere, nihil de alio anquirere, minimeque in aliena esse republica curiosum.*

Si ad aliud plane argumentum accedatur, non tantum maiuscula litera, sed nova etiam linea exordiri convenit. Quod cum fit, Paragraphi nomen obtinet.

---

ea metiuntur. Itaque Grammaticis periodus est oratio per se absolvens sententiam; colon est pars periodi, quae extra periodum sententiam absolvere possit; comma est pars periodi, quae extra periodum sententiam absolvere non possit. At Rhetores saepe vocant aliquid comma, aut colon, quod proprie non est pars periodi, ut cum eum dicunt *incisim* aut *membratim*, dicere, qui paucis verbis perficiat sententiam. Haec Vossius Partit. Orat. lib. V. c. 2. Hoc pacto, ut ibid. addit ille, Rhetoribus comma est, *Ne quid nimis*. Colon est, *Etiam capillus unus habet umbram suam*. Grammaticis autem utrumque est periodus, quia per se sententiam compleat, ac proinde post se dirigat τελείαν στιγμήν. Aliter haec numero syllabarum distinguunt, ut comma rhetoricum sit sententiae comprehensio, a duabus usque ad septem (quibusdam ad octo vel novem) syllabas extensa. Si ab hoc numero ad viginti quatuor syllabas excurrat, colon dicitur. Quae majorem hac habet, ac conspicuam magnitudinem, periodus appellatur. Sed fusior hujus rei tractatio artis Oratoriae scriptoribus relinquenda.

22) In periodo statuenda duae oriuntur interdum difficultates; altera in longioribus orationibus, altera in brevioribus. In longioribus enim, in quibus sententiae aliae aliis conjunctione aliqua, veluti, *enim*, *vero*, *autem*, *quamvis*, aut simili, sint connexae, ac propterea posteriores a prioribus pendeant, ambiguus interdum haerere possis, quanam ex distinctione inter se dirimendae sint. Et sane nulla hic certa dari regula potest, nisi haec forte Buffierii in sua Gram. Gallica p. m. 407. ut nempe, si sententia conjunctionem sequens aeque longa, ac quae eam praecedit, sit, haec ab illa periodo sive puncto majore separetur; aliter vero colon aut semicolon sufficiat. Contra, cum breviores aliquot sententiae aliae aliis continuo sequuntur, quae nullum ejusmodi inter se nexum habeant, adeoque singulae per se sensum perficere videantur; ne tamen periodi nimis in tam angusto spatio multiplicentur, satis nonnunquam erit, si minore aliqua distinctione eae disjungantur: ut, *Suspensi omnes haerebamus; consilia tua protinus expedi; in culpa eris, si non diutius detinueris.* Sed haec aliaque ejus-

Digitized by Google

De PARENTHESI.

Parenthesis est, distinctio eorum quae sententiae includuntur, nec ejus pars sunt, sed salvo ipsius sensu abesse possunt.

Eius nota est circulus, in duas quasi lunulas, interpositam sententiam hinc inde clandentes, divisus, hoc modo ( ).

Exemplum esto hoc Ciceronis, de Orat. III. 54. *Cuius in labris veteres comici, etiam cum illi male dicerent* (*quod tum Athenis fieri licebat*) *leporem habitasse dixerunt* [23]).

Caeterum quo obscuritas evitetur, post parenthesin longiorem unum vel plura verba, quae illam proxime antecesserunt, haud invenuste aliquando repetuntur: ut, Cic. de Orat. III. 51. *Nostra est enim* (*si modo nos oratores sumus, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes sumus*) *nostra est, inquam, omnis ista prudentia doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involverunt.*

In usu parentheseos bifariam peccatur. Nam alii eam usurpant, cum consultius sit omittere; alii contra omittunt, cum rectius adhiberi debeat.

---

modi, cum nullis certis praeceptis contineantur, scriptoris judicio, ut ea ex rerum sensu, majoreque vel minore sententiarum ambitu distinguat, relinquenda sunt.

23) Hic autem notandum, interpositionem istam non uno semper atque eodem modo fieri. Interdum enim medium comma occupat: ut in hoc Virg. III. 414. *Haec loca vi quondam, et vasta convulsa ruina* (*Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas*) *Dissiluisse ferunt.* Interdum cum aliis distinctionibus, i. e. cum commate, semicolo, colo, nonnunquam et cum periodo concurrit; et tum, praeter parentheseos notam, apponendum etiam videtur (haud aliter ac si parenthesis abesset) ei membro congruens interpunctionis signum. In hoc tamen variat doctorum consuetudo. Puteanus enim Pac. Distinct. c. 15. proxime ante posteriorem semicirculum hanc distinctionem vult ponendam, v. gr. commatis: ut, Ovid. Met. XIII. 587. *Omnibus inferior, quas sustinet aurens aether* (*Nam mihi sunt totum rarissima templa per orbem,*) *Diva tamen venio,* Colit ut, Virg. Aen. VI. 85. *Dardanidae venient* (*mitte hanc de pectore curam:*) *Sed non et venisse volent,* Semicoli: ut, Ovid. Met. IV. 131. *Utque locum, et veram cognovit in urbore formam* (*Sic fecit incertam pomi color,*) *haeret an haec sit.* Usu tamen satis frequens obtinuit, ut ante priorem lunulam distinctiones hae colluceantur. Nonnulli utrobique, i. e. ante tum priorem, tum posteriorem lunulam eas adhibent: quidam vero (quod non probo) utrobique omittunt.

Digitized by Google

Priores verba huiusmodi, *inquit*, *ut arbitror*, *ut ante dixi*, et similia, parenthesi includunt; quae commate melius utrinque separantur [24]).

Posteriores duplex colon parentheseos loco substituunt: ut in illo Cic. de Orat. III. 17. *Quare illos sine ulla contumelia dimittamus: sunt enim et boni viri, et quoniam sibi ita videntur, beati: tantumque eos admoneamus, ut illud, etiamsi est verissimum, tacitum tamen, tanquam mysterium, teneant.* Sed clarior omnium sensus erit, si hae voces, *sunt enim et boni viri, et, quoniam sibi ita videntur, beati*, parenthesi includantur. Accedit etiam, quod parenthesi conclusa in pronunciando aliter efferantur; idque, ut Vossius censet, voce plurimum magis submissa; ob quam sane causam propria nota signari debent [25]).

Parenthesi admodum affinis est distinctio quam **Parathesin** appellant, quae id includit, quod expositionis, vel illustrationis causa interseritur.

Eius nota est quadra in duas partes, voces interpositas hinc illinc complectentes, divisa, hoc modo [ ].

Usus eius haud multum frequens est, illustrabimus igitur ex Ciceronis loco paullo ante laudato: *Cuius* [Periclis] *in labris veteres comici leporem habitasse dixerunt.*

Hactenus sententiarum distinctiones tractavimus, superest ut de affectuum, i. e. interrogationis et admirationis notis, pauca addamus.

---

24) Hoc praeceptum est Aldi Manutii junioris, in Dissert. de Interpunctionibus, quam Orthographiae subjunxit, pag. 799. Vossii, Gramm. p. 108. Wardi, de Interpung. ratione, p. 83. At Cl. Dausquius, Orthogr. p. 141. titivillitium interesse existimat, utrocunque modo haec distinguantur, dum notulis sufficienter intelligentiae servientibus utamur, „Seca o minutum, *inquit*, in duo, — habes prope Manutii incisa. — Seca consimiliter O vastum, habes dictas vulgo parentheseos notas expressas. — Certe Rutilius Lupus parentheseos ex Demosthene ponit exemplum hoc: *Nos scilicet omnes* (*ut fere fit*) *repentino nuncio perturbati obstupuimus*, quae geminato commate claudi poterant."

25) Hic monent Grammatici, ne parentheses sint crebrae, vel nimis longae; item ne aliae aliis infesciantur. Sed ejusmodi praecepta (ut Vossio l. c. observatum) non jam tam ad notas, quam ad ipsam sententiam, ac proinde non ad Grammaticos, sed ad Rhetores pertinent.

Digitized by Google

De PUNCTO INTERROGATIONIS.

Punctum interrogationis est, quo ad interrogantis affectum indicandum utimur.

Eius nota est punctum, cum flammula vel lineola circumflexa impendente, hoc modo [?].

Pro diversa autem ratione affectus nunc singula verba, nunc coniuncta, nunc sententiae duntaxat finis notatur. Sic in hoc Cic. pro Mil. c. 37. *Vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic iudicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eiicietur?* singula verba notari videmus. In isto coniuncta, Parad. I. 3. *Quibus tandem gradibus Romulus escendit in coelum? iisne, quae isti bona appellant? an rebus gestis atque virtutibus?* Fini autem sententiae in illo, ibid. 4. *Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit* [26])?

Interrogatio etiam aliquando non totam orationem, sed partem illius duntaxat afficit. Et cum res ita se habet, ea quasi apodoseos sententiae vicem sustinet; quae pro diversa ratione reliquorum membrorum nunc maiori, nunc minori distinctione a protasi seiungi debet. Exemplum praebet illud Ciceronis, Verr. v. 66. *Facinus est vinciri civem Romanum, scelus verberari, prope parricidium necari; quid dicam in crucem tollere?* Hic protasis semicolo suspenditur, quia commata tantum praecesserunt.

Caeterum non hic audiendi esse videntur, qui interrogationis notam tuto omitti posse existimant, si sententia eo usque producatur, ut interrogandi vis, quae initio sententiae conspicua erat, paulatim vim amittat [27]). Ut in hoc

---

26) In primo ac secundo exemplo singulae quaestiones non totidem diversas sententias constituunt; sed ut partes ejusdem sententiae considerari debent, eamque ob causam minuscula litera incipiunt. Hoc facile apparebit, si figura orationis immutetur; quod in secundo exemplo sic effici potest: *Gradus, quibus Romulus tandem escendit in coelum, non ii sunt, quae isti bona appellant; sed res gestae atque virtutes.*

27) Ita statuunt post Ald. Manutium, de Interpunct. pag. 798. Vossius, Gram. min. p. m. 107. et Nov. Meth. p. 669. At contrarium non minus acute quam eleganter tuetur Puteanus, Fac. Dist. p. 14. „Quid hoc aliud, *inquit*, quam sagittam mittere, quae citra scopum cadat? telum vibrare, quod non pertingat? Frustra interrogando primam attollis periodum, nisi et ultima sustentetur. Imo assurgere tum in primis vox debet, cum ponenda, et undante velut nisu, atque

Digitized by Google

Ciceronis, Tusc. v. 24. *Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum, cum his habitantem pernoctantemque curis; ut cum totius mundi motus conversionesque perspexerit, sideraque viderit innumerabilia coelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere, certis infixa sedibus; septem alia suos quaeque tenere cursus, mutum inter se aut altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiant?* Quae sententia, utut longa cum tota ex interrogatione consistat, quid impedit, quo minus nota ei signandae idonea adhibeatur?

De PUNCTO ADMIRATIONIS.

Punctum admirationis [28]) est quo admirationem, exclamationem, aut vehementiorem aliquem animi motum significamus [29]).

Eius nota est punctum cum lineola recta, quasi aculeo, incumbente, hoc modo [!].

Ad varios igitur affectus exprimendos usurpatur: veluti,

Admirantis: ut, Cic. pro Ligar. c. 2. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis monumentisque decorandam!*

Exclamantis: ut, Plaut. Poen. v. 2. 7. *Pro dii immortales, obsecro vestram fidem!*

Optantis: ut, Cic. pro Mil. c. 38. *Utinam P. Clodius non modo viveret; sed etiam praetor, consul, dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem!*

Miserantis: ut, Cic. pro Sull. c. 32. *O miserum et infelicem illum diem, quo consul omnibus centuriis P. Sulla renunciatus est! o falsam spem! o volucrem fortunam! o caecam cupidinem! o praeposteram gratulationem!*

Indignantis: ut, Id. Phil. II. 27. *O audaciam immanem! tu ingredi illam domum ausus es! tu illud sanctissimum limen intrare!*

---

adeo hemiolii chromate acui. Vide signum ipsum, annon hac similitudine crispatur? Adhibendum igitur, et vel tum maxime, cum dubitari possit, an interrogatio defecerit."

28) Alii *Exclamationem* vel *punctum exclamationis* eam notam appellant, utpote quae vocem moneat in pronunciando altius tollendam.

29) Si interrogatio cum admiratione vel exclamatione concurrat, posterioris, utpote fortiorem affectum indicantis, signum praeferendum: ut, Virg. Aen. IV. 13. *Heu, quibus ille Jactatus fatis! quae bella exhausta canebat!*

Digitized by Google

Contemnentis: ut, Id. in Pis. c. 26. *O tenebrae! o lutum! o sordes! o paterni generis oblite! materni vix memor!*

Irridentis denique: ut, Id. Phil. III. 11. *O praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum!* Ex his de aliis facile erit iudicare [30]).

30) Haec nota imperfectae orationi saepe subjicitur, quod de signo interrogationis etiam supra observavimus. Hinc sententia, quam afficit, nec incipit semper a majuscula litera, nec excipitur; ut ex pluribus exemplis hic allatis apparet.

Digitized by Google

APPENDIX.

GRAMMATICAE LATINAE INSTITUTIONUM PARS TERTIA

EX

COMPENDIO RUDDIMANNI

REPETITA.

DE ORTHOGRAPHIA.

ORTHOGRAPHIA est ea Grammaticae pars, quae literarum naturam et affectiones, rectamque adeo scribendi rationem docet.

LITERA est minima pars vocis articulatae quae scribi potest individua.

In *Orthographia*, sive de literis doctrina, quinque potissimum sunt tractanda. 1. De literarum Numero et Divisione. 2. De ipsarum Accidentibus. 3. De scriptura. 4. De Pronunciatione. 5. De literarum in syllabas Digestione.

CAP. I.

DE LITERARUM NUMERO ET DIVISIONE.

LITERAE apud Latinos usitatae sunt quinque et viginti, A, B, C, D, E, F, G, H, I, Jod, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, Vau, X, Y, Z. Ex quibus K, Y et Z in vocibus origine Graecis tantum adhibentur.

Digitized by Google

Contemnentis: ut, Id. in Pis. c. 26. *O tenebrae! o lutum! o sordes! o paterni generis oblite! materni vix memor!*

Irridentis denique: ut, Id. Phil. III. 11. *O praeclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum!* Ex his de aliis facile erit iudicare [30]).

30) Haec nota imperfectae orationi saepe subjicitur, quod de signo interrogationis etiam supra observavimus. Hinc sententia, quam afficit, nec incipit semper a majuscula litera, nec excipitur; ut ex pluribus exemplis hic allatis apparet.

Digitized by Google

APPENDIX.

GRAMMATICAE LATINAE INSTITUTIONUM PARS TERTIA

EX

COMPENDIO RUDDIMANNI

REPETITA.

DE ORTHOGRAPHIA.

ORTHOGRAPHIA est ea Grammaticae pars, quae literarum naturam et affectiones, rectamque adeo scribendi rationem docet.

LITERA est minima pars vocis articulatae quae scribi potest individua.

In *Orthographia*, sive de literis doctrina, quinque potissimum sunt tractanda. 1. De literarum Numero et Divisione. 2. De ipsarum Accidentibus. 3. De scriptura. 4. De Pronunciatione. 5. De literarum in syllabas Digestione.

CAP. I.

DE LITERARUM NUMERO ET DIVISIONE.

LITERAE apud Latinos usitatae sunt quinque et viginti, A, B, C, D, E, F, G, H, I, Jod, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, Vau, X, Y, Z. Ex quibus K, Y et Z in vocibus origine Graecis tantum adhibentur.

Digitized by Google

Literae dividuntur in *Vocales* et *Consonantes*.

Vocalis est, quae plenum per se sonum edit.

Suntque sex, A, E, I, O, U, Y.

Consonans est, quae non nisi vocali juncta plenum sonum exprimit.

Consonantes autem sunt decem et novem, nimirum reliquae literae omnes praeter vocales; B, C, D, F, G, H, J, K, L, M, N, P, Q, R, S, V, X, Z.

Consonantes, vel *Simplices* sunt: vel *Duplices*, sive *Compositae*.

Simplices sunt omnes, praeter duas, X et Z.

Hae autem Duplices ideo appellantur, quod duarum consonantium vim habeant. X enim valet CS, ut, *dux*, pro *ducs*, unde genitivus *ducis*: vel GS, ut, *Rex*, pro *Regs*, unde genitivus *Regis*. Z vero valet DS, ut, *Zona*, pro *dsona*.

Simplices rursus *Consonantes* dividuntur in *Mutas* et *Semivocales*.

Mutae sunt novem, B, C, D, G, J, K, P, Q, T: sic dictae, quod absque vocali socia nullum sonum edant.

Semivocales sunt octo, F, H, L, M, N, R, S, V: sic nominatae, quod ad vocales propius accedant, atque absque earum adminiculo aliquo modo pronunciari possint.

Ex *Semivocalibus*, quatuor, L, M, N, R, Liquidae appellantur, eo quod in pronunciando quasi liquescant, h. e. aquae instar facile celeriterque fluant, seu proferantur.

Quatuor autem, F, H, S et V, Spirantes dici possunt, ideo quod cum spiritu quodam pronuncientur. H enim est flatus *gutturalis*, S *dentalis*; F et V *labiales* sunt.

CAP. II.

DE LITERARUM ACCIDENTIBUS.

LITERIS praecipue accidunt septem, 1. *Ordo*. 2. *Figura*, 3. *Compositio*. 4. *Cognatio*. 5. *Mutatio*. 6. *Pro integris vocibus positio*. 7. *In numeris notandis usurpatio*.

II. Respectu **Figurae**, seu **Formae**, literae bifariam distinguuntur.

1. In **Majusculas**, sive Literas *majoris figurae*, A, B, C, D, E, F, G, H, I, J, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, V, X, Y, Z. Et **Minusculas**, sive quae *minore figura* pinguntur: a, b, c, d, e, f, g, h, i, j, k, l, m, n, o, p, q, r, *ſ*, vel s, t, u, v, x, y, z. Illae alio nomine *Quadratae*, *Unciales* et *Capitales*; hae literae *Inferioris formae*, quibusdam et *Infractae* appellantur.

2. In **Romanas**, sive quae crassiore et perpendiculari forma scribuntur: a, b, c, d, e, f, g, h, i, j, k, l, m, n, o, p, q, r, *ſ*, vel s, u, v, x, y, z. Et **Italicas**, sive quarum ductus exiliores sunt et obliquiores: *a, b, c, d, d, e, f, g, h, i, j, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ* vel *s, t, u, v, x, y, z*.

* De diverso harum omnium usu postea dicetur.

III. **Compositio** in vocalibus praecipue spectatur. Ejus ratione *Vocales* vel *Simplices* appellantur, vel *Compositae*.

Simplices dicuntur, cum singulae separatim suum sonum exprimunt: Vel aliter, cum tot, quot ipsae sunt, syllabas efficiunt: ut, in *Aëdon*, *Caïus*, *Poëta*, trisyllabis; *Menelaüs*, *Tyndareüs*, *Deïphobus*, tetrasyllabis.

Compositae vocantur, cum duae in unum sonum seu syllabam coalescunt.

Id autem dupliciter fit, 1. Cum prioris vocalis sonus liquescit, et quasi evanescit: ut cum, praeeunte *g*, *q*, vel *s*, sequitur *u* cum alia vocali, veluti in *sanguis*; *aqua*, *suadeo*, Vel, 2. Cum utriusque vocalis sonus ex aequo fere auditur. Et haec *Vocalium compositio* alio nomine *Diphthongus* dicitur.

Diphthongus, aliter *Bivocalis* nuncupata, est sonus ex duarum vocalium sonis in unum junctis conflatus.

Diphthongi vulgo numerantur quinque; *æ* vel *ae*, ut *ætas* vel *aetas*: *œ* vel *oe*, ut *cœnâ* vel *coena*; *au*, ut *aurum*; *eu*, ut *euge*; *ei*, ut *hei*. Quibus a nonnullis, neque omnino praeter rationem, tres aliae adduntur: *ai*, ut *Maia*; *oi*, ut *Troia*; *ui* vel *yi*, ut *huic*, *harpuia* vel *harpyia*.

Ex *Diphthongis*, uti nunc pronunciantur, duae *Impropriæ* sunt, *ae* et *oe*, utpote in quibus prioris vocalis sonus non percipitur. Caeterae *Propriæ* sunt: in iis enim utriusque vocalis soni exaudiuntur.

IV. **Cognatione** seu, *Affinitate* quadam inter se junctae sunt, (1.) Literae ejusdem classis: ut Vocales omnes *a*, *e*, *i*, etc.: deinde Consonantes, et speciatim Mutae, *b*, *c*, *d*, *v*. Liquidae, *l*, *m*, *n*, *r*. Spirantes, *f*, *h*, *ſ*, *v*. (2.) Literae

Digitized by Google

ejusdem organi: ut Gutturales, omnes vocales et *h*. Labiales *b, m, p, f, v*. Dentales, *d, n, t*. Faucales, *c, g, k*, etc.

V. Mutatio literarum ex earum praecipua cognatione fluit. Quae enim affinis soni, vel ejusdem organi sunt, facilius aliae in alias commutantur: ut *e* in *i*; ut, *heri, quasi, ornavit, natibus*; pro quibus olim, *here, quase, ornavet, navebus*, dixerunt: *o* in *e*; ut, *vorto, verto; vostor, vester*: *u* in *i*; ut, *monumensum, monimentum; optumus, maximus*, posteriùs, *optimus, maximus*. Sic *b* in *p*; ut, *apeens, pleps*, in antiquis inscriptionibus, pro *abeens, plebs*: et contra, *p* in *b*; ut, *absis*, pro *apsis*, Graecis ἀψίς; *obsonium* pro *opsonium*, Gr. ὀψώνιον. Sic *quum*, vel *cum*; *quoi*, vel *cui*; *haud*, vel *haut*: ut innumeras alias literarum inter se, inflexione, derivatione vel compositione factas, mutationes praeteream.

VI. Literarum *pro integris vocibus Positio* ad scripturae compendium introducta est. Hoc pacto Praenomina Romana, quaedam una litera scribuntur: ut, A. notat *Aulus*, C. *Caius*, D. *Decimus*, K. *Kaeso*, L. *Lucius*, M. *Marcus*, M' vel M, *Manius*, N. *Numerius*, P. *Publius*, Q. *Quinctus*, T. *Titus*. Quaedam scribuntur binis: ut, Ap. *Appius*, Cn. *Cnaeus*, Op. *Opiter*, Sp. *Spurius*, Ti. *Tiberius*. Quaedam ternis: ut, Mam. *Mamercus*, Sex. *Sextus*, Ser. *Servius*, Tul. *Tullus*. * In feminarum autem Praenominibus literam primam invertebant: ut Ↄ pro *Caia*, Ⅿ pro *Marca*, Ⅼ pro *Tita*.

Sic F. notat *Filius*, N. *Nepos*: ut, M. F. M. N. *Marci filius, Marci Nepos*. Atque ita in aliis.

Itidem, P. C. notat *Patres conscripti*, P. R. *Populus Romanus*, R. P. *Res publica*, S. C. *Senatus consultum*, U. C. *Urbs condita*, S. *salutem*, S. P. D. *salutem plurimam dicit*, S. P. Q. R. *Senatus populusque Romanus*, D. D. D. *dat, dicat, dedicat*, D. D. C. Q. *dicat, dedicat, consecratque*, H. S. vel L. L. S. valet *sestertium*, quasi dicas duas asses et semissem, h. e. duas aeris libellas et semissem. His adde *Imp.* pro *Imperator*, *Cos.* pro *Consul*. *Aug.* pro *Augustus*, et consona geminata, *Impp.* pro *Imperatores Coss.* pro *Consules*, *Augg.* pro *Augusti*, etc.

VII. Literae *ad numeros notandos* apud Romanos adhibitae erant quinque; C. I. L. V. X. Quarum valor et dispositio ita se habent:

Ⅰ notat	1	*unum.*
Ⅴ	5	*quinque*
Ⅹ	10	*decem*
Ⅼ	50	*quinquaginta.*
Ⅽ	100	*centum*
ↀ	500	*quingenta*

Digitized by Google

CIↃ	1000	*mille.*
IↃↃ	5000	*quinque millia.*
CCIↃↃ	10000	*decem millia.*
IↃↃↃ	50000	*quinquaginta millia.*
CCCIↃↃↃ	100000	*centum millia.*

Not. 1. Veteres, ut Plinius observat, ulterius non processerunt. Quoties vero opus erat, numerum postremum repetebant, hoc modo, ccciↃↃↃ, cccIↃↃↃ, *bis centena millia*; ccciↃↃↃ, cccIↃↃↃ, ccciↃↃↃ, *ter centena millia*, etc.

Not. 2. Ex horum compositione potest quivis alius numerus constitui. Sic II. notat *duo*, III. *tria*, VI. *sex*, XV. *quindecim*, LXXII. *septuaginta duo*, CIↃ. IↃ. CC. XCVI. annum vertentem Aerae Christianae, *millesimum septingentesimum nonagesimum sextum.*

Not. 3. Si minor numerus majori praeponitur, indicio est tantundem majori adimi oportere. Itaque IV. valet *quatuor*, IX. *novem*, XL. *quadraginta*, IC. *nonaginta novem*, etc.

Not. 4. Recentiores pro IↃ, D, et pro CIↃ, M, frequentius usurpant.

CAP. III.

DE LITERARUM SCRIPTURA.

AD *rectam* literarum *Scripturam*, quae proprie Orthographia est, duo in genere ac potissimum requiruntur. 1. Ut singulae literae ea figura, mole, proportione ac concinnitate depingantur, quas optime scribentium consuetudo stabilivit. 2. Ut voces suis quaeque literis, non alienis, scribantur.

1. Et primum quidem, magna ex parte, Praeceptorum dextra solertia, et optimorum exemplorum imitatione, rectius faciliusque, quam ullis regulis, addiscitur. Speciatim tamen proderit sequentes hasce praeceptiones hic observare:

1. Omnis linea seu versus scripturae habere debet certam aliquam latitudinem, duabus parallelis imaginariis inclusam: intra quas ipsa literarum corpora, nonnullae etiam et literae integrae scribendae sunt. Majusculae vero, quaeque apices aut appendices habent, sursum vel deorsum, pro cujusque modulo vel figura, extra id spatium scribi debent: ut in vulgari hoc versu, quo omnes Alphabeti literae continentur.

Digitized by Google

Gazifrequens Libycos duxit Karthago triumphos.

2. A Litera majuscula inchoare debent:
   1. Nomina propria, et quae inde deducta sunt: ut, *Moses, Homerus, Cicero:* item, *Mosaicus, Homericus, Ciceronianus.*
   2. Voces novam periodum inchoantes.
   3. Primae versus cujusque literae in carmine.
   * His addunt nomina artium: ut, *Grammatica, Rhetorica*: Dignitatum: ut, *Rex, Consul*, Festorum: ut, *Pascha, Pentecoste:* Et voces peculiarem aliquam vim sive Emphasin habentes.
3. Diversis a caeteris characteribus scribi debent:
   1. Voces vel sententiae ex auctore aliquo citatae: Item alterius linguae vocabula.
   2. Voces materialiter vel signanter positae.
4. In initio et medio vocis *f* vel *s* scribi potest: in fine vero *s* tantum.
5. Pars vocis ad aliam lineam pertinens notari debet signo cohaerentiae, hoc modo =vel—. Hoc Grammatici *Hyphen*, Typothetae *Divisionem* appellant.
6. Insignis periodus novam Paragraphum postulat, h. e. novam lineam, cujus initium exiguo spatiolo ab initiis reliquarum introrsum cedat.
7. Cum duae vocales, quae alias diphthongum constituunt, diversas syllabas faciunt, posteriori superponendum est hoc signum [¨], quam *Diaeresin* vocant: ut, *aër, poëta, Briseïs:* item cum *j* et *v* consonantes in vocales dissolvuntur: ut, *ïam* apud Plautum, pro *jam; silïae*, ap. Horatium, pro *silvae.*
8. Indeclinabilia cum declinabilibus concurrentia, et praepositiones sine casu positae, discriminis causa in ultima syllaba gravi accentu notantur: ut, *malè, pedìs, pessimè, quàm, unà, antè, pòst; infrà*, etc.
9. Syllabae contractae nota circumflexi gaudent: ut, *amâssem, fiructûs* in genit. *deûm*, pro *deorum.* Item voces Apocopen passae: ut, *ingent*, pro *ingenii.* Item ablativi primae declinationis cum praepositio non exprimitur: ut, in hoc Ovidii, *Et prior est curâ cura sepulta novâ.* At vocalis à fine Encliticae vocis *ne* rejecta, hoc signo [’] quem *Apostrophum* vocant, notatur: ut, *Egon’, ain’*, pro *Egone, ainne, videsne.*

II. Altera rectae scripturae pars, quae docet, voces suis quasque literis scribere, duobus praecipue fundamentis innititur, *Ratione* nimirum et *Auctoritate.*

1. *Ratio* ab origine vocum petitur: quomodo derivatum sequitur formam primitivi. Sic, *gratia*, scribitur per *t*, quia

Digitized by Google

est a *gratus: audacia* per *c*, quia est ab *audax*, cujus genitivus *audacis*. Et contra, primitiva cognoscuntur ex derivatis: quomodo *delicioe* scribimus, quia dicitur *delicatus*.

2. *Auctoritas* ex veterum usu trahitur, id est, ea scribendi ratione, quae reperitur in antiquis codicibus, nummis et inscriptionibus. Sic *causa* gemino ss; non *causa*, scripsisse Ciceronem et Virgilium testatur Quinctilianus. Sic *Hadrianus* cum aspiratione, non *Adrianus*, scribendum ostenduat veteres nummi et inscriptiones. Iidem *carus*, non *charus; torus*, non *thorus; auctor*, non *authon; justitia, propitius*, non *justicia, propicius*: Et *hiems, tiro, silva, sidus, stilus*, potius cum Latina vocali, quam cum Graeca, *hyems, tyro*, etc. Et *fecundus, felix, femina, fetus*, quam *fascundus, faelix*, etc. libri veteres comprobant.

¶ Adversus Orthographiam peccatur tribus modis, *Additione, Detractione* et *Immutatione*. 1. *Additione*: ut, *lachryma*, pro *lacryma; anchora*, pro *ancora; simulachrum*, pro *simulacrum*: et in vett. libb. *thensaurus, formonsus, hyempe*; pro, *thesaurus, formosus, hyems* vel *hiems*. 2. *Detractione*: ut, *Scola*, pro *Schola; carta*, pro *charta; cominus*, pro *comminus*. 3. *Immutatione*, quae bifariam fit: Vel *Innovatione*: ut, *caena*, pro *coena; condicio*, pro *conditio*: *syncerus*, pro *sincerus*: Vel *Transpositione*: ut, *Mecenas*, pro *Maecenas; lapidicina*, pro *lapicidina*.

CAP. IV.

DE LITERARUM PRONUNCIATIONE.

EMENDATA literarum *Pronunciatio*, quae aliter Orthographia dicitur, usu et imitatione doctorum virorum addiscenda est. Hic autem in genere observandae sunt hae regulae:

1. C, ante *a*, *o*, *u*, et consonantes, pronunciari debet ut K: ut, *cado, conor, curro, clavis, Pyracmon, Caidus, crus, Ctesipho*; quasi *kado, konor, kurro, klavis, Pyrakmon, Knidus, krus, Ktesipho*. Ante *e* vero, *i*, *y*, et diphthongos *ae* et *oe*, pronuncianda est fere ut *s*: ut, *celer, cibus, cymba, Caesar, caetus*; quasi, *seler, sibus, symba, Saesar, saetus*.

2. T, sequente *i* et alia vocali, sonat ut *c*: ut, *oratio, prudentia*; quasi, *oracio, prudencia*. Excipe tamen quatuor vocum genera, in quibus *t* sonum suum retinet. 1. Voces a *ti* incipientes: ut, *tiara, Tios* vel *Tium, urbis nomen*. 2. In

Digitized by Google

quibus praecedit *s* vel *x*: ut, *quaestio*, *mixtio*. 3. Infinitivos paragogicos desinentes in *er*: ut, *flectier*, *mittier*. 4. Voces omnino Graecas: ut, *politia*, *asphaltion*, herbae nomen ap. Plin.

8. *G*, similiter ante *a*, *o*, et *u*, et consonantes (ipsa *g* quandoque excepta) sonum eundem habet quem Graecorum *Gamma*, vel γ; ut, *garus*, *Gorgones*, *gula*, *gloria*, *agmen*, *gnavus*, *gratus*: quasi, γarus, γorgones, γula, etc. At ante *e*, *i*, *y*, et (sequente *e*) ipsam *g* pronunciatur ut *j* consonans: ut, *gemma*, *gigno*, *gyrus*, *agger*: quasi, *jemma*, *jigno*, *jyrus*, *ajer*. Excipiuntur voces quaedam Hebraicae: ut, *Gethsemane*, *Gideon*, *Gilboa*: item quaedam Graecae, ut, *Gethenna*, *Gelanor*, *Gyges*, *gymnasium*, *gypsum*: ex Latinae *gibber*, *gilvus*.

CAP. V.

DE LITERARUM IN SYLLABAS DIGESTIONE.

SYLLABA est unius vel plurium literarum sonus uno spiritu prolatus; ut, *e-o*, *e-at*, *e-a-mus*, *fons*, *frons*, *stirps*.

De recta *literarum in syllabas digestione* observandae sunt regulae sequentes:

1. Consonans inter duas vocales posita, pertinet ad posteriorem: ut, *a-mor*, *le-go*, *do-mi-nus*.

2. Si consonans geminetur, prior ad priorem, posterior ad posteriorem syllabam pertinet: ut, *il-le*, *an-nus*, *ter-ra*.

3. Consonantes quae in initio vocis sociari non possunt, nec in medio conjungendae sunt: ut, *ar-duus*, *por-cus*; quia nulla vox ab *rd* aut *rc* incipit.

4. Consonantes quae principio vocis conjungi possunt, illae nec in medio divelli debent: ut,

bd.	*he-bdomas*,	quae dicitur	*bdellium*.
bl.	*pu-blicus*,		*blandus*.
br.	*li-bri*,		*brevis*.
ch.	*ma-china*,		*Charites*.
chl.	*co-chlea*,		*Chloë*.
chn.	*Ara-chne*,		χνόως.
chr.	*cen-chris*,		*Chrysis*.
chth.	*I-chthyophagi*,		*Chthonis*.
cl.	*Hiero-cles*,		*Clio*.
cm.	*Pyra-cmon*,		κμητός, elaboratus.
chm.	*Menaechmus*,		

Digitized by Google

cn.	*cy-cnus,*	quia dicitur.	*Cnaeus.*
cr.	*simula-crum,*		*crassus.*
ct.	*do-ctus,*		*Ctesipho.*
dm.	*A-dmetus,*		δμάω, domo.
dn.	*Aria-dne,*		δνοφερὸς, caliginosus,
dr.	*Hy-dra,*		*drachma.*
fl.	*cini-flones,*		*flos.*
fr.	*A-frica,*		*frater.*
gl.	*A-glaia,*		*gloria.*
gn.	*Li-gnum,*		*gnatus.*
gr.	*ni-gredo,*		*gratus.*
mn.	*o-mnis,*		*Mnemosyne.*
ph.	*to-phus,*		*pharetra.*
phl.	*hypo-phlomos,*		*Phlegon.*
phr.	*Eu-phrates,*		*phrasis.*
phth.	*na-phtha,*		*phthisis.*
pl.	*du-plus,*		*placidus.*
pn.	*Thera-pne,*		*pneuma.*
pr.	*ea-prea,*		*praesul.*
ps.	*scri-psi,*		*psittacus.*
pt.	*a-ptus,*		*Ptolemaeus.*
rh.	*Pyr-rhus,*		*rhetor.*
sb.	*Le-sbos,*		σβεσις, extinctio.
sc.	*pi-scis,*		*scio.*
sch.	*Ae-schylus,*		*schisma.*
scl.	*A-sclepiades,*		*sclopus.*
scr.	*A-scraeus,*		*scribo.*
sm.	*barbari-smus,*		*smaragdus.*
sn.	*Bo-snia,*		*sneida* Lat. barb. *i. e.* incisio.
sp.	*ve-spa,*		*spatium.*
sph.	*hemi-sphaerium,*		*sphaera.*
spl.	*a-splenum,*		*splen.*
spr.	*a-spretum,*		*spretus.*
sq.	*te-squa,*		*squama.*
st.	*pa-stor,*		*stabilis.*
sth.	*Demo-sthenes,*		*Sthenelus.*
str.	*ro-strum,*		*stratus.*
th.	*Clo-tho,*		*thorax.*
thl.	*A-thleta,*		*thlaspi,* herbae nomen.
thr.	*ae-thra,*		*thronus.*
tl.	*A-tlas,*		*Tlepolemus.*
tm.	*La-tmius,*		*Tmolus.*
thm.	*Ari-thmetica,*		
tn.	*Ae-tna,*		θνήσκω. *morior.*
thn.	*E-thnicus,*		
tr.	*pa-tria,*		*trabs.*

Digitized by Google

Not. Quemadmodum *a-gnus* scribitur, ita et *a-gmen*, *te-gmen*: non quia vox ulla occurrit, quae a *gm* incipiat; sed quia *a* in *ago*, et *te* in *tego*, unde illa derivantur, syllabam faciant. Similiter, *do-ctrina* scribendum, non quod ulla vox initio habeat ctr; sed quod *do* syllabam constituat in *do-ctus*, unde *doctrina*.

Excipiuntur a regulis prima et quarta, voces compositae, in quibus pars quaeque ab altera est separanda: ut, *ab-ustor*, *ob-ruo*, *in-ers*, *abs-trusus*, *dis-pore*, *ex-istimo*, *amphis-baena*, *dys-enteria*, *propter-ea*, *et-enim*, *quem-admodum*, *quam-ob-rem*, etc.

GRAMMATICAE LATINAE INSTITUTIONUM PARS QUARTA

EX

COMPENDIO RUDDIMANNI REPETITA.

DE PROSODIA.

PROSODIA est ea Grammaticae pars, quae Syllabarum quantitates et accentus, versuumque fabricandorum artificium tradit.

In Prosodia igitur de his tribus agendum est, 1. De Syllabarum quantitate. 2. De earundem accentu. 3. De arte metrica, seu versuum structura et dimensione.

Digitized by Google

CAP. I.

DE SYLLABARUM QUANTITATE.

QUANTITAS est Syllabae affectio, qua ejus tempus seu moram metimur.

Syllaba est *brevis*, *longa*, et *communis* seu *anceps*.

Brevis *Syllaba* est, quae uno tantum constat tempore, sive quae celeriter pronunciatur; sic notata [◡ vel ˘] ut, *pĕr*, *in*, *plus*. Vocatur etiam, *correpta*, et *corripi* dicitur Syllaba quae brevis est.

Longa *Syllaba* est, quae duobus constat temporibus, sive quae in pronunciando spatium exigit duarum brevium, sic signata [—]: ut, *mōns*, *rōs*, *felix*. Vocatur etiam *producta*, et Syllaba dicitur *produci*, quae longa est.

Communis sive anceps Syllaba est, quae in versu nunc brevis, nunc longa est; ut prior in *Atlas*, *patres*; media in *tenebrae*, *volucris*.

Ratione Ordinis Syllaba etiam distingui solet: 1. Si voces sint polysyllabae (seu plurium quam duarum syllabarum,) in *primam*, *mediam* vel *medias*, et *ultimam* seu *postremam*. Tertia autem a fine *antepenultima* dicitur; quae ultimam praecedit, *penultima* vocatur. 2. Si voces sint dissyllabae, in *priorem* et *posteriorem*. 3. Monosyllabicae voces ultimis Syllabis accensentur.

Quantitas Syllabae est vel Naturalis, sive a natura vocalis desumpta: ut, *re* in *resisto* brevis, *de* in *depello* longa: Vel Accidentalis, sive a naturali discedens per adventitiam causam: ut, *re* in *restiti*, longa; quia sequuntur duae consonantes: *de* in *deamo*: brevis, propter accessum alterius vocalis.

Syllabarum quantitas duobus modis cognoscitur, 1. *Regulis*. 2. *Auctoritate*.

Auctoritas est simile exemplum sive testimonium ex probato aliquo auctore adductum.

Auctoritate autem utimur, quando regulae vel deficiunt, vel ignorantur.

Regulae sunt vel *generales* vel *speciales*. Hae in certis quibusdam syllabis, illae in omni syllaba locum habent.

Digitized by Google

REGULAE GENERALES.

De Vocali ante Vocalem.

1. Vocalem breviant alia subeunte Latini.

Vocalis ante aliam vocalem in vocibus Latinis brevis est: ut, *Deus, creavit, omnia.* Sic, *mihi, nihil*: quia *h* in versu adspiratio, non litera, censetur.

EXCEPTIONES.

2. Ni capit *r*, *fio* produc: et nomina quintae
E servant longum, si praesit *i*, ceu *speciei.*
Anceps *ius* erit patrio: sed protrahe *alius.*
Alterius brevia tantum: commune fit *ohe.*
Pompei, *Cai*, produc, conformia jungens.
Dianam varia; longa *aër*, *dius* et *eheu*,
Et patrius primae cum sese solvit in *ai.*

Exceptiones sunt septem,

1. *Fio* ubique primam producit, cum abest *r*; ut, *fiebam, fiam*; ubi vero adest *r* primam corripit; ut, *fieri, fierem.*

2. Genitivi et dativi sing. quintae declinationis vocalem penultimam *e* habent longam, quando inter duo *i* ponitur; ut, *diei, speciei.*

3. Genitivi sing. in *ius* in prosa longi sunt, in versu vero communes; ut, *unius, illius.* † At *alius* penultimam semper longam, *alterius* semper brevem habent.

4. *Ohe* priorem habet communem.

5. *Pompei, Cai*, et similes vocativi, penultimam producunt.

6. *Diana* prima communi profertur.

7. *Aër, dius* et *eheu* priorem producunt. Item, *aulai, terrai*, et similes genitivi prisci primae declin. penultimam longam habent.

De vocali ante vocalem in Graecis.

3. Hic Graeci variant, nec certa lege tenentur.

De vocibus Graecis vix dari potest certa regula. In multis enim prior vocalis corripitur: ut, in *Danaë, idea, sophia, Simois, Hyades.* In multis producitur: ut, in *Lycaon, Cythaeron, Sperchius, Achelous, Enyo.*

Not. 1. Ex Graecis priorem vocalem praecipue producunt, 1. Desinentia in *ais, eis* et *oia*: ut *Naïs, Laïs, Briseïs, Cadmeïs, Latoïs, Minoïs.* 2. Exeuntia in *eius* et *oius*; ut, *Nereius, Priameius, Achelöius, Minöius.* 5. Terminata in *aon* vel *ion*: ut, *Machaon,*

Digitized by Google

Didymaon, *Amphiön*, *Ixion*. 4. Compositæ a λαός: ut, *Archelaus*, *Menelaus*? † Nec tamen haec perpetua sunt: nam *Thebais* priorem vocalem corripit: ut, *et Phaon*, *Aon*, *Deucalion*, *Pygmalion*, cum multis aliis. Item secunda in *Nereïdis* est anceps: ut in *Orion* et *Geryon*.

Not. 2. Accusativi in *ea* a nominativis in *eus*, saepius corripiunt, *e*, ut, *Orphea*, *Salmonea*: interdum producunt more Ionum, qui haec scribunt per η, *Ilioneo*, *Idomenea*, etc.

Not. 3. Similiter et alia sunt producta, quae per η vel ω scribuntur: ut, *Deiphobus*, *Deianira*, *Troes*, *heroïnus*, etc. *Eous* primam habet ancipitem, quia Graece ἕως et ἠώος, ἑῴος, et ἠῷος, scribitur.

Not. 4. Quae Graece ει habent ante vocalem, Latinis fere sunt correcta: ut, *Arnens*, *Cassiopea*, *Centaurea*, *Penelopea*, *Galatea*, *Laodicea*, *Medea*. Item, *Basilius*, *Darius*, *Eugenius*, *Clio*, *Elegia*, *Iphigenia*, *Antiochia*, *Alexandria*, *idololatria*, *litania*, *politia*, etc. Sed *chorea*, *platea*, *conopeum*, et proprium *Malea*, penultimam habent communem.

¶ In vocibus barbaris seu peregrinis quantitas plerumque ambigua est. Sic primam in *Baal* producit Prudentius, corripit Sedulius. *Abraham* penultima longa profert Sidonius, brevi Arator. In *ael*: ut, *Israel*, *Michael*, *Raphael*, nunc productâ, nunc correptâ efferuntur.

De vocali longa Positione.

4. Si postponatur vocali consona bina,
Aut duplex, longa est positu: sin utraque vocem
Incipiat, raro praeeunti est ultima longa.

I. Vocalis ante duas consonantes, quarum utraque vel altera saltem in eadem sit voce, producitur: ut, *arma, perdidit, Errabat silva in magna*. Haec vulgo Positio dicitur.

Ea quoque longa fit, cum in eadem voce postponitur una duplex consonans, ut, *axis*, *gaza*.

Pro duplici etiam Grammaticis censetur *j* consonans posita inter duas vocales: ut, *mojor*, *rejicio*. Sed hoc non habet locum in compositis a *jugum*: ut, *bijugus*, *quadrijugus*, quae vocalem *i* corripiunt.

II. Si vox praecedens in vocalem brevem desinat, et sequens a duabus consonantibus, vel una duplice incipiat, raro ea vocalis positione producitur: quanquam hoc interdum factum reperiatur; ut,

Virg. *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.*
Juv. *Occulta spolia, et plures de pace triumphos.*

Not. Tamen, in hoc posteriore exemplo, ut in plerisque aliis quae huc adferuntur, syllabae productionem, caesurae, de qua postea, tribui posse.

De Muta et Liquida.

5. Si mutae liquida est subjuncta in syllaba eadem,

Digitized by Google

Quae brevis antevenit vocalis, redditur anceps.
Hanc tamen in prosa semper breviare memento.
Sunt *l*, *r* liquidae, queis raro jungimus *m*, *n*.

Cum muta et liquida in eadem syllaba ponuntur post vocalem natura brevem, vocalis ea in versu sit communis: ut prima in *agris*, *Cyclopes*, media in *pharetra*, *volucris*.

Ovid. *Et primo similis volucri, mox vera volucris.*

Ad hanc Positionem, quam vulgo Debilem vocant, tres minimum conditiones requiruntur. 1. Ut muta praecedat liquidam: nam si sequatur, haec regula non habet locum: ut, in *arte*, *ulcus*, *herba*. 2. Ut muta liquidam praecedens, in eadem syllaba sit, non diversa: nam alioqui rursus regulae nullus est locus: ut in *ab-luo*, *ob-ruo*, *quam-ob-rem*. 3. Ut vocalis praecedens mutam cum liquida, sit natura brevis: nam longa si sit, non potest corripi, sed manet longa. Hinc semper longa est prima in *acris* et *matris*, quippe quod ea syllaba in *acer* et *mater* longa sit. Similiter et penultima in *salubris*, *ambulacrum*, semper producitur; quia sunt a *salus*, *salutis*, et *ambulatum*, quibus ea syllaba producta est.

Not. Ex quatuor liquidis, duae tantum, *l* et *r*, in vocibus Latinis hanc positionem efficiunt; *m* vero et *n* non nisi in vocibus Graecis locum habent: us *Tecmessa*, *cycnus*, *Daphne*, *ichneumon*, *Progne*, etc.

De Crasi, seu Contractione.

6. Vocalem efficiet semper Contractio longam.

Omnis syllaba, sive vocalis, ex duabus in unam contracta, natura est longa: ut, *cógo*, ex *coago*; *altus*, ex *alitus*; *tibicen*, ex *tibiicen*; *ît*, ex *iit*, etc. Item, cum duae voces in unam contrahuntur: ut, *sîs*, pro *si vis*; *sodes*, pro *si audes*; *malo*, pro *magis volo*; *nolo*, pro *non volo*.

De discrimine inter Crasin, Synaeresin et Synecphonesin postea dicetur.

De Diphthongo.

7. Diphthongum produc in Graecis atque Latinis;
In Graecis semper: at prae composta sequente
Vocali brevia; veluti *praeit* atque *praeustus*.

Diphthongus natura longa est, tam in vocibus Graecis, quam Latinis: ut, *Caesar*, *foenus*, *aurum*, *haec*, *omneis*, *Aeneas*, *Euboea*.

Exc. Prae, praepositio Latina, in compositis, sequente vocali, fere corripitur: ut, *praeco*, *praeustus*.

Digitized by Google

Virg. *Nec totâ tamen ille prior praecunte carinâ.*
Id. *Stipitibus duris agitur sudibusque praeustis.*

REGULAE SPECIALES.

EX his aliae ad primas et medias, aliae ad ultimas syllabas pertinent.

De Primis et Mediis Syllabis.

De vocibus derivatis.

8. Derivata tenent mensuram primigenorum:
Orta tamen brevibus, *suspicio*, *regula*, *sedes*, *Secius*, *humanus*, *penuria*, *mobilis*, *humor*, *Jumentum*, *fomes*, primam producere gaudent.
Corripiunt sed *arista*, *vadum*, *sopor*, atque *lucerna*, *Dux*que *ducis*, *stabilis*que *fides*, *ditio*que *quasillus*,
Nata licet longis; quae pluraque suggeret usus.

Derivata sequuntur quantitatem suorum primitivorum. Sic brevis est prima in *amicus*, *pavidus*, *avitus*, quia eadem brevis est in *amo*, *paveo*, *avus*: longa vero in *maternus*, *nativus*, *finitimus*, quia longa in *mater*, *natus*, *finis*. Similiter *legebam*, *legam*, *legerem*, etc. primam habent brevem, quia sunt a *lego*, cujus prima est brevis. Contra, *legeram*, *legerim*, *legero*, etc. primam habent longam, quia sunt a *legi*, cujus prima est longa.

Exc. I. Longa sunt a primitivis brevibus: *Suspicio*, a *suspicor*; *regula*, a *rego*: *sedes*, a *sedeo*; *secius*, a *secus*; *humanus*, ab *homo*; *penuria*, a *penus*; *mobilis*, a *moveo*; *humor*, ab *humus*; *jumentum*, a *juvo*; *fomes*, a *foveo*; et plura alia, quae usus melius docebit.

Exc. II. Brevia a primitivis longis: *Arista*, ab *areo*; *vadum*, a *vado*; *sopor*, a *sopio*; *lucerna*, a *luceo*; *dux ducis*, a *duco*; *stabilis*, a *stabam*, vel supino *statum*; *fides*, a *fido*; *ditio*, a *dis ditis*, vel *dives*; *quasillus*, a *qualus*; et alia nonnulla usu discenda.

De vocibus compositis.

9. Simplicium servant legem composta suorum,
Quamvis diphthongus vel vocalis varietur.
At breviant *nihilum*, cum *pejero*, *dejero*, nec non *Veridicus*, sociis junctis, et *semisopitus*.
Cognitus his addes, velut *agnitus*, *innubus*, atque

Digitized by Google

Pronubus: at longis *ambitus* mobile junges,
Imbecillus item: sed *connubium* variabis.

Composita sequuntur quantitatem simplicium ex quibus constant. Ita, in *perlego*, *relego*, *e* ante *g*, brevis est, quia simplici *lego* ea vocalis corripitur: in praeterito *perlegi*, *relegi*, longa est, quia in simplici *legi* producitur. Sic *improbus* penultimam corripit, *perjurus* producit; quia prior in *probus* brevis, in *juris* longa est.

Servatur etiam eadem quantitas, quamvis vocalis vel diphthongus mutetur. Sic, *concido*, *incido*, à *cado*, penultimam corripiunt: at, *concido*, *incido*, à *caedo*. eandem producunt. Sic, in *irritus*, a *ratus*, media brevis; in *iniquus*, ab aequus, media longa: manente simplicium quantitate.

Exc. 1. Corripiuntur a simplicibus longis orta: *Nihilum*, a *ne* et *hilum*; *pejero* et *dejero*, a *juro*; *veridicus*, *fatidicus*, *causidicus*, et similia in *dicus*, a *dico*: *semisopitus*, a *sopitus*; *cognitus* et *agnitus*, a *notus*; *innubus* et *pronubus*, a *nubo*.

Exc. 2. Producuntur a simplicibus brevibus: *Imbecillus* secunda longa, etsi prima in *baculus* sit brevis: *ambitus*, participium, penultima producta, contra naturam supini *itum*, cui prima correpta est; quam potius sequitur substantivum *ambitus*, uti et ejus derivativum *ambitio*.

Exc. 3. *connubium*, a *nubo*, prima longa, secundam syllabam habet communem.

De compositis cum Praepositione.

10. Quam disjuncta dabat mensuram praepositura,
Juncta tenet: subiens illam nisi litera mutet.

Praepositiones in compositione eandem quam extra compositionem quantitatem habent. Sic, *amitto*, *deduco*, prima longa; *abolea*, *perimo*, prima brevi, profesuntur; quia per regulas de ultimis syllabis postea tradendas, praepositiones *a* et *de* separatim positae producuntur; *ab* vero et *per* itidem positae corripiuntur. Similiter in *contradico*, *suprascriptus*. secunda longa, in *antefero*, *praeterea*, secunda est brevis, ob eandem rationem.

Not. Tamen hic et ubique regulas speciales generalibus cedere: nam praepositio in consonantem desinens, licet alioqui extra compositionem sit brevis, accessu tamen alterius consonantis fit longa; ut, *admitto*, *percello*. Et contra, praepositio in vocalem desinens, licet alioqui extra compositionem sit longa, accessu tamen alterius vocalis fit brevis: ut *deosculor*, *prohibeo*.

Digitized by Google

De Pro in compositis.

11. Est pro breve in Graecis, pro longum rite Latinis.

At rape quae *fundus*, *fugio*, *neptis*que; *nepos*que,
Et *festum*, *fari*, *fateor*, *fanum*que crearunt.
Hisce *profecto* addes, pariterque *procella*, *protervus*,
Atque *propago* genus, *propago* protrahe vitis.
Propino varia, verbum *propago*, *profundo*:
Cum *pello*, *curo* genitis, *Proserpina* junge.

Pro, praepositio Graeca, pro *ante*, corripitur: ut, *Propheta*, *prologus*.

Pro, praepositio Latina, producitur: ut, *prodo*, *promitto*.

Exc. 1. In multis Latinis vocibus pro breviatur: ut, *profundus*, *profugio*, *profugus*, *pronepos*, *proneptis*, *professus*, *profari*, *profiteor*, *profanus*, *profectò*, *procella*, *protervus*, et *propago*, cum genus significat: nam *propago*, cum ad vites refertur, producitur.

Exc. 2. In quibusdam est anceps: ut, *propino*, *propago* verbum, *profundo*, *propello*, *propulso*, *procuro* et *Proserpina*.

De se, di, re in compositis.

12. Se produc et di, praeter *dirimo* atque *disertus*.
Est re breve: at viduum personis protrahe *refert*.

I. Se et di, praepositiones inseparabiles, producuntur: ut, *separo*, *semotus*, *diduco*, *divello*.

Exc. *Dimiro* et *disertus* di corripiunt.

II. Re praepositio inseparabilis, brevis est: ut, *remitto*, *repello*.

Exc. *Refert* impersonale, pro *utile est*, primam producit, aliter corripit. Utriusque exemplum praebet hoc Ovidii;

Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga
Arma tulisse refert. ——

Not. In nonnullis praepositio re producitur, consonante sequente geminata: quomodo, *relligio*, *reppulit*, *repperit*, apud Poëtas frequenter legimus.

De Compositis sine Praepositione.

13. Pars si componens fini prior *i* vel *o* ponat,
Sit breve: *vaticinor* monstraverit, *Arctophylax*que.

I. Voces, sive Latinae sive Graecae, priorem compositi partem *i* terminantes, *i* corripiunt. Latinae; ut, *omnipotens*;

Digitized by Google

agricola, *vaticinor*, *significo*, etc. Graecae: ut, *Architectus*, *Iphigenia*, *dimeter*, *trimeter*, etc.

II. Voces, praecipue Graecae, priore compositionis parte in *o* exeuntes, *o* itidem corripiunt: ut, *Argonauta*, *Arctophylax*, *bibliotheca*, *Philosophus*, etc. item hae Latinae, *bardocucullus*, *sacrosanctus*, *hodie*, *duodecim*.

EXCEPTIONES.

14. *I* quibus est flexu mutabile jungito longis,
Quaeque queunt sensu salvo divellier, addens
De quibus aut Crasis aliquid vel Syncopa tollit.
Idem masculeum produc, et *ubique* et *ibidem*;
Huic dein agglomerans turbae composta *diei*.
His *intro*, *retro*, *contro*que et *quando* creata [*quin*,
(*Quandoquidem* excepto) bene junxeris, atque *alio*-
Quaeque per *o* magnum scribuntur nomina Graiis.

A superiore regula variae sunt exceptiones.

I. Priorem compositi partem in *i* producunt,

1. In quibus i pro casibus variatur: ut, *quidam*, *quivis*, *quilibet*, *quicunque*, *quantivis*, *quanticunque*, *tantidem*, *unicuique*, *eidem*, *reipublicae*, *qualicunque*.

2. Quae separari salvo eodem sensu possunt: ut, *ludimagister*, *parvipendo*, *lucrifacio*, *siquis*: vel aliter, *ludi magister*, *parvi pendo*, etc.

Quae Crasin vel Syncopen sunt passa: *tibicen*, pro *tibicen*; *bigae*, *trigae*, *quadrigae*, pro *bijugae*, *trijugae*, *quadrijugae*; *ilicet*, *scilicet*, pro *ire licet*, *scire licet*.

4. *Idem* pronomen masc. generis; nam neutrius est breve: item, *ubique*, *ibidem* At in *ubivis* et *ubicunque* (ut in simplice *ubi*) est anceps.

5. Composita a *die*: ut, *biduum*, *triduum*, *meridies*, *pridie*, *postridie*. At *quotidie* et *quotidianus* secundam nonnonquam habent correptam.

II. Producitur prior compositi pars in *o*,

1. In Latinis, ex *intro*, *retro*, *contro* et *quando* compositis: ut, *introduco*, *intromitto*, *introgredior*, *retrocedo*, *retrogradus*. *controversio*, *controversus*, *quandoque*, *quandocunque*. (At *quandoquidem* secundam habet brevem.) Quibus adde *alioqui* seu *alioquin*, *caeteroquin*, *utrobique*.

2. In Graecis, quae per Ω μέγα, sive *o* magnum, scribuntur: ut, *Geometra*, *Minotaurus*, *lagopus*.

Digitized by Google

APPENDIX.

De aliis sine praepositine compositis.

1. In *a* priore parte compositi exeuntia sunt longa, ut, *quare, quapropter, quatenus, quacunque;* Item, *trado, traduco, trano.* Excipe *eadem*,, nisi ablativi sit casus.
2. In *e* terminata corripiuntur. In prima syllaba: ut, *nefas, nefastus, nefandus, nefarius, neque, nequeo*: item, *tredecim, trecenti, equidem, selibra.* In secunda: ut, *valedico, madefacio, tepefacio, patefacio,* et similibus. In tertia: ut, *hujuscemodi, ejuscemodi.* Excipe primam in *sedecim, semodius, nequis, nequam, nequitia, nequando, nemo, credo, memet, mecum, tecum, secum*: item secundam in *venefieus* et *videlicet.*
3. In *u*, et *y*, Graeco finita, correpta sunt. In prima syllaba: ut, *ducenti, dupondium.* In secunda: ut, *quadrupes, centuplum, Trojugena, cornupeta.* Idem *Polydorus, Polydamus, Polyphemus, dorypho-rus.* Excipe *judico*, prima longa.

De prima in Praeteritis dissyllabis,

15. Praeterita assumunt primam dissyllaba longam.
Tolle *bibit, scidit*, et *fidit*, ac *tulit*, ortaque *do, sto.*

Praeterita dissyllaba habent priorem longam: ut, *veni, vidi, vici.*

Exc. Haec sex priorem breviant: *Bibi, scidi a scindo, fidi a findo, tuli, dedi, steti.*

De prima et secunda in Praeteritis geminatis.

16. Praeteritum geminans primam, breviabit utramque,
Ut *pario, peperi;* vetet id nisi consona bina.
At quod *caedo* creat tardat, ceu *pedo*, secundam.

Praeterita primam syllabam geminantia tam illam quam sequentem corripiunt: ut, *cecidi, tetigi, pepuli, peperi, didici, tutudi.*

Exc. *Caecidi* a *caedo.* et *pepedi a pedo*, secundam habent longam: ut et ea in quibus duae consonantes concurrunt: ut, *fefelli, tetendi, momordi.*

De prima in Supinis dissyllabis.

17. Cuncta Supina tenent primam dissyllaba longam:
Praeter nata *sero, cieo, lino*, cum *sino, sisto*
Quae breviant; *eo, do*que, *ruo, queo* junge, *reor*que,

Supina dissyllaba priorem producunt: ut, *casum, visum, motum.*

Exc. *Satum* a *sero, citum* a *cieo, litum* a *lino, situm* a *sino, statum* a *sisto, itum* ab *eo, datum* a *do, rutum* a *ruo, quitum* a *queo, ratum* a *reor*, priorem corripiunt.

Digitized by Google

Not. *Statum* a *sto* priorem habere longam videtur, unde *staturus* (et ejus composita *constaturus*, etc.) *stamen*, et *Stătius*. viri nomen, prima longa. At *statum* a *sisto*, videtur priorem corripere; unde *statuarius*; *statua-a-um*; *statio*, *statuo*, *stabilis*, *statulum*, *stator*, *statim*, et alia quaedam his orta, prima brevi.

De prima aliis Praeteritis et Supinis polysyllabis.

18. Caetera praesentis mensuram verba reservant.
Excipe sed *posui positum*, *genui genitum*que,
Et *potui*; quae dant quoque *solvo* et *volvo* supina.

Alia praeterita et supina polysyllaba tantam habent primam quanta est prima praesentis. Ita, *vocavi* et *vocatum* primam corripiunt; *clamavi* et *clamatum* primam producunt; quia *voco* brevem, *clamo* longam eam syllabam habent.

Excipe quae a praesenti producto primam corripiunt, *posui*, *positum*, a *pono*; *genui*, *genitum*, a *gigno*; *potui*, a *possum*; *solutum*, *volutum*, a *solvo*, *volvo*.

De penultima in Supinis polysyllabis.

19. Prae *tum* vocalem polysyllaba cuncta supina
Producunt, *atum*, quibus *etum* finis, et *utum*:
Ivi praeterito veniens sociabis et *itum*.
Caetera corripies in *itum* quaecunque residunt.

1. Supina polysyllaba in *atum*, *etum*, et *utum*, exeuntia, habent penultimam longam: ut, *amatum*, *deletum*, *minutum*.

2. Supina in *itum* a praeteritis in *ivi* venientia penultimam itidem producunt: ut, *cupivi*, *cupitum*; *petivi*, *petitum*: *polivi*, *politum*.

3. At supina in *itum* ab aliis quibuscunque praeteritis descendentia, penultimam corripiunt; ut, *cubui*, *cubitum*; *monui*, *monitum*; *abolevi*, *abolitum*; *bibi*, *bibitum*; *credidi*, *creditum*, etc.

De penultima Participiorum in Rus.

20. In *rus* Participi semper penultima longa est.

Participia in *rus* penultimam semper producunt: ut, *amaturus*; *habiturus*, *victurus*, *auscurus*,

De Crementis Nominum.

Crementum nominis est excessus obliqui casus in syllaba vel syllabis supra nominativum.

1. Si genitivus singularis par fuerit nominativum numero syllabarum, nullum erit crementum: ut, *Musa*, *Musae*; *vates*, *vatis*; *dominus*, *domini*.

Digitized by Google

2. Sin longior fuerit una syllaba, tum penultima genitivi crementum erit: ut, *rex*, *regis*; *sermo*, *sermonis*; *interpres*, *interpretis*.

3. Crementum genitivi reliquorum casuum utriusque numeri norma est: ut, *sermo*, *sermonis*; *sermoni*, *sermonem*, *sermone*, *sermones*, *sermonum*, *sermonibus*: in quibus o semper longum est. † Excipe *bobus*, de quo postea.

Not. *Iter*, *supellex*, et composita a *caput*, literis pr finita, duplici augentur cremento in singulari, *itineris*, *supellectilis*, *anceps*, *ancipitis*. Dativus etiam et ablativus tertiae in *ibus*, bina plerumque crementa habent: ut, *regibus*, *hominibus*, etc. Voces autem praedictae iis in casibus habent tria, *itineribus*, *supellectilibus*, *ancipitibus*.

De Singulari nominis cremento.

Crementa 1. 4. et 5. Declinationum.

21. Vocalis numero coëat nisi bina priore,
Casibus obliquis non crescunt nomina primae,
Nec quae quarta dedit, dedit aut inflexio quinta.

In prima, quarta et quinta declinatione nullum fit numero singulari incrementum, nisi ubi vocalis aliam praecedit: ut, in prima, *aulai*, *pictai*; in quarta, *anuis*, *anui*; in quinta, *rei*, *speciei*. De quarum omnium quantitate supra diximus, reg. 1. et 2.

Crementa secundae Declinationis.

22. Quae sequitur primam tantum producit *Iberi*.

Crementa secundae declinationis corripiuntur: ut, *taner*, *teneri*; *vir*, *viri*; *satur*, *saturi*.

Exc. At *Iber*, *Iberi*, et ejus compositum, *Celtiber*, *Celtiberi*, penultimam producunt.

* De genitivo crescente in *ius* diximus supra, reg. 2.

Crementa tertiae Declinationis.

A.

23. Semper A curtat *atis* ternae: sit *dogmatis* index.

Nomina in A tertiae genitivi crementum in *atis* corripiunt: ut, *dogma*, *dogmatis*; *poëma*, *poëmatis*.

O.

24. O breviabit *inis*: sed porrigit *enis* et *onis*.
Mensuram variant at in his gentilia quaedam.

1. *Inis* ab O corripitur: ut, *cardo*, *cardinis*; *virgo*, *virginis*.

Digitized by Google

2. *Enis* et *onis* ab *o* producuntur: *Anio, Anienis: Cicero, Ciceronis.*

3. Nomina gentilia quantitatem variant. Pleraque enim genitivum corripiunt: ut, *Macedo, Macedonis*; *Saxo, Saxonis.* Sic *Lingones, Senones, Teutones*, seu *Teutoni, Vangiones, Vascones*, penultima brevi. *Brittones* Juvenali corripitur, Martiali producitur. *Suessones, Vettones*, penultimam habent longam: quibus addi possunt *Burgundiones, Eburones.*

Not. Si Graeca in o n, *n* amittant, servant in obliquis quantitatem quam prius habuerant: ut, *Agamemnon* vel *Agamemno, Agamemnonis*, penultima brevi; *Demiphon* vel *Demipho, Demiphonis*, penultima longa. Vid. mox, reg. 28.

I, C.

25. I breve mittit *itis.* Sed ab e c producitur *ecis.*

1. Nomina in I a *meli* composita, corripiunt crementum *itis*, ut, *Hydromeli, Hydromelitis.*

2. In e c producunt *ecis*: ut, *haleo, halecis*; *Melchisedec, Melchisedecis.*

D.

26. In D crementum breve nomina pauca tulerunt.

In d crementum corripiunt: ut, *David, Davidis*: *Bogud, Bogudis.*

Not. Poëtae Ecclesiastici penultimam in *Davidis* saepius producunt.

L.

27. Al mas curtat *alis*: sed neutrum protrahit *alis* *Elis* cum *Solis* produc; reliquis breviatis.

1. Masculina in a l corripiunt genitivum in *alis*: ut, *sal, salis*; *Hannibal, Hannibalis.*

2. Neutra in a l producunt *alis*: ut, *animal, animalis.*

3. *Sol* producit *Solis*: item nomina in e l Hebraica genitivi penultimam habent longam: ut, *Michaël, Michaëlis*; *Daniel, Danielis.*

4. Reliqua in l crementum corripiunt: ut, *vigil, vigilis*; *Consul, Consulis.*

N.

28. On nimis incertum est: e n *inis* rape: caetera produc.

1. De nominibus in o n vix dari potest certa regula. Multa enim genitivi penultimam producunt: ut, *Helicon,*

Digitized by Google

Heliconis; *Chiron, Chironis.* Multa corripiunt: ut, *Actaeon, Actaeonis*; *Memnon, Memnonis.*

2. In en breviant *inis*: ut, *tibicen, tibicinis*; *flumen, fluminis.*

3. Caetera in N penultimam producunt: an, *anis*: ut, *Titan, Titanis*: en, *enis*: ut, *Sirenis*: in, *inis*: ut, *delphin, delphinis*: yn, *ynis*: ut, *Phorcyn, Phorcynis.*

R.

26. *Aris* ab ar neutro produc: sed demito *bacchar*,
Par cum compositis, *jubar* his cum *nectare* jungens,
Protrahe *Nar*, *Naris*, *furis*, *veris*, *Recimeris*,
Byzer, *Ser*, et *Iber*, in *ter* Graecum, *aethere* dempto.
Oris ab or longum est: cum neutris corripe Graeca.
Arboris et *memoris* brevies, indictaque cuncta.

1. *Aris* ab ar neutri generis producitur: ut, *calcar, calcaris.*

Exc. At haec neutra *aris* corripiunt: *bacchar, baccharis*; *jubar, jubaris*; *nectar, nectaris*: item adjectivum *par, paris*, cum suis compositis, *impar, imparis*; *dispar, disparis*, etc.

2. Haec in a finita genitivum producunt, *Nar, Naris*, fluvii nomen; *fur, furis*; *ver, veris*; *Recimer, Recimeris*, viri proprium; *Byzer, Byzeris*; *Ser, Seris*; *Iber, Iberis*, et in secunda, *Iber, Iberi*, populorum nomina.

3. Graeca in *ter* producunt *teris*: ut, *crater, crateris*; *character, characteris.*

Exceptis *aether, aetheris*, penultima brevi.

4. *Oris* ab or producitur: ut, *amor, amoris*; *timor, timoris.*

Exc. (1.) Neutra: ut, *marmor, marmoris*; *aequor, aequoris*, (2.) Graeca in or: ut, *Hector, Hectoris*; *Rhetor, Rhetoris.* (3.) *Arbor, arboris*, femininum: et *memor, memoris*, adjectivum.

5. Reliqua in r non dicta genitivi penultimam corripiunt: ar, *aris*, masc. gen. ut, *Caesar, Caesaris*: *Hamilcar, Hamilcaris*; *lar, laris.* Er, *eris*, cujusque generis: ut, *aër, aëris*; *mulier, mulieris*; *cadaver, cadaveris*; *iter* olim *itiner itineris*; *verberis* ab inusitato nominativo *verber.* Ur, *uris*; ut, *vultur, vulturis*; *murmur, murmuris.* Yr, *yris*: ut, *martyr, martyris.*

AS.

30. *Atis* ab as tardat; *anatis* nisi, quaeque Latina.
Caetera, sed *vasis* dempto, correpta dabuntur.

Digitized by Google

1. Nomina in as Latina producunt crementum genitivi in *atis*: ut, *pietas, pietatis; Maecenas, Maecenatis.*

Excipe *anas, anatis*, quod penultimam corripit

2. Alia nomina in as genitivi crementum habent breve: ut, 1. Graeca in *adis, atis*, et *anis*, ut, *Pallas, Palladis; artocreas, artocreatis; Melas, Melanis*, fluvii nomen. 2. *vas, vadis; mas, maris.*

At *vas, vasis*, primam producit.

ES.

31. ES patrium breviat: demas *locupleses*que, *quieses*que, Et *mansues, haeres, merces*, et Graeca per *etis.*

ES breviat penultimam genitivi: ut, *miles, militis; seges, segetis; obses, obsidis; Ceres, Cereris; pes, pedis.*

Excipiuntur, *locuples, locupletis; quies, quietis; mansues, mansuetis; haeres haeredis; merces mercedis.*

Item nomina Graeca quae habent *etis*: ut, *lebes, lebetis; Thales, Thaletis*, etc.

IS.

32. Corripit IS crescens patrium: sed porrige *gliris*, Et quod Romuleum Genitivum format in *itis.*

Et *Psophis, Crenis, Nesis*, Graecumque quod *in* dat.

In IS crescentia genitivi penultimam corripiunt: ut, *lalapidis; Phyllis, Phyllidis; cinis, cineris; sanguis, sanguinis.*

Exc. 1. *Glis, gliris*, penultima longa. 2. Latina quae habent *itis: dis, ditis; lis, litis; Quiris, Quiritis; Samnis, Samnitis.* † At *Charis, Charitis*, Graecum, penultimam corripit. 3. Penultimam etiam producunt, *Psophis, Psophidis*, urbis; *Crenis, Crenidis*, Nymphae; *Nesis, Nesidis*, insulae, nomina. Et 4. Graeca in *is*, quae per *in* etiam finiuntur: ut, *Salamis*, vel *Salamin, Salaminis.*

OS.

33. Os patrii crementa dedit producta: sed aufer Quae tria correptis gaudent, *bos, compos*, et *impos.*

OS crementum genitivi producit: ut, *nepos, nepotis; flos, floris; custos, custodis.*

Exc. Tria crementum habent breve, *bos, bovis; compos, compotis; impos, impotis.*

US.

34. US crementa rapit; sed in *uris*, et *utis*, et *udis*,

Digitized by Google

Quod praeit *u* longum est: *Ligus* hinc at tolle, *pecus*que.

*Intercus*que. Gradus medius producit US *oris.*

In US terminata genitivi crementum corripiunt: ut, *corpus, corporis; vellus, velleris; tripus, tripodis.*

Exc. Quae habent *udis, uris*, aut *utis*, *u* penultimae producunt: ut, *incus, incudis; jus, juris; salus, salutis.*

† At haec tria corripiuntur: *Liguris*, à *Ligus*, vel *Ligur; pecudis*, ab inusitato *pecus*, vel *pecudis; intercutis*, ab *intercus.*

Exc. 2. Comparativa in US crementum producunt: ut, *melius, melioris*, etc. servata, scil. masculini vel feminini quantitate, *melior, melioris.*

YS.

35. Ys celerabit *ydos*: sed tarde profert *ynis.*

1. YS breviat crementum in *ydis* vel *ydos*: ut, *chlamys, chlamydis* vel *ydos.*

2. YS crementum in *ynis* producit: ut, *Trachynis.*

BS, PS, MS.

36. Consona cum praeit S patrii penultima curta est

Hinc *Cyclops, spes, gryps, Cercops, plebs*, aufer, et *hydrops.*

Nomina in S, praecedente consona, finita, genitivi penultimam corripiunt: ut, *caelebs, caelibis; Laelaps, Laelapis; Dolops, Dolopis; inops, inopis; auceps, aucupis; hiems, hiemis*; item *anceps, ancipitis; biceps, bicipitis*, et similio a *caput* composita, in quibus utrumque genitivi crementum breve est.

Exc. Haec penultimam habent longam: *Cyclops, Cyclopis; seps, sepis; gryps, gryphis; Cercops, Cercopis*, populus; *plebs, plebis; hydrops, hydropis.*

T.

37. T breve crementum patrii per *itis* sibi poscit.

In T. finita crementum genitivi in *itis* corripit: ut, *caput, capitis; sinciput, sincipitis; occiput, occipitis.*

X.

38. Prae *gis* vocalem rapit X. Producito *lex, rex.*

Ex *icis* abbreviat, *vibex* nisi. Caetera produc.

Praeter *Albax, smilax, Atrax*, cum *dropace*, et *anthrax.*

Digitized by Google

Fax, et *Atax*, *climaxque*, *panaxque*, *styraxque*, *colaxque*: [rectis
Quaeque *phylax*que, *corax*que creant, et cum *nece*,
Orba suis, *vicis* atque *precis*; cum *appendice*, *fornix*
Coxendix, *Choenix*que, *Cilix*, *natrix*que, *calix*que,
Pix, et *onyx*, *illix*, *histrix*, cum *mastiche*, *varix*,
Queis *Erycis*, *filicis*, *salicis*, *laricis*que, *nivis*que,
Cappadocis, *calycis*, cum *Naryce*, *praecoce*, nectes;
Adde *ducis*, pariterque *crucis*, *nece* cum *truce* junctis,
At patrio variato *Syphax*, cum *Bebryce*, *sandix*.

1. Nomina in X, genitivum in *gis* facientia, vocalem ante *g* corripiunt: ut, *harpax*, *harpagis*, i. e. verticillus; *aquilex*, *aquilegis*; *Biturix*, *Biturigis*; *Allobrox*, *Allobrogis*; *conjux*, *conjugis*; *Phryx*, *Phrygis*.

Exc. At producuntur, *lex*, *legis*; *rex*, *regis*. Quibus adde *coccyx*, et, cujus nominativus vix jam in usu est, *frux*, *frugis*.

2. Corripitur item *icis* ab ex: ut, *vertex*, *verticis*: *pontifex*, *pontificis*. † Unum producitur, *vibex*, *vibicis*: nisi potius rectus sit *vibix*.

3. Caetera in X. genitivi crementum producunt: In ax: ut, *pax*, *pacis*; *fornax*, *fornacis*. In ex: ut, *balex*, *balecis*; *vervex*, *vervecis*. In ix, ut *radix*, *radicis*; *cicatrix*, *cicatricis*. In ox: ut, *vox*, *vocis*; *velox*, *velocis*. In ux: ut, *lux*, *lucis*; *Pollux*, *Pollucis*. In yx, ut, *Bombyx*, *Bombycis*; *Ceyx*, *Ceycis*.

Exc. 1. Ex his multa corripiuntur:

(1.) In ax: *Abax*, *abacis*, i. e. abacus: *smilax*, *smilacis*; *Atrax* *Atracis*, fluvii et urbis nomen; *dropax*, *dropacis*, unguenti genus; *anthrax*, *anthracis*, i. e. carbo; *fax*, *facis*; *Atax*, *Atacis*; Galliae fluvius; *climax*, *climacis*, scala et schema Rhetoricum; *panax*, *panacis*, et ejus compositum *opopanax*, *opoponacis*; *styrax* vel *storax*, *storacis*, gummi genus; *colax*, *colacis*, parasitus: item, composita a *phylax* et *corax*; ut, *Arctophylax*, *Arctophylacis*; *Nomophylax*, *Nomophylacis*, i. e. legum custos; *nycticorax*, *nycticoracis*, i. e. corvus nocturnus vel noctua; *phalacrocorax*, *phalacrocoracis*, corvus aquaticus.

(2.) In ex: *Nex*, *necis*; et recto carentia *vicis* et *precis*: item, *foenisex*, *foenisecis*; *resex*, *resecis*, in regula haud memorata, et *supellex*, *supellectilis* in crementó secundo.

(3.) In ex: *Appendix*, *appendicis*; *fornax*, *fornicis*; *coxendix*, *coxendicis*; *choenix*, *choenicis*, mensurae nomen:

Digitized by Google

Cilix, *Cilicis*, populus; *natrix*, *natricis*; serpens aquaticus; *calix*, *calicis*; *pix*, *picis*; *illix*, *illicis*, quod aves illicit; *hystrix*, *histricis*; *mastix*, *mastichis*, resina lentisci arboris; *varix*, *varicis*, vena plus aequo intumescens; *filix*, *filicis*, *salix*, *salicis*; *larix*, *laricis*; *nix*, *nivis*.

(4.) In ox: *Cappadox*, *Cappadocis*, populus; *praecox*, *praecocis*, praematurus.

(5.) In ux *Dux*, *ducis*; *crux*, *crucis*; *nux*, *nucis*; *trux*, *trucis*.

(6.) In yx: *Onyx*, *onychis*; *Eryx*, *Erycis*, montis et viri nomen; *calyx*, *calycis*, gemma floris; *Naryx*, *narycis*, oppidum Locrorum, aliter *Narycia* appellatum.

Exc. 2. Haec tria genitivi crementum habent commune; *Syphax*, *Syphācis* vel *Syphăcis*; *sandix*, *sandicis* vel *sandycis*; *Bebryx*, *Bebrȳcis* vel *Bebrȳcis*. † At *Syphacis* penultima producta, *Bebrycis*, ea corrupta, rectius efferuntur.

De plurali nominis crementō.

39. Pluralis casus, si crescit, protrahit A, E,
Et simul O. *Bubus* dempto, sed corripit I, U.

A, E, O, in crementis pluralibus producuntur: ut, *Musarum*, *rerum*, *dominorum*.

I et U corripiuntur: ut, *artibus*, ab *ars*; *artubus*, ab *artus*. † *Bubus* tamen, seu *bobus*, propter Crasin (est enim ex *bovibus* contractum) producitur.

De crementis verborum.

CREMENTUM verbi est, cum aliqua ejus pars secundam personam singularem praesentis Indicativi activi, syllaba, una vel pluribus excedit.

1. Si igitur verbum huic secundae personae aequale sit, nullum erit crementum: ut, *amas*, *amem*.

2. Sin verbum longius sit una syllaba, unum habebit crementum: ut, *amamus*, *amatis*, quorum penultima crementum est: nam ultima nunquam dicitur crementum.

3. Si verbum duabus syllabis excedat, duo erunt crementa: ut, *amabamus*, *amabatis*. Si tribus, tria: ut, *amaverimus*, *amaveritis*. Si denique quatuor, totidem erunt crementa: ut, *audis*, *audiebamini*.

4. In verbis deponentibus fingenda est vox activa, ad quam verborum crementa dirigantur: ut, *conatur* unum habet crementum, *conabatur* duo, *conaremini* tria; quia si secunda persona vocis activae foret, ipsa esset *conas*.

5. Ultima syllaba (ut modo diximus) nunquam dicitur crementum; prima vero est, si norma ipsa monosyllaba.

Digitized by Google

Sic in *damus*, *fletis*, *scires*, prima syllaba crementum est; quia *das*, *fles*, *scis*, monosyllaba sunt.

A *in* crementis *verborum*.

40. A verbum crescens auctu producit in omni.
Excipe crementum *dare* primum quod breve poscit.

A in omni verborum cremento producitur: ut, *stabam*, *amarem*, *legebamus*, *audiebamini*. Sic, *bibamus*, *veneramus*.

Exc. *Do* ejusque composita primae conjugationis A in primo cremento corripiunt: ut, *damus*, *dabunt*, *dare*; item, *circumdamus*, *venundabo*, etc. penultima brevi.

*) In aliis autem crementis verbi *do*, ut et in primo cremento compositorum ejus tertiae conjugationis, A producitur: ut, *dabamus*, *dederatis*, *credamus*, etc.

E *in* crementis *verborum*.

41. E. quoque producunt verba increscentia: verum
Prima E corripiunt ante *r* duo tempora ternae.
Rere sit et *rerim* longum, *berim* at *bere* curtum.
Semper E. corripitur prae *ram*, *rim*, *ro*que locatum.
Curtat et interdum *steterunt*, *dederunt*que Poëta.

E in omnibus verborum crementis longum est: ut, *amemus*, *amaremus*, *amavissetis*; *docebam*, *docerem*; *legebat*, *legerunt*; *audiemus*, *audivere*, etc.

Exc. 1. E ante *r* breve est in primo cremento in quovis praesenti et imperfecto tertiae conjugationis: ut, *legeris* vel *legere* in praesenti Indic. pass. *legere* in Infinitivo act. et Imperativo pass. *legerem* et *legerer* in imperfecto Subjunct. act. et pass.

† *Reris* tamen et *rere*, tam in tertia, quam in aliis conjugationibus, producitur: ut, *legereris*, *legerere*; *amareris*, *amarere*; *docereris*, *docerere*, etc.

Exc. 2. *Beris* et *bere* ubique corripiuntur, ut, *amaberis*, *amabere*, in prima; *doceberis*, *docebere*, in secunda: et, apud priscos, *largibere*, *experibere*, *in quarta*.

Exc. 3. E ante *ram*, *rim*, *ro*. caeteraque personis inde fluentibus, breve est: ut, *amaveram*, *amaverim*, *amavero*, *docueram*, *eram*, *fueram*, *potero*, *potuero*, etc.

Not. Poëtae ir praeterito indicativi e ante *runt* interdum corripiunt: ut,

Virg. *Obstupui*, *steterúntque comae*, *et vox faucibus haesit*.
Flor. *Ut tibi divitias dederunt*, *artemque fruendi*.

Digitized by Google

I *in* crementis *verborum:*

42. Corripit I crescens verbum: sed deme *velimus*, *Nolimus*. *simus*, quaeque his sata caetera; jungens *Ivi* praeteritum, prima incrementaque quartae.
Praeterito curtabis *imus* tamen undique: vates
Exacto variant *rimus ritis*que futuro.

I. in quovis verborum cremento corripitur: ut, *amabimus*, *docebitur*, *legimus*, *cupitis*, *aggredimur*; item in omnibus crementis quartae praeter primum: ut, *audimini*, *audiremini*, *audiebamini*.

Exc. 1. Haec I longum habent: *simus*, *velimus*, *nolimus*, cum aliis personis ab his deflexis, eorumque compositis: ut, *sitis*, *velitis*, *nolitis*, *nolito*, *nolitote*, *malimus*, *malitis*, *possimus*, *possitis* etc.

Exc. 2. I. ante *vi* in praeteritis semper producitur: ut, *petivi*, *quaesivi*, *audivi*: itidemque in aliis personis, *petiveris*, *quaesivit*, *audiverunt* etc.

Exc. 3. Primum crementum quartae conjugationis longum est: ut, *audimus*, *auditis*, *auditur*, *audito*, *audirem*, *audire*, *ibam*, *ibo*, *scimus*, *scirent*, etc.

† At *imus* in omni praeterito, etiam quartae, corripitur: ut, *juvimus*, *vidimus*, *fecimus*, *venimus*, in cremento primo: *amavimus*, *adolevimus*, *pepercimus*, *munivimus*, in secundo.

Notandum igitur in verbis quartae, quorum praesens et praeteritum voce concurrunt, penultimam praesentis esse longam, *venimus*, *reperimus*: praeteriti autem brevem, *venimus*, *reperimus*.

Appendix, *Rimus* et *ritus* in praeteritis Subjunctivi semper corripiuntur: in futuris vero ejusdem, quae exacta vocant, a Poëtis nonnunquam producuntur: ut,
Catull. *Dein cum millia multa fecerimus*, vers. Phaleuc.
Ovid. *Cum maris Ionii transieritis aquas* — pentam.

O *et* U *in* crementis *verborum.*

43. O produc verbis crescentibus; U breve profer.

O in verborum crementis semper producitur: ut, *amatote*, *facitote*.

APPENDIX.

De aliarum quarundam primarum *ac* mediarum syllabarum *quantitate.*

I. PATRONYMICA masculina in ides vel ades, penultimam fere

Digitized by Google

corripiunt: ut, *Priamides*, *Atlantiades*. † Excipe formata a nominibus in *eus*: ut, *Pelides*: item *Belides*, *Lycurgides*, *Amphiaraides*; *Lapetionides*, quae eam producunt.

II. Patronymica, iisque cognata, in ais, eis, itis, ois, otis, ine et one, penultimam fere producunt: ut, *Achais*, *Ptolemais*, *Chryseis*, *Aeneis*, *Memphitis*, *Oceanitis*, *Minois*, *Latois*, *Icariotis*, *Nilotis*, *Nerine*, *Aerisione*. † *Thebais* tamen et *Phocais* penultimam habet brevem; *Nereis* communem.

III. Adjectiva in acus, icus, idus, imus, penultimam plerumque habent brevem: ut, *Aegyptiacus*, *daemoniacus*: *academicus*, *aromaticus*; *callidus*, *lepidus*; *finitimus*, *legitimus*: item superlativa, *pulcherrimus*, *fortissimus*, *optimus*, *maximus*, etc. † Excipe, *Meracus*, *opacus*; *amicus*, *apricus*, *pudicus*, *mendicus*, *posticus*; *fidus*, *infidus*; *bimus*, *trimus*, *quadrimus*, *patrimus*, *matrimus*, *opimus*; et superlativa duo, *imus*, *primus*.

IV. Adjectiva in alis, et pleraque omnia in anus, arus, ivus, oris, osus, penultimam producunt: ut, *conjugalis*, *dotalis*; *montanus*, *urbanus*; *amarus*, *avarus*; *aestivus*, *fugitivus*; *canorus*, *decorus*; *arenosus*, *pruinosus*. † At *barbarus*, *opiparus*, corripiunt.

V. Adjectiva in ilis verbalia penultimam corripiunt: ut, *agilis*, *facilis*, *scissilis*, *utilis*, etc. † At derivata a nominibus penultimam fere producunt: ut, *anilis*, *civilis*, *herilis*, etc. Quibus adde *exilis*, *subtilis*: item mensium nomina, *Aprilis*, *Quinctilis*, *Sextilis*. * Excipe *humilis*, *parilis*, et, cujus incerta origo est, *similis*. † Caeterum omnia in atilis, sive a verbis, sive a nominibus deducta, penultima correpta efferuntur: ut, *plicatilis*, *versatilis*, *volatilis*, *fluviatilis*, *sexatilis*, *umbratilis*.

VI. Adjectiva in inus, a rebus animatis descendentia, et possessionem significantia: item distributiva numeralia, propria et gentilia, penultimam producunt: ut, *Agninus*, *caninus*, *leporinus*; *binus*, *trinus*, *quinus*; *Albinus*, *Cratinus*, *Justinus*; *Alexandrinus*, *Latinus*, *Venusinus*, etc. Huc adde adjectiva quaedam animales actiones proxime respicientia: ut, *adulterinus*, *festinus*, *gelasinus*, *genuinus*, *libertinus*, *mediastinus*, *opinus* et *inopinus*, *paupertinus*, *peregrinus*, *supinus*: item adjectiva loci: ut, *collinus*, *marinus*, *vicinus*: Et a nominibus tempus significantibus deducta: ut, *matutinus*, *vespertinus*: ac postremo haec pauca quae sub certam classem redigi vix queant, *Austrinus*, *Caurinus*, *cisterninus*, *clandestinus*, *repentinus*.

VII. Adjectiva in inus a rebus inanimatis, i. e. plantis, arboribus, lapidibus et aliis materiam fere significantibus; item ab adverbiis temporis, aut a substantivis quatuor anni tempestates notantibus, derivata, penultimam corripiunt: ut, *Amaracinus*, *crocinus*, *hyacinthinus*; *cedrinus*, *faginus*, *oleaginus*; *adamantinus*, *amethystinus*, *smaragdinus*; *corallinus*, *cristallinus*, *murrhinus*; *crastinus*, *diutinus*, *perendinus*, *pristinus*, *serotinus*; *Earinus*, *uporinus*, *chimerinus*, *therinus*; item *annotinus*, *hornotinus*. Quibus adde *bombycinus*, *elephantinus*, in quibus non animalia ipsa, sed materia serica et eburnea proxime respici videntur.

VIII. Diminutiva in olus, ola, olum, et ulus, ula, ulum, penultimam semper corripiunt: ut, *urceolus*, *filiola*, *musaeolum*; *lectulus*, *ratiuncula*, *corculum*.

IX. Adverbia in tim penultimam producunt: ut, *oppidatim*, *dietim*, *viritim*, *tributim*. † Excipe tamen *affatim* et *perpetim*; item *statim*, quod a sequioris aevi Poëtis male producitur.

X. Denominativa Latina aceus, aneus, arius, aticus, orius: item verbalia in abilis; et in atilis undecunque derivata, ante-

Digitized by Google

penultimam producunt: ut, *cretaceus*, *testaceus*; *momentaneus*, *subitaneus*; *cibarius*, *herbarius*; *aquaticus*, *fonticus*; *censorius*, *messorius*; *amabilis*, *revocabilis*; *pluviatilis*, *plicatilis*, etc.

XI. Adjectiva in icus, qui a nominibus veniunt, *i* antepenultimae corripiunt: ut, *gentilicius*, *patricius*, *tribunicius*. [Excipe *novicius* seu *novitius*.] At quae a supinis vel participiis descendunt, *i* antepenultimae producunt: ut, *advecticius*, *commendaticius*, *suppositicius*, etc.

XII. Verba desiderativa in urio antepenultimam (quae in secunda et tertia persona penultima est) corripiunt: ut, *esurio*, *esuris*, *esurit*; *parturio*, *parturis*, *parturit*. Alia in urio eam syllabam producunt. *ligurio*, *liguris*; *scaturio*, *scaturis*.

XIII. in vocibus peregrinis, *i. e.* Hebraeicis, Syriacis, Scoticis, Gallicis, etc. primae et mediae syllabae plerunque ancipites sunt, nisi in regulas generales impingatur: ut in, *Amen*, *Abel*, *Alleluja*, *David*, *Dromondus*, *Vatsonus*, *Turnebus*.

Quarum primarum vel mediarum syllabarum quantitas sub praedictas regulas non cadit, ea a Poëtarum usu, exemplo et auctoritate petenda est, certissima omnium regula.

De ultimis syllabis.

A *in fine.*

44. Casibus A flexum brevia. Sed protrahe sextum,
Et quintum, Graeco quando hic de nomine in as fit.
Casibus haud flexum produc. *Ita*, cum *quia*, et *eja*.
Et *puta* non verbum subduxeris, *halle*que*luja*.
Curta quoque interdum, *contra*, *ultra*, et *ginta* creata.

I. A finalis in vocibus per casus declinatis corripitur: ut, *Musa*, *templa*, *Tydea*, *lampada*.

Exc. 1. Ablativus primae in A longus est, ut, *hāc*, *Musā*, *hoc Aeneā*.

Exc. 2. Vocativus etiam a nominibus Graecis in *as* producitur: ut, *Aenea*, *o Palla*, a nominativis, *Aeneas*,

II. A finalis in vocibus non declinatis per casus, i. e. in verbis et particulis: ut, *ama*, *frustra*, *praeterea*, *ergà*, *intrà*.

Exd. 1. Hae particulae, *ita*, *quia*, *eja*, et *puta*, adverbialiter positum, ultimam corripiunt; quorum exemplo Sidonius, *hallelujah*, ultima brevi extulit.

Exc. 2. Praepositones *contra* et *ultra*, ut et numeralia in *ginta* correpta interdum reperiuntur: at meliores scriptores ea producunt.

E *in fine.*

45. E brevia. Primae produc, et nomina quintae
Cum natis, Addes pluralia cuncta: secundae

Digitized by Google

cians. *Monosyllaba, demptis Encli-*
quoque longa repones.
flexus quaecunque secundi
ique gradus *adverbia quaevis.*
le corripies, *inferne, superne.*
que *fere* jungantur, et *ohe.*
sunt: ut, *nate, eubile, patre, curre,*

ur omnia primae et quintae decli-
, *Anchise, fide;* item, *fame,* quia olim
, *die,* et adverbia ab iis composita,
postridie, quotidie.
ina singulari carentia: ut, *certe, male.*

rativi singulares secundae conjugatio-
† Sed *cave, vale* et *vide,* inveniuntur
pta.
ba etiam longa sunt: ut, *me, te, se.*
conjunctiones encliticae, *que, ne, ve:*
iones, *pte, ce, te,* ut, *suapte: hujusce,*

terea sunt adverbia a nominibus se-
manantia: ut, *placide, pulchre, valde,*
tem omnia adverbia superlativi gradus:
ime, clementissime. † At *bene, male,*
nam habent correptam.
ique sunt, *ferme, fere,* et *ohe.*

I *in fine.*

Vocitantem corripe Graecis.
ius dabitur crescentibus anceps.
tibi, cum *sibi;* sed mage curtis
cui, nisi, mox *ubi,* cum *quasi,* jungi.
, cum *necubi, sicubi* vates.
ga: ut, *domini, Mercurii, patri, fra-*
eri, audi, heri.
tur vocativi Graeci: ut, *Alexi, Ama-*

eci crescentes tertiae declinationis va-
i Catullus, in *Palladi* Statius ultimam
autem idem Catullus, in *Paridi* et *Tyn-*
ducunt.
etiam sunt *mihi, tibi, sibi.* Item, *ibi.*

Digitized by Google

cui, dissyllabum, *nisi*, *ubi*, et *quasi*: quae multo tamen frequentius corripiuntur.

Not. *Sicuti*, *necubi* et *sicubi*, semper correpta leguntur.

O *in fine.*

47. O commune loces. Dabis at monosyllaba longis,
Graecaque ceu *Dido*, ternum sextumque secundae,
Et patrium Graecum, atque adverbia nomine nata,
Quo jungens et *eo*: Variant at *denuo*, *sero*,
Mutuo, *postremo*, *vero*: *modo* sed breve pones.
Saepius *ambo*, *duo*, *scio* corripe, et *illico* et *imo*,
Et *cedo* da signans, *ego*, queis *homo*, cum *cito*, junge.
Sunt aliis variata Gerundia, longa Maroni.
Ergo pro causa produc; secus editur anceps.

O in fine commune est: ut, *leo*, *virgo amo*, *disco*, *quando*.

Exc. 1. Monosyllaba longa sunt: ut, *O*, *do*, *sto*, *pro*.

Exc. 2. Graeca feminina in O exeuntia itidem sunt longa: ut, *Dido*, *Sappho*.

Exc. 3 Item dativi et ablativi secundae declinationis: ut, *Domino*, *Deo*.

Exc. 4. Item genitivi Graeci a nominibus Atticae dialecti in ως; ut, *Androgeo*, *Atho*.

Exc. 5. Producuntur denique adverbia a nominibus orta: ut, *certo*, *crebro*, *falso*, *merito*, *paulo*, etc. item, *quo*, *eo*, et eorum composita, *quovis*, *quocunque*, *adeo*, *ideo*. Quibus adde *illo*, *idcirco*, *citro*, *retro*, *ultro*.

†At haec adverbia, *denuo*, *sero*, *mutuo*, *postremo*, *vero*, saepius quidem producuntur, interdum correpta reperiuntur. **Modo*, cum compositis, *quomodo*, *dummodo*, *postmodo*, brevia sunt.

Exc. 6. Rectius etiam corripiuntur, *ambo*, *duo*, *scio*, *nescio*, *illico*, *imo*, *cedo*, *pro dic* vel *da*, *ego*, *homo* et *cito*.

Exc. 7. Gerundia in do Virgilius semper producit: sed alii nonnunquam corripiunt: ut, *faciendo*, *vigilando*.

Exc. 8. *Ergo* pro *causa longum est*, pro *igitur* anceps.

U *et* Y *in fine.*

48. U semper longis, sed Y raptis jungere oportet.

1. In U finita longa sunt: ut, *vultu*, *cornu*, *Panthu*, *dictu*, *diu*.

2. In Y brevia sunt: ut, *Moly*, *Tiphy*.

Digitized by Google

B *in fine.*

49. Corripe B Latinum: peregrinum at tendere malim.

B in fine breve est: ut, *ab*, *ob*, *sub*.

Exc. Barbara rectius producuntur: ut, *Job*, *Jacob*, *Aminadab*.

C *in fine.*

50. C produc, praeter *nec*, *donec*: sed variabis
Hic bene pronomen: *fac* verbum jungimus isti.

In C longa sunt: ut, *ac*, *sic*, *illuc*.

Exc. 1. *Nec* et *donec* corripiuntur.

Exc. 2. *Hic* pronomen variatur: ut, et verbum *fac*, nisi pro correpto *face* legendum.

D *in fine.*

51. D breve ponatur. Variare et Barbara possis.

D finale breve est: ut, *ad*, *apud*, *quid*, *illud*, *sed*.

Exc. Barbara variari possunt: ut, *Benadad*, *David*, *Bogud*.

L *in fine.*

52. L breve sit. Cum *sol*, *sal*, *nil*, tolluntur Hebraea.

L in fine corripitur: ut, *tribunal*, *fel*, *vigil*, *pol*, *consul*, *procul*.

Exc. *Sol*, *sal* et *nil* producuntur: item plerumque nomina Hebraica: ut, *Nabal*, *Daniel*, *Saül*.

M *in fine.*

53. M nunc vocalis perimit: rapuere vetusti.

M in fine priscis temporibus corripiebatur, neque a sequente vocali, ut, jam fit, elidebatur: ut, Ennius.

Insignita fere cum millia millium octo.

Quod in compositione remansit: ut, *circumeo*, *circumago*.

N *in fine.*

54. N produc. Demas en *enis* dans, quaeque priore
Graeca per on casus numero tenuere secundae;
Et quartum casum, si sit brevis ultima recti.
Sin quoque pluralis ternae conjunge Pelasgum:
Forsitan, *in*, *forsan*, *tamen*, *an*, *viden'* insuper addens.

N finale producitur: ut, *en*, *splen*, *quin*, *sin*, *non*. Sic in nominibus Graecis masculinis et femininis: ut, in *Titan*, *Siren*, *Salamin*, *Phorcyn*: item in *Actaeon*, *Lacedae-*

Digitized by Google

mon, et similibus quae per ω scribuntur: item in accusativis Graecis primae, a nominativis in as, es, et e longis venientibus: ut, *Aenean*, *Anchisen*, *Calliopen*. Denique in genitivis pluralibus: ut, *Cimmerion*, *epigrammaton*.

Exc. 1. Nomina in en habentia ιος in genitivo corripiuntur: ut, *carmen*, *crimen*, *numen*.

Exc. 2. Item nomina in ον singularis numeri, quae Graecis pro ο parvum scribuntur, et Latinis sunt secundae declinationis; ut, *Ilion*, *erotion*, *Pylon*.

Exc. 3. Item accusativi Graeci nominum quorum nominativus et brevis: ut, *Majan*, *Aeginan*, *Orpheon*, *Alexin*, *Ibin*, *chelin*, *Ityn*. Et dativi plurales Graeci in sin: ut, *Arcasin*, *Troasin*.

Exc. 4. Denique et hae voces particulares, *an*, *in*, *foreah*, *forsitan*, *tamen*, *attamen*, *viden'*.

Not. 1. Vulgo addunt *dein*, *proin*, *exin*, pro *deinde*, *proinde*, *exinde*, per Apocopen syllabae *de*, dicta. At de his nulla satis proba adfertur auctoritas.

Not. 2. Ut *viden'*, ita cetera, quae particulam *n* per Apocopen mutilatam habent, corripi etiam volunt: ut, *scin'*, *audin'*, *nostin'*, *nemon'*, etc. At de plerisque res incerta videtur. *Nostin'* quidem (si recte se habent recentiores editiones) corripit Ovidius in Epist. Medeae: at *nemon'* Horatius bis producit. Reliquis in carmine (nisi cum sequitur consonans) potius abstineri puto.

R *in fine*.

55. R brevis. Produc cuius dat patrius *eris*:
Addito *Iber*, *aër*, *aether*. Sit *Celtiber* anceps.
At *par*, *far*, *lar*, *Nar*, quoque *cur*, *fur*, adjice longis.

In R terminata corripiuntur: ut, *calcar*, *Hamilcar*, *imber*, *pater*, *vir*, *cor*, *Hector*, *turtur*, *martyr*; *precor*, *mittier*, *semper*, *praeter*.

Exc. 1. Graeca, et si quae alia sunt, quae genitivum faciunt *eris* penultima longa, producuntur: ut, *crater*, *stater*, *ver*, *Ricimer*, *-eris*. Item, *Iber*, quod *eri* in secunda, vel *eris* in tertia, penultima producta, habet: Et *aër*, *aether*, quae genitivi penultimam corripiunt. † *Celtiber*, tamen, ab *Iber*, compositum, anceps invenitur.

Exc. 2. Producuntur etiam haec monosyllaba; *par*, cum compositis, *compar*, *dispar*, *impar*, *far*, *lar*, *Nar*, *cur* et *fur*.

AS *in fine*.

56. AS produc. Patrio sed *adis* quod flectit *anas*que,
Sit breve: plurales tertiae quibus addito quartos.

Digitized by Google

In AS finientia longa sunt: ut, *mas*, *vas*, *Thomas*, *pietas*, *gigas*, *mensas*, *amas*, *legas*, *foras*.

Exc. 1. Graeca, quorum genitivus exit in *adis*, brevia sunt: ut, *Arcas*, *lampas*, *Ilias*, *-adis*. Quibus adde latinum *anas*, *anatis*.

Exc. 2. Item accusativi plurales Graeci tertiae declinationis: ut, *crateras*, *Cyclopas*, *heroas*, *Troas*.

ES *in fine*.

57. Ponitur es longum. Pluralia corripe Graeca
Quae crescunt; velut *es* de *sum*: *penes* additur illi;
Cum neutris; et queis patrii penultima curta est:
Ternae. Tolle *Ceres*, *paries*, *aries*, *abies*, *pes*.

ES in fine longum est: ut, *Alcides*, *Circes*, *quies*, *sermones*, *res*, *ames*, *doces*, *leges*, *audies*, *oties*.

Exc. 1. Nominativi et vocativi plurales nominum Graecorum in singulari crescentium corripiuntur: ut, *Amazones*, *Arcades*, *Delphines*, *Naiades*, *gryphes*, *Phryges*, etc.

Exc. 2. Corripitur etiam *es* a sum, cum compositis, *abes*, *ades*, *potes*, etc. item praepositio *penes*.

Exc. 3. Item neutra in es Graeca: ut, *cacoëthes*, *hippomanes*, etc.

Exc. Denique et Latina in es tertiae declinationis, in quibus genitivi crescentis penultima corripitur: ut, *ales*, *hebes*, *obses*, etc.

† Ex his tamen producuntur, *Ceres*, *paries*, *aries*, *abies*, et *pes*, cum compositis, *bipes*, *tripes*, *alipes*, *sonipes*.

IS *in fine*.

58. IS brevio. Verum plurales protraho casus;
ISque quod in patrio mutatur in *itis* et *inis*,
Aut *entis*; *gratis*que *foris*, *glis*, *vis* quoque nomen
Seu verbum fuerit: sicut et persona secunda
Protrahit IS, quoties *itis* plurale reponit.
In subjectivi *ris* est commune futuro.

IS in fine corripitur: ut, *turris*, *Jovis*, *militis*, *adspicis*, *creditis*, *magis*, *cis*.

Exc. 1. Omnes casus plurales in IS producuntur: ut, *pennis*, *armis*, *nobis*, *vobis*; *omnis*, *urbis*, pro *omnes*, *urbes*.

Exc. 2. Nominativus in IS longus est, quando genitivus exit in *itis*, *inis* aut *entis*: ut, *lis*, *Samnis*, *Salamis*, *Simois*.

Digitized by Google

Exc. 3. Longa itidem sunt adverbia *gratis* et *foris*; ut et, *glis*, nomen, et *vis*, tam nomen quam verbum.

Exc. 4. Longa denique sunt secundae personae singulares quando eaedem personae plurales exeunt in *itis* penultima longa: ut, *audis*, *nescis*, *abis*, *possis*.

Exc. 5. *Ris* in futuro subjectivi variatur: ut, *dixeris* ultima brevi,

HOR. *Dixeris egregie, notum si callida verbum*
Reddiderit junctura novum. ——

dederis ultima longa.

OVID. *Da mihi te placidum, dederis in carmine vires.*

Nisi hoc posterius caesurae (de qua postea) sit tribuendum.

OS *in fine.*

59. OS produc. Patrius brevis est, et *compos* et *impos*,
*Os*que *ossis* praebens. Rectos breviato secundae
(*O* nisi det patrius:) neutra his dein addito Graium.

OS finale longum est: ut, *flos*, *nepos*, *honos*, *custos*, *heros*, *Minos*, *viros*, *bonos*, *nos*.

Exc. Genitivus Graecus in OS breviatur: ut, *Arcados*, *Tethyos*, *Tereos*.

Exc. 2. Brevia etiam sunt *compos*, *impos*, et *os*, *ossis*, cum composito *exos*.

Exc. 3. Breves itidem sunt nominativi et vocativi Graeci in OS secundae declinationis: ut, *Claros*, *Tenedos*, *Lesbos*, *Atropos*.

† At quae juxta dialectum Atticam genitivum faciunt in *o*, producuntur: ut, *Androgeos*, *Nicoleos*.

Exc. 4. Neutra denique Graeca brevia sunt: ut, *chaos*, *melos*, *epos*.

US *in fine.*

60. US correpta datur. Monosyllaba cum genitivis
Ternae vel quartae produc: numerique secundi
In quarta primum, quartum, quintumque; et in *uris*,
Dumve in *utis* patrius, vel in *udis*, et *untis*, *odis*ve est;
Aut quintus fit in *u*; longus tum rectus habetur.
Ergo produces venerabile nomen IESUS.

US in fine corripitur: ut, *annus*, *bonus*, *tempus*, *vetus*, *impetus*, *tuus*, *illius*, *fontibus*, *sensibus*, *rebus*, *dicimus*, *legimus*, *intus*, *penitus*, *tenus*.

Digitized by Google

Exc. 1. Monosyllaba producuntur: ut, *grus*, *sus*, *thus*, *mus*.

Exc. 2. Item genitivi tertiae declinationis: ut, *Clius*, *Sapphus*, *Mantus*.

Exc. 3. Producuntur etiam genitivi quartae, et, in plurali ejusdem declinationis nominativi, accusativi et vocativi: ut, *fructus*, *manus*.

Exc. 4. Item nomina, quae genitivum faciunt in *uris*, *utis*, *udis*, penultima longa; et in *untis* et *odis*: ut, *tellus*, *virtus*, *incus*, *Amathus*, *tripus*.

Exc. 5. Postremo quae vocativum in *u* finiunt: ut, *Panthus*, *o Panthu*. Sic Irsus, sacrosanctum Redemptoris nostri nomen, *us* producit.

YS *in fine*.

61. YS junges brevibus. *Tethys* reperitur et anceps. Longaque sunt rectis aliter quae casibus y n dant.

In YS finita brevia sunt: ut, *Capys*, *chelys*, *chlamys*.

Exc. 1. *Tethys* interdum ultimam habet longam.

Exc. 2. Quae nominativum aliter in YN formant, longa sunt: ut, *Gortys*, *Phorcys*, *Trachys*.

T *in fine*.

62. T breve semper erit: nisi quondam Syncopa tardet.

T in fine breve est: ut, *caput*, *amat*, *ut*, *et*.

Exc. Nonnunquam propter Syncopen vel Crasin producitur: ut,

Juven. *Magnus civis obit, et formidatus Othoni.*

Virg. *tum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque.*

ubi *obit* et *it* praeterita sunt, pro *abiit*, *iit*.

Not. In priore exemplo syllabae productio etiam caesurae imputari potest.

De ultima *versus* Syllaba.

Digitized by Google

Et contra, pro brevi poni potest longa: ut in hoc Sapphico Horatii,

Crescit occulto velut arbor aevo,

ultima enim pes Trochaeus est, qui constat ex longa et brevi.

CAP. II.

DE SYLLABARUM ACCENTU.

ACCENTUS est pronunciandi ratio, qua Syllaba vel attollitur vel deprimitur. Is alio ac proprio magis nomine Tonus appellatur.

Toni sive Accentus sunt tres, *Acutus*, *Gravis*, et *Circumflexus*.

Acutus est, qui syllabam acuit, seu attollit: ac notatur lineola obliqua a sinistra in dextram descendente, hoc modo [´]: ut, *dóminus*.

Gravis est qui syllabam gravat, seu deprimit; ac signatur lineola obliqua a sinistra in dextram ascendente, hoc modo [`]: at, *doctè*.

Circumflexus est qui syllabam partim attollit, partim deprimit, cum longiore mora eam pronuncians. Signum ejus ex superiorum notis conflatur, hoc modo [ˆ]: ut, *amâre*.

Accentuum regulae.

I. Monosyllaba vox natura longa circumflectitur: ut *flôs*, *spês*, *â*, *ê*. At si brevis, aut positione tantum longa sit, acuitur: ut, *vír*, *páx*, *méns*.

II. In dissyllabis posterior semper gravatur. Prior autem, si natura fuerit longa, et brevis sequatur, circumflectitur: ut, *Rôma*, *flôris*. Alias acuitur: ut, *hómo*, *pârens*, *insons*.

III. In polysyllabis, si penultima longa sit, et ultima brevis, circumflectitur penultima: ut, *Românus*, *Imperâtor*, *Justiniânus*. Si utraque, penultima atque ultima, longae fiunt, prior acuitur: ut, *paréntes*, *amavérunt*, *rhinocerôtes*. Si penultima brevis sit, acuitur antepenultima: ut, *dóminus*, *Virgílius Constantinópolis*. Caeterae omnes syllabae in polysyllabis gravantur.

Excipe a praecedentibus regulis voces encliticas, *que*, *ve*, *ne*, quae accentum suum in ultimam syllabam vocum quibus connectuntur, rejiciunt: ut, *ámat*, *amátque*, *amát-*

Digitized by Google

ve, *amátne*. Sic Virg. *Lacrimánsque*, *geménsque*. Id. *Hycranísve*, *Arabísve*. Ovid. *Culpétne*, *probétne*.

Not. Accentus nota nusquam fere, nisi differentiae causa apponi solet. Sic adverbia, *aliquò*, *continuò*, *palàm*, *doctè*, *unà*, et similia, notantur ultima gravi: ablativi primae: ut, *poëtâ*, *gloriâ*, et genitivi quartae: ut, *fructûs*, *tumultûs*: item, *nostrûm* et *vestrûm* a rectis *nos* et *vos*, et *ergô* pro *causa*, ultima circumflexa scribuntur. Quidam et Syncopen vel Synaeresin passa circumflectunt: ut, *amásse flésti*, *damnâritis*, *dîs*, *dérunt*. In cujusmodi vocibus interdum id fit, discriminis causa: ut, in nominativo *nostrâs*, pro quo olim *nostratis* dixerunt. Eadem ratio et genitivorum in *i* per Apocopen mutilatorum: ut, Hor. *Pompilî regnum*, *Tarquinî fasces*; pro *Pompilii*, *Tarquinii*.

CAP. III.

DE ARTE METRICA.

ARS METRICA est metrorum seu versuum fabricandorum et mensurandorum notitia. Undè et alio nomine Versificatoria dicitur.

Versus est legitima pedum compositio, certo numero modoque definita. Ita dicitur, quod eo constituto ad alterius principium vertamur.

Pes est numerosa duarum pluriumve syllabarum definitae quantitatis constitutio.

De pedibus.

Pedes usitatiores his versibus continentur.

1. *Pyrrhichius* geminis brevibus velociter instat.
Spondeus longis voluit constare duabus.
Syllaba longa brevi subjecta vocatur *Iambus*.
Quod si longa brevem praecesserit, esto *Trochaeus*.
Dactylus efficitur longa brevibusque duabus.
At geminis fertur brevibus longaque *Anapaestus*.
Tres breviat *Tribrachys*, totidem longatque *Molossus*.
Amphibrachy longam mediam brevis ambit utrinque.
*Amphimacro*que brevem longa hinc circumdat et illinc.

Digitized by Google

Bacchius curtâ gaudet longisque duabus.
*Anti*que*bacchius* pes huic contrarius esto,
In quo subjicitur binis brevis unica longis.
Vult *Procleusmaticus* brevibus constare quaternis.
Longa duaeque brèves et longa creant *Choriambum*.
Hoc genus ampla cohors superest; quos, versibus edi
Cum vix rite queant, memorabit sermo solutus.

Pedes vulgo recensentur viginti et octo.
Ex his alii simplices sunt, ut dissyllabi et trisyllabi: alii compositi, ut tetrasyllabi.

Pedes dissyllabi sunt quatuor.

1. *Pyrrhichius* constat ex duobus syllabis brevibus, *vv*: ut, *Deus*,
2. *Spondeus*, ex duabus longis, – –: ut *omnes*.
3. *Iambus*, ex brevi et longa, *v* –: ut, *pios*.
4. *Trochaeus*, qui et *Choreus*, ex longa et brevi, – *v*: ut, *servat*.

Pedes trisyllabi sunt octo.

1. *Dactylus*, ex longa et duabus brevibus, – *vv*: ut, *carmina*.
2. *Anapaestus*, ex duabus brevibus et longa, *vv* –: ut, *animos*.
3. *Tribrachys*, ex tribus brevibus, *vvv*: ut, *Melius*.
4. *Molossus*, ex tribus longis, – – –: ut, *delectant*.
5. *Amphibrachys*, ex brevi, longa et brevi, *v* – *v*: ut, *honore*.
6. *Amphimacer*, seu *Creticus*, ex longa, brevi et longa, – *v* –: *insito*.
7. *Bacchius*, ex brevi et duabus longis, *v* – –: ut, *dolores*.
8. *Antibacchius*, ex duabus longis et brevi, – – *v*: ut, *pelluntur*.

Pedes tetrasyllabi sunt sedecim.

1. *Procleusmaticus*, ex quatuor brevibus, seu duobus Pyrrhichiis, *vvvv*: ut, *hominibus*.

Digitized by Google

6. *Dichoreus*, ex longa, brevi, longa et brevi, seu duobus Trochaeis, $-\upsilon-\upsilon$: ut, *permanere.*
7. *Ionicus a majore*, ex duabus longis et totidem brevibus, sive ex Spondaeo et Pyrrhichio, $--\upsilon\upsilon$: ut, *calcaribus.*
8. *Ionicus a minore*, ex duabus brevibus et totidem longis, sive Pyrrhichio et Spondeo, $\upsilon\upsilon--$: ut, *properabant.*
9. *Epitritus primus*, ex brevi et tribus longis, seu Iambo et spondeo, $\upsilon---$: ut, *voluptates.*
10. *Epitritus secundus*, ex longa, brevi et duabus longis, seu Trochaeo et Spondeo, $-\upsilon--$: ut, *poenitentes.*
11. *Epitritus tertius*, ex duabus longis, brevi et longa, seu Spondeo et Iambo, $--\upsilon-$: ut, *discordias,*
12. *Epitritus quartus*, ex tribus longis et brevi, seu Spondeo et Trochaeo, $---\upsilon$: ut, *fortunatus.*
13. *Paeon primus*, ex longa et tribus brevibus, seu Trochaeo et Pyrrhichio, $-\upsilon\upsilon\upsilon$: ut, *temporibus.*
14. *Paeon secundus*, ex brevi, longa et duabus brevibus, seu Iambo et Pyrrhichio, $\upsilon-\upsilon\upsilon$: ut, *potentia.*
15. *Paeon tertius*, ex duabus brevibus, longa et brevi, seu Pyrrhichio et Trochaeo, $\upsilon\upsilon-\upsilon$: ut, *animatus.*
16. *Paeon quartus*, ex tribus brevibus et longa, seu Pyrrhichio et Iambo, $\upsilon\upsilon\upsilon-$: ut, *celeritas.*

De Versus in genere Constitutione.

In *Versu* generatim tria sunt spectanda, *Caesura*, *Depositio*, et *Dimensio.*

De Caesura.

Caesura est, cum post perfectum pedem superest syllaba vocem finiens. Sic vocatur a *caedendo*, quia sic caeditur sive secatur vox, ut posterior ejus pars sit initium pedis sequentis.

Caesurae species sunt quatuor, *Triemimeris*, *Penthemimeris*, *Hepthemimeris*, et *Ennemimeris:* Latinis, *Semiternaria*, *Semiquinaria*, *Semiseptenaria*, et *Seminovenaria.* Nomen nactae sunt a loco quem possident in versuum dimensione: Veteres enim versus frequenter per semipedes metiebantur. Hoc pacto omnes a voce ἥμισυς, i. e. *dimidius*, contracte ἦμι, unde Lat. *semi*, et μέρος, i. e. *pars*, sunt denominatae. Praefixa autem, pro loco quem quaeque in versu tenet, voce numerali, τρεῖς, *tres*; πέντε, *quinque*; ἑπτά, *septem*; ἐννέα, *novem*; aliae ab aliis distinguuntur.

Triemimeris igitur est, cum post primum pedem, seu duos semipedes, relinquitur syllaba vocem finiens, sive semipes tertius.

Digitized by Google

Penthemimeris est, cum post duos pedes, seu quatuor semipedes, relinquitur syllaba, seu semipes quintus.

Hephthemimeris est, cum post tres pedes, seu sex semipedes, relinquitur syllaba, seu semipes septimus.

Ennemimeris est, cum post quatuor pedes, seu octo semipedes, relinquitur syllaba, seu semipes nonus.

Vel aliter: *Triemimeris* est, quae in tertio semipede, sive in syllaba post primum pedem relicta, consistit. *Penthemimeris*, quae in quinto semipede, sive in syllaba post pedem secundum. *Hephthemimeris*, quae in septimo semipede, seu in syllaba post pedem tertium. *Ennemimeris* denique, quae in nono semipede; seu in syllaba post pedem quartum. Ubi notandum, semipedem, sive dimidium pedis, una syllaba longa, aeque ac duabus brevibus, constitui: quoniam illa (ut alibi diximus) his tempore seu quantitate aequalis est.

Tres priores *Caesurae* concurrunt in hoc versu Virgilii,

Silvestrem tenui Musam meditaris avena.

Universae autem in isto,

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

Harum caesurarum duplex est effectus:

1. Versui conciliant gratiam et suavitatem, dum voces inter se apte connectunt.

2. Syllabam natura brevem saepe producunt, in primis post pedem secundum et tertium.

Post primum: ut, Virg.

Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

Post secundum: ut. Id.

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori.

Post tertium: ut, Id.

Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto.

Post quartum: ut, Id.

Graius homo infectos linquens profugus hymenaeos.

De Depositione.

Depositio (quae et Clausula dicitur) est dimensionis terminatio, ex qua versus abundantia, plenitudo aut defectus cognoscitur.

Ratione igitur depositionis, versus est vel *Acatalecticus*, vel *Catalecticus*, vel *Brachycatalecticus*, vel *Hypercatalecticus*.

1. Acatalecticus est, cui nihil aut deest aut superest in dimensione, sive cui justa et plena est pedum requisitorum mensura: ut in hoc Iambico dimetro:

Digitized by Google

Musae Jovis sunt filiae.

2. Catalecticus est, cui deest in fine syllaba: ut,

Musae Jovem canebant.

3. Brachycatalecticus est, cui totus pes in fine deest: ut,

Musae Jovis gnatae.

4. Hypercatalecticus est, cui una vel duae syllabae supra justam mensuram redundant: ut,

Musae sorores sunt Minervae. Item,
Musae sorores Palladis lugent.

Hic etiam Hypermeter dicitur, de quo postea.

De Dimensione.

Dimensio (quae vulgo Scansio appellatur) est versus in suos pedes distinctio.

Ea autem duobus modis fit: vel *per* Monopodiam, cum singuli pedes separatim sumuntur, ut in hexametris et pentametris: vel *per* Dipodiam, cum bini pedes in dimensione conjunguntur, ut Graeci in Iambicis et Trochaicis facere solent; quemadmodum infra dicetur.

In versibus scandendis observandae sunt hae sex Figurae, *Synaloepha, Ecthlipsis; Synaeresis, Diaeresis; Systole* et *Diastole.*

De Synaloepha et Ecthlipsi.

2. Vocalem *Synaloepha*, *Ecthlipsis* et *m* quoque tollit,
Altera cum vocî est vocalis prima sequenti.

Synaloepha.

Synaloepha est, cum vocalis vel diphthongus in fine vocis alicujus, propter vocalem vel diphthongum a qua vox sequens incipit, dimetiendo absorbetur sive eliditur, ut in his Virg.

Terra antiqua potens armis atque ubere glebae.
Quidve moror, si omnes uno ordine habetis Achivos.
Dardanidas infensi poenas cum sanguine poscunt.

In quibus, *terra*, *atque*, *si*, *uno*, *ordine*, ultimam vocalem, *Dardanidas*, ultimam diphthongum, propter vocales sequentium vocum initiales (*h* enim pro nulla censetur) inter scandendum amittunt; hoc modo:

Terr' antiqua potens armis atqu' ubere glebae.
Quidve moror s' omnes un' ordin' habetis Achivos.
Dardanid' infensi poenas cum sanguine poscunt.

Not. 1. Synaloepha interdum negligitur: Et, 1. quidem

Digitized by Google

regulariter: ut in Interjectionibus, *ō*, *heu*, *ah*, *proh*, *vae*, *vah*, *hei*: ut,

O pater, ō hominum Divûmque aeterna potestas! Virg.
Heu! ubi pacta fides? ubi quae jurare solebas? Ovid.
Ah! ego non possum tanta videre mala. Tibull.

Quod etiam observare licet in *Iō*, apud Ovid.

Et bis Iō Arethusa, Iō Arethusa vocavit.

O autem interdum corripitur: ut, Virg.

Te Corydon, ō Alexi: trahit sua quemque voluptas.

2. Per licentiam: ut in his Virgilii,

Et succus pecori, et lac subducitur agnis.
Posthabitâ coluisse Samo: hic illius arma.
Stant et juniperi et castaneae hirsutae.

Hic, qui Latinis Hiatus, Graeco nomine Dialoephe, dicitur, haud temere in versu admittendus est. Rarissime autem fit, si vocalis praecedens sit brevis, ut in hoc ejusd.

Et vera incessu patuit Dea. Ille ubi matrem.

Not. 2. Vocales longae et diphthongi, quando non eliduntur, fiunt communes.

Breves redduntur: ut in his Virgilii,

Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto.

Longae manent, ut in istis ejusdem;

Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur.
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Lamentis gemituque et foemineo ululatu.

Interdum eodem in versu et brevis et longae occurrit exemplum: ut, Id.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam. Et,
Glauco, et Ponopeae, et Inoo Milicertae.

Ecthlipsis.

Ecthlipsis est, cum *M* finale cum praecedente vocali eliditur, propter sequentem vocalem: ut,

Leniter ex merito quicquid patiare ferendum est. Ovid.
O curas hominum! ō quantum est in rebus inane! Pers.

Ubi *ferendum*, *hominum*, *quantum*, *m* cum praevia vocali, propter vocales in vocum sequentium initiis consistentes, deperdunt, hoc modo:

Leniter ex merito quicquid patiare ferend' est.
O curas homin'! ō quant' est in rebus inane!

Digitized by Google

Not. 1. Prisci *M* literam cum vocali interdum servabant: ut,

Corporum officium est quopiam premere omnia deorsum, Lucr.

Not. 2. Olim etiam per Ecthlipsin elidebatur *S*: ut,

Vicimus, ô socii, et magnam pugnavimu' pugnam. Enn.
Tum laterali' dolor, certissimu' nunciu' mortis. Lucil.

Not. 3. Utraque et Synaloepha et Ecthlipsis etiam invenitur in extrema versus syllaba; ubi elisio fit a vocali versus sequentis: ut,

Sternitur infelix alieno vulnere, caelumque
Adspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos. Virg. Et,
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant. Id.

Tales versus ideo hypermetri dicuntur, quod post legitimum pedum numerum restet syllaba, ad principium sequentis versus deferenda, hoc modo, *qu' Adspicit*, et *r' Ardua*.

Aliae de Synaloepha et Ecthlipsi observationes.

1. Mollius incidunt hae Figurae in syllabam longam: ut,

Tum quoque nil fecit, nisi quod facere ipse cŏvgi. Ovid.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi. Virg.

Sed durius longa incidit in brevem: ut in hoc Catulli;

Troja, nefas! commune sepulchrum Europae Asiaeque.

2. Synaloepha suavitatem habet singularem, si in eadem vocali fiat: ut,

Ille ego qui quondam gracili modulatus avena. Virg.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu. Id.

3. Cavendum, ne quod ex collisione resultat, horridius atque asperius sonet: ut,

Quis me uno vivit felicior, aut magis est me. Catull.
Quod quum ita sit, nolim statuas me mente maligna. Id.

4. Nec crebrae debent esse elisiones, nec temere plures quam duae in uno versu, praecipue Elegiaco: quod genus laudatur, cum molliter in aures influit. Uti contra Heroico plures Synaloephae gravitatem interdum ac majestatem conciliant: imo gratiam alicubi et suavitatem: ut in hoc Virg.

Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit.

At horrorem contra incutit: ut cum idem de Polyphemo ait,

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Et alibi,

Tela inter media, atque hortentes Marte Latinos.

5. Nec temere initio versus facienda elisio: ut, Hor.

Nam ut ferula caedas meritum majora subire.

Digitized by Google

Quanquam Virgilius non sine ratione ac venustate id fecerit: ut,

Si ad vitulam spectes, nihil est quod poctula laudes.

6. Durius quoque elisio fit initio sexti pedis heroici: ut in his,

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus. Juv.
Numquid de Dacis audisti? nil equidem, ut tu. Hor.

7. Item post penthemimerim pentametri; ut in illo Propertii,

Herculis, Antaeique, Hesperidumque comes.

8. Heroicus durius fere elisionem patitur extremo quinti pedis: ut in hoc Catulli.

Difficile est longum subito deponere amorem.

9. Item postremo dactylo pentametri, nisi id magno cum judicio fiat: ut in hoc Ovid.

Quadrijugos cernes saepe resistere equos.

De Synaeresi et Diaeresi.

3. Syllaba de binis conflata *Synaeresis* esto.
Distrahit in geminas resoluta *Diaeresis* unam.

Synaeresis.

Synaeresis est duarum syllabarum ejusdem vocis in unam contractio.

Ejus species sunt duae, *Synaeresis* proprie dicta, et *Synecphonesis*.

Synaeresis *proprie dicta* est, in qua duae vocales manentes in diphthongum coalescunt, ex gr. *aë* in *ae*: ut, *Phaethon* pro *Phaëthon*; *eï* in *ei*, ut in genitivis, *Thesei, Orphei, Persei*, dissyllabis, *Achillei, Ulyssei, Oilei*, trisyllabis. Sic *oi* in *proinde* dissyllabo: *ui* in *huic, cui*, monosyllabis, etc.

Cum te flagrasti dejectum fulmine Phaethon. Varro.
Motus amor Phaedrae, nota est injuria Thesei. Ovid.
Proinde tona eloquio, solitum tibi. ——— Virg.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi. Id.

Synecphonesis (alio nomine Episynaloephe, et Synizesis) est, cum ex duabus in eadem voce vocalibus altera pronunciando absorbetur seu eliditur: ut in *aurea, Junio*, dissyllabis: *quoad*, monosyllabo.

Aurea percussum virga, versumque venenis. Virg.
Nos miranda quidem, sed nuper Consule Junio. Juv.
Haeredes voluit: quoad vixit, credidit ingens. Hor.

Praecipue autem per *Synecphonesin* elidi solent *E* et *I*.

I Et *E* quidem (1.) Ante *a*: ut in *mea, ea*, monosyllabis, apud Comicos; *antehac: eadem*, dissyllabis; *anteambulo, alvearia*, tetrasyllabis.

Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credas. Lucr.
Una eademque via sanguisque animusque feruntur. Virg.

Digitized by Google

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo Regis. Mart.
Seu lento fuerint alvearia vimine texta. Virg.

(2.) Ante aliud *e*: ut in *deest* monosyllabo, *deero*, *deerit*, *prehendo*, *vehemens*, dissyllabis.

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest. Hor.
Divitis uber agri, Troiaeve opulentia deerit. Virg.
Prendere quae possis oculorum lumine aperto. Lucr.
Vehemens et liquidus puroque simillimus amni. Hor.

(3.) Ante *i*: ut in *dein*, *dehinc*, monosyllabis, *deinde*, *deinceps*, *aureis*, *ferrei*, *anteit*, dissyllabis; *anteire*, *anteactus*, trisyllabis.

Dein clamore pari concurritur, et vice teli. Juv.
Deinde torus junxit, nunc ipsa pericula jungunt. Ovid.
Ferreique Eumenidum thalami, et discordia demens. Virg.
Te semper anteit dira necessitas. Alcaic. Hor.
Ergo anteire metus; juvenemque exstinguere pergit. Flacc.
Nam si grata fuit tibi vita anteacta priorque. Lucr.

(4.) Ante *o*: ut in *meo*, *eo*, monosyllabis, apud Comicos; *eodem*, *eosdem*, *alveo*, *seorsum*, *deorsum*, dissyllabis; *Euristheo*, *graveolens*, trisyllabis.

Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore. Virg.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos. Prop.
Cum refluit campis, et jam se condidit alveo. Virg.
Nam per aquae quaecunque cadunt atque aëra deorsum. Lucr.
Et seorsum varios rerum sentire colores. Id.
Rege sub Euristheo, fatis Junonis iniquae. Virg.
Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni. Id.

(5.) Ante *u*: ut in *meus*, *meum*, *eum*, quae rursum Comicis monosyllaba.

II. *I* similiter absorbetur, (1.) Ante *a*: ut in *omnia* dissyllabo, *vindemiator*, *semianimis*, tetrasyllabis.

Bis patriae cecidere manus: quin protinus omnia. Virg.
Vindemiator, et invictus, cui saepe viator. Hor.
Caedit semianimis Rutulorum calcibus arva. Virg.

(2.) Ante *e*: ut in *vietus*, dissyllabo; *semiermis*, trisyllabo.

Quis sudor vietis, et quam malus undique membris. Hor.
Semiermemque manum sternendam objecerat hosti. Sil.

(3.) Ante aliud *i*: ut in *dii*, *diis*, *ii*, *iis*, monosyllabis; *iidem*, *iisdem*, dissyllabis; *denariis*, trisyllabo.

Di meliora velint; quamquam non ista precanda. Ovid.
Praecipitatur aquis, et aquis nox surgit ab isdem. Id.
Denariis tamen hoc non emo, Basse, tribus. Mart.

(4.) Ante *o*: ut im *semihomo*, *fluviorum*, trisyllabis.

Semihominis Caci facies quam dira tenebat. Virg.
Fluviorum Rex Eridanus, camposque per omnes. Id.

(5.) Ante *u*: ut in *totius*, dissyllabo; *promontorium*, tetrasyllabo.

Magnanimosque duces, totiusque ex ordine gentis. Virg.
Inde legit Capreas, promontoriumque Minervae. Ovid.

III. *O* interdum ante aliud *o* obsorptum invenitur: ut in, *cohaereto*, trisyllabo, ap. Attium; *cooluerint*, *cooperiunt*, tetrasyllabis, ap. Lucr. ii. 1060. et vi. 490.

IV. *U* ante alias vocales nonnunquam eliditur: ut in *tua*, *sua*, *tuo*, *suo*, *duae*, monosyllabis apud Comicos; *suapte*, *patrui*, dissylla-

Digitized by Google

bis; *duellica*, trisyllabo. Quanquam in his *u* eodem modo quo in *suadeo*, *suetus*, etc. pronunciandum videatur.

Et simili ratione animalia suapte vagari. Lucr.
Noeturnique canum gemitus, et limina patrui. Stat.
Lanigerae pecudes, et equorum duellica proles.

¶ Ad *Synecphonesin* quoque refertur, cum, vocalibus *i* et *u* in consonantes *jod* et *vau* mutatis, duae syllabae in unam contrahuntur: ut in *genva*, *tenvis*, dissyllabis: *arjetat*, *tenvia*, *adjete*, *pitvita*, trisyllabis; *parjetibus*, *Nasidjenus*, tetrasyllabis; pro *genuà*, *tenuis*, *arietat*, etc.

Propterea quia corpus aquae naturaque tenvis. Lucr.
Genva labant, gelido concrevit frigore sanguis. Virg.
Arjetat in portas, et duros objice postes. Id.
Vellera que ut foliis depectant tenvia Seres. Id.
Aedificant, sectaque intexunt abjete costas. Id.
Praecipue sanus, nisi cum pitvita molesta est. Hor.
Parjetibusque premunt arctis, et quatuor addunt. Virg.
Ut Nasidjeni juvit te coena beati. Hor.

Not. 1. Nonnunquam Synaloepha et Synecphonesis concurrunt: ut, in hoc Virg.

Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris. — Scande, *Un' o-demque tu-lit.*

Not. 2. In his vocibus, *Huic*, *cui*, *Dii*, *iidem*, *iisdem*, *dein*, *deinde*, *proinde*, *deest*, *deeram*, *deesset*, *deero*, *deesse*, *antehambulo*, *anteit*, *antehac*, *semihomo*, *semianimis*, et paucis aliis, syllabarum contractio, quam divisio, apud optimos Poëtas frequentior est.

¶ Differt *Crasis* a *Synaeresi* et *Synecphonesi*, quod haec proprie in carmine, illa etiam in prosa locum habeat.

Diaeresis.

Diaeresis (quae et Dialysis dicitur) est, unius syllabae in duas dissolutio.

Ea tripliciter fit:

I. Cum diphthongus in duas syllabas distrahitur: ut, *aulai*, *aurai*, pro *aulae*, *aurae*; *Orpheüs*, *Perseüs*, *Troïae*, trisyllaba; *Naïadum*, *Harpyïas*, tetrasyllaba.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi. Virg.
Et finitur in Andromeda, quam Perseüs armis. Manil.
Misit infestos Troïae ruinis. Sapphic. Senec.
Aegle Naïadum pulcherrima, jamque videnti. Virg.
Circumsistentes reppulit Harpyïas. Pentam. Rutil.

II. Cum consonantes *jod* et *vau* in vocales *i* et *u* resolvuntur: ut in *silüae*, *solüit*, trisyllabis; pro *silvae*, *solvit*; *subïecta*, tetrasyllabo; pro *subjecta*.

Aurarum et silüae metu. Glycon. Hor.
Quod zonam solüit diu legatam. Phaleuc. Catull.

Digitized by Google

Si qua ferventi subiecta Cancro est. Sapphic. Senec.

Haec figura in Compositis verborum *solvo* et *volvo* in primis frequens: ut,

Stamina non ulli dissolūnda Deo. } Pentam. } Tib.
Debuerant fusos evolūisse suos } Ovid.

III. Cum *u*, quae alioquin post, *g*, *q* et *s* evanescit, a sequente vocali divulsa plene exprimitur: ut in *aquās*, *sūetus*, *sūasit*, *Sūevos*, trisyllabis; *relangūit*, *reliquās*, tetrasyllabis.

Quae calidum faciunt aqūae tactum atque vaporem. Lucr.
Cum mihi non tantum furesque feraeque suetae. Hor.
Atque alios alii inrident, Veneremque sūadent. Lucr.
Fundat ab extremo flavos Aquilone Sūevos. Lucan.
Imposito fratri moribunda relangūit ore. Ovid.
Reliquās tamen esse vias in mente patenteis. Lucr.

De Systole et Diastole.

4. *Systola* praecipitat vocales rite trahendas.
Protrahit huic adversa *Diastola* corripiendas.

Systole.

Systole est syllabae alioquin longae correptio. Sic Poëtae primam nonnunquam in *Orion* corripiunt: ut,

Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion. Virg.

quamvis Graecis Ὠρίων per ω magnum scribatur, ac propterea eam syllabam natura habeat longam: ut,

Saevus ubi Orion hybernis conditur undis. Id.

Eadem ratione videtur Horatius posteriorem in *palus* corripuisse:

Regis opus; sterilisve diu palus, aptaque remis.

Aliis enim omnibus ea syllaba producitur: ut,

Limosoque palus obducat pascua junco, etc. Virg.

Huc refer et cum syllaba positione longa, altera consonante extrita, fit brevis: ut, *obicis* pro *objicis*; *adicit* pro *adjicit*.

Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes. Lucan.
Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus. Mart.

Diastole.

Diastole (quae et Ectasis vocatur) est syllabae alioquin brevis productio: ut, *Priamidis*, *Arabia*, prima longa; *Macedonia*, longa secunda.

Atque hic Priamidis: Nihil o tibi, amice, relictum. Virg.
Et domus intactae te, tremit Arabiae. Propert.
Qui clypeo, galeaque, Macedoniaque sarissa. Ovid.

Digitized by Google

Primam autem in *Priamidis* et *Arabia* natura brevem esse ostendunt eorum primitiva, *Priamus* et *Arabe*, quibus haec syllaba semper corripitur. *Macedonia* quoque, secundam corripere docet *Macedo*, cui semper brevis penultima est.

Huc pertinet et cum syllaba brevis geminatione consonantis fit longa: ut in *relligio*, *relliquiae*, *repperit*, *reppulit*, *rettulit*, et similibus cum *re* compositis; pro, *religio*, *reliquiae*, etc.

Tantum relligio potuit suadere malorum. Lucr.
Troas relliquias Danaum atque immitis Achillei. Virg.
Et res haeredem repperit illa suum, etc. Ovid.

Sic *Porsenna*, *n* geminata: ut,

Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat. Virg.

Aliter enim penultima brevi est: ut,

Cernitur effugiens ardentem Porsena dextram. Sil.

De Systole et Diastole Observationes.

Systoles et *Diastoles* usus, sive debitae syllabarum quantitatis mutatio dupliciter fit: Vel, 1. *necessitate metrica.* Vel, 2. Ex *licentia poëtica.*

I. Necessitate Metrica a recta syllabarum quantitate receditur, cum ejus quo utimur carminis genus vocem non recipit genuina ipsius quantitate retenta. Tum enim, si non suppetat vox, alia aeque elegans aut ad significandum apta, necessitate metri cogimur mutare syllabae quantitatem, potius quam obscura aut frigida circumlocutione uti.

Inter casus autem necessitatis metricae, duo sunt praecipui:

1. Cum plures quam duae breves concurrunt, maxime in hexametro et pentametro; tunc enim ex his aliqua produci potest. Prima: ut in *Arabius*, *Asiacus*, *Italia*, *Philosophus*, *Polydamas*, *Priamides*, *pugilibus*, *Sicelides*, etc. Secunda, ut in *Canicula*, *caniculus*, *cuticula*, *febricula*, *Lemuria*, *Theophilus*, etc. Tertia: ut in *Bonifacius*, *Hilarion*, *Macedonia*, etc.

2. Cum syllaba ex se brevis inter duas longas inclusa, versum ingredi nequit, nisi producatur: ut secunda in *delibutus*, *imbecillus*, *matricida*, *parricida*, *Vaticanus*, etc.

II. Licentia Poetica est, cum a debita syllabae mensura absque necessitate receditur. Huic tribuenda est correptio penultimae genitivorum *unius*, *illius*, et similium: item productio eiusdem syllabae in *tenebrā*, *volucris*, *locuples*. Ut alia usu observanda omittam.

Not. 1. Major haec longe apud Graecos, quam apud Latinos, licentia est.

Not. 2. Summa hic circumspectione et modestia opus, et inventis potius quam *invenientis* (ut monet Servius) utendum.

Digitized by Google

Prosthesis: ut, *eduram* pro *duram*, ap. Virg. Geo. iv. 145.

Epenthesis: ut, *Mavors*, *navita*, *Timolus*, *alituum*; pro, *Mars*, *nauta*, *Tmolus*, *alitum*.

Paragoge: ut, *avellier*, *curarier*, *dicier*, etc. pro, *avelli*, *curari*, *dici*.

Aphaeresis: ut, *tenterant*, pro *tetenderaut*, ap. Senec. Herc. fur. v. 538. Sic *brevist*, *opust*, *similist*, ap. Plautum; pro, *brevis est*, *similis est*, mutilato verbo *est*.

Syncope: ut, *oraclum*, *vinclum*, *calda*, *valdius*, *aspris*, *repostus*, *extinxem*, *surrexe*, etc. pro, *oraculum*, *vinculum*, *calida*, *validius*, *asperis*, *repositus*, *extinxissem*, *surrexisse*.

Apocope: ut, *Antoni*, *Patavi*, *tuguri*; pro, *Antonii*, *Patavii*, *tugurii*, etc.

Antithesis: ut, *olli*, *ollis*; pro, *illi*, *illis*.

Metathesis: ut, *pistris*, pro *pristis*.

¶ His addi possunt *Anastrophe* et *Tmesis*, metri plerumque gratia adhibitae.

Anastrophe: ut, *dare circum*, ap. Virg. Aen. ii. 772. *erit super*, ap. Ovid. Fast. v. 600. *facit are*, ap. Lucr. vi. 698. pro, *circumdare*, *supererit*, *arefacit*. Sic, Virg. *Jovis cum fulmina contra*, etc. Id. *Transtra per et remos*, etc.

Tmesis: ut, Virg. *Quae me cunque vocant terrae*. Id. *Super tibi erunt*. Lucr. *Dum ra non fit tamen apse*; pro, *quaecunque*, *supererunt*, *reapse*. Crebra est eidem Lucretio interpositio copulativae *que*: ut, *conque globata*, *conque gregantur*, *disque-sipatis*, *inque-gravescunt*, *perque-plicatis*, *praeterque-feruntur*, *proque-voluta*, *seque-gregari*, *rereque-facit*, etc.

De carmine, variisque carminum generibus.

Carmen est concinna versuum in unum systema congeries. Differunt igitur *carmen* et *versus*, ut totum et pars. *Carminis* enim appellatio toti poëmati convenit; *Versus* autem sunt partes sive lineae carmen constituentes.

Carminum genera magis usitata, sunt, *Hexametrum*, *Pentametrum*, *Asclepiadeum*, *Glyconium*, *Sapphicum*, *Adonium*; *Phaleucium*, *Pherecratium*, *Iambicum*, *Scazon*, *Anacreonteum*, *Trochaicum*, *Anapaesticum*: quibus addi potest carmen quod *Horatianum* appellatur.

Carmen Hexametrum.

5. Hexametrum carmen pedibus sex constat: eorum
Dactylus est quintus; sextam sibi vult regionem
Spondeus reliquisque locis consistit utervis.
Quinto etiam admisit rerum gravitas Spondeum.

Carmen Hexametrum, sive Heroicum, constat sex pedibus; quorum quintus est Dactylus, sextus Spondeus; quatuor vero priores indiscriminatim sunt vel Dactylus, vel Spondeus: ut,

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtae. Hor.

Digitized by Google

Tu nihil invita dicas faciàsve Minerva. Id.
Intonsi crines longa cervice fluebant. Tibull.

Qui versus sic scaduntur:

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Aut pro-	*desse vo-*	*lunt, aut*	*dele-*	*etare Po-*	*ëtae.*
Tu nihil	*invi-*	*ta di-*	*cas faci-*	*asve Mi-*	*nerva.*
Inton-	*si cri-*	*nes lon-*	*ga cer-*	*vice flu-*	*ebant.*

Interdum quinta regione ponitur Spondeus; undè et versus Spondiacus dicitur: quandò, scil. vel rei alicujus gravitas atque amplitudo, vel tarditas, vel ingens moeror, vel simile quid, declaratur: ut,

Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum. Virg.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo. Id.
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit. Id.

Hic versus in quarta fere sede Dactylum habet; saepiusque finitur voce tetrasyllaba: ut in exemplis allatis videre est:

Interdum tamen aliter invenimus: ut in his Virg.

Aut leves ooreas lentò ducunt argento.
Saxa per, et scopulos, et depressas convalles.
Cum sociis, notaque, penatibus, et magnis Dis.

Not. 1. Vulgo docent in versu hexametro alios nonnunquam, praeter Dactylum et Spondeum, pedes reperiri: ut Proceleusmaticum in hoc Virg.

Haerent parietibus scalae, postesque sub ipsos.

Et Anapaestum in hoc eiusden,

Fluviorum rex Eridanus, campoeque per omnes.

Verum in his, *parietibus* quatuor syllabarum est, *fluviorum* trium, per Synecphonesin, ut supra docuimus.

Not. 2. Quidam volunt et Tribrachyn, Iambum et Trochaeum in hexametro interdum locum habere: ut in his Virg.

Olli servа datur, operum haud ignara Minervae.
Desine plura puer, et quod nunc instat agamus.
Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.

Atqui et duobus prioribus, ultima in *ḋatur* et *puer*, alioquin brevis, vi caesurae fit longa: ut supra ostensum. In postremo exemplo *tela* posteriorem habet productam, propter duarum consonantium, licet in diversa voce, accessum.

Not. 3. Dactylum denique postrema nonnunquam sede collocari quidam existimant: ut in his ejusd.

Inseritur vero ex foetu nucis arbutus hòrrida,
Et steriles platani ———
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.

Sed in prioris versus fine legendum *horri-*; syllaba autem *da* cum sequentis versus initio per Synaloephen jungenda est, hoc modo: *arbutus | horri- | d'Et steri- | les plata- | ni*, etc. In altero autem exemplo, *Orphea*, in duas syllabas contractum proferendum est.

Digitized by Google

De Carmine Hexametro Observationes.

I. 1. Hexametris venustatem conciliat Dactylorum et Spondeorum vicissitudo: ut,

Ludere quae vellem calamo permisit agresti. Virg.
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi. Id.

2. Extra hanc pedum alternationem, suavius fere sonant quae Dactylis quam quae Spondaeis abundant: ut,

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi. Virg.
Adspicis ut veniant ad candida tecta columbae. Ovid.

3. Gratiora sunt illa in quibus plures sunt Caesurae, sive pedes non ex integris sed intersectis vocibus constantes: ut,

Romanos rerum dominos gentemque togatam. Virg.
Infandum, Regina, jubes, renovare dolorem. Id.
Infelix Priamus furtim mandarat alendum. Id.

4. Ut fastidio tamen occurratur, et caesurae et pedum adhibenda varietas; ut, Virg.

Vertitur interea caelum, et ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per moenia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.

5. Magnae virtutis est, si versus ita rebus accommodentur, ut pro rerum diversitate, nunc Spondei, nunc Dactyli praeferantur. Ita multis Spondeis malleorum tractandorum difficultas, et fabrorum inde tarditas egregie depingitur hoc versu Virgilii.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt.

Latini gravitas et constantia, isto ejusd.

Olli sedato respondit corde Latinus.

Cunctatio Fabii reipublicae Romanae salutaris, illo Aen. vi.

Unus qui nobis cunctando restituit rem.

Contra, incitatus equi cursus multis Dactylis ita repraesentatur, Aen. viii.

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Rapidus item columbae volatus sic, Aen.

Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Sic effrenis ventorum et tempestatis impetus aliquoties continuatis initio duobus dactylis exhibetur, Aen. i.

Qua data porta ruunt. ———
Incubuere mari. ———
Una Eurusque Notusque ruunt. ———
Intonuere poli. ———

II. Contra, in hoc genere versuum, duriores censentur;

1. Qui desinunt in vocem monosyllabam: ut,

Praelia rubrica picta aut carbone: velut si. Hor.
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et. Id.

Exc. 1. Si praecedat altera monosyllaba: ut,

Principibus placuisse viris, non ultima laus est. Hor.
Ne qua meis esto dictis mora. Juppiter haec, ait. Virg.

Exc. 2. Si particularis quaedam gratia versui inde accedat: ut,

——— *Procumbit humi bos.* Virg.

Digitized by Google

——— Et mole sua stat. Id.
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Hor.

2. Qui pluribus vocis dissyllabis terminantur: ut,
Insano posuere; velut silvis, ubi passim. Hor.
Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus. Tibull.

3. Qui voce plurium quam trium syllabarum finiuntur; ut,
Augescunt aliae gentes, aliae minuuntur. Lucr.
Quisquis luxuriae, tristive superstitione. Hor.

Exc. 1. Si versus Spondiacus sit, de quo supra.
Exc. 2. Si nomen sit proprium: ut,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho. Virg.
Hirtacidae ante omnes exit locus Hippocoontis. Id.
Quarum quae forma pulcherrima Dercpeiam. Id.

Exc. 3. Si singulari affectui exprimendo inserviat, vel aliter natiua quaedam venustas hoc in loco voci insit: ut,
Per connubia nostra, per inceptos hymenaeos. Virg.
Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi. Id.

Sed versus eiusmodi, quia singulare judicium desiderant, Poëtarum lectione melius discentur.

4. In quibus nulla vel rara caesura est: ut,
Romae moenia terruit impiger Hannibal armis. Enn.
Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli. Lucil.
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum. Hor.
Poste recumbite, vestraque pectora pellite tonsis. Enn.

5. In quibus nimis crebrae aut asperae sunt elisiones: ut,
Primum nam inquiram, quid sit furere hoc; si erit in te. Hor.
Illam ancillam ego amo ante alias, atque ipsi ero amandus.

6. Vitandi denique sunt Rhythmi, seu versus Leonini: etsi nec Poëtae principes eos semper effugerint: ut,
Trajicit. I verbis virtutem illude superbis. Virg.
Si Trojae fatis aliquid restare putatis. Ovid.
Ipse ego librorum videor deliota meorum. Id.

Carmen Pentametrum.

6. Pentametrum vult quinque pedes: per tertius estò
Semper Spondeus, quartus quintusque Anapaestus:
In reliquis Spondeus erit, vel Dactylus, ut vis.
Sic alii scanduut: pes primus, sive secundus,
Dactylus aut Spondeus erit: caesura subibit
Longa: locos reliquos geminus mox Dactylus implet:
Altera subsequitur metrum caesura coronans.

Carmen Pentametrum quinque habet pedes, quorum duo primi promiscue sunt Dactyli vel Spondei, tertius semper Spondeus, quartus et quintus Anapaestus: ut,
Naturae sequitur semina quisque suae. Propert.
Carminibus vives tempus in omne meis. Ovid.

Digitized by Google

Qui versus sic metiendi sunt:

1.	2.	3.	4.	5.
Natu-	*rae sequi-*	*tur se-*	*mina quis-*	*que suae.*
Carmini-	*bus vi-*	*ves tem-*	*pus in o-*	*mne meis.*

Alii, et frequentius, sic metiri solent: Versu nimirum in duo hemistichia diviso, priore duobus locis vel Dactylum vel Spondeum sine discrimine statuunt, una cum caesura, seu syllaba longa: posteriore autem duos Dactylos, cum altera caesura, seu syllaba communi; hoc modo:

1.	2.	½.		3.	4.	½.
Natu-	*rae sequi-*	*tur*		*semina*	*quisque su-*	*ae.*
Carmini-	*bus vi-*	*ves*		*tempus in*	*omne me-*	*is.*

Versus pentameter hexametro subjunctus carmen Elegiacum constituit: sic dictum ab ἔλεγος, i. e. *lamentatio*, quia primum adhiberi solitum sit lamentationi funebri: unde (quod et exempli loco sit) illud Ovidii:

Flebilis indignos, Elegēa, solve capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!

De Pentametro et Elegiaco Observationes.

1. In pentametro prius hemistichium integra voce finiendum est, ut caesura penthemimeris locum habeat: nam vitiosum est quod ea caesura caret: ut,

Haec quoque nostrae sententia mentis erat. Diomed.

2. Dure fit in penthemimeri elisio: ut in his Catulli,

Mi misero eripuisti omnia nostra bona.
Illum affligit odore, iste perit podagra.
Troja virum et virtutum omnium acerba cinis.

Quos versus praeterea duriores reddunt in aliis pedibus Synalοephae vel Ecthlipses: maxime in illo ejusdem,

Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

3. Neutrum hemistichium apte monosyllabo terminatur: ut in his Catulli,

O di, reddite mi hoc pro pietate mea.
Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.

Si tamen alterum monosyllabum antecedat, aut a voce praecedente elidatur, in vitio non est: ut in his Ovidii,

Magna tamen spes est in bonitate Dei.
Praemia si studio consequor ista, sat est.
Invitis oculis litera lecta tua est.

4. Pentameter optime clauditur voce dissyllaba: quales plerique Ovidiani. Interdum et tetrasyllaba, vel pentasyllaba: ut,

Maxima de nihilo nascitur historia. Propert.
Pomaque non notis legit ab arboribus. Tibull.
Lis est cum forma magna pudicitiae. Ovid.
Contactum nullis ante cupidinibus. Propert.

Rarius trisyllaba: ut,

Et caput impositis pressit amor pedibus. Propert.
Quolibet ut saltem rure frui liceat. Id.

Digitized by Google

5. Leonini quoque, ut in hexametro, hic vitandi: qualis illi Ovidii,

Quaerebant flavos per nemus omne favos.
Hoc, mihi quod prodest, si tibi, lector, obest.

Si tamen non nisi postremae utriusque hemistichii syllabae consonent, tantum abest ut id pro vitioso habeatur, ut non parum quoque gratiae versui inde accedat: ut,

Huc ades, et nitidas casside solve comas. Ovid.
Fulmineo celeres dissipat ore canes. Id.
Fluminis ad liquidas forte sedemus aquas. Bucham.

Idemque de hexametris eiusmodi censendum: ut,

Quamvis multa meis exiret victima septis. Virg.
Primus Idumaeas, referam tibi, Mantua, palmas. Id.
Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis. Ovid.

6. In Elegiacis hexametri lenius fluere debent, quam cum soli pronuntur.

7. Solet unumquodque distichon absolvere sententiam, aut saltem in cola desinere. At omnino rarum est, nec facile imitandum, ut commatis ejusdem vox una ad praecedens, altera ad sequens distichon pertineat.

Carmen Asclepiadaeum.

7. Vult Asclepiadis carmen Spondeon habere
Principio: binos hic rite capit Choriambos:
Pyrrhichius sequitur, quo non velocior ullus.
Vel sic: Spondeus fit primus, Dactylus alter:
Syllaba longa subit; post Dactylus ordine duplex.

Carmen Asclepiadaeum quatuor constat pedibus, Spondeo, duobus Choriambis, et Pyrrhichio: ut,

1.	2.	3.	4.
Maece-	*nas atavis*	*edite re-*	*gibus.* Hor.

Alii sic metiuntur, ut primo loco habeat Spondeum, secundo Dactylum, cum caesura seu syllaba longa, tertio et quarto Dactylum, hoc modo:

1.	2.	½.	3.	4.
Maece-	*nas ata-*	*vis*	*edite*	*regibus.*

Not. In hoc genere:

1. Pedes singuli singulis vocibus venuste absolvuntur: ut,

Quaesas, indocilis pauperiem pati. Hor.
Magnum pauperies opprobrium, jubet. Id.

2. Vitiose primus Choriambus vel caesura vocem mediam dirimit: ut, in hoc Horat.

Non incendia Carthaginis impiae.

Nisi Ecthlipsis ibi vel Synaloepha locum habeat: ut,

Exegi monumentum aere perennius. Hor.
Auditam moderere arboribus fidem.

Vel sit vox composita: ut in illo ejusd.

Digitized by Google

Dum flagrantia detorquet ad oscula.

Sed et haec duriuscula sunt, nec temere imitanda.

Carmen Glyconium.

8. Carmen amat trinis pedibus constare Glyconis:
Primaque Spondeo data sedes, ultima cessit
Pyrrhichio, mediumque locum Choriambus habebit.
Vel sic: Spondeo praeeunte Glyconia constant
Carmina: tum duplicem sedem sibi Dactylus optat.

Carmen Glyconium tres habet pedes, Spondeum, Choriambum, et Pyrrhichium: ut,

1.	2.	3.
Mens re-	*gnum bona pos-*	*sidet.* Senec.

Alii per Spondeum et duos Dactylos metiuntur, hoc modo:

Mens re- | gnum bona | possidet.

Not. Catullus prima sede admisit Iambum: ut,

Puellae et pueri integri.

Item Trochaeum: ut,

Magna progenies Jovis.

Carmen Sapphicum et Adonium.

9. Sapphica plectra movens tribuat loca prima Tro-
Spondeo cedant loca proxima: tertius esto (chaeo:
Dactylus: hunc subeat duplex in fine Trochaeus:
Singula post ternos subdantur Adónia versus:
In queis Spondeum praeit unum Dactylus unus.

Carmen Sapphicum quinque pedes recipit: primo, sciz. loco Trochaeum, secundo Spondeum, tertio Dactylum, quarto et quinto Trochaeum. Post ternos quosque versus subjicitur ut plurimum versus Adonius, ex Dactylo et Spondeo constans, hoc modo:

1.	2.	3.	4.	5.
Aure-	*am quis-*	*quis medi-*	*ocri-*	*tatem*
Dili-	*git, tu-*	*te caret*	*obso-*	*leti*
Sordi-	*bus te-*	*cti, caret*	*invi-*	*denda.*

1.	2.
Sobrius	*aula.*

Not. 1. Sapphicos commendat caesura penthemimeris: qua qui carent minus grati versus sunt: ut,

Concines majore poëta plectro. Hor.
Phoebe silvarumque potens Diana. Id.

2. Catullus secunda sede interdum admittit Trochaeum; ut,

Paluca nunciata meae puellae.

Digitized by Google

5. Seneca etiam eadem Dactylum recipit: ut,

Quaeque ad Hesperias jacet ora metas. Et.
Sumere innumeras solitum figuras.

Quorum neuter temere imitandus.

4. Reperiuntur et hic versus hypermetri, quorum ultima vocalis, propter vocalem sequentem versum inchoantem, eliditur: quales hi ap. Horat.

Plorat, et vires, animumque, moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet orco.

5. Durius aliquando prima vocis syllaba ad praecedentem versum, reliquae ad sequentem referuntur: ut, Horat.

Grosphe, non gemmis, neque pur-
-pura ve-
-nale, nec auro. Item,
Labitur ripa, Jove non probante, u-
-xorius amnis.

Carmen Phaleucium.

10. Cum facies carmen quod adinvenisse Phaleucus
Dicitur, in prima Spondeus erit regione: (um.
Dactylus inde datur; triplicem cui junge Trochae-

Carmen Phaleucium quinque itidem, ut Sapphicum, pedes habet: prima nimirum sede Spondeum, secunda Dactylum, reliquis tribus Trochaeum, hoc modo:

1.	2.	3.	4.	5.
Quod sis	*esse ve-*	*lis, ni-*	*hilque*	*malis.*
Summam	*nec metu-*	*as di-*	*em, nec*	*optes.* Mart.

Not. 1. Hoc genus nec caesuram respuit, nec requirit.

2. Pro Spondeo primo loco non raro apud Catullum est Trochaeus vel Iambus: ut,

Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta.

3. Idem quoque et secundo loco, pro Dactylo, admisit Spondeum: ut,

Oramus, si forte non molestum est.
Femellas omnes, amice, prendi. } quod non facile imitandum.

Carmen Pherecratium.

11. Quando Pherecratio vis ludere carmine, binos
Inter Spondeos medius tibi Dactylus esto.

Carmen Pherecratium tribus pedibus constat: primo loco Spondeum, secundo Dactylum, tertio Spondeum recipiens: ut,

1.	2.	3.
Nigris	*aequora*	*ventis.* Hor.

Not. Catullus primo loco saepe adhibet Trochaeum: ut,

Prodeas nova nupta.

Digitized by Google

Bacchius interdum Anapaestum: ut,

Simili surgit ab ortu.

Carmen Iambicum.

12. Sive fluant seno pede Iambica, sive quaterno,
In regione pari semper dominatur Iambus:
Dactylus et Spondeus amant in sedibus esse
Imparibus: gaudent Anapaestus, Iambus iisdem:
Absit ab extremo Tribrachys, sit caetera liber.

Carminis Iambici duo sunt genera usitatiora, *Dimetrum* et *Trimetrum*.

Dimetrum quatuor pedibus constat, *Trimetrum* sex. Sic autem vocantur, quod Graeci in iis dimetiendis duos pedes conjungant, Latini vero, pro numero pedum simplicium, hoc *Senarium*, illud *Quaternarium* appellant.

Primum, ex puris Iambis hi versus constabant: ut,

	I.		II.		III.		
Syzygiae							
Regiones	1.	2.	3.	4.	5.	6.	
Dimet.	*Inar-*	*sit ae-*	*stuo-*	*sius.*			Hor.
Trimet.	*Suis*	*et i-*	*psa Ro-*	*ma vi*	*ribus*	*ruit,*	Id.

Deinde, partim ut difficultas pangendi tolleretur, partim ut gratiores mora redderentur, locis imparibus, i. e. primo, tertio, et quinto, Spondei recepti: ut,

	1.	2.	3.	4.	5.	6.	
Dimet.	*Forti*	*seque-*	*mur po-*	*ctore.*			Hor.
Trimet.	*Pare sa-*	*nita-*	*tis vel-*	*le sa-*	*nari*	*fuisti*	Sen.

Denique, vice Iambi et Spondei, admissi sunt pedes quidam temporibus iis aequales: hoc est, locis imparibus, etiam Anapaestus, Dactylus, et interdum, Tribrachys: locis autem paribus (excepto ultimo, qui solum Iambum postulat) etiam Tribrachys: ut, Hor.

	1.	1.	3.	3.	5.	6.
Dim.	*Canidi-*	*a tra-*	*ctavit*	*dapes.*		
	Vide-	*re prope-*	*rantes*	*domum.*		
Trim.	*Quo quo*	*bcele-*	*sti rui-*	*tis aut*	*cur dex-*	*teris.*
	Prius-	*que cos-*	*lum si-*	*det in-*	*ferius*	*mari.*
	Aliti-	*bus at-*	*que cani-*	*bus homi-*	*cid' He-*	*ctorem.*
	Pavidum-	*que lepo-*	*r' aut ad-*	*venam*	*laqueo*	*gruem.*

Not. 1. Excipiendus ab his versus Scazon, de quo mox.

Not. 2. Comici, quo propius ad orationem pedestrem accedant, etiam pedes eos, quos imparibus locis adhibent alii, usurpant paribus: excepto ultimo, quo semper est Iambus. Eadem licentia Fabulae Phaedri conscriptae sunt.

Scazon, seu Choliambus.

13. Turba pedum trimetri placuit Scazontibus oris

Digitized by Google

Quatuor in primis: pes ordine quintus Iambus,
Semper erit: Spondeus amat loca sexta supremus.

Scazon, seu Choliambus, quinto loco semper Iambum habet, sexto vero Spondeum; caeteris omnibus cum Iambico senario congruit: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	6.	
Miser	*Catul-*	*le, de-*	*sinas*	*inep-*	*ptire.*	} Cat.
Fulse-	*re quon-*	*dam can-*	*didi*	*tibi*	*soles*	
Cur in	*thea-*	*trum, Cato*	*seve-*	*re, ve-*	*nisti?*	} Mart.
An ide-	*o tan-*	*tum ve-*	*nerās,*	*ut ex-*	*ires?*	

Carmen Anacreontaeum.

14. Anacreontaei non parva est gratia versus,
Syllaba post ternos metrum cui claudit Iambos.
Spondeum primus capit et locus, aut Anapaestum.

Carmen Anacreontaeum nihil aliud est, quam Iambicum dimetrum catalecticum. In eo primus pes est Iambus, saepe etiam Spondeus vel Anapaestus, interdum Tribrachys; secundus et tertius solum Iambus: deinde superest in fine syllaba: ut,

1.	2.	3.	4.	
Ades	*pater*	*supre-*	*mē,*	} Prudent.
Quem ne-	*mo vi-*	*dit un-*	*quam.*	
Habet o-	*mnis hoc*	*volu-*	*ptas,*	} Boët.
Stimulis	*agit*	*furen-*	*tes.*	

Carmen Trochaicum.

15. Octonis pedibus prodire Trochaica poscunt:
Sedibus imparibus Tribrachyn vel pone Trochaeum.
Liber uterque aliis: Tribrachyn solo eximē fine.
Dactylon et Tribrachyn, Proceleusmaticon, Spondeon,
Teque, Anapaeste, pari regione locarier optant.
Saepe sed Octavus mutilus pes ire jubetur.

Trochaica in regionibus imparibus recipiunt Trochaeum vel etiam Tribrachyn, praeterquam ultima sede, in qua tantum est Trochaeus: sedibus autem paribus, praeter Trochaeum et Tribrachyn, admittunt etiam Spondeum, Dactylum, Anapaestum, raro Proceleusmaticum; Iambum vero plane respuunt, ut et Iambica Trochaeum.

Ex Trochaicis usitatissimum est *tetrametrum*, sive *octonarium* catalecticum, constans septem pedibus, cum semipede, seu syllaba residua: ut in Floridis veteris poëtae.

Digitized by Google

I.		II.		III.		IV.	
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Consu-	*les fig*	*unt quot-*	*annis*	*et no-*	*vi Pro-*	*consu-*	*les-*
Solus	*aut Rex,*	*aut Po-*	*ëta*	*non quot-*	*annis*	*nasci-*	*tur.*

Not. 1. Quamvis opposita videantur Iambica et Trochaica, magna tamen inter ea affinitas est. Si enim syllabam unam aut alteram principio versus Trochaici addideris, Iambicum efficies: contra, si syllabam eam principio Iambici detraxeris, Trochaicum relinques.

Not. 2. In Trochaico tetrametro fugienda omnino caesura post quartum pedem, qui versum in duo hemistichia dividit: ut in hymno Ecclesiastico in passione Domini.

Pange lingua gloriosi | praelium certaminis,
Et, super crucis trophaeo | dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis | immolatus vicerit.

Not. 3. Comici eadem qua in Iambicis licentia in Trochaicis utuntur: eosdem enim in locis imparibus, quos alii in paribus, pedes promiscue adhibent, praeterquam in regione septima.

Carmen Anapaesticum.

16. Quatuor ex pedibus Anapaestica carmina finge.
Qua regione velis, princeps Anapaestus habetur:
Spondeus permistus huic et Dactylus esto.
Dactylus exul erit quarta sede atque secunda.

Anapaestici versus ita dicuntur, quod quavis regione Anapaestum recipiant. Loco tamen Anapaesti Spondeum vel Dactylum eorundem temporum pedes admittunt. Atque hoc ita promiscue fit, ut in versu, qui Anapaesticus vocatur, nullus interdum sit Anapaestus.

Eorum varia genera sunt: at omnium suavissimum et frequentissimum est quod Aristophanium sive Pindaricum dicitur, constans quatuor pedibus, qui fere sunt Dactyli vel Spondei, intermistis Anapaestis: ita tamen ut rarissime Dactylus in secunda vel quarta regione adhibeatur: ut, Senec.

1.	2.	3.	4.
Quanti	*casus*	*huma-*	*na rotant:*
Minus in.	*parvis*	*fortu-*	*na furit,*
Levius-	*que ferit*	*levio-*	*ra Deus.*

Not. 1. Venustiores sunt Anapaestici, qui omni caesura carent: ut, Sen.

Plures fulgor concitat aulae.
Cupit hic regi proximus ipsi.
Clarus claras ire per urbes.
Urit miserum gloria pectus.

Not. 2. Proximi his sunt quibus unaquaeque dipodia vocem terminat: ut,

Digitized by Google

Pectora longis hebetata malis,
Jam sollicitas ponite curas. Senec.

Not. 3. Solent Tragici Anapaesticis aliquot subjicere Adonium.

Carmen Horatianum.

Simplicibus Carminum generibus supra explicatis visum est subjicere unum genus compositum, quod ab Horatio, qui eo plurimum delectabatur, Horatiani nomen accepit.

Constat autem hoc carmen quatuor versibus, quorum duo primi sunt Dactyli Alcaici, tertius Iambicus Archilochius, quartus Daetylicus Alcaicus a prioribus diversus: ut,

Virtus repulsae nescia sordidae
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.

Sed de singulis paulo accuratius agendum.

1. Dactylicus Alcaicus Major.

17. Alcaici loca prima tenent Spondeus, Iambus,
Vatis ad arbitrium: sed Iambus sede secunda; (bit.
Dein caesura: duo hinc geminus loca Dactylus am-

Primus ac secundus carminis Horatiani versus est Dactylicus Alcaicus major tetrameter hypercatalectus, constans penthemimeri Iambica, i. e. Spondeo vel Iambo, (sed saepius Spondeo) Iambo, et caesura, seu syllaba longa; deinde duobus Dactylis: ut,

1.	2.	½.	3.	4.
Virtus	*repul-*	*sae*	*nescia*	*sordidae*
Inta-	*mina-*	*tis*	*fulget ho-*	*noribus.*

2. Iambicus Archilochius.

Proximus Archilochi gradietur Iambicus: ora
Cui prima ac terna resident Spondeus, Iambus,
Ad libitum; sed Iambus inest in parte secunda
Solus, et in quarta: dabit unica syllaba finem.

Tertius versus est Iambicus Archilochius dimeter hypercatalectus, qui primo et tertio loco Spondeum, nonnunquam et Iambum recipit; secundo et quarto solum admittit Iambum, cum syllaba in fine residua: ut,

1.	2.	3.	4.	½.
Nec su-	*mit aut*	*ponit*	*secu-*	*res*

3. Dactylicus Alcaicus Minor.

Dactylicus tandem Alcaicus subit ordine quartus,

Digitized by Google

Quatuor ex pedibus constans: loca Dactylus ornat
Duplex prima duo, sed proxima bina Trochaeus.

Quartus versus est Dactylicus **Alcaicus** minor tetrameter acatalectus, primo et secundo loco Dactylum recipiens, tertio et quarto Trochaeum: ut,

1.	2.	3.	4.
Arbitri-	*o popu-*	*laris*	*auras.*

APPENDIX I.

Pleniorem de Variis Carminum Generibus Commentarium exhibens.

CARMEN ex pedum constitutione vel *Simplex* est, seu *Monocolon*, vel *Compositum*, seu *Polycolon*.

Monocolon est quod uno versuum genere; **Polycolon** quod pluribus generibus constat.

I. De Carmine Simplice seu Monocolo.

Ex variis Carminum Simplicium divisionibus, omnium commodissima ea videtur, quae a crebriore seu potiore in ipsis pede desumpta est.

Hoc igitur pacto, Versus Latini in octo praecipua genera, *Pyrrhichicos*, *Dactylicos*, *Anapaesticos*, *Iambicos*, *Trochaicos*, *Ionicos* et *Mixtos*, tribui possunt.

1. *De versibus Pyrrhichiis.*

I. Unicum genus est Pyrrhichicum, duobus vel pluribus Pyrrhichiis constans, quale illud Ausonii, Parental. 27.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
Et a-	*mita*	*Vene-*	*ria*	*prope-*	*ritor*	*obit:*
Cui	*brevi-*	*a me-*	*la mo-*	*difi-*	*ca re-*	*cine,*
Cinis	*uti*	*placi-*	*dula*	*supe-*	*ra vi-*	*geat,*
Cele-	*ripes*	*ade-*	*at lo-*	*ca ta-*	*cit' E-*	*rebi.*

2. *De versibus Dactylicis.*

II. Primum genus est Dactylicum heroicum hexametrum, de quo reg. 5.

III. Secundum genus est pentametrum Elegiacum, de quo reg. 6.

IV. Tertium genus est Archilochium dimetrum hypercatalectum, constans duobus Dactylis et syllaba: ut,

1.	2.	3.
Pulvis et	*umbra su-*	*mus.*

V. Quartum genus est Alcmanium trimetrum hypercatalectum, constans tribus Dactylis continuatis, et syllaba: ut,

1.	2.	3.	4.
Te quoque	*luce sub-*	*occidu-*	*a,*
Sumere	*cum monet*	*hora ci-*	*bum,*
Nostra De-	*us canet*	*harmoni-*	*a.* Prudent.

VI. Quintum genus est Alcmanium trimetrum hypercatalectum in hoc a superiore diversum, quod prima et secunda sede etiam Spondeum recipiat: ut,

Digitized by Google

1.	2.	3.	½.
Unus e-	*nim re-*	*rum pater*	*es.*
Hic clau-	*sit mem-*	*bris ani-*	*mos.* Boët.

VII. Sextum genus est Alcmanium tetrametrum acatalectum, quod primo, secundo et tertio loco promiscue recipit vel Dactylum vel Spondeum; quarto solum Dactylum: ut,

1.	2.	3.	4.
Lumini-	*busque pri-*	*or redi-*	*it vigor.*
Nimbo-	*sisque po-*	*lus stetit*	*imbribus.*
Desuper	*in ter-*	*ram nox*	*funditur.* Boët.

VIII. Septimum genus est Adonium dimetrum, de quo reg. 9.

IX. Octavum genus est Pherecratium trimetrum, de quo reg. 11.

X. Nonum genus est Alcmanium tetrametrum acatalectum, constans quatuor pedibus, quorum duo priores indifferenter sunt Dactyli vel Spondei, tertius solum Dactylus, quartus solum Spondeus: ut,

1.	2.	3.	4.
Ibimus	*o socii-*	*i comi-*	*tesque.*
O for-	*tes pe-*	*joraque*	*passi.* Hor.

XI. Decimum genus est Alcmanium tetrametrum catalectum, constans una syllaba longa, vel duabus brevibus; deinde vel Dactylo vel Spondeo: tum Dactylo; ac postremo Spondeo: ut,

½.	2.	3.	4.
Qui	*se volet*	*esse po-*	*tentem,*
Ani-	*mos domet*	*ille fe-*	*roces;*
Nec	*victa li-*	*bidine*	*colla*
Foe-	*dis sub-*	*mittat ha-*	*benis.* Boët.

Not. Octo proxime memorata versuum Dactylicorum genera nihil aliud sunt praeterquam partes sive segmenta carminis hexametri heroici: quorum quatuor prioribus, pars posterior: quatuor posterioribus, pars prior sit quasi detruncata. Sic in prima Virg. Ecl. *Tityre, tu patulae*, Dactylicorum constituit genus tertium: *Quid facerem, neque servitio*, genus quartum; *Hic illum vidi juvenem*, genus quintum: *Namque erit ille mihi semper Deus*, genus sextum: *Tegmine fagi*, genus septimum: *Pressi copia lactis*, genus Octavum: *Sera tamen respexit inertem*, genus nonum: *Recubans sub tegmine fagi*, genus decimum.

XII. Undecimum genus est Alcmanium tetrametrum hypercatalectum, constans penthemimeri heroica, i. e. prima et secunda regione vel Dactylo vel Spondeo, cum syllaba longa: deinde versu Adonio, seu Dactylo, cum Spondeo: ut,

1.	2.	½.	3.	4.
Heu quam	*praecipi-*	*ti*	*mersa pro-*	*fundo*
Mens habet,	*et propri-*	*a*	*luce re-*	*licta,*
Tendit in	*exter-*	*nas*	*ire. te-*	*nebras.* Boët.

Not. Hoc genus ex duobus segmentis hexametri heroici, sesquipede de medio extrito, constituitur: quale esset illud.

Tityre tu patulae ——— *tegmine fagi.*

XIII. Duodecimum genus est Ithyphalicum, seu Priapeium, tetrametrum acatalectum, constans tribus Dactylis, et Pyrrhichio, seu Iambo: ut,

Digitized by Google

1.	2.	3.	4.
Qui sere-	*re ingenu-*	*um volet*	*agrum,*
Liberat	*arva pri-*	*us fruti-*	*cibus,*
Falce ru-	*bos sili-*	*cemque re*	*secat.* Boët.

XIV. Decimum tertium genus est Alcaicum tetrametrum hypercatalectum, de quo reg. 17.

XV. Decimum quartum genus est Alcaicum tetrametrum acatalectum, de quo etiam reg. 17.

XVI. Decimum quintum genus est Bucolicum hexametrum, in quo quartus pes semper est Dactylus: ut,

Ab Jove principium, Musae: Jovis omnia plena. Virg.

Not. Theocritus (ut notat Fortunatianus) hanc legem Bucolicorum custodivit. Virgilius neglexit.

XVII. Decimum sextum genus est versus hexameter qui dicitur Miurus seu Teliambus, cujus, sciz. ultima sede ponitur Iambus vice Spondei: ut,

Dirige odoriscquos ad casca cubilia canes. Liv. Andron.

3. *De Versibus Anapaesticis.*

XVIII. Primum genus est Anapaesticum Aristophanium tetrametrum acatalectum, de quo reg. 16.

XIX. Secundum genus est Simonideum dimetrum acatalectum, cujus priorem regionem possidet vel Anapaestus, vel Dactylus, vel Spondeus; posteriorem vel Anapaestus, vel Spondeus: ut,

1.	2.
Defle-	*te virum,*
Quo non	*alius*
Potuit	*citius*
Discere	*causas,*
Una	*tantum*
Parte au-	*dita,*
Saepe et	*neutra.* Senec.

XX. Tertium genus est Partheniacum tetrametrum catalectum, quod habet prima et secunda sede vel Anapaestum, vel Spondeum: tertia solum Anapaestum, ac demum syllabam longam: ut,

1.	2.	3.	4.
Utinam	*modo no-*	*stra redi-*	*rent*
In mo-	*res tem-*	*pora pri-*	*cos.* Boet.

Not. Hoc genus, mutâta metiendi ratione, cum Dactylico Alcmanio tetrametro catalecto (de quo No. XI.) concurrit, hoc modo:

1.	2.	3.	4.
Uti-	*nam modo*	*nostra re-*	*dirent*
In mo-	*res tem-*	*pora pris-*	*cos*

XXI. Quartum genus est Archebulium pentrametrum acatalectum, constans quatuor Anapaestis, et Bacchio: ut,

1.	2.	3.	4.	5.
Tibi na-	*scitur o-*	*mne pecus,*	*tibi cre-*	*scit hasdus.* Ter. Maur.

4. *De Versibus Jambicis.*

XXII. Primum genus est Jambicum monometrum, sive binarium, constans duobus Jambis: ut,

1.	2.
Cave	*malum,*
Tene	*bonum.*

Digitized by Google

XXIII. Secundum genus est Anacreonticum dimetrum catalectum, de quo reg. 14.

XXIV. Tertium genus est Archilochium dimetrum acatalectum, de quo reg. 12.

XXV. Quartum genus est Archilochium dimetrum hypercatalectum, de quo reg. 17.

XXVI. Quintum genus est Archilochium trimetrum catalectum, quod prima sede Iambum habet vel Spondeum, secunda Iambum, tertia Spondeum, quarta et quinta Iambum, cum syllaba communi: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	½.
Trahunt-	*que sic-*	*cas ma-*	*chinae*	*cari-*	*nae*
Nec pra-	*ta ca-*	*nis al-*	*bicant*	*prui-*	*nis.* Hor.

XXVII. Sextum genus est Archilochium dimetrum catalectum, hoc solo a superiore diversum, quod tertio loco vel Spondeum vel Iambum recipiat: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	½.
Mea	*reni-*	*det in*	*domo*	*lacu-*	*nar.*
Premunt	*colu-*	*mnas ul-*	*tima*	*reci-*	*sas.* Hor.

XXVIII. Septimum genus est Archilochium trimetrum acatalectum, de quo reg. 12.

XXIX. Octavum genus est Scazon, sive Choliambus, trimeter acatalectus, de quo reg. 15.

XXX. Nonum genus est Galliambium senarium acatalectum, constans sex pedibus, quorum primus Anapaestus, secundus et tertius Iambus, quartus et quintus Dactylus, sextus Anapaestus: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Super al-	*ta ve-*	*ctus A-*	*tys cele-*	*ri rate*	*maria,*
Phrygium	*nemus*	*cita-*	*to cupi-*	*de pede*	*tetigit,*
Adiit-	*que opa-*	*ca sil-*	*vis redi-*	*mita lo-*	*ca Deae.* Catull.

Not. Hoc genus tertia regione semper Iambum, quinta semper Dactylum, sexta semper Anapaestum exigit. In secunda autem pro Iambo recipit interdum Anapaestum, et meliore jure Tribrachyn, uti et in quarta pro Dactylo Spondeum. Imo et alios (licet rarius) pedes admittit, ut in prima sede Spondeum, Creticum et Proceleusmaticum: in secunda Spondeum et ejus comparem Dactylum: in quarta Iambum. Sed in carmine minus usitato usitatiores solum ponere satius duximus. Caeteros *Atys* Catulli indicabit.

XXXI. Decimum genus est Saturnium trimetrum hypercatalectum, quod quarto loco solum Spondeum, caeteris quinque solum Iambum, cum syllaba in fine residua, habet: ut,

I.	2.	3.	4.	5.	6.	½.
Dabunt	*malum*	*Metel-*	*li Nae-*	*vio*	*Poë-*	*tae.* Ter. Maur.

XXXII Undecimum genus est Hipponacteum tetrametrum catalectum, quod ex septem Iambis constat, cum syllaba longa: admisso tamen locis imparibus nonnunquam Spondeo: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	½.
Et in-	*solen-*	*ter ae-*	*stues,*	*velut*	*minu-*	*ta ma-*	*gno*
Depren-	*sa na-*	*vis in*	*mari*	*vesa-*	*nien-*	*te ven-*	*to.* Catull.

XXXIII. Duodecimum genus est tetrametrum sive octonarium acatalectum, quod et quadratum dicitur. Habet octo pedes, inter quos ultimus semper Iambus: reliqui locorum parium Iambi vel Tribraches: imparium vero Iambi aut Spondei, aut his compares, Tribraches, Anapaesti aut Dactyli: ut, Ter.

Digitized by Google

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Suspi-	*cio-*	*ri ad con-*	*tume-*	*liam o-*	*mnia ac-*	*cipiunt*	*magis.*

At Comicis, qui soli fere hoc genere utuntur, major licentia est. Il enim, quo propius (uti diximus) ad orationem solutam accedant, etiam pedes, imparibus alioquin sedibus adhiberi solitos, usurpant paribus, et contra, excepto tamen ultimo loco, quo semper est Iambus. Sic in isto Ter.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Pecu-	*niam in*	*loco*	*neglige-*	*re ma-*	*ximum in-*	*terdum est*	*lucrum.*

Quartam sedem occupat Anapaestus. In his autem ejusd.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Ego jam-	*transa-*	*cta re*	*convor-*	*tam me*	*domum*	*cum obso-*	*nio*
Propter	*suam im-*	*poten-*	*tiam*	*se sem-*	*per cre-*	*dum ne-*	*gligi.*

prioris sede secunda et quarta, posterioris sexta, collocatur Spondeus.

Eadem est in trimetris ratio: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Si id est	*pecca-*	*tum, pec-*	*catum im-*	*pruden-*	*tia est.* Ter.

Ubi omnes pedes, praeter primum et ultimum, Spondei sunt.

Item in tetrametris catalectis: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Hem ita hoc	*verbo ani-*	*mus mi*	*redüit,*	*et cu-*	*ra ex cor-*	*de exces-*	*sit.* Ter.

Ubi secundam sedem Dactylus, sextam Spondeus occupant.

4. De Versibus Trochaicis.

XXXIV. Primum genus est Trochaicum Pancratium monometrum hypercatalectum, constans duobus Trochaeis et syllaba: ut,

1.	2.	3.
Nulla	*jam fi-*	*des.* Scalig.

XXXV. Secundum genus est Ithyphallicum dimetrum brachycatalectum, quod constat tribus Trochaeis: ut,

1.	2.	3.
Huc a-	*des Ly-*	*aee.* Scalig.

XXXVI. Tertium genus est Euripideum dimetrum catalectum, quod habet tres Trochaeos (et secundo interdum loco Spondeum) cum syllaba: ut,

1.	2.	3.	4.	
Non e-	*bur ne-*	*que aure-*	*um.*	Hor.
Vota	*supplex*	*offe-*	*ram.*	Buchan.

XXXVII. Quartum genus est Alcmanium dimetrum acatalectum, constans quatuor Trochaeis: secundo etiam loco Spondeum, ejusque compares Dactylum et Anapaestum recipiens: ut,

1.	2.	3.	4.	
Inco-	*lae ter-*	*rarum, ab*	*ortu*	
Solis	*ulti-*	*mum ad cu-*	*bile.*	Buchan. Ps. 66.
Eja	*Domino*	*jubi-*	*late.*	Ibid.
Consci-	*os scele-*	*ris ne-*	*fandi.*	Ibid.

XXXVIII. Quintum genus est Anacreonticum dimetrum acatalectum, habens primo loco Pyrrhichium, caeteris tribus Trochaeum: ut;

Digitized by Google

1.	2.	3.	4.
Age	*cuneta*	*nupti-*	*ali*
Redi-	*mita*	*vere*	*tellus*
Cele-	*bra to-*	*ros he-*	*rilis.* Claudian.

XXXIX. Sextum genus est Archilochium tetrametrum catalectum, de quo reg. 15.

XL. Septimum genus est Hipponacteum tetrametrum acatalectum, quadratum aliter dictum; constans octo Trochaeis, recipiens tamen locis imparibus etiam Spondeum, ejusque compares Anapaestum, Dactylum, et interdum Proceleusmaticum; paribus autem etiam Tribrachyn: ut,

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Appe-	*tente*	*vere*	*primo*	*cum te-*	*nar vi-*	*rescit*	*annus*
Vindi-	*torque*	*falce*	*tonsos*	*viti-*	*bus ma-*	*ritat*	*ulmos.* Scal. in Farrag.

Comici, eadem qua in tetrametris catalecticis licentia, omnes fere quos nominavi pedes, omnibus in locis promiscue usurpant: ut, Ter.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Itane	*te hinc ab-*	*isse, et*	*vitam*	*tuam tu-*	*tandam ali-*	*is de-*	*disse?*
Aliòs	*tuam rem*	*credi-*	*disti,*	*magi', quam*	*tete, ani-*	*madvor-*	*suros?*
Nam, utut e-	*rant ali-*	*a, illi*	*certe,*	*quae nunc*	*tibi do-*	*mi est, con-*	*suleres.*

Not. In primo et secundo versu *tuam* esse monosyllabum.

XLI. Octavum genus est Sapphicum pentametrum acatalectum, de quo reg. 9.

XLII. Nonum genus est Phaleucium pentametrum acatalectum, de quo reg. 10.

6. De Versibus Choriambicis.

XLIII. Primum genus est Choriambicum Aristophanium dimetrum acatalectum, constans Choriambo et Bacchio vel Amphibrachy: ut.

1.	2.
Lydia, dic,	*per omnes.* Hor.

XLIV. Secundum genus est Glyconium trimetrum acatalectum, de quo reg. 8.

XLV. Tertium genus est Asclepiadeum tetrametrum acatalectum, de quo reg. 7.

XLVI. Quartum genus est Alcaicum pentametrum acatalectum, constans Spondeo, tribus Choriambis et Pyrrhichio: ut.

1.	2.	3.	4.	5.
Seu plu-	*res hiemes,*	*seu tribuit*	*Juppiter ul-*	*timam.* Hor.

XLVIII. Quintum genus est Alcaicum Epichoriambicum tetrametrum acatalectum, constans Epitrito secundo, duobus Choriambis et Bacchio: ut,

1.	2.	3.	4.
Te Deos e-	*ro, Sybarin*	*cur properes*	*amando.* Hor.

7. De Versibus Ionicis.

XLVIII. Primum genus est Ionicum a majore purum, tetrametrum acatalectum, quod ex quatuor Ionicis a majore consistit: ut.

1.	2.	3.	4.
Fecit satis,	*aegram rabi-*	*em qui domu-*	*it feminae.* Scalig.

XLIX. Secundum genus est Ionicum a majore impurum, seu Sotadeum, quod tres habet Ionicos a majore cum Spondeo: ut,

Digitized by Google

1.	2.	3.	4.
Tuto maris	*iras videt*	*e littore*	*nauta.* Scal.

Not. 1. Saepius hoc genus tertia sede pro Ionico a majore Ditrochaeum recipit: ut,

1.	2.	3.	4.
Has cum gemi	*na compede*	*dedicat ca-*	*tenas,*
Saturne, ti-	*bi Zoilus*	*annulos pri-*	*ores.* Martial.

Not. 2. Admittit etiam omnibus locis, praeter ultimum, Paeonem secundum, Epitritum secundum, et Ditrochaeum.

Not. 3. In omnibus fere regionibus longa in duas breves resolvi potest: ut,

1.	2.	3.	4.	
Elementa ru-	*des quae pue-*	*sos docent ma-*	*gistri.*	Ter. M. de lit. v. 1.
Vocalis ut	*illam late-*	*re ex utroque co-*	*arctet,*	Ibid. v. 85.
Quum dico la-	*vox, dico ni-*	*ves pluvia ne-*	*vales.*	Ibid. v. 95.
Diversa va-	*lent, alia do-*	*cent, ordine*	*nullo.*	

L. Tertium genus est Ionicum a minore; sic dictum, quod ubique pes ille, unde nomen accepit, locum habeat. Estque vel trimetrum, vel tetrametrum. Sic apud Hor. Carm. iii. 12. duobus trimetris subjicitur tetrametrum:

1.	2.	3.	4.
Miserarum est,	*neque amori*	*dare ludum,*	
Neque dulci	*mala vino*	*lavere; aut ex-*	
animari	*metuentes*	*patruae ver-*	*bera linguae.*

Not. Docet tamen eruditissimus Bentleius hoc carmen, Horatii decem pedibus Ionicis a minore absque ulla pausa decurrere; totamque adeo eam Oden quatuor ejusmodi decapodiis finiri.

8. De Versibus Mixtis.

Versus Mixti (quos Graeci Ἀσυναρτήτους, sive Inconnexos vocant) sunt cum duo diversi generis cola in unum concluduntur. Eorum varia genera sunt: nos ea tantum memorabimus, quorum exempla apud Poëtas Latinos jam reperiuntur.

LI. Primum genus est Dactylico-Trochaicum Archilochium: cujus prius colon est tetrametrum Heroicum, sive quatuor primi pedes carminis Heroici: posterius colon est Trochaicum Ithyphallicum dimetrum brachycatalectum, sive tres Trochaei: ut,

1.	2.	3.	4.		5.	6.	7.	
Solvitur	*acris hi-*	*ems gra-*	*ta vice*		*veris*	*et Fa-*	*voni.*	Hor.

Not. Quidam ex duobus colis duos versus constituunt, in hunc modum:

1.	2.	3.	4.
Solvitur	*acris hi-*	*ems gra-*	*ta vice.*

1.	2.	3.
Veris	*et Fa-*	*voni.*

LII. Secundum genus est Elego-Iambicum Archilochium: cujus prius colon est pars posterior pentametri Elegiaci; posterius vero Iambicum dimetrum acatalectum: ut,

1.	2.	3.			5.	4.	5.	6.	
Scribere	*versicu-*	*los,*			*amo-*	*re per-*	*cussum*	*gravi.*	Hor.

Not. Vulgo hunc versum in binos dividunt:

Scribere | versicu- | los,
Amo | re per- | cussum | gravi.

Digitized by Google

LIII. Tertium genus est Dactylicum Priapeium hexametrum acatalectum, ex duobus tomis, utraque trium pedum, versus hexametri conflatum: sed ita ut in utriusque prima sede ponatur Spondeus, vel ejus loco Trochaeus, aut Iambus; prioris sedem secundam et tertiam occupet Dactylus; posterioris pes secundus Dactylus sit, ultimus Spondeus. Porro in hoc genere ultima prioris coli syllaba pro communi habetur: ut, Catull.

1.	2.	3.		4.	5.	6.
Hunc, lo-	*cum tibi*	*dedico*		*conse-*	*croque Pri-*	*ape.*
Qua do-	*mus tua*	*Lampsaci est,*		*quaque*	*silva, Pri-*	*ape;*
Nam te	*praecipu-*	*e in suis*		*urbi-*	*bus colit*	*ora*
Helle-	*spontia,*	*caeteris*		*ostre-*	*osior*	*oris.*

LIV. Quartum genus est Anapaestico-Ithyphalicum: cujus prius colon est Anapaesticum tetrametrum catalectum, sive tres Anapaesti (vel primo et secundo loco Spondei) cum syllaba; posterius Trochaicum Ithyphallicum, sive tres Trochaei: ut,

1.	2.	3.	½.		4.	5.	6.	
Ithyphal-	*lica por-*	*ro dica-*	*runt*		*Musi-*	*ci Po-*	*etae.*	Ter. M.

LV. Quintum genus est Iambico-Elegiacum: in quo, ordine N. liii. inverso, pars Iambici praecedit, ea pars Elegiaci subsequitur: ut,

1.	2.	3.	4.		5.	6.	½.	
Nives-	*que de-*	*ducunt*	*Jovem:*		*nunc mare,*	*nunc silii-*	*ae.*	Hor.

Not. Vulgo et ex hoc uno duos versus faciunt:

Nives- | que de- | ducunt | Jovem:
Nunc mare, | nunc silii- | ae.

LVI. Sextum genus est Choriambico-Dactylicum: in quo prius colon est Glyconium, prima sede habens frequentius Trochaeum; posterius Pherecratium est, Trochaeum itidem initio fere assumens: ut,

1.	2.	3.		4.	6.	6.	
O Co-	*lonia, quae*	*cupis*		*ponte*	*ludere*	*longo.*	Catull.

LVII. Septimum genus est Choriambico-Trochaicum: cujus prius colon constat ex Choriambico dimetro, sive duobus Choriambis; posterius ex Trochaico dimetro brachycatalecto, cujus primus pes Dactylus sit, caeteri Trochaei: ut,

1.	2.		3.	4.	5.	
Vestiat Al-	*pinus apex,*		*et nube-*	*ant pru-*	*inae.*	Claudian.

LVIII. Octavum genus est Trochaico-Dactylicum: cujus prior pars penthemimeris Trochaica est, prima sede Trochaeum, secunda Spondeum vel Dactylum, cum syllaba, habens; posterius Adonium, sive Dactylus et Spondeus: ut,

1.	2.	½.		3.	4.	
Si quis	*Arctu-*	*ri*		*sidera*	*nescit,*	Boët.
Cum ni-	*mis cele-*	*res*		*explicet*	*ortus*	

LIX. Nonum genus est Iambico-Dactylicum: cujus prior pars est penthemimeris Iambica, constans duobus Iambis cum syllaba longa; saepius tamen primo loco Spondeum; secundo interdum Tribrachyn recipiens: posterior autem pars, ut in superiore, Adonium est: ut,

Digitized by Google

1.	2.	3.		5.	4.	
Propin-	*qua sum-*	*mo*		*cardine*	*labi.*	} Boët.
Mergat-	*que se-*	*ras*		*aequore*	*flammas.*	
Stupet-	*que subi-*	*tis*		*nobile*	*vulgus.*	

§. Praedictis versuum generibus, a potiore in ipsis pede denominatis, alii alios addunt, *Spondiacos*, *Molossicos*, *Paeonicos*, *Antispasticos*, etc. eorum etiam quos meminimus, plura genera recensent. Sed cum nullum fere carmen ex his conditum jam reperiatur, eos consulto omisimus.

§ Mixtorum porro generibus accenseri possunt et quaedam ex superioribus alia. Hoc pacto carmen Saturnium statui potest Iambico-Trochaicum, cujus prius membrum sit Iambicum dimetrum catalectum; posterius Trochaicum dimetrum brachycatalectum, hoc modo:

1.	2.	3.	4.	5.	6.
Dabunt	*malum*	*Metel-*	*li*	*Naevi-*	*o Po-*	*etae.*

Eadem ratione Cl. Bentleius Alcaicum (quod Epichoriambicum vocant) N. xlvii. in duo cola dispescit, quorum prius sit Trochaicum Archilochium dimetrum acatalectum, cujus secundam sedem occupet Spondeus, quartam Iambus; posterius vero Trochaicum (aut si mavis Iambicum) Archilochium dimetrum catalectum, ex Trochaeo, duobus Iambis, cum syllaba, constans, hoc modo:

1.	2.	3.	4.		5.	6.	7.	
Te De-	*os o-*	*ro, Sy-*	*barim*		*cur pro-*	*peres*	*amau-*	*do.*

II. De Carmine composito, seu Polycolo.

Carmen Polycolon duplici modo distingui solet, 1. Pro varietate versuum qui in eo adhibentur. 2. Pro numero versuum quibus constat, priusquam fiat *Strophe*, sive ad primi generis versum reditus.

1. Pro varietate versuum carmen *Polycolon*, vel *Dicolon* est, seu bimembre; vel *Tricolon*, seu trimembre. Veteres ulterius non procedebant.

Dicolon est, ubi duo sunt genera versuum. Tricolon, ubi tria.

2. Pro versuum in *Strophe* numero, carmen aliud est *Distrophon*, aliud *Tristrophon*, aliud *Tetrastrophon*; aliud denique, extra quod Poëtae antiqui nunquam egrediuntur, *Pentastrophon* est.

Distrophon
Tristrophon
Tetrastrophon
Pentastrophon
} est cum post { secundum / tertium / quartum / quintum } versum reditur ad primum.

1. *De carminibus Dicolis Distrophis.*

LX. Primum genus est Elegiacum, seu Dactylicum heroicum hexametrum, cum Dactylico pentametro: de quibus No. ii. et iii. ut,

Sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos:
Et, quod tentabam dicere, versus erat. Ovid.

LXI. Secundum genus est Dactylicum hexametrum, cum Dactylico Archilochio dimetro hypercatalecto: de quibus No. ii. et iv. ut,

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae. Hor.

LXII. Tertium genus est Dactylicum hexametrum, cum Dactylico Alcmanio tetrametro acatalecto: de quibus No. ii, et vii. ut,

Digitized by Google

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebrae,
Luminibusque prior rediit vigor. Boët.

LXIII. Quartum genus est Dactylicum hexametrum, cum Dactylico Alcmanio tetrametro acatalecto: de quibus No. ii. et x. ut,

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi. Hor.

LXIV. Quintum genus est Dactylicum hexametrum, cum Dactylico Alcmanio tetrametro catalecto, vel, ut alii eum nuncupant, Anapaestico Partheniaco tetrametro catalecto: de quibus No. ii. et xi. vel xx. ut,

O qui perpetuo orbem moderaris habenis,
Placidos bonus exsere vultus. Buch. Ps. 68.

LXV. Sextum genus est Dactylicum hexametrum, cum Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. ii. et xxiv. ut,

Nox erat, et caelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera. Hor.

LXVI. Septimum genus est Dactylicum hexametrum, cum Iambico trimetro: de quibus No. ii. et xxviii. ut,

Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit. Hor.

LXVII. Octavum genus est Dactylicum hexametrum, cum Elego-Iambico Archilochio: de quibus No. ii. et lii. ut,

Te Regem Dominumque canam, dum lucida volvet
Lucidus astra polus, et unicum colam Deum. Buch. Ps. 145.

* Ita, ex meute Cl. Bentleii constituendum hoc carmen: ut Buchananus ipse in tres versus (ut in No. c.) distinxit.

LXVIII. Nonum genus est Dactylicum hexametrum, cum Iambico-Elegiaco de quibus No. ii. et lv. ut,

Horrida tempestas, caelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem: nunc mare, nunc siluae. Hor.

LXIX. Decimum genus est Dactylicum Alcmanium trimetrum hypercatalectum, cum Dactylico Pherecratio trimetro acatalecto: de quibus No. vi. et ix. ut,

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu. Boët.

LXX. Undecimum genus est Dactylicum Alcmanium tetrametrum acatalectum, cum Dactylico Archilochio dimetro hypercatalecto: de quibus No. vii. et iv. ut,

Quam thalamo, taedisque jugalibus
Invida mors rapuit. Auson. Parent. 25.

LXXI. Duodecimum genus est Dactylicum Alcmanium tetrametrum acatalectum, cum Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. vii. et xxiv. ut,

Sunt etenim pennae volucres mihi,
Quae celsa consecendant poli. Boët.

LXXII. Decimum tertium genus est Iambicum Anacreonticum dimetrum catalectum, cum Dactylico Pherecratio trimetro acatalecto: de quibus No. xxiii. et ix. ut,

Quisquis volet perennem
Cautus ponere sedem Boët.

Digitized by Google

LXXIII. Decimum quartum genus est Iambicum trimetrum acatalectum, cum pentametro Elegiaco: de quibus No. xxviii. et iii. ut,

Quamvis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat avarus opes. Boët.

LXXIV. Decimum quintum genus est Iambicum trimetrum acatalectum, cum Iambico dimetro acatalecto; de quibus No. xxviii. et xxiv. ut,

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula. Hor.

LXXV. Decimum sextum genus est Iambicum trimetrum acatalectum, cum Elego-Iambico Archilochio: de quibus No. xxviii. et lii. ut,

Patti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos, amore percussum gravi.

LXXVI. Decimum septimum genus est Iambicus Soazon, cum Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. xxix. et xxiv. ut,

Verona docti syllabas amat vatis;
Marone felix Mantua est. Martial.

LXXVII. Decimum octavum genus est Trochaicum Euripidaeum dimetrum catalectum, cum Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. xxxvi. et xxiv. ut,

Orbis omnes incolae,
A Sole Eoo ad Hesperum. Buchan.

LXXVIII. Decimum nonum genus est Trochaicum Euripideum dimetrum catalectum, cum Iambico Archilochio trimetro catalecto: de quibus No. xxxvi. et xxvii. ut,

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar. Hor.

LXXIX. Vigesimum genus est Trochaicum Alcmanium dimetrum acatalectum, cum Dactylico Pherecratio trimetro acatalecto: de quibus No. xxxvii. et ix. ut,

Quos vides sedere celsos
Solii culmine reges. Boët.

LXXX. Vigesimum primum genus est Trochaicum octonarium catalectum, cum Iambico trimetro acatalecto: de quibus No. xxxix. et xxviii. ut,

Ore pulchro, et ore muto: scire vis quae sim? Volo.
Imago Rufi rhetoris Pictavici. Auson. Epig. 51.

LXXXI. Vigesimum secundum genus est Sapphicum pentametrum acatalectum, cum Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. xli. et xxiv. ut,

Gentis humanae pater atque custos,
Quam sancta majestas tui. Buchan.

LXXXII. Vigesimum tertium genus est Sapphicum pentametrum acatalectum, cum Choriambico Glyconio trimetro acatalecto: de quibus No. vli. et xliv. ut,

Cum polo Phoebus roseis quadrigis
Lucem spargere coeperit. Boët.

LXXXIII. Vigesimum quartum genus est Phaleucium pentametrum acatalectum, cum pentametro Elegiaco: de quibus No. vlii. et iii. ut,

Digitized by Google

Quid tantos juvat excitare motus,
Et propria fatum sollicitare manu. Boët.

LXXXIV. Vigesimum quintum genus est Phaleucium pentametrum acatalectum, cum Dactylico Alcaico tetrametro acatalecto: de quibus No. xlii. et xv. ut,

Quamvis se Tyrio superbus ostro
Comeret, et nivem lapillis. Boët.

LXXXV. Vigesimum sextum genus est Phaleucium pentametrum acatalectum, cum Sapphico pentametro acatalecto: de quibus No. xlii. et xli. ut,

Hic portus placida manens quiete,
Hoc patens unum miseris asylum. Boët.

LXXXVI. Vigesimum septimum genus est Choriambicum Aristophanium dimetrum acatalectum, cum Alcaico Epichoriambico tetrametro acatalecto: de quibus N. xliii. et xlvii. ut,

Lydia, dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properes amando. Hor.

LXXXVII. Vigesimum octavum genus est Choriambicum Glyconium trimetrum acatalectum, cum Choriambico Asclepiadeo tetrametro acatalecto: de quibus No. xliv. et xlv. ut,

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae lucida sidera. Hor.

LXXXVIII. Vigesimum nonum genus est Choriambicum Asclepiadeum trimetrum acatalectum, cum Dactylico Pherecratio trimetro acatalecto: de quibus No. xlv. et ix. ut,

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas. Boët.

LXXXIX. Trigesimum genus est Choriambicum Asclepiadeum tetrametrum acatalectum, cum Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. xlv. et xxiv. ut,

Eheu; quae miseros tramite devios
Abducit ignorantia!

XC. Trigesimum primum genus est Dactylico-Trochaicum septenarium, cum Iambico Archilochio trimetro catalecto: de quibus No. li. et xxvi. ut,

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas. Hor.

XCI. Trigesimum secundum genus est Trochaico-Dactylicum, cum Iambico-Dactylico: de quibus No. lviii. et lix. ut,

Si quis Arcturi sidera nescit
Propinqua summo cardine labi. Boët.

3. *De Dicolis Tristrophis.*

XCII. Primum genus est, in quo duobus Anapaesticis Aristophaniis tetrametris acatal. adjicitur Adonius dimeter acatal.: de quibus No. xviii. et viii. ut,

Tu quoque in aevum, Crispe, futurum
Moesti venies commemoratus
Munere threni. Auson.

XCIII. Secundum genus est, in quo duobus Trochaicis Alcmanii dimetris acatal. subjungitur Trochaicus Euripideus dimeter catalectus: de quibus No. xxxvii. et xxxvi. ut,

Digitized by Google

Incolae terrarum ab ortu
Solis ultimum ad cubile,
Eia Domino psallite. Buchan.

XCIV, Tertium genus est, in quo duos Ionicos a minore trimetros acatalectos sequitur Ionicus a minore tetrameter acatalectus: de quibus No. l. ut,

Miserarum est, neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere; aut exanimari metuentes patruae verbera linguae. Hor.

Cl. Tamen Bentleius, Mar. Victorium secutus, hoc carmen in sua editione ita disponit, ut priores duo versus tetrametri sint, tertius autem dimeter, hoc modo:

Miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari metuentes
Patruae verbera linguae.

Quamquam carmen re vera monocolon, ac per decapodias (ut supra diximus) mensurandum idem Bentleius contendat.

3. *De Dicolis Tetrastrophis.*

XCV. Primum genus est, in quo tribus Trochaicis Anacreonticis dimetris acatalectis subjicitur Choriambico-Trochaicus quinarius: de quibus No. xxxviii. et lvii. ut,

Age cuncta nuptiali
Redimita vere tellus,
Celebra toros heriles:
Omne nemus cum fluviis, omne canat profundum. Claudian.

XCVI. Secundum genus est, in quo tribus Sapphicis pentametris subjicitur Adonius dimeter: de quibus No. xli. et viii. ut,

Quid brevi fortes jaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriae quis exul
Se quoque fugit? Hor.

XCVII. Tertium genus est, in quo tribus Choriambicis Glyconiis trimetris acatal. adnectitur Dactylicus Pherecratius trimeter acatal.: de quibus No. xliv. et ix. ut,

Dianae sumus in fide
Puellae, et pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellaeque canamus. Catull.

XCVIII. Quartum genus est, in quo tres Choriambici Asclepiadei cum Choriambico Glyconio conjunguntur: de quibus No. xlv. et xliv. ut,

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris. Hor.

4. *De Dicolis Pentastrophis.*

XCIX. Genus unicum, in quo quatuor Choriambicis Glyconiis trimetris acatalectis subjungitur Dactylicus Pherecratius trimeter acatal.: de quibus No. xliv. et ix. ut,

Collis o Heliconii
Cultor, Uraniae genus,

Digitized by Google

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee, Hymen,
Hymen, o Hymenaee. Catull.

5. *De Tricolis Tristrophis.*

C. Primum genus est, in quo Dactylicus heroicus conjungitur cum Dactylico Archilochio dimetro hypercatalecto, et Iambico dimetro acatalecto: de quibus No. ii. iv. et xxiv. ut,

Te Regem Dominumque canam, dum lucida volvet
Lucidus astra polus,
Et unicum colam Deum. Buchan. Ps. 143.

Cl. Secundum genus est, in quo inter Dactylicum heroicum et Dactylicum Archilochium, Iambicus dimeter (qui in praecedente genere tertius erat) secundus interponitur: de quibus No. ii. xxiv. et iv. ut,

Pectore te grato Dominumque Deumque fatebor,
Coram superbis Regibus,
Et tua facta canam. Buchan. Ps. 138.

* Aliis hoc carmen statuitur Dicolon distrophon: quale est Horatii Epod. 15. ad cujus imitationem hunc Psalmum scripsit Buchananus. Vid. No. lv. et lxviii.

CII. Tertium genus est; in quo Iambicus trimeter cum Dactylico Archilochio et Iambico dimetro conjunguntur: de quibus No. xxviii. iv. et xxiv. ut,

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos,
Amore percussum gravi. Hor.

* At hoc carmen aliis est Dicolon distrophon, Vid. No. lii. et lxxv.

CIII. Quartum genus est, in quo tres varii generis Choriambici, Glyconius trimeter, Asclepiadeus tetrameter, et Alcaicus pentameter, copulantur: de quibus No. xliv. xlv. et xlvi. ut,

Per quinquennia iam decem,
Ni fallor, fuimus; septimus insuper
Annum cardo rotat, dum fruimur Sole volubili. Prudent.

6. *De Tricolis Tetrastrophis.*

CIV. Primum genus est, in quo duo Dactylici Alcaici tetrametri hypercatalecti, cum Iambico Archilochio dimetro hypercatalecto, et Dactylico Alcaico tetrametro acatal. conjunguntur: de quibus No. xiv. xv. et xxv. ut,

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus ac bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia; moriture Delli. Hor.

CV. Secundum genus est, in quo concurrunt duo Choriambici Asclepiadei tetrametri, Dactylicus Pherecratius trimeter, et Choriambicus Glyconius trimeter: de quibus No. xlv. ix. et xliv. ut,

Prima nocte domum claude, neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae:
Et te saepe vocanti
Duram, difficilis mane. Hor.

Digitized by Google

TABULA.

Quibus Metrorum generibus Poëtae Latini celebriores in operibus suis usi sint, juxta numeros praedictos, p. 64. et seqq. indicans.

		No.
	Plautus, Terentius, caeterique (*quorum Fragmenta quaedam adhuc extant*) Comoediarum Scriptores, *carmine fere utuntur Iambico vel Trochaico, et illo quidem saepius senario acatalecto, hoc octonario catalecto; interdum aliis ex iisdem generibus, majoribus vel minoribus, cum eorum segmentis vel clausulis,*	XIII etc. XXXIV. etc.
	Lucretius, Virgilius, Gratius Faliscus, Corn. Severus, Manilius, Germanicus Caesar, Columella, Lucanus, Sil. Italicus, Val. Flaccus, Juvenalis, Sulpitia, Serenus Sammonicus, Dionysius Cato, A. Q. Nemesianus, T. Calphurnius, Priscianus, Coel. Symposius: et ex poëtis Ecclesiasticis, Tertullianus, D. Cyprianus, Juvencus, D. Hilarius, Marius Victorinus, Cl. Marius Victor, et Alcimus Avitus,	II
Catullus.	1. *Carm.* 1—3. 5—7. 9. 10. 12—17. 19. 21. 22. 24—26. 30. 31. 33. 34. 36. 38—41. 43—48. 51—56.	XIII
	2. *Carm.* 4. 27. 50.	XXVIII
Catullus.	3. *Carm.* 8. 20. 29. 55. 27. 42. 57. 58.	XXIX
	4. *Carm.* 11. 49.	XII
	5. *Carm.* 18.	LVI
	6. *Carm.* 23.	XXXII
	7. *Carm.* 28.	XLVI
	8. *Carm.* 32.	XCVII
	9. *Carm.* 59.	XCIX
	10. *Carm.* 60, 62.	II
	11. *Carm.* 61.	XXX
	12. *Carm.* 63—115.	LX
	13. *Carm. Priap.* 86. *et* 87.	LIII
Cicero.	1. *In Arateis*	II
	2. *In Graecis quibusdam a se versis,*	XXVIII
P. Syrus *In Mimis,*		XXVIII et XXXIX
Horatius.	1. *Carm.* I. 1. III. 30. IV. 8.	XLV
	2. *Carm.* I. 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II. 2. 4. 6. 8. 10. 16. III. 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. IV. 2. 6. 11. *Secul.*	XXVI
	3. *Carm.* I. 3. 13. 19. 36. III. 9. 15. 19. 24. 25. 28. IV. 1. 3.	LXXXVII
	4. *Carm.* I. 4.	XC.

Digitized by Google

No.

Horatius.
5. *Carm.* I. 5. 14. 21. 23. III. 7. 13. IV. 13 CV
6. *Carm.* I. 6. 15. 24. 33. II. 12. III. 10. 16. IV. 5. 12. XCVIII
7. *Carm.* I. 7. 28. *Epod.* 12. LXII
8. *Carm.* I. 8. LXXXVI
9. *Carm.* I. 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II. 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20. III. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 17. 21. 23. 26. 29. IV. 4. 9. 14. 15. CIV
10. *Carm.* I. 11. 18. IV. 10.
11. *Carm.* II. 18. LXXVIII
12. *Carm.* III. 12. L
13. *Carm.* IV. 7. LXI
14. *Epod.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. LXXIV
15. *Epod.* 11. LXXV *vel* CII
16. *Epod.* 13. LXVIII
17. *Epod.* 14. 15. LXV
18. *Epod.* 16. LXVI
19. *Epod.* 17. XXVIII
20. *Satyr. Epist et de arte Poët.* II.

Tibullius.
1. *In Libris Elegiarum* IX
2. *In Paueg. ad Messalam,* II
3. *In Priapeio carm.* 83. XXVIII

Propertius, Palladius, Rutilius, Cor. Maximianus Gallus. LX

Ovidius.
1. *In Metam. et Halieut.* II
2. *In aliis ejus operibus,* IX

Auctor Pervigilii Veneris, XXXIX

Pedo Albinovanus.
1. *In tribus Elegiis,* LX
2. *De navig. Germanici, ap. Senec. Suas.* 1. II

Phaedrus, XXVIII

Seneca Philosophus.
1. *In Epigrammatis super exilio suo,* IX
2. *In Apocolocynth,* II. XXVIII XIX
3. *In versibus ex Cleanthe traductis,* XXVIII

Seneca Tragicus.
1. *In actibus Tragoediarum,* XXVIII
2. *In Chorio,* XVIII, XLIV, XLI, etc.

Petronius Arb.
1. *Satyr. cap.* 5. XXIX
2. *cap.* 15. 79. 93. 109. *extr. et Fragm. var.* XLII
3. *cap.* 132. XLIX
4. *Fragm. p.* 669. *et* 670. XXIII
5. *Aliis locis* *vel* II *vel* LX

Persius.
1. *In praefat.* XXIX.
2. *In Satyris,* II

No.

Statius.
1. *Silu.* I. 6. II. 7. IV. 9. XLII
2. *Silv.* IV. 5. CIV
3. *Silv.* IV. 7. XCVI
4. *In aliis operibus,* II

Martialis.
1. *Epig.* I. 1. 11. 67. 78. 85. 90. 97. 114. II. 11. 17. 57. 65. 74. III. 7. 20. 22. 25. 41. 47. 58. 64. 82. 93. IV. 17. 37. 61. 65. 70. 82. V. 5. 14. 18. 27. 29. 36. 58. 42. 52. 55. VI. 26. 39. 74. VII. 7. 20. 26. VIII. 10. 19. 44. 61. IX. 2. 7. 23. 34. 76. 99. X. 3. 5. 22. 30. 62. 74. 92. 100. XI. 62. 81. 99. 101. XII. 10. 13. 32. 51. 57. 65. 82. 88. XII. 61. XXIX
2. *Epig.* I. 2. 8. *et plurimis aliis locis,* XLII
3. *Epig.* I. 50. III. 14. IX. 78. LXXIV.
4. *Epig.* I. 54. II. 73. IV. 90. VI. 61. VII. 98. II
5. *Epig.* I. 62. LXXVI
6. *Epig.* III. 29. XLIX
7. *Epig.* VI. 12. XI. 78. XXVIII
8. *Epig. de Spectat. Et Epig.* 1. 3. 4. *et aliis quamplurimis,* LX

Apuleius, *carminibus aliquot suis operibus interspersit,* II, III, XXVIII

Terentianus Maurus *variis carminibus utitur, quae ipse plerumque omnia explicat.*

Ausonius.
1. *Epig.* 2. 3. 4. etc. *Parental.* 1. 2. 3. etc. *et plurimis aliis locis,* LX
2. *Praef.* 3. *ad Epig. Sap. sent.* 4. *Epist.* 4. *a* v. 80. *ad fin. et* 7. *a* v. 24. *ad* 36. *et Epist.* 11. XLII
3. *Epig.* 1. 29. 49. *et plurimis aliis locis,* II
4. *Parent.* 26. *et Praef.* 2. *Edyll.* 7. LXI
7. *Epig.* 17. 25. 26. 50. 68. *Parent.* 13. *Profess.* 2. 4. 5. *Poëtae Epil. et Epist.* 15. 22. LXXIV
6. *Epig.* 30. 96. 146. *Ephem.* 7. 4. *Epist.* 4. *a* v. 68. *ad* 80. *Epist.* 16. XXIV
7. *Epig.* 48. 67. 116. 117. 140. 142. 143. *et aliis nonnullis locis,* XXVIII
8. *Epig.* 51. LXXX

Digitized by Google

		No.
Ausonius.	9. *Epig.* 78. 78. *Parent.* 28.	V
	10. *Epig.* 128. *Epist.* 7. v. 19.	XXIX
	11. *Ephem. carm.* 1. *Prof.* 7. 8.	XCVI
	12. *Parent.* 17. v. 1. *reliqui,*	XXVIII XI
	13. *Parent.* 25.	LXX
	14. *Parent.* 27.	I
	15. *Profess.* 6.	XIX
	16. *Profess.* 10.	IV
	17. *Profess.* 11. *Sap. Sentent.* 5. *Edyl.* 7. Praef. 1.	XXIX
	18. *Profess.* 19. *Epist.* 3.	LXVI
	19. *Profess.* 21.	XCII
	20. *Sap. Sent.* 3. *Epist.* 7. v. 36. *ad fin.*	XLV
	21. *Sap. Sent.* 6. *et Eidyll.* 7. *car.* 2.	LVII
	22. *Sap. sent.* 7.	III
	23. *Epist.* 5. 10.	LXV
Rufus Festus. Avienus.	1. *Descript. arb. ter- et Araticis,*	II
	2. *Descript. orae maritimae,*	XXVIII
	3. *Fab. Aesop.*	LX
D. Ambrosius *in Hymnis,*		XXIV
Prudentius.	1. *Praef. Cathem.*	CIII
	2. *Cath.* 1. 2. 11. 12. *peri Stheph.* 12. 5.	XXIV
	3. *Cath.* 3. *p. Steph.* 3.	V
	4. *Cath.* 4. *p. Steph.* 6.	XLII
	5. *Cath.* 5. I. *contr. Symmach. Praef.*	XLV
	6. *Cath.* 6.	XXXIII
	7. *Cath.* 7. *p. Steph.* 10. *Praef. Hamart. Praef. Psychom.*	XXVII
	8. *Cath.* 8. *p. Steph.* 4.	XCVI
	9. *Cath.* 9. *p. Steph.* 1.	XXXIX
	10. *Cath.* 10.	XI *vel* XX
	11. *p. Steph. Praef.*	LXXVIII
	12. *p. Steph.* 7. *contr. Sym. II. Praef.*	XLIV
	13. *p. Steph* 8. 11.	LX
	14 *p. Steph.* 9.	LXVI
	15. *p. Steph.* 12.	XC
	16. *p. Steph.* 13.	LI
	17. *p. Steph.* 14.	XIV
	18. *Apoll. Praef.* 2.	LXXIV
	19. *Apoth. Hamart,* etc.	II
Claud.	1. *Carm.* 1. 3. 5. 7. *et aliis multis,*	II
	2. *Carm.* 2. 4. 6. *et pluribus aliis,*	LX
Claud.	3. *Carm.* 11.	XIV
	4. *Carm.* 12	XCV
	5. *Carm.* 13.	XVIII.
	6. *Carm.* 14.	XLV
Cael. Sedulius Scotus.	1. *Op. paschal.*	II
	2. *Vet. et nov. Testam. collat.*	LX.
	3. *Hymn. de Christo,*	XXIV
Sidonius Apoll.	1. *Epist.* II. 8. 10. III. 12. *et pluribus aliis,*	XLII
	2. *Epist.* IV. 8. 18. V. 17. *et aliis,*	IX
	3. *Epist.* IX. 13. *metr.* 1.	XLV
	4. *Epist.* IX. 13. *metr.* 2.	XXXVIII
	5. *Epist.* IX. 15.	XXVIII
	6. *Epist.* IX. 16.	XCVI
	6. *Epist.* IX. 16.	XCVI
	7. *Carm.* 2. 3. 7. 11. etc.	II
Martianus Capella.	1. *Lib.* I. *metr.* 1. II. *metr.* 4. etc.	LX
	2. *Lib.* I. *metr.* 2. II. *metr.* 1. etc.	II
	3. *Lib.* I. *metr.* 3.	XIII
	4. *Lib.* I. 4. II. 5. 12. III. 3. IV. 2. V. 2.	XXVII
	5. *Lib.* I. 4. *part. post.* II. 7. IX. 4.	XLV
	6. *Lib.* II. *choro,*	XXII
	7. *Lib.* II. 6. VI. 5. IX. 7.	LIV
	8. *Lib.* II. 8.	XI
	9. *Lib.* II. *metr.* 8. v. 1. Troch. senar. hypercat.	
	10. *Lib.* II. 8. *praeter* v. 1.	LVII
	11. *Lib.* II. 9. Adon. dupl. et simpl.	
	12. *Lib.* II. 10. III. 1. VII. 2. VIII. 1.	XXIII
	13. *Lib.* IV. 3.	I
	14. *Lib.* IX. 3.	III
	15. *Lib.* IX. 4. 5. 6. mixto ex variis metris.	
Ven. Hon. Fortunatus.	1. *Poem. lib.* I. 16. *Lib.* II. 1. 2.	XXIV
	2. *Poem. Lib.* II. 5.	XXXIX
	3. *Poem. Lib.* VIII. 7.	XCVI
	4. *Caeteris operibus, vel*	II *vel* LX
Boëtius.	1. *Lib.* I. *metr.* 1. V. 1.	LI
	2. *Lib.* I. 2.	XII
	3. *Lib.* I. 3.	LXII
	4. *Lib.* I. 4.	XLII
	5. *Lib.* I. 5. III. 2. IV. 6. V. 3.	XVIII
	6. *Lib.* I. 6. II. 8. III. 11. IV. 3. V. 4.	XLIV

Digitized by Google

Boëtius.

	No.
7. *Lib.* I. 7.	VIII
8. *Lib.* II. 1. III. 12.	XXIX
9. *Lib.* II. 2.	LXXXVIII
10. *Lib.* II. 3.	LXXXII
11. *Lib.* II. 4.	LXXII
12. *Lib.* II. 5. III. 5.	XI
13. *Lib.* II. 6. IV. 7.	XLI
14. *Lib.* II. 7.	LXXIV
15. *Lib.* III. 1.	XIII
16. *Lib.* III. 3.	LXXIII
17. *Lib.* III. 4.	LXXXIV
18. *Lib.* III. 6.	LXIX
19. *Lib.* III. 7.	XXIII
20. *Lib.* III. 8.	LXXXIX
21. *Lib.* III. 9.	II
22. *Lib.* III. 10.	LXXXV
23. *Lib.* IV. 1.	LXXI
24. *Lib.* IV. 1.	LXXIX
25. *Lib.* IV. 4.	LXXXIII
26. *Lib.* V. 5.	XCI
27. *Lib.* V. 2.	X
28. *Lib.* V. 5.	LI

Buchananus.

	No.
1. *Ps.* 1. 18. 45. 78. 85. 89. 104, 107. 132. 135. *Francisc. Silv. Sphaer.* etc.	
2. *Ps.* 2. 20. 24. 57. 60. 69. 83. 93. 95. 97. 108. 109. 118. 126. 136. 147. *Epig.* III. *Pomp.* IV. 4. *Valent.* 5.	LXV.
3. *Ps.* 3. 6. 10. 21. 22. 27. 34. 38. 39. 41. 44. 48. 53. 62. 74. 76. 79. 87. 92. 110. 112. 115. 120. 127. 133. 134. 139. 141. *Iamb.* 1. 2. 3. 4. 5. 9. *Epig.* I. 49. *Miscel.* 23.	LXXIV
4. *Ps.* 4. III.	LXIII
5. *Ps.* 5. 17. 51. 55. 65. 67. 72. 90. 101. 103. *Misc.* 2. 9.	XCVI
6. *Ps.* 7. 11. 15. 19. 30. 46. 50. 56. 58. 77. 82. 92. 91. 123. 115. 140. 146. *Frat.* 5. 30. *Misc.* 1. 3. 4. 8. 11. 28.	CIV
7. *Ps.* 8.	LXXXI
8. *Ps.* 9. 64. 84. 150.	CV
9. *Ps.* 12.	
10. *Ps.* 13. 31. 37. 47. 52. 54. 59. 86. 96. 98. 117. 148. 149. 150. *Epig.* I. 30. *Epig.* III. *Pomp.* IV. 2. *Misc.* 16. 36.	XXIV
11. *Ps.* 14. 34. 43.	LXXVII
12. *Ps.* 16.	CIII
13. *Ps.* 23. 42. 75. 99. 102. 144.	
14. *Ps.* 25. 94. 106. *Fract.* 1. 2. 28. *Iamb.* 6. 7. 8. 10. 11. *Epig.* I. 68. *Epig.* II. 17. 19. 33. *Misc.* 14. 31. 32. 38.	XXVIII
15. *Ps.* 26. 29. 32. 49. 62. 71. 73. 143.	XIV
16. *Ps.* 28. 40. 80.	XIV
17. *Ps.* 33. 70. 121. 142.	LXXXII
18. *Ps.* 36. 63.	LXXIII
19. *Ps.* 66.	XCIII
20. *Ps.* 68.	XLIV
21. *Ps.* 81. *Frat.* 4. *Misc.* 28	LXV
22. *Ps.* 88. 114. 157. *Frat.* 5. 6. 7. etc.	LX.
2. *Ps.* 100.	LXXVII
24. *Ps.* 105. 119. 124. 129.	XXXIX
25. *Ps.* 113. *Pomp.* IV. 1. *Misc.* 30.	XVIII
26. *Ps.* 116. 122. 128.	XCVII
27. *Ps.* 131. *Epig.* I. 65.	XXIII
28. *Ps.* 138.	CI
29. *Ps.* 145.	C
30. *Fratr.* 14. 20. 21. *toto Hendecasyl. libro*, *Epig.* I. 66. *et aliis quibusdam.*	XLII
31. *Epig.* 5. *Pomp.* IV. 5.	XXVII
* *In Tragoed.* (*ut alii*)	XXXVIII XLIV, XLV, IX, XVIII, XLI, etc.

Digitized by Google

APPENDIX II.

De Variis Versuum et Carminum Appellationibus.

I.

VERSUS varias appellationes s. nominationes nacti sunt, 1. A *Dimensione.* 2. A *Depositione* seu *clausula.* 3. Ab *Inventoribus* suis aut *Celebratoribus.* 4. A *potiore* seu *crebriore* in ipsis *pede.* 5. A *numero syllabarum.*

I. Ratione DIMENSIONIS, versus est *monometer*, *dimeter*, *trimeter*, *tetrameter*, *pentameter*, *hexameter*, *heptameter*: Graecis μονόμετρος, δίμετρος, τρίμετρος, a μόνος, unus; δὶς, bis; τρὶς, ter; etc. ac μέτρον, mensura. Ubi notandum, in iis versibus, quorum dimensio fit per monopodiam, metrum et pedem conveuire: ut versus dimeter sit, qui duobus; trimeter, qui tribus constat pedibus, et sic porro. At in versibus Iambicis et Trochaicis, in quibus (ut supra diximus) dimensio fit per dipodiam, seu binos pedes junctos, metrum duos pedes comprehendit: ut versus monometer sit Latinis binarius, qui duobus; dimet. Lat. quaternarius, qui quatuor; trimeter Lat. senarius, qui octo pedibus constat.

II. Ratione DEPOSITIONIS, versus est, vel *acatalecticus*, vel *catalecticus*, vel *brachycatalecticus*, vel *hypercatalecticus*: sive brevius, *acatalectus*, *catalectus*, *brachycatalectus*, et *hypercatalectus.* De quibus sigillatim dictum supra.

III. Ab INVENTORIBUS, seu CELEBRATORIBUS, versus dicuntur, *Alcaici*, *Alcmanii*, *Anacreontici*, *Archilochii*, *Aristophanii*, *Asclepiadei*, *Euripidei*, *Glyconii*, *Hipponactei*, *Phaleucii*, *Pherecratii*, *Pindarici*, *Sapphici*, etc. a Graecis Poetis, Alcaeo, Alcmane, Anacreonte, Archilocho, Aristophane, Asclepiade, Euripide, Glycone, Hipponacte, Phalaeco, seu Phaleuco, Pherecrate, Pindaro, et poëtria Sappho; qui id genus versuum vel primum invenerint, vel multum excoluerint, etc. Quibus adde versus *Adonios*, sive *Adonicos*, in threnis Adonidis usurpatos.

IV. A POTIORE, seu CREBRIORE in ipsis PEDE, versus appellantur, *Pyrrhichii*, *Anapaestici*, *Iambici*, *Trochaici*, etc.

V. A NUMERO SYLLABARUM versus dicuntur, vel *Pentasyllabi*; ut Adonii: vel *Octosyllabi*; ut, Glyconii: vel *Hendecasyllabi*; ut, Sapphici, Alcaici tetrametri hypercat. et (quibus per eminentiam hoc nomen inditum est) Phaleucii, etc.

Digitized by Google

II.

Carmina varia nomina sortita sunt, 1. A *Compositione*, seu genere versuum ex quibus componuntur. 2. A *Reversione*, seu *Stropharum numero*. 3. A *numero versuum* ex quibus constant. 4. A *materia* circa quam versantur. 5. A peculiari *forma* et artificio. 6. A *modo tractandi*. 7. A *Genere dicendi*, seu *charactere*.

I. Ratione COMPOSITIONIS, seu generis versuum ex quibus componitur, carmen est vel *Monocolon*, vel *Dicolon*, vel *Tricolon*. De quibus diximus supra.

II. Ratione REVERSIONIS, seu *numeri* STROPHARUM, carmen est vel *Distrophon*, vel *Tristrophon*, vel *Pentastrophon*. De quibus itidem dictum.

III. A NUMERO VERSUUM, ex quibus constat, carmen dicitur vel *Monostichon*, quod uno versu absolvitur; vel *distichon*, quod duobus; *tetrastichon*, quod quatuor; *hexastichon*, quod sex; *ogdoastichon*, quod octo; *decastichon*, quod decem versibus constat, etc. sic nominata a στίχος *versus*; unde et *hemistichium*, quod *dimidium versum* significat.

IV. A MATERIA circa quam versantur, carmina varia nomina acceperunt. Ex his praecipua sunt, 1. Ex rebus laetis, *Genethliaca*, *Epithalamia*, *Propemptica*, *Apobateria*, *Epibateria*, *Epinicia*, *Scolia*. 2. Ex rebus tristibus, *Elegia*, sub qua *Threni*, *Epicedia*, *Epitaphia*. 3. In rei laudem, *Hymni*, *Soteria*, *Eucharistica*, *Encomiastica*, *Panegyrica*, *Paedenteria*. 4. In rei vituperium, *Invectiva Satyrica*. 5. Cum bene vel male alicui precamur; ut, *Proseuctica*, *Strenae*, *Dirae*.

1. Genethliacon est carmen in honorem natalium conscriptum. Quale est Virgilii Eclog. iv. Statii Silv. ii. 7. Buchanani Silv. vii. etc.

2. Epithalamium est, quo nuptiae celebrantur, alio nomine, *Hymenaeus* et *Talassio* dictum. Talia sunt Catulli carmina 59. 60. et 62. Claudiani 10. et 31. Statii Silv. 1. 2. et Buchanani nostri longe nobilissimum, et cuivis e veteribus facile aequiparandum, Francisci Valesii et Mariae Stuartae, Regum Franciae et Scotiae, Epithalamium, Silv. iv.

3. Propemptic on est, quo abeuntes votis et bonis ominibus prosequimur. Cujusmodi est Horatii carm. i. 3. Epod. 1. Statii Silv. iii. 2. Sidonii carm. 24.

4. Apobaterion est, quo utuntur discedentes. Hujus generis est oratio Aeneae ad Helenam et Andromachen, ap. Virg. Aen. iii. 490. seq.; item Ovidii Trist. 1. 3. nisi quod ad classem rerum tristium referendum sit.

5. Epibaterion est, quo reduces alloquuntur suos populares. Hujus exemplum exhibet Siberius in Epicis, p. 309.

6. Epinicion est carmen triumphale, quo victoribus gratulamur. Cujusmodi est Mosis carmen, Exod. cap. xv. Deborae Judic. cap. v. Odae Pindaricae omnes, Horatii carm. iv. et 14. Buchanani Miscell. i. 8. et 23.

7. Scolion est carmen convivale, quo vel laudes fortium virorum celebrantur, vel aliae sententiae ad recte vivendum introducuntur. Huic generi affines videntur Horatii lib. I. Odae 26. et 36.

8. Elegia in genere est carmen lugubre; unde carmen Elegiacum; de quo supra.

9. Threni sunt carmina lugubria, praecipue in eversione urbium aut regionum: quales illi, quibus in libris Divinis vates Jeremias eversam deflet sanctam civitatem. Ex hoc etiam genere est Buchananiana Silva v.

Digitized by Google

10. Epicedium est carmen funebre in defunctos: qualia sunt Catulli in fratrem, carm. 98. Horatii in Quinctilium, carm. i. 24. Ovidii in Tibullum, Amor. III. 9. Statii in patrem, Silv. v. 5. in filium, Silv. v. 5. Buchanani in Jo. Calvinum, Miscel. 24. etc.

11. Epitaphium est carmen tumulo inscriptum vel inscribendum: ut, illud Virg. in Daphnidem, Eclog. i. 43. 44. Ovidii in Phaëthontem, Met. II. 326. 327. in Didonem, Heroid. VII. extr. Ausonii in Heroas, qui bello Trojano interfuerunt, Buchanani Justa, Epigramm. lib. II. etc.

12. Hymnus est carmen in laudem Dei: Vel: 1. Veri, unici, et viventis: quales sunt Psalmi Davidici, Hymni Synesii Cyrenaei. D. Ambrosii, Aur. Prudentii, Sedulii Scoti, Venantii Fortunati, etc.: Vel. 2. Falsorum numinum, quales cecinerunt Orpheus, Linus, Musaeus, Homerus, Callimachus, aliique Ethnici. In specie autem laus Apollinis dicebatur, *Paean*; Bacchi, *Dithyrambus*. Ex hoc genere sunt Horatii carm. I. 21. et II. 19.

13. Soteria sunt, quibus Deo pro Salute praestita gratias agimus; cujusmodi sunt illa Ezechiae ap. Esaiam c. XXVIII. a v. 9. Statii pro Rutilio Gallico, Silv. i. 4. etc.

14. Eucharisticon est, quo alicui ob beneficia gratias agimus; quale est Catulli ad Ciceronem, carm. 47. Statii ad Domitianum Imp. Silv. IV. 2. Sidonii Apoll. ad Faustum Reiensem Episcopum, carm. 16. Buchanani ad Franc. Oliviarium Franciae Cancellarium, Misc. 4.

15. Encomiasticon est, quo hominis vel rei alicujus laudes canimus. Talia sunt, laus Drusi ap. Horat. carm. IV. 4. et 14. Augusti ap. eund. IV. 15. Septimii Severi ap. Stat. Silv. IV. 5. Priscillae, Silv. V. 1. Serenae Reginae ap. Claudian. carm. 29. Villae Tiburtinae ap. Stat. Silv. I. 3. Platani, Silv. II. 3. Equi ap. Buchan. Silv. VI.

16. Panegyricum est carmen laudatorium quod recitatur ad multitudinem congregatam. Quo in genere primas tenet Claudianus: nt Sidonium Apollinarem, Casp. Barlaeum, et alios omittam.

17. Paedeuterion est quo Praeceptoribus ob animi culturam gratias agimus. Huc pertinet Persii Satyra V. in qua a v. 20. ad 65. amorem suum et gratum animum adversus praeceptorem Cornutum testatur.

18. Invectivum est, quo vitia alicujus insectamur. Ex eo genere sunt Horatii Epodi quidam: item carm. II. 15. et III. 6. et 24. Buchanani Franciscarus et Fratres, etc.

19. Satyricon, sive Satyra, est carmen multiforme, mordax et salsum, ad corruptos hominum mores corrigendos accommodatum.

20. Proseucticon, sive Votivum, est quo nobis vel aliis salutem vel felicitatem precamur. Qualia Tibulli Eleg. I. 3. Horatii carm. I. 3. et 35. Quibus addas licet ejusdem et Catulli carmina secularia.

21. Strena est quod muneris loco, ineunte novo anno, datur, boni ominis causa: cujusmodi varias habet Buchananus, Epigr. lib. III.

22. Diraë est carmen, quo malum aut perniciem alicui imprecantes utuntur. Qualia sunt Ovidii in Ibin. Horatii in Maevium, Epod. X. et Val. Catonis (cui id nominis dedit) in Battarum carmen.

V. A peculiari FORMA seu ARTIFICIO carmina variis nominibus insigniuntur. Ex his potissimum memoranda sunt *Ode*, seu carmen *Lyricum*: *Epistola*, seu *carmen Epistolicum*, *Epigramma*, *Emblema*

Digitized by Google

Aenigma, et quae hujus species quaedam sunt, *Griphus*, *Anagrammatismus*, *Eteostichon*, *Acrostichon*, *Echo*, *Palindromus*, *Paralleli*, etc.

1 ODE, sive Melos, est carmen breve ad lyram seu chelyn cani aptum: unde ejusmodi carmina Lyrica dicuntur. Quo in genere longe omnibus antecellit Romanae fidicen lyrae Horatius. Huic proximi Buchananus noster, et Casimirus Sabievius.

2. Epistola, seu Epistolicum carmen, est quo absentes de re aliqua certiores facimus. Qualia sunt ejusdem Horatii eo nomine libri duo, Ovidii Heroides, ojusdemque ex Ponto scriptae Epistolae, et pleraeque Tristium Elegiae.

3. Epigramma est carmen breve, venustum, argutum, rem unam tantummodo indicans, aut ex propositis deducens. Hoc in genere excelluerunt inter veteres Catullus et Martialis; inter recentiores, Buchananus, Beza, Owenus, Vavassor, etc.

4. Emblema est carmen morale picturae vel symbolo additum: qualia Alciati, Sambuci, Reusneri, Herm. Hugonis, etc.

5. Aenigma, vel Aenigmaticum Carmen, est quo quaestio obscura explicanda proponitur: quale est illud de Somno:

Sponte mea veniens varias ostendo figuras;
Gigno metus vanos nullo discrimine veri;
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

6. Griphus, vel Logogriphus, est carmen aenigmaticum ex eodem nomine multa significata eruens. Sic e voce *Muscatum*, fit *mus*, *musca*, *mustum*; unde distichon,

Si caput est, currit: ventrem conjunge, volabit:
Adde pedem, comedes: et sine ventre, bibes.

7. Anagramma, vel Anagrammatismus, est aenigmatis species novam vocem vel sententiam ex alia, transpositione literarum, eliciens. *Carmen* vero Anagrammaticum est quod Anagrammatismos evolvit. Sic ex nomine *Alstedius* fit *Sedulitas*; cujus anagrammatis hanc evolutionem dedit ipse mirificae plane sedulitatis vir Jo. Hen. Alstedius,

Ut possis, mea mens, doctisque Deoque placere,
Sit pia sedulitas, sedula sit pietas

Tale et est hoc Jo. Cargae; ubi etiam versu inclusus est Anagrammatismus,

Rudolphus Secundus de Austria Imperator,
Ardoris vacuus tu de splendore triumphas.

Caeterum in his curandum, ut literae in utrisque eaedem sint, nec plures, nec pauciores.

8. Eteostichon (quod et Chronostichon) est carmen aenigmaticum literis numeralibus certum annum designans. Sic iste versus Ovidii continet causam et tempus mortis Caroli filii Philippi II. Hispaniarum Regis, patris jussu interempti,

FILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos. 1568.

Ejusdem generis est illud de Carolo II. Britanniarum Rege, ad avita regna reduce, nummo inscriptum, A. D. 1660.

CeDant arMa oLeae, paX regno serenat et agros.

*Lex hujus carminis est, ut nulla litera numeralis vel desit vel supersit.

9. Acrostichis est carmen aenigmaticum, cujus literae initiales [vel etiam mediae et finales, vel certa ab aquin serie disposi-

Digitized by Google

tae] vocem aliquam vel sententiam exhibent. Talia sunt Plautinarum Comoediarum argumenta, Acrostichis Sibyllina de Christo, ab Eusebio et D. Augustino memorata, Optatiani Porphyrii ad Constantinum Imp. carmina, etc. Exempli loco sit illud Mich. Raidi de nomini Iesus.

Inter cuncta micans	*Igniti sidera coel* I,
Expellit tenebras	*E toto Phoebus ut orb* E;
Sic coecas removet	*IES US caliginis umbra* S,
Vivificansque simul	*Vero praecordia mot* V
Solvem justitiae	*Sese probat esse beati* S.

10. Echo est carmen quod in fine periodorum syllabas extremas repetit, quae aut sententiam illustrant, aut diversum aliquid vel inexpectatum subinferunt. Cujusmodi sunt haec:

Dic, an dives ero, si carmina scripsero? sero.
Ipse ait hoc? ait hoc. *Cur ita clamat?* amat
Vere novo Sponsum me fore rerie? eris.
Quae res difficiles sunt in amore? morae.

11. Palindromus, quem et *Recurrentem* et *Reciprocum versum* appellant, est qui antrorsum et retrorsum legi potest. Retro autem commeat vel vocibus solum, vel literis singulis vel utrisque. Ac interdum eodem metri genere, interdum diverso. Aliquando eodem sensu, aliquando contrario.

(1.) Vocibus integris, sensu eodem, eodemque metri genere, recurrit hoc Virg. Aen. 1.

Musa mihi causas memora, quo numine laeso.

Si retro legatur, fiet:

Laeso numine quo, memora causas mihi Musa.

Sensu contrario, recurrit hoc Philelphi in Pium II.

Conditio tua sit stabilis, nec tempore parvo
Vivere te faciat hic Deus omnipotens

Ubi Poëta pontifici longam atque felicem vitam optare videtur: at si ordine inverso legas, vitam ei brevem infaustamque imprecari. Nam sic erit;

Omnipotens Deus hic faciat te vivere parvo
Tempore, nec stabilis sit tua conditio.

Hic autem pentameter Ovid. Trist. v. 11. 10.

Melior est culpam poena secuta meam.

Inversus fit, eadem manente sententia Iambicus trimeter,

Meam secuta poena culpa est mollior.

At in hoc,

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo,

si voces invertas et sententiam contrariam, et ex hexametro pentametrum habebis, hoc modo,

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

(2.) Literae singulae retro legi possunt in hoc Scaligeri,

Si bene te tua laus taxat, sua laute tenebis.

Item in hoc disticho, quod nonnulli Diabolo adscribunt,

Signa te, signa; temere me tangis et angis.
Roma tibi subito motibus ibit amor.

(3.) In hoc denique, utroque modo legas, et literae et voces manent eaedem:

Digitized by Google

Otto tenet mappam, madidam mappam tenet Otto.

12. *Versus* Paralleli, seu Correlativi, sunt in quibus voces unius versus vel hemistichii vocibus alterius versus vel hemistichii certo ordine respondent: ut,

Temporibus nostris quicunque placere laborat,
Det, capiat, quaerat, plurima, pauca, nihil.

In cujus distichi versu altero, prima prioris hemistichii vox primae posterioris, secunda secundae, tertia tertiae respondet, hoc modo: *Det plurima, capiat pauca, quaerat nihil.*

Itidem in illo, quod Virgilio tribuitur,

Pastor, orator, eques, pavi, colui, superavi,
Capros, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

excipiendae primum sunt sibique conjungendae hemistichiorum omnium voces primae, dein secundae, ac demum tertiae, hoc modo: *Pastor pavi capros fronte; orator colui rus ligone; eques superavi hostes manu.*

VI. A MODO TRACTANDI carmen triplex nomen acquisivit 1. *Exegeticum.* 2. *Dramaticum.* 3. *Mixtum.*

1. Exegeticum, sive *Expositivum*, est quod simplici et directa expositione constat, sive in quo non interveniunt aliae personae, sed auctor ipse loquitur.

Ejus genera varia sunt, e quibus haec praecipua:

(1.) Historicum, quod genealogias, aliasve historias recenset: ut: ut, Hesiodi Theogonia, Ovidii Fasti. Huc referunt quidam et Lucanum, sed adversatur Scaliger.

(2.) Didascalicum, quo Philosophicae, Oeconomiae, et aliarum artium doctrinae continentur. Ejusmodi sunt Hesiodi opera et dies, Virgilii Georgica, Lucretii et Sereni Sammonici opera, Arati Phaenomena, Rutilii itinerarium, Prisciani Periegesis, Manilii Astronomica, Buchanani Sphaera, etc.

(3.) Angelticum, quo traduntur praecepta moralia: ut, Sententiae Theognidis et Phocylidis, Aurea carmina Pythagorae, Disticha Catonis, Palingenii Zodiacus vitae, etc.

(4.) Epistolicum, quod tractat materias epistolares, i. e. varias, prout in epistolis fieri consuevit. etc.

2. Dramaticum, sive *activum* carmen est, quod actiones personarum per ipsas, sine auctoris interlocutione, exhibet. Huc pertinent carmen *Bucolicum*, *Comoedia* et *Tragoedia*.

(1.) *Carmen* Bucolicum est, quod res sive actiones pastorum repraesentat. Estque vel *μονοπρόσωπον*, quo inducitur persona una tantum: vel *ἀμοιβαῖον*, quo plures personae alternis cantantes introducundur. Illius exemplum est in Virgilii Eclogis, 2. 4. 6. 10. Theocriti Idylliis, 2. 3. 11. etc. hujus in Eclogis, 1. 3. 5. et Idylliis, 1. 4. 5. etc.

(2.) Comoedia est drama civiles et privatas actiones exitu laeto repraesentans.

(3.) Tragoedia est drama illustrium personarum calamitates, tristemque interitum exprimens.

(4.) Mixtum *carmen* est, quod ex utroque exegetico et dramatico constat, i. e. quod modo rem simpliciter exponit, modo personis ipsis sermonem attribuit.

Tale praecipue est *Epos*, sive *carmen Epicum* aut *Heroicum*.

Digitized by Google

Est igitur Epos carmen mixtum de illustribus illustrium personarum actionibus agens: vel quod varia rerum vicissitudine sublimium personarum res gestas describit.

VII. A GENERE DICENDI, seu CHARACTERE, carmen rursus triplex est. Vel enim in *tenui*, vel in *mediocri* seu *florido*, vel in *sublimi* seu *magnifico* dicendi genere versatur.

1. Tenue dicendi *genus* praecipue amant Didascalicum, Angelicum, Epistolicum, Epigramma, Aenigma, et similia; itemque Comoedia.

2. Magnificum potissimum requirunt hymnus, carmen Panegyricum, Lyricum, Tragoedia, et Epos.

3. Reliqua in mediocri genere consistunt, vel variant.

Sed haec hactenus: de singulis enim plenius et distinctius agere non patitur instituti nostri ratio. Quibus haec penitus nosse est animus, adeant Poëticae Scriptores, Aristotelem, Jul. Scaligerum, Professores Giessenos: Mambranum et Bossium de carmine Epico, Evanthium et Donatum de Comoedia et Tragoedia, Nic. Heinsium et Is. Casaubonum de Satyra, Vavassorem de Epigrammate, etc.

Digitized by Google

INDEX I.

CONSPECTUS PARTIS PRIORIS.

De etymologia P. 1
Liber primus s. de nomine 2
Cap. I. s. de generibus nominum 4
Regulae generales 4
Regulae speciales 14
Cap. II. de regulari nominum declinatione 43
Regulae generales 43
Regulae speciales 46
De declinatione prima 46
De declinatione secunda 50
De declinatione tertia 58
De declinatione quarta 101
De declinatione quinta 101
Cap. III. s. de irregulari nominum declinatione 107
De nominibus variantibus 107
De heterogeneis 107
De heteroclitis 111
De defectivis 112
Deficientia declinatione 112
Deficientia casu 117
Deficientia genere 136
Deficientia numero 138
De abundantibus 161
Cap. IV. s. de nominum comparatione 168
De comparatione analoga 168
De comparatione anomala 173
De comparatione defectiva 174
Appendix I. s. de comparatione participiorum 183
Appendix II. s. quaedam de comparativo in genere observationes 185
Cap. V. s. de nominum specie et figura 186
De specie nominum 186
De primitivis 187
De derivativis 187
De denominativis h. e. patronymicis, gentilibus, possessivis, deminutivis, amplificativis, etc. 187
De verbalibus 192
De participialibus, adverbialibus etc. 193
De figura nominum 193
De simplicibus et compositis 193
De numeralibus 194
Liber secundus s. de pronomine 196
De figura pronominum h. e. de pronominibus simplicibus et compositis 196
De specie pronominum h. e. de pronominibus primitivis et derivativis 197
De genere pronominum h. e. de pronominibus substantivis et adiectivis 199

Digitized by Google

De casibus, numeris, personis, motione et declinatione pronominum 200
De pronominibus compositis 202
Liber tertius s. de verbo 204
De verbo in universum 204
De praeteritis et supinis 208
a) Regulae generales 208
b) Regulae speciales 210
De coniugatione prima 210
De coniugatione secunda 215
De coniugatione tertia 223
De coniugatione quarta 255
De verbis irregularibus 265
De verbis anomalis 265
De verbis defectivis 267
De verbis impersonalibus 270
De verbis abundantibus 275
Append. I. De verbis quae significationem variant 279
Append. I. De coniugatione prisca s. obsoleta 281
De genere, specie et figura verborum 285
De generibus verborum h. e. de verbo activo, passivo, neutro, deponenti et communi 286
De specie verborum h. e. de primitivis et derivativis 289
I. De primitivis 289
II. De derivativis 289
De verbis a nominibus derivatis h. e. *imitativis* et *derivativis* 290
De verbis ab aliis verbis derivatis h. e. *frequentativis, inceptivis, desideratívis* et *deminutivis* 290
De figura verborum h. e. de verbis *simplicibus* et *compositis* 295
Liber quartus s. de participio 297
De participiorum genere, declinatione, figura etc. 297
Append. De gerundiis et supinis 307
Liber quintus s. de partibus orationis indeclinabilibus 310
De adverbio 310
De praepositione 315
De interiectione 319
De coniunctione 320
Append. De figuris dictionis 324

CONSPECTUS PARTIS POSTERIORIS.

De syntaxi 1
Liber primus s. de syntaxi regulari 2
Cap. I. de concordantia 2
1) Adiectivi cum substantivo 5
2) Verbi cum nominativo 6
3) Relativi cum antecedente 17
Observatt. ad praecedentes concordantias 28
4) Substantivi cum substantivo 56
Append. De interrogativis et responsivis 59
Cap. II. De regimine 40
Sect. I. De regimine nominum 40
I) De regimine nominum substantivorum 40
De genitivo post nomen substantivum 41
Append. I. de pronominibus *mei, tui, sui, nostri* etc. et possessivis *meus tuus, suus* etc. 44

Digitized by Google

Append. II. de usu pronominum *sui* et *suus* 51
De substantivis cum adiectivis laudis vel vituperii 58
Append. de varietate huius constructionis 61
De adiectivis substantive positis 64
De verbis *opus* et *usus est* 66
II) De regimine nominum adiectivorum 69
Adiectiva verbalia vel animi affectionem indicantia regunt genitivum 70
Adiectiva poëtice genitivum regentia 73
Adiectiva partitionem significantia genit. regunt 79
Adiectiva commodum vel incommodum, similitudinem etc. significantia genitivum adsciscunt 86
Obss. ad regulam praedictam 89
Adiectiva dimensionem significantia accusativum regunt 100
Adiectiva ablativum regentia h. e. de comparativis, et *vv. dignus, fretus, venalis, caruus, ortus* etc. 101
Adiectiva copiae et inopiae vel genitivum vel ablativum regunt, interdum etiam aliter construuntur 109
Sectio II. De regimine verborum.
Sect. I. De regimine verborum personalium 114
A) Verba cum genitivo constructa 114
Esse cum genitivo et ablativo constructum 115
Satago, miseresco et *misereor* c. genit. constr. 118
Append. de aliis verbis, animi affectionem indicantibus, quae genitivum regunt 119
B) Verba dativum regentia 123
Esse c. dativo 123
Habere, dare, vertere, tribuere, ducere etc. cum duplici dativo constr. 123
Verba commodum v. incommodum significantia c. dativo constr. 126
Verba composita cum dativo constr. 127
Verba *favendi, auxiliandi, imperandi, serviendi, irascendi, fidendi* etc. reg. dativi 130
Verba *nubendi, supplicandi, temperandi* etc. cum dativo coniuncta 132
Verba neutra sub eadem significatione varie constructa 134
Verba poëtice cum dativo constructa 149
Verba sub diversa significatione varie constructa 151
Append. De constructione verborum *horiandi, invitandi, vocandi, spectandi* etc. cum praepositione *ad* 153
I) De verbis motum in locum significantibus 154
II) De verbis cum *ad* compositis eorumque regimine 154
C) Verba accusativum regentia 155
Verba active significantia accusat. adscisunt 155
App. De verbis neutris accusativum regentibus 157
Verba memoriae et oblivionis genitivum et accusativum regunt 161
App. De verbis *vestiendi* 163
D) De verbis activis alium casum una cum accusativo regentibus 164
De verbis *accusandi, damnandi, absolvendi* etc. 164
De verbis *comparandi, dandi, narrandi* etc. 171
De verbis *celandi, docendi, rogandi* etc. 175
De verbis *formandi, instruendi, dohandi* etc. 179
De verbis duplicem accusativum, alterum subiecti, praedicati alterum, adsciscentibus 180
Append. De horum verborum passive positorum constructione 181

Digitized by Google

E) Verba ablativum regentia 182
Ablativus pretii ibid.
App. De verbis aestimandi 185
De verbis copiae et inopiae, itemque *onerandi*, *privandi*, *ligandi*, *vestiendi*, *liberandi*, *solvendi* etc. 187
De verbis *vescendi*, *fruendi*, *utendi*, *fingendi*, *fidendi*, *nitendi*, *potiendi* al. 192

Sect. II. De regimine verborum impersonalium 199
Verba impersonalia dativum personae regentia 200
De constructione verborum *interest* et *refert* 201
De verbis *poenitet*, *taedet*, *miseret*, *pudet* et *piget* 204
De verbis *delectat*, *iuvat*, *decet*, *oportet* 206
De verbis *fallit*, *fugit*, *praeterit*, *latet* 208
De verbis *spectat*, *pertinet*, *attinet* 209
App. I. De verbis *passivis*, aliisque ablativum cum praepositione recipientibus 209
App. II. De *impersonalibus passivae vocis* 218

Sect. III. De regimine infinitivi, participiorum, gerundiorum et supinorum 224
A) De constructione infinitivi 224
Regit casum verbi 224
Ponitur post verba 224
Ponitur post nomina substantiva et adiectiva 225
De eius natura, qua omnium casuum partes sustinet 228
De accusativo cum infinitivo eiusque cum *quod* et *ut* permutatione 231
De usu infinitivi post *dubito*, *dubium est*, itemque de *an*, *num*, *utrum*, illi verbo subiectis 236
De constructione verborum *timendi*, *metuendi*, et num, iis subiicitur infinitivus 237
De usu formulae *fore*, *futurum esse ut* 238
B) De *recta* participiorum, gerundiorum et supinorum constructione 239
Participia, gerundia, supina regunt casum suorum verborum 239
Nomina verbalia interdum casum sui verbi adsciscunt 239
Participalia in — *bundus* cum casu suorum verborum constructa 240
De *particulari quorundam participiorum constructione* 141
De *particulari gerundiorum constructione* 242
De gerundio in — *dum* 245
De gerundio in — *di* 244
De gerundio in — *do* 246
De gerundio in — *dum* accusativi 249
De gerundio in — *do* ablativi 250
De gerundiis in gerundiva mutandis 251
De particulari supinorum constructione 256
α) prioris in — *um* 256
De infinitivo futuri passivi 257
β) posterioris in — *u* 259
Sectio IV. De constructione circumstantiarum 262
De *causae*, *modi*, *instrumenti* significandi rationibus 262
De *loci* significandi rationibus 269
a) Quum quaeritur per *ubi* 269
b) Quum quaestio fit per *quo* 275
c) Quum quaeritur per *unde* et *qua* 276
App. I. De nominibus *domus* et *rus* 276
App. II. Quibus locorum nominibus praepositio addenda sit 279
Obss. de verbo *peto*, et vv. *versus* et *usque* 285
De *spatii* s. *distantiae* loci significatione 286

Digitized by Google

De *tempore* recte significando 288
a) Quum quaestio fit per *quando* 288
b) Quum quaeritur *quanto tempore* vel *intra quantum tempus* 289
c) Quum quaeritur *quamdiu* vel *quamdudum* 293
De *ablativo absoluto* 295

Sectio tertia. De constructione vocum indeclinabilium.

I. De constructione adverbiorum 303
De convenientia adverbiorum generali 304
De convenientia adverbiorum speciali 305
α) Quae et quibus comparationis gradibus adverbia iungantur 305
β) Quae quibus modis adverbia iungantur 309
De regimine adverbiorum 315
II. De constructione praepositionum 321
Observv. de praepositionibus 331
III. De constructione interiectionum 338
IV. De constructione coniunctionum 340

Liber secundus s. de syntaxi irregulari.

Cap. I. De ellipsi ejusque speciebus 357
Ellipsis strictius dicta 358
Appositio 359
Synecdoche 359
Asyndeton 360
Ellipsis laxiore sensu accepta 360
Zeugma 362
Syllepsis 365
Syllepsis generum 365
Syllepsis personarum 366
Syllepsis numerorum 367
Prolepsis 368

Cap. II. De pleonasmo ejusque speciebus.

Pleonasmus strictius dictus 369
Parelcon 370
Polysyndeton 370
Hendiadys 370
Periphrasis 371

Cap. III. De enallage ejusque speciebus.

Antimeria 371
Enallage strictius dicta 373
Heterosis 376
Antiptosis 381
Synthesis 385
Anacoluthon 386
Hellenismus 387
Archaismus 389

Cap. IV. De hyperbato ejusque speciebus.

Anastrophe 390
Hysteron proteron 390
Hypallage 391
Synchysis 391
Tmesis 392
Parenthesis 393
Hyperbaton 393

App. I. De virtutibus et vitiis orationis.
Adp. II. De analysi s. expositione.
App. III. De ratione interpungendi.

Digitized by Google

EPITOME TERTIAE ET QUARTAE, PARTIS GRAMMATICAE S. DE ORTHOGRAPHIA ET PROSODIA.

De orthographia 1
Cap. I. De literarum numero et divisione 1
Cap. II. De literarum accidentibus h. e. ordine, figura, compositione, mutatione, cognatione, pro integris vocibus positione et in numeris notandis usu 2
Cap. III. De literarum scriptura 5
Cap. IV. De literarum pronuntiatione 7
Cap. V. De literarum in syllabas digestione 8
De Prosodia 10
Cap. I. De syllabarum quantitate 11
Regulae generales 12
Regulae speciales 15
App. de quarundam primarum ac mediarum syllabarum quantitate 29
Cap. II. De syllabarum accentu 39
Cap. III. De arte metrica 40
De pedibus versuum 40
De versus in genere constitutione 42
De caesura 42
De depositione 45
De dimensione 44
De synaloepha et ecthlipsi 44
De synaeresi et diaeresi 47
De systole et diastole 50
De aliis figuris 51
De carmine variisque carminum generibus 52
App. I. Pleniorem de variis carminum generibus commentarium exhibens 64
App. II. de variis versuum et carminum appellationibus 81

Digitized by Google

INDEX II.

A

A, ab, abs caussam efficientem, et locum, unde quid fiat, significat II. 212. 214. 267. 337.
— construitur cum ablativo II, 322.
— cum verbis passivis coniunctum II, 209.
— sequitur verba neutralia passiva II, 210.
— an post omnia verba passiva recte poni possit II, 213.
— verbis neutris subiicitur II, 211. 264. 267.
— ponitur post infinitivum futuri passivi II, 210.
— subiicitur verbis activis ad terminum, unde quid fiat, significandum II, 214.
— cum per compositum II, 212.
— ponitur post adiectiva alius, alter, secundus, tertius, proximus, alienus etc. II, 216.
— cum aliis adiectivis connectitur II, 264.
— poëtis ad modum indicandum adhibetur II, 267.
Ab cum adiectivis copiae coni. II, 113.
Ab epistolis alicuius esse, non alicui II, 89.
Ab armis positis et similia II, 301.
— quid differat ab absque II, 322 sqq.
— quando *a* et quando *ab* scribendum sit II, 337.
— quando abs locum habeat II, 337. seqq.
Abbreviaturae, quae vocantur App. 4.
Abdicare se magistratu II, 195.
Abesse c. dat. constr. II, 127.
Abhinc usus vocis II, 292.
Abhorrere constr. II, 119.
Abire magistratu II, 195.
Ablativus, unde dictus I, 42.
— caussam indicans II, 252.
— instrumenti II, 253.
— modi II, 265.
— materiae II, 269.
— comitatus etiam absque cum II, 268.
— loci, ubi quaeritur ubi, unde, et qua II, 270. 276. 283 sqq.
Ablativus loci interdum etiam ponitur, ubi nomina oppidorum insularum et regionum secundae et primae declinationis, ita ut quaeratur ubi, leguntur II, 274. 275.
— distantiam indicat II, 286.
— excessum mensurae sign. II, 101. 288.
— temporis varie usurp. II, 288 sqq. 293.
— pretii II, 182 seq. 184.
— cum substantivis conjunctus virtutem indicat II, 58 sqq.
— post vv. esse, fieri, haberi II, 59. 115 sqq.
— post verba copiae et inopiae pon. II, 188.
— post verba onerandi, levandi, solvendi, privandi, vestiendi II, 190.
— post verba vacuandi, instruendi, ornandi II. 191.
— post vv. nascendi, finiendi etc. II, 191.

Digitized by Google

Abl. post verba vescendi, fruendi, utendi etc. II, 192.
— post vv. assuescendi, amplectendi, complectendi, incessendi, gloriandi, laetandi II, 194.
— post verba potiendi, fungendi etc. cum accusativo permutatus II. 195.
— post verba passiva absque praepositione positus II, 212.
— post verba neutra II, 158. coll. 63.
— post arceo, prohibeo, pello etc. II, 216.
— post absolvo, libero, damno etc. II, 166. 167.
— post verba auferendi II, 173.
— absolutus II, 295 sqq.
— absolutus participiorum passivi I, 278. II, 297.
— absolutus ponitur interdum ubi idem subiectum manet, quod est in altera enuntiatione II, 302 sqq.
— post adiectiva dimensionis et mensurae II, 100.
— post adjectiva copiae et inopiae II, 109. 110.
— post adjectiva varii generis II, 79.
— post comparativos II, 101.
— post praepositiones vid. s. v. Praepositio.
— tertiae declinationis quomodo formetur I, 82 sqq.
— tertiae declin. in e et i confusus I, 82. 85.
— a nominibus oppidorum tertiae decl. etiam in — i formatus II, 270.
— adiectivorum in is I, 86. 89. 90.
— adiect. in s, es, ns, os, or I, 87. sqq.
— participiorum in — ns I, 88. II, 300.
— comparativorum singul. I, 89.
Abscondi et abscondidi I, 236.
Absconditus et absconsus I, 236.
Abscisus et abscissus I, 234.
Absente nobis II, 299.
Absolvere constr. II, 164.
Absque I, 317. II, 322.
Abstinere constr. II, 120 sqq.
Abstracta in plurali posita I. 140 sqq.
— pro concretis posita II, 375.
Abundantia nomina I, 161. sqq.
Abundantia verba I, 275.
Abundare constr. II, 188. sqq.
Abunde cum genit. II, 317.
Abusque II, 286.
Abuti cum ablat. et accus. II, 192. 195.
Ac, atque quid externa specie differant II, 343.
— in comparando ponitur II, 94.
— post comparativos II, 101.
Accedere constr. II, 151. 134.
Accidit constr. II, 135. 200.
Accingor II. 168. 175.
Accipiter cuius generis? I, 119.
Accommodare constr. II, 175.
Accubare constr. II, 135.
Accusare constr. II, 164. sqq.
Accusativus adhibetur ad significandam rem quae tanquam accidens cogitari debet II, 233.
— post verba activa et deponentia ponitur II, 155.
— pendet interdum ab omisso aliquo verbo II, 155, 334.
— in exclamatione ponitur II, 339.
— omittitur saepe post activa per ellips. II. 156.
— etiam aliter deest Ibid.
— per breviloquentiam explicandus Ibid.
— etiam verbis neutris additur. I, 286. II, 63. 157. 160. 220. sqq.
— cum verbis passivis construitur II, 63.
— post quaedam verba per varia explicandus II, 148.
— absolute ponitur II, 159.
— gerundio adjectus non ita raro servatur II, 251. seqq.
— cum adjectivis et participiis conjunctus partem, ad quam quid pertinet, significat II, 61. 359.
— loci, ubi quaerimus per quo II. 275. 276. 277. 284. 85 sqq.
— distantiam locorum indicans II, 286.
— loci verbis nunciandi et dandi etiam subiectus II, 275.
— temporis, cum quaestio fit per quamdiu II, 288 sqq. 299.

Digitized by Google

Acc. dimensionis s. mensurae II. 100.
— valoris II, 138.
— duplex, alter subiecti, alter praedicati post appello, nuncupo, facio, creo etc. II, 180.
— duplex, alter subiecti, alter rei, post moneo, commoneo etc. II, 170.
— post verba accusandi II, 169.
— duplex post celo, doceo etc. II, 175.
— post verba quaedam vulgo aliter constructa II, 179.
— rei ap. passiva servatur II, 170 seqq. 181 seqq. 359.
— post verba memoriae et oblivionis II, 161.
— personae post impersonalia poenitet, taedet, pudet etc. II, 204
— post juvat, decet, oportet II, 206.
— obiecti plerumque ponitur post verba cum super composita II, 129.
— et dativus post verba cum ad composita II, 154.
— duplex post verba cum trans comp. II, 328
— a substantivis verbalibus pendens II, 240.
— in — om I, 58.
— tertiae declinat. quomodo formetur I, 76. sqq. 100.
— — — quando in eis et is formatus sit I, 101.
— — — quando in as desinat I, 101.
— — — in ys contractus ex yas I, 101.
— — — nominum Graec. in eus I, 79.
Accusativus c. infinitivo ejusque varius usus illustratur II, 12. 281 sqq.
— — — post verba dicitur, fertur, videtur etc. II, 13.
Acinaces an acinacis I, 23.
Acquiescere constr. II, 135.
Activum quid sit? I, 286.
Activa accusativum regunt II, 155.
— constructionem variant II, 156.
Act. verba neutrali significatione posita I, 275. II, 156.
Ad accusativum regit II, 321 sq.
— verbis subiectum II, 153. al.
— post adiectiva positum II, 95, 96 sqq. 261.
— distantiam loci ind. II, 287.
— pretium indic. II, 185.
— numeralibus non in accusativo positis praemissum II, 384.
— cum gerundio ubi genitivum gerundii expectes II, 245.
— ante nomina oppidorum pos. II, 282 sqq.
— ad tempus notandum adhibetur II, 291, 293.
Adpraesens formula II, 290.
Adamas cuius generis I, 20.
Adeps cuius generis I, 35.
Adequitare constr. II, 135.
Adesse constr. II, 135.
Adhaerere constr. II, 135.
Adhaerescere constr. II, 135.
Adhinnire constr. II, 135.
Adiacere constr. II, 135.
Adiectiva declin. I, 13. 70 sqq.
— tertiae declin. in is interdum ablat. in e formant I, 86 sq.
— in er tert. decl. I, 87 sq.
— in es I, 87.
— in bs, ps, os, or Ibid.
— in bilis active et passive significant II, 99.
— in bundus I, 309.
— cum per composita II, 305.
— quae comparativo vel superlativo vel utroque gradu carent I, 174—182.
— duplicem declinationem sequentia I, 164.
— cum substantivo concordant in genere, numero et casu II, 3.
— in genere a substantivo discedunt interdum II, 3.
— quod genus substantivorum coacervatorum sequantur II, 5. 80 sqq. 82.
— duo singularia requirunt substantivum plurale II, 29.
— interdum sequuntur genus praedicati II, 5.
— sequuntur in genere nomen potius etiam ubi duo nomina per cum coniuncta sunt II, 34.
— substantive posita II, 3. 64. 92 sqq.

Digitized by Google

Adiectiva pro substantivis posita sequuntur genus nominis intellecti I, 14.
— plura cum uno substantivo absque copula iuncta II, 4 sqq.
— genitivum regentia II, 69 sqq.
— poëtice cum genitivo constructa II, 73—78.
— partitiva c. genit. constr. II, 79 sqq. coll. II, 65.
— cum genitivo partis vel rationis II, 62.
— pluralia neutrius generis cum genitivo constructa II, 65.
— dativum regentia II, 86 sqq.
— verbalia in —bilis c. dat. II, 98.
— accusativum regentia II, 100 sq.
— cum accusativo constructa II, 61 sq.
— ablativum regentia II, 101.
— cum dativo et genitivo constructa II, 90.
— genitivum et ablativum regentia II, 109 sqq.
— copiae et inopiae II, 109.
— privationis et participationis II, 110.
— temporis etc. pro adverbiis posita II, 373.
— cum praepositionibus constructa II, 89 sq. 93. 95. 113 sq.
— motum vel propensionem significantia cum ad constr. II, 96.
— cum infinitivo constructa II, 222. 225. 229. 261.
— cum supino secundo coni. II, 260.
— neutrius generis verbis adverbialiter apposita II, 159. II, 304.
Adigere aliquem iusiurandum II, 328.
Adimere unde derivatum I, 144.
Adipisci passive usurpatum I, 275.
— constructum varie II, 120 sqq.
Adiuvare cum dupl. accus. constr. II, 179.
Admodum II, 305.
Adnare constr. II, 135.
Adnatare constr. II, 135.
Ador an declinetur I, 117 sqq.
Adrepere constr. II, 135.
Adscribere constr. II, 175.
Adstare constr. II, 135.
Adstrepere constr. II, 135.
Adsuescere constr. II, 194. 220.
Adsultare constr. II, 135.
Adulari constr. II, 136.
Adulter adiectiv. I, 51.
Adultus I, 299.
Adusque II, 286.
Advenire constr. II, 135.
Adventare constr. II, 136.
Adverbia quid sint et quid significent I, 310. II, 303.
— unde formentur I, 311 sqq.
— plura eiusdem fere significationis coniuncta II, 370.
— comparata I, 315.
— relativa pro qui cum praepos. II, 374.
— genitivum partitionis regentia II, 80.
— dimensionis et mensurae constr. II, 100.
— pro substantivis posita II, 80.
— eorum constructio varia illustratur II, 303 sqq.
— adduntur verbis, participiis, adiectivis, substantivis, et aliis adverbiis II, 304 sqq.
— cum esse coniuncta II, 304. 374.
— verbis compositis addita interdum redundant II, 370.
— temporis, loci et quantitatis c. genitivo constructa II, 316 sqq.
— copiae et inopiae c. genitivo constr. II, 318.
— derivata regunt casum primitivorum II, 319.
— intendendi etiam cum superlativo constructa II, 305 sqq.
Adversari constr. II, 136. 154.
Adversus constr. II, 332.
Advertere animum aliquid II, 328.
Advigilare constr. II, 136.
Advolare constr. II, 136.
Aedepol I, 312.
— c. infinitivo II, 321.
Aedes quando in singulari numero ponatur I, 157.
— per ellips. omissum II, 42.
Aeger II, 79.
Aemulari constr. II, 151.
Aemulus constr. II, 70.
Aepy an indeclinabile I, 59.
Aequalis c. genit. et dat. II, 9.
Aequare constr. II, 172.
Aeque ac s, et II, 94.

Digitized by Google

Aequi consulere II, 186.
Aequiparare constr. II, 172.
Aequum est ut II, 235.
Aërem et aëra I, 79.
Aestimare constr. II, 186.
Aetas olim masculin. I, 21.
Affatim c. gen. II, 80. 317.
Afficere c. ablat. II, 193.
Affigere constr. II. 175.
Affirmativa e negationibus eruenda II, 361.
Afflare constr. II, 136. 175.
Affluere constr. II, 136.
Age, agite, agedum II, 321.
Agere sensu forensi quomodo constr. II, 165.
Agere aliquem furti II, 169.
Agillimus et agilissimus I, 172.
Ah! interi. II, 340.
Aio II, 260. 269.
— post nego supplendum II, 361.
Aiunt II, 7.
Ales cuius generis I, 21.
Algu I, 122.
Alienare constr. II, 92.
Alienus constr. II, 92.
Alienus ab II, 216.
Aliquantum et — o. II, 308.
Alitus pro altus I, 243.
Alius ab II, 216.
Alius c. genit. et ablat. II, 216.
Alius ac, atque, et II, 94.
Alius pro alter II, 86.
Alius redundare visum II, 83.
— cum plurali constr. II, 369.
Allabi constr. II, 136.
Allatrare constr. II, 136.
Allicere deriv. a lacere I, 224.
Alloiosis II, 377 sqq.
Alludere constr. II, 136.
Alpis in singul. I, 157.
Alter declinat. I, 53.
— seq. plurali II, 369.
Alter ab aliquo II, 216.
Alter pro alius II, 86.
Alternis I, 311.
Alterum tantum II, 3.
Alteruter declin. I, 44.
Altus constr. II, 100.
Alvus olim masculin. I, 28.
Am, amb I, 313.
Amabo I, 320. 311.
Ambage monoptotoon I, 120.
Ambiens — ientis I, 44. 74.
Ambitus et ambītus I, 255.
Ambo declin. I, 45. 56.
Amicire I, 257. II, 192.
Amicus et amicissimus substantive posita II, 3. 64. 92.
Amnis cuius generis sit I, 26.
Amphibolia II, 360.
Amplius de tempore usurp. II, 295.
An interrog. usus quidam in comparando II, 108.
Anacoluthon II, 298. 389.
Anastrophe praepositionum I, 314. II, 335. 336.
— aliorum nominum II, 392 sqq.
Ancilia, — orum I, 97.
Angiportus I, 43.
Ango, anxum, anctum I, 241.
Angor animi et similia II, 118.
Angor animo II, 121.
Anguis cuius generis I, 25.
Angustia et angustiae quid differant I, 158.
Anhelare seq. accusat. II, 158. 220.
Animadvertere constr. II, 151.
Animans variat genus I, 35.
Animare constr. II, 153.
Anio — enis et -onis I, 60.
Anniti constr. II, 136.
Anomala verba I, 215 sqq. 265.
Annos natus maior II, 295.
Ante in comparando positum II, 101.
— alios II, 305.
— cum superlativo iunctum II, 82.
— tempus denotat II, 291.
— diem II, 291.
Antecedere constr. II, 136.
Antecellere constr. II, 136. 192.
Anteire II, 136.
Anteponere II, 136.
Antequam II, 311.
Antestare II, 137.
Antevenire II, 137.
Antevertere constr. II, 137.
Antidotus et antidotum I, 29.
Antimeria II, 372.
Antiptosis II, 378. 384. seqq.
Antithesis I, 328.
Anxius constr. II, 72. 79.
Anxur cuius generis I, 10.
Aphaeresis I, 325.
Apio I, 262.

Digitized by Google

Apiscor I, 262.
Aplustre I, 128.
Apocope I, 327.
Aposiopesis II, 228.
Apostrophus I, 327.
Apparere c. dupl. nomin. II, 9.
— alia verbi constructio II, 137.
Appellere constr. II, 175.
Appellari c. dupl. nom. II, 9.
Applicare constr. II, 175.
Appositio II, 85 sqq. 853.
— post do, facio, praesto etc. II, 180 sqq.
— nominum partitivorum II, 83.
Apprime c. positivo II, 305.
Appropinquare constr. II, 137.
Aptota I, 118.
Aptus constr. II, 95.
Apud ante nomina oppidorum II, 282.
Apum et apium I, 94.
Arcere I, 217. II, 121. 122. 150.
Arcessere et arcessire I, 251. 278.
Ardere aliquem II, 157.
Arguere I, 225. II, 165. 225.
Archaismus formarum I, 281. II, 299. 392.
Arctos femin. I, 27.
Arrhabo cuius generis I, 16.
Arridere constr. II, 137.
As eiusque composita cuius generis I, 26 sq.
Assis II, 185.
Aspergere constr. II, 173.
Aspernari constr. II, 119 sqq.
Aspirare constr. II, 137.
Assentio et assentior I, 276.
Assentior constr. II, 148.
Assensi I, 276.
Assidere constr. II, 137.
Assimilatio consonarum I, 296.
Assistere constr. II, 137.
Assolet I, 274.
Assuefacere constr. II, 137.
Assuescere constr. II, 137.
Assuetus I, 71. II, 225.
Assumere constr. II, 175.
Astu I, 122. 123.
Asyndeton II, 29. 560.
Atomus cuius generis I, 82.
Atque in comparando usurpatum II, 101.
— postpositum I, 324.
Atriplex variat gonus I, 40.
Attendere constr. II, 137. 323.
Attentus I, 285.
Attinet constr. II, 209.
Attractio substantivi per relativum II, 19. 385. 391.
— relativi per praecedens nomen II, 26.
Audientem esse dicto alicui II, 124.
Audire alicui an dicatur II, 149.
Audire de et ex aliquo II, 218.
Auferre constr. II, 173.
Auscultare constr. II, 133. 151.
Ausi I, 266.
Ausim I, 270.
Austerrimus et austerissimus I, 172.
Autem interdum primo loco positum I, 323.
Auxiliari constr. II, 121. 122.
Aveo I, 269.
Avidus II, 19.
Axis cuius generis I, 23.

B.

Bacchar cuius generis I, 18.
Balanus cuius generis I, 31.
Balnea et balneae quid differant I, 110.
Barbarismus quid sit II, 397.
Batere I, 227.
Belli II, 270.
Belli domique II, 274.
Benedico constr. II, 127.
Bene emere II, 184.
Benefacere constr. II, 127.
Bibere coniug. I, 227.
Blandiri constr. II, 138.
Bombyx gen. I, 36.
Boni consulere II, 187.
Breviloquentia quaedam per accusativum II, 156. 381. confer etiam s. v. iurare, et accusat.
Byssus cuius generis I, 30.

C.

Cachrys etiam mascul. I, 33.
Cacophonia II, 399.
Cadere I, 234.
Caedere I, 234.
Caere an, declinetur I, 115.

Digitized by Google

Caëre et Caeres II, 270.
Caetera absolute positum II, 62.
Caeterus et cetorus II, 44.
Callere II, 158.
Callidus II, 71.
Callis cuius generis I, 23.
Calx I, 37.
Camelus cuius generis I, 32.
Canalis cuius generis I, 25.
Canopus cuius generis I, 10.
Capessere I, 251.
Captus c. ablat. II, 106.
Carbasus cuius generis I, 29.
Carbo cuius generis I, 17.
Cardinalia I, 194.
Cardo cuius generis I, 16.
Care an caro emere II, 184.
Carere constr. II, 189. 219.
Carnis nominat. antiq. I, 60.
Carus c. abl. II, 106.

Capite et capitis II, 167 sqq.

Cassis in abl. tantum legitur I, 24.
Cassus I, 217.

Casus nominum I, 42.
— significant per se rationem quae per praepositiones clarius indicatur II, 236.
— diversi ubi connectantur II, 343 sq.
— etiam a substantivis verbalibus pendent II, 240.
— supplendi ex contextu II, 362.
— permutantur II, 384.
— cfr. s. v. Nominat. Genitiv. etc.

Catachresis II, 399.
Causa et gratia quomodo collocentur II, 244.
Cautus I, 301.
Cavere varia verbi constructio illustratur II, 121 sqq. 151-215.

Cavere damni infecti II, 121.
Cedere constr. II, 132. 151. 174.
Cedo I, 269.
Celare constr. II, 176.

Celer constr. II. 79. 96.
Celerare constr. II, 156. 220.
Celerrimus et celerissimus I, 170.
Cello et inde composita I, 243.
Censere et censire I, 278.
Censere c. infinit. atque ut et coniunct. II. 380.
Censu absolute II, 297.
Censui et census sum I, 215.
Cerno I, 247.

Cerneres, man könnte ſehen, II, 384.
Certare constr. II. 149. 220.
Certe seq. infinit. II. 322.
Certus constr. II, 71. I. 247.
Cete I, 45.
Ceteri otiosum videtur II, 83.
Ceterus an reperiatur I, 137.
Ceu II, 313.
Chaos declin. I, 128.
Cieo et cio I, 278.
Cimex dubii generis I, 40.
Cingi constr. II, 163. 192.
Cinis cuius generis? I, 26.
Circa constr. II, 331 sqq.
— tempus notat II, 291.

Circiter constr. II. 334. sqq.
— tempus denotat II, 291.

Circumdare constr. II, 129.
Circumfundi constr. II, 180.
Circumspectus I, 301.
Cis usus vocabuli II, 331 sqq.
— tempus notat II, 291.

Citimus I, 171.
Citra varius usus voc. II, 331 sqq.
— et ultra de tempore usurpata quid differant II, 292.

Citum penultima correpta I, 220
Clam II, 323. 333.
Clavim I, 73.
Clepsi et clepi I, 248.
Climax I, 36.
Cludō forma antiqua I, 232.
Clunis cuius generis I, 25.
Cluo I, 227.
Codicilli plurale tantum I, 153.
Coecutire I, 260.
Coelum I, 109.
Coepi coniug. I. 267.
Coepio I, 267.
Coepit constr. II. 224.
— an omittatur II, 8. 226 sqq.

Coeptus sum I, 274.
Cogere c. dupl. accus. II, 279.
Cognatus substantive II, 92.
Cognoscere ex et de aliquo II, 218.
Cohortor constr. II, 170.
Coire societatem II, 149. 220.
Colludere constr. II, 183.
Colis I, 24.
Colus cuius generis I, 32.
Cometa cuius generis I, 14.
Cominus c. dat. et accus. II, 329.
Comito et comitor I, 276.

Digitized by Google

— etiam c. dat. constr. II, 149.
Committere constr. II, 174.
Commonefacere constr. II, 170.
Commonere constr. II, 170.
Commune verbum quid sit I, 288 coll. 275.
Communicare constr. II, 193. 197. 217.
Communis constr. II, 91. 93.
Comparare constr. II, 168. 172.
Comparatio quid sit I, 168.
— anomala I, 178 sqq.
— participiorum I, 188.
— adverbiorum I, 314.
— per praepositiones facta II, 101.
Comparativus quid sit I, 169.
— a superlativis formatus I, 188.
— a substantivis formatus I, 168.
— deest quibusdam adiectivis I, 175.
Comparativi formae rarae I, 175. 177.
— ablativus frequentius in e quam in i formatus I, 89.
— usus varius II, 100 seqq.
Comparativi quando cum genit. partitionis ponantur II, 84.
— seq. ablativo, aut quam et atque II, 101.
— cum plus et magis coniunct. II, 105.
— c. genit. extra partitionem II, 105.
— duo coniuncti II, 108.
— post eo, tanto, aliquanto etc. II, 308.
— post tantum, aliquantum etc. II, 308.
Compede monoptoton I, 120.
Compendia scripturae App. 4.
Compendii facere II, 188.
Comperio et comperior I, 276. 259.
Compertus constr. II, 78.
Compes I, 22.
Compesco I, 230.
Complecti c. ablat. II, 194.
Complere constr. II, 188.
Componere constr. II, 171.
Composita nomina I, 193.
— sequuntur declinationem simplicium I, 43.
— pro simplicibus II, 376.
Composita verba I, 295.
— an pro simplicibus ponantur II, 377.
— a primitivis obsoletis deriv. I, 295.
— genus simplicium mutantia I, 296.
— a signif. simplicium recedentia I, 296.
— constructa variis modis II, 325 sqq.
Con I, 318.
Concerno, I, 247.
Concordantia constructionis quid sit II, 2.
Concreta an pro abstractis posita? II, 375.
Concurrere constr. II, 149.
Condemnare constr. II, 165.
Condicere constr. c. genitiv. et accus. II, 120. 121.
Condonare c. dupl. accus. II, 179.
Conducit constr. II, 199.
Conferre constr. II, 172.
Confidere constr. II, 131. 140.
Confidi et confisus sum I, 266.
Confiteri constr. II, 156.
Conflagrare aliquam II, 220.
Conformare constr. II, 153.
Congruere unde deriv. I, 226.
— constr. II, 138.
Coniugatio quid? I, 207.
— prima I, 210.
— secunda I, 215.
— tertia I, 223.
— quarta I, 255.
— periphrastica I, 305.
— promiscua verborum quorundam I, 277 — 79.
— prisca s. obsoleta I, 281.
Coniunctiones quid sint I, 320. II, 341 sq.
— simplices I, 321.
— compositae I, 321.
— derivatae I, 322 sqq.
— quomodo collocentur I, 322 sqq.
— plures cumulatae II, 371.
— varia earum constructio II, 340 sqq.
— cfr. s. v. singulis.
Coniunctivus quid sit I, 205.
— in -ssim et -sso I, 232 sqq.
— praesentis in -im I, 282.
— pro imperativo positus I, 205.
— in optando II, 314. 380.
— post quum, postquam, antequam II, 311 sqq.
— in sententiis relativis positus II, 347. 348.
— post ut, ne, quo, quin II, 315.

Digitized by Google

Coniunctivus post quum adverbium temporis II, 309.
— post alias coniunctiones II, 308. 313. 352 sqq.
— post qui, quae, quod II, 346. 348.
— post verba orandi, necesse est etc. II, 235. 243.
— post est qui, sunt qui etc. II, 349 sqq.
— in conditionalibus sententiis II, 330 sqq.
Coniux et coniunx I, 75.
Connixi I, 219.
Conquinisco verb. antiquum I, 231.
Consciua constr. II, 74.
Consentaneum constr. II, 9.
Consequi constr. II, 149.
Conserere praelium II, 156.
Conspiratus I, 299.
Constare c. ablat. et praep. ex II, 198.
— aliae constructt. II, 138.
Consternere I, 246.
Constructionis variatio II, 343 sqq. 394 sqq.
Consuescere constr. II, 138.
Consuetus I, 299.
Consulere constr. II, 138. 151. 172. 178.
Consulere aequi bonique II, 186.
Consultus constr. II, 71.
Contendere constr. II, 149. 172.
Contentus unde deriv. I, 235.
— c. ablat. constr. II, 106.
— c. genit. constr. II, 108.
— aliae voc. constructt. II, 109.
— c. infinit. iunctum II, 225.
Contingit varie constr. II, 15. 199. 200.
Contractio nominum vi s. genit. dat. et acc. al.
— verborum I, 326.
Convenire constr. II, 138. 151.
Conveniri furti II, 165.
Convertere intransitive II, 156.
Convincere constr. II, 165.
Copulae quid? II, 403.
Copiosus constr. II, 113.
Coram II, 336.
Cortex variat genus I, 89.
Coruscare hastam II, 220.
Creari c. ablativo II, 107.
Crederes man hätte glauben sollen II, 384.
Cubo et ab eo composita coniug. I, 212. 227.
Cucumis genus et declin. voc. I, 19. 66.
Cudere coniug. I, 231.
Cuimodi et cuicuimodi I, 120.
Cum praep. signif. comitatum II, 266. 268.
— collocatio vocis II, 336.
— omittitur etiam ubi comitatus indicatur II, 268.
— interdum adiunctum notat II, 269.
— an instrumentum significet II, 266.
— post orare, queri etc. II, 371.
— post dissentire, discrepare etc. I, 215.
— post alia verba II, 217. 265.
Cum paucis, cum primis etc. II, 305.
Cum coniunct. pro quod II, 233 sqq.
— i. q. quamvis II, 355.
— post formulis diu est cum, multos annos est cum II, 295.
— post gratias ago, memini etc. II, 238.
— tempus notans quomodo constr. II, 309 sqq.
— c. coniunctivo II, 355.
— c. coniunct. et indicat. in eadem sententia II, 345.
Cupere et cupire I, 225.
— cum nominat. et infinit. II, 14.
— aliae verbi constructiones, etiam rariores II, 151. 233.
Curare c. partic. in -tus constr. II, 241.
— c. part. in -dus II, 242.
— rebus II, 149.
Curiosus constr. II, 72.
Currere coniugat. et inde composita I, 208. 249.
Currere cursum II, 219.
Crasis I, 328. App. 14.
Crate an monoptoton I, 122.
Creare c. ablat. etc. constr. II 193 sqq.
Creberrimus et crebrissimus I, 170.
Credere unde derivatum I, 236.

Digitized by Google

Credere constr. c. genit. II, 120 sqq.
— constr. c. dativ. II, 121.
Creditur seq. accus. c. inf. II, 13.
Credulus constr. II, 29.
Crepare coniug. I, 213.
Cretus I, 247.
Crevi quando usitatum I, 247.
Crimine et criminis II, 167 sq.
Criminor passive I, 275.
Crux etiam mascul. I, 40.

D.

D littera in fine vocab. addita I, 325.
Dama cuius generis I, 15.
Damnare constr. II, 264.
Damni infecti I, 121.
Daps I, 131.
Dare coniug. I, 209.
— constr. c. dupl. dat. II, 123.
— c. particip. in -tus et -dus II, 241 sqq.
— seq. infinitivo II, 230.
— litteras alicui et ad aliquem II, 151.
Dativus post verba personalia II, 123.
— post esse II, 123.
— commodi II, 127.
— post forem, do, duco, habeo, tribuo, relinquo, verto II, 123 sqq.
— post dare, comparare, narrare II, 171.
— post appono, assigno, cedo, comparo, curro etc. II, 124.
— in formula est mihi nomen II, 125.
— post verba, quae indicant alicui aliquid fieri vel acquiri II, 126. 217.
— post proficio, faveo, auxilior, impero, irascor, fido etc. II, 130.
— post nubo, supplico, studeo etc. II, 132 sqq.
— post verba motum indicantia II, 154. 385.
— post verba composita c. praepositionibus II, 127. 154. 328.
— post contendo, comparo etc. II, 217.
— post arceo, prohibeo, pello etc. II, 216.
Dativus post licet, expedit etc. II, 15. 199.
— post verba quaedam variae constructionis II, 134. sqq.
— post verba quaedam per Graecismum positus II, 149 sqq.
— post verba passiva pro ab et ablativo II, 150. 211. coll. 99. 385.
— post verbalia in -bilis, -dus etc. et particip. in -tus II, 93.
— in variis abit constructt. II, 125.
— post adiectiva pos. II, 86 sqq.
— post alius pro quam cum casu verbi II, 216.
— et genitivus post quaedam adiectiva II, 90.
— et genitivus permutat. II, 88. 344.
— post substantiva positus II, 88.
— post substantiva verbalia II, 239.
— nomina urbium serioribus in dativo posita, quando quaeritur ubi? II, 275.
— varie formatur I, 49. 99. 103. 103. 104. 105. II, 248.
De constr. illustratur II, 331 sqq.
— partitionem signif. II, 81.
— modum indicans II, 264.
— tempus signif. II, 290.
— post esse, fieri, facere etc. II, 217.
— post emo, declino al. II, 216.
— in composit. I, 318.
Debere constr. II, 233.
Debebas, debuit, debuerat, II, 379.
Decet constr. II, 206.
Decidere constr. II, 130.
Decimus minori numero postponitur I, 194.
Decipi laborum et sim. II, 118. 161.
Declinare constr. II, 156.
Declinatio quid? I, 42.
— prima I, 46.
— secunda I, 50.
— tertia I, 57.
— quarta I, 101.
— quinta I, 105.
— nominum compositorum I, 45.
Decomposita nomina I, 193.
— verba I, 295.
Decumae et decuma I, 157.
Decurrere laborem II, 221.
Dedere constr. II, 174.

Digitized by Google

Dedocere constr. II, 176.
Deesse constr. II, 128. 139.
Defectiva I, 112. 267.
Defectus partic. I, 299.
Defendere constr. II, 121. 122. 157.
Deferre constr. II, 165.
Defetisci I, 265.
Deficere constr. II, 138. 151.
Defluere II, 130.
Defraudare c. dupl. accus. II, 179.
Degenerare constr. II, 130. 139.
Deinde deinceps II, 370.
Deinceps I, 312.
Delectat II, 194. 206.
Deleo unde deriv. I, 219.
Demere constr. II, 173.
Deminutiva I, 190. 294.
— c. parvus, exiguus etc. iuncta II, 370.
Demonstrativa I, 190. II, 53 sqq.
— ad nomen ex contextu eruendum relata II, 388.
— ante relativa omitt. II, 19.
— pleonastice addita II, 370.
— sensu ad antecedentia referenda, sed constructione cum seqq. coniuncta II, 21.
— post *qui* cum vi quadam illata II, 370.
Denominativa I, 187. 191. 290.
Deorsum I, 313.
Depascere constr. II, 199.
Depsere I, 252.
Deponens quid? I, 287.
— quomodo formetur I, 260 sqq.
— passive positum I, 276. 288. 299.
— etiam activam formam habet I, 277.
Depraesentiarum I, 313. II, 290.
Derivativa I, 186.
— pro primitivis posita II, 376.
Derogare constr. II, 139.
Descendidi forma antiqua I, 281.
Desiderativa I, 298.
Desinit constr II, 224.
Desinere c. genit. accus. etc. II, 120. 221.
Desitus sum I, 274.
Desipere mentis et alia II, 118. 122.
Desperare constr. II, 231. 139.
Desperatus I, 301.
Desuescere constr. II, 139.
Desuetus II, 71.
Desuper c. accusat. II, 334.
Detrahere constr. II, 151.
Deus cuius generis? I, 84.
Devius II, 79.
Dextimus I, 170.
Dextrorsum I, 312.
Datur c. dativo praedicati II, 15.
Di quantitas voc. App. 17.
Diaeresis I, 325.
Dic, dice I, 266.
Dica I, 126.
Dicis causa I, 119.
Dicitur constr. II, 7. 13. 345.
Dicunt I., 7.
Die c. genit. numeralium II, 289.
Dies cuius generis I, 21.
Differre constr. II, 140.
Difficilis seq. infin. et al. II, 261. 225.
— seq. ad 261.
Diffidi, et diffisus sum I, 265.
Dignari II, 193.
— passive I, 275.
Dignus c. ablat. II, 106.
— c. genit. II, 103.
— aliter constr. II, 108. 351.
— seq. infinit. II, 225. 261.
Diligens II, 72.
Dimidium, dimidius et dimidiatus II, 44.
Diptota I, 121.
Dis I, 318.
Discere coni. II, 230.
Discors II, 79. 93.
Discrepare constr. II, 149.
Discretio quid sit II, 6.
Discrucior animi II, 118.
Dissentire constr. II, 149.
Dissidere constr. II, 149.
Dissimilis c. genit. et dat. II, 91.
Distare constr. II, 149.
Distributivorum forma I, 195.
— etiam in singulari poruntur I, 152.
Diu pro die I, 119.
Diversus constr. II, 92.
Divertor I, 265.
Dives constr. II, 113.

Digitized by Google

Divido unde derivat. I, 252.
Docere constr. II, 176.
Docillimus et docilissimus I, 172.
Doctus II, 71. 79 sqq.
Dolere constr. II, 221. 233.
Domari II, 278. coll. I, 212.
Domi militiaeque II, 273.
Domi belliique II, 274.
Domi et domum II, 273. 276. 277. 281.
Dominari II, 121. 122. 139.
Domus declin. I, 28.
— reticetur II, 41 sq.
Donare constr. II, 178. 192. 193. 196.
Donec constr. II, 310.
Dor non est in usu I, 268.
Dormire noctem II, 160.
Dubitare aliquid etc. II, 221. 236.
Duc duce I, 266.
Ducere c. dupl. dat. II, 123.
Dnervio barbarum I, 16.
Dum constr. II, 310. 345. 357.
Dum encliticum II, 371.
Duo declin. I, 45. 56.
— etiam feminin. I, 57.
— pro secundus I, 195.
— in dua in neutro abiit I, 57.

E

Ecca, um I, 202.
Ecce c. nom. et accus. II, 315.
Echinometra I, 14.
Echo cuius generis I, 15.
Edice I, 266.
Editus c. ablat. II, 106.
Edo, ich esse, II, 279.
Effugere constr. II, 330.
Egenus an c. ablat. construatur II, 114.
Egere constr. II, 188 sqq.
Egredi constr. II, 330.
Eius et suus II, 54.
Elabi constr. II, 330.
Ellipsis substantivi ap. adiectivum II, 3.
— subiecti ap. accusat. c. infin. II, 12.
— verbi substantivi II, 7.
— nominum ap. genitivum II, 41.
— pronominum in dativo II, 123.
— accusativi a verbo recti II, 156.
— dativi personae II, 124.
Ellipsis dativi ap. impersonalia libet, licet etc. II, 200.
— accusat. personae ap. poenitet, pudet etc. II, 205.
— vocc. plus, magis, potius in comparatione II, 105.
— voc. si in protasi II, 366.
— voc. quam post comparat. II, 106.
— voc. eo, tanto, ante quo, quanto II, 104.
— coniunctionis ut II, 208. 235. 250.
— vv. aedes, domus, templum II, 334.
— verborum spatium, iter, viam etc. II, 287.
— vv. fabula, urbs, navis etc. 337.
— infinitivi II, 227.
— in formulis fidibus canere, discere etc. II, 178.
— praepositionum. Vid. s. v. Praepositiones.
— variae eius rationes II, 358. sqq.
Eludere cum dupl. accus. II, 179.
Ellum, am; ellos, ellas II, 315.
Emersus I, 300.
Eminere unde derivat. I, 221.
— constr. II, 330.
Emphasis quid sit II, 6.
Emungere constr. II, 179. 190.
En c. nomin. et accus. II, 315.
Enallage II, 372 sqq.
Encliticae voculae I, 202 sq.
Endo I, 324.
Enectus et enecatus I, 214.
Enim regulariter secundo loco ponitur I, 322.
— interdum tertio loco collocatum I, 322.
— etiam primum locum occupat I, 323.
Enixus et enisus I, 202.
Ente suppl. non Latinum II, 290.
Eo ante quo omissum II, 104. 308.
— cum genitivo coni. II, 316 sq.
Eos cuius generis I, 27.
Epenthesis I, 324.
Epicoena I, 6.
Epitheta plura uni nomini addita II, 5.

Digitized by Google

Epizeuxis II, 370.
Epulari constr. II, 199.
Equidem I, 322.
Ergo c. genit. II, 318.
Eripere constr. II, 178.
Ero cum partic. iunctum I, 305.
— an c. particip. fut. copuletur II, 238.
Errare littora II, 221.
Erubescere constr. II, 119. 159. 221.
Erudire constr. II, 176. 178.
Erumpere constr. II, 156.
Esox I, 37.
Esse c. nominativo II, 14.
— c. genit. et ablativo II, 59. 115. 117.
— c. pron. meum, tuum etc. II, 116.
— c. dativo II, 123.
— solvendo etc. II, 247.
— c. genitivo partic. in — dus II, 115 sqq.
— pluris II, 186.
— c. adverbiis coni. II, 304. 374.
— saepe omittitur II, 13 sq.
Est impersonale I, 274.
— seq. infinitivo II, 226 sqq.
Est mihi nomen II, 125.
Est qui seq. coniunct. II, 349.
Est quibus pro sunt quibus II, 7.
Esurire I, 260.
— c. genit. constr. II, 189.
Et amplius formula II, 295.
Et — Et II, 342.
— postpositum I, 324.
— quomodo differat a que II, 343.
Etsi, etiamsi etc. constr. II, 352.
Etymologiae definitio I, 1.
Evadere constr. II, 330.
Evenit constr. II, 200.
Evocatio II, 362.
Ex varia constructio voc. II, 330. 335.
— partitionem indicat II, 81.
— modum indicat II, 264.
— post audio, quaero, tollo etc. II, 216.
— in composit. I, 318.
— ubi ex et ubi e scribi debeat II, 337.
Exadversum I, 317. II, 332.
Exante I, 317, II, 291.
Excedere c. accus. et ablat. II, 330.
Excellere constr. II, 139.
Excludere constr. II, 130.
Excrucior animi II, 119. coll. 121.
Excusare alicui aliquid II, 169.
Exemplaria, — iorum I, 97.
Exigere aliquem aliquid II, 176.
Exhauriri II, 191.
Exire c. accus. et ablat. II, 330.
Existimatur seq. accus. c. infin. II, 13.
Exosus c. accusat. II, 241.
Expedit c. dat. praedicati II, 15.
— constr. II, 199.
Experior coniug. I, 264.
Expers c. genit. et ablat. II, 114.
Expertus II, 71.
Explicare diversa significatione explicui et explicavi format I, 213.
Exsanguis I, 43.
Extentus et extensus I, 235.
Exter et exterus I, 170.
Extimus I, 171.
Extorris c. genit. et ablat. II, 110.
— ab solo patrio II, 113.
Extremus II, 44.
Exul II, 79.
Exuo unde derivatum I, 225.
— constr. II, 191.
Exuor constr. II, 163.

F

Fabrico et fabricor I, 276.
Face et fac I, 266.
Facere c. dupl. accus. II, 139.
Facere alicui et cum aliquo aliquid II, 217.
Facere de aliquo vel aliquo II, 217.
Facere compendii, et lucri II, 186.
Facere c. partic. perf. pass. II, 241.
Facere et ab eo composita coniug. I, 223.
Facessere coniug. I, 251.
Facilis constr. II, 223, 261.
Facile c. adiect. II, 309.

Digitized by Google

Faciundum I, 323.
Falli animi etc. II, 119 sq.
Fallit II, 208.
Famae in plurali num. I, 147.
Familiaris substantive II, 92.
Farcire et inde derivata I, 259.
Fas c. supino II, 260.
Fastidire c. accus. et genit. II, 119. 121.
Fatisco et fatiscor I, 265.
Favere aliquem II, 148.
Faxim I, 270.
Faxo I, 270.
Ferio I, 260.
Ferire foedus II, 156.
Ferocire I, 260.
Ferre seq. infinit. II, 230.
Fertilis c. genit. et ablat. II, 111.
Fervo et ferveo I, 255 coll. 219.
Festinare II, 156. 221.
Festorum nomina plerumque pluralia I, 151.
— tertiae declinationis in genitivo plural. orum habent I, 97.
Ficus priscis masculinum I, 28.
Fidere coniug. I, 266.
— constr. II, 131, 140. 192. 266.
Fieri c. ablativo et genit. II, 117.
— seq. cum vel dativo II, 217.
— magni etc. II, 186.
Fifidi a findo I, 233.
Filius i. q. filius et filia II, 86.
Findo I, 233.
Finis genus vocis I, 25.
Firmus ab aliqua re II, 113.
Fixum et fictum a verb. figo I, 240.
Flagitare constr. II. 176.
Fligere coniug. I, 237.
Flocci II, 186.
Fodire et fodere I, 224.
Foena in plurali I, 146.
Foenero constr. II, 151.
Fons interdum femin. I, 83.
For non usitatum I, 268.
Foras c. ablat. II, 333.
Fore I, 270.
Fore ut II, 238.
Forem I, 270.
— an cum partic. futuri coniungatur II, 238.
Forfex genus variat I, 86.
Foris I, 124.
Fortasse c. infin. constr. II, 321.
Fortunae pro opibus I, 156.
Fratres i. q. frater et soror II, 87.
Frendere I, 218. 233.
Frequentativa I, 290.
Fretus c. ablat. II, 106.
Fricare coniug. I, 214.
Frigere coniug. I, 223.
Frons I, 85.
Frugi I. 110. II, 125.
Frui coniug. I, 262.
— c. ablat. et accusat. II, 192. 195.
Frustra esse II, 304.
Fruiscor II, 196.
Frupiscor II, 196.
Frustrari c. genit. et aliis modis constr. II, 120. sqq.
Fuero an cum participio futuri copuletur II, 238.
Fugit II, 208.
Fuisse omitti solitum II, 18.
Fulcire I, 159.
Fulgere coniug. I, 222.
Fungi c. ablat. et accus. II, 192. 195.
Fuo I, 270.
Furere constr. II, 120 sqq.
Furo an occurrat I, 250. 268.
Futura tempora I, 206.
— secundae coniug. in — am I, 232.
— tertiae et quartae coniug. in — ibo I, 231.
— pro imperativo I, 205.
— simplex cum exacto iunctum II, 345.
— pro praesenti II, 383 sq.
— exacta II, 383.
Futurum est, ut II, 238.

G

Gaudeo etiam gavisi format I, 266.
— constr. II, 192. 233.
Gausape I, 115.
Genitivus proprietatem vel partem indicat II, 59. 60.
— etiam causam indicat absolute positus II, 116. 245.

Digitized by Google

Genitivus a nominibus rectus vel active vel passive significat II, 42.
— pendet interdum ab omisso aliquo nomine II, 41. 58. 59.
— pendet a nomine ex possessivo eruendo II, 49.
— plures genitivi ab eodem nomine reguntur II, 43.
— plures genitivi concurrunt II, 42.
— in oppositione II, 37.
— post meus, tuus, suus etc. II, 47.
— partitivus illustratus II, 79 seqq.
— — quando post comparativos ponatur II, 84.
— — interdum ponitur post substantiva et adverbia II, 80.
— — post collectiva II, 81.
— post verba copiae et inopiae II, 188.
— post satago, miseresco etc. quae affectum animi signif. II, 118.
— post poenitet, piget, taedet etc. II, 204.
— post verba memoriae et oblivionis II, 161.
— post vv. accusandi et absolvendi etc. II, 164.
— post moneo, commoneo etc. II, 170.
— post esse, fieri, haberi etc. II, 115.
— post multa verba poëtica constructione ponitur II, 120
— pretii II, 182
— loci II, 269 sqq. 285 sqq. coll. 88.
— temporis II, 288.
— distantiae II, 287.
— ab adiectivis pendens II, 62. sqq.
— post adi. copiae et inopiae II, 109. 110.
— post adi. dimensionis et mensurae II, 100.
— post alia quaedam adiectiva quae et dativum regunt II, 90.
— post adiectiva pluralia neutrius generis II, 65. 335.
— poëtica ratione post adiectiva positus II, 73 sqq.
Genitivus cum dativo permutatus II, 88. 344. 385.
— et ablativus cum uno eodemque substantivo coniunctus II, 60.
— a gerundio genitivi regatur II, 245 sqq.
— pendet ab adverbiis copiae et inopiae II, 317 sqq.
— pendet ab adverbiis loci et temporis II, 316 sqq.
— pronominum personalium, pro possessivis II, 50.
— aetatis, temporis, horae etc. pendet ab id, hoc II, 292.
— primae declin. in — ai et as I, 47.
— nominum graecorum in — e I, 47.
— — ii in — i contractus I, 52.
— Graecus in — os I, 58.
— a nominibus 2tae declinat. etiam in — us flexus I, 103.
— quartae declinat. etiam in — i flexus I, 103.
— quintae declin. in — e, — ii, — i et — es formatus I, 106.
— — pronominum ille, iste, ipse etc. I, 200.
— desinit in — ium contra regulam I, 95 sqq.
— desinit in — um pro — inum I, 98.
— raro in — on exit I, 96.
— a festorum nominibus tertiae declinat. in — orum formatus I, 97. 111.
— contrahitur in prima et sec. declin. I, 46. 326.
Genitus c. ablativo II, 106.
Geno coning. I, 215.
Gentilia nomina I, 189.
— pronomina I, 191.
Gentium adverbiis additum II, 316.
Genus nominum quid? I, 8.
— illustratur I, 4 sqq. 13 sqq.
— adiectivis quibusdam deest I, 136.
— adiectivi et verbi sequitur nomen potius II, 30. 5.
— adiectivi interdum a genere substantivi diversum II, 3.
— masculinum pluralis numeri apponitur duobus nominibus diversi generis II, 35. 366.

Digitized by Google

Genus. eius syllepsis II, 866.
— synesis II, 886 sq.
Gerundia quid sint et significent I, 307. II, 254.
— casum suorum verborum regunt II, 239.
— in -dum II, 242 sq.
— in -di II, 244.
— in -di absolute posita II, 245.
— in -di alium genitivum regere videntur II, 245 sqq.
— in -do II, 247 sqq.
— in -dum II, 249 sqq.
— in -do ablat. II, 250.
— passiva in -undum I, 305.
— quando in gerundiva mutentur et quomodo II, 251 sqq.
— an sequente accusat. ubique fiat eorum in gerundiva mutatio II, 252.
Gerundiva quid? I, 308. II, 256.
— eorum usus II, 248. 251 sqq.
— formantur etiam ab utor, fruor, fungor, potior etc. II. 251.
— ponuntur in genit. plurali etiam ubi *κακοφωνία* oritur II, 253.
— cum esse in genitivo posita II, 115.
— an ablativo absoluto posita reperiantur II, 296.
Gibber declin. I, 51.
Glis cuius generis I, 23.
Glomus I, 70.
Gloriae in plurali I, 147.
Gloriari constr. II, 194. 193.
Glubere I, 227.
Gnarus II, 79.
Gradus comparationis I, 169.
Graecismi illustr. II, 869 sqq.
Grammatica quid? I, 1.
Grates I, 126.
Gratia et causa II, 144.
Gratiis I, 120.
Gratis I, 311.
Gratulari constr. II, 140.
Gravis etiam seq. ab constr. II, 113.
Grex etiam fem. I, 86.
Grus cuius generis I, 82.

H.

Habere perf. habuvi et habivi I, 215.
Habere seq. infinitivo II, 230.
— c. particip. perf. passivi II, 241.
— c. genitivo et ablativo II, 117.
— c. dativo II, 123. 124.
— in custodiam, in potestatem etc. II, 325.
Hadria cuius generis I, 14.
Haerere constr. II, 140.
Halec cuius generis I, 17.
Haud scio an II, 236. 348.
Haurire coniug. I, 258.
Hem c. accusat. II, 316.
Hendiadys II, 372.
Heteroclita I, 97 sq. 102 sq. 111, sqq.
Heterogenea I, 107 sqq.
Heu interiect. II, 338.
Heus interi. II, 339.
Hic et ille quid differant. I, 198.
Hiemare aquas II, 221.
Homonymum quid sit I, 187.
Horrere constr. II, 151. 158.
Hortor constr. II, 170.
Huc unde deriv. II, 319.
Huius pretium indicans II, 185.
Humi II, 270.
Humi etiam de motu ad locum II, 272.
Humo II, 273.
Humum II, 273.
Hypallage II, 174. 393 sqq.
Hyperbaton II, 394. seqq 396.
Hyphen II, 304. 396.
Hysteron proteron II, 393.

I.

Iber declin. I, 52.
Icere foedus II, 156.
Id substantive II, 64.
Id temporis, aetatis, horae etc. II, 65. 66. 291.
Id extravagans II, 108.
Id quod II, 23.
Idem ut ὁ αὐτός c. dativo constr. II, 94.
— seq. qui, atque, ac, et II, 94.
— c. praepos. cum constr. II, 94 sq.
— c. ut coniunctum II, 94 sq.
Identidem I, 313.
Idiotismi quid? II, 393.
Idoneus constr. II, 95.
Iecur, -oris et -cinoris I, 63.

Digitized by Google

ens, euntis I, 78.
gitur etiam praepositum I, 323.
gne et igni I, 88.
gnoscere constr. II, 140.
lias sc. ποίησις I, 151.
llabi constr. II, 140.
lle et hic I, 198.
llucere constr. II, 140.
lludere constr. II, 140.
mbecillimus et -cillissimus I, 171.
mbrex cuius generis I, 88.
mitativa verba I, 289.
mus II, 44.
mminere unde deriv. I, 221.
— constr. II, 140.
mmorari constr. II, 140.
mmori constr. II, 140.
mmunis c. genit. ablat. et praeposit. ab II, 110. 113.
mparatus ab aliqua re II, 113.
mpendere constr. II, 140.
mpenso II, 184.
mperare constr. II, 130. 234.
mperor II, 219.
mperativi formae antiquae I, 284.
— in -to, -tote, -nto quid significent I, 205.
— usus varius II, 379 sqq.
mperfectum quid signif. I, 206. II, 381. sqq.
— quartae coniug. in -ibam I, 281.
— indicativi praegresso coni. et si II, 378.
— coniunct. in optando et sententiis conditionalibus II, 380 sqq.
— coniunct. post praesens historicum II, 381.
— coniunct. praegresso si, nisi etc. cum plusquamperfecto II, 381.
— coni. crederes, videres, diceres etc. II, 384.
mperitus constr. II, 71.
mpersonalia enumerantur I, 270 sqq.
— eorum passiva I, 271.
— interdum in tertia persona pluralis ponuntur personaliter I, 271. II, 200. 205. 207.
— passive usurpata II, 294.
— veniunt etiam a deponentibus I, 271.
— nonnulla duplex praeteritum formant I, 272.
Impersonalia carent imperativo I, 272.
— maximam partem carent participiis et gerundiis I, 272.
— c. dativo et aliter structa II, 199 sqq.
— c. accusativo personae et genitivo rei coniuncta II, 204.
— verborum passivorum II, 218.
Impertire constr. II, 173.
Impete I, 41. 124.
Implere constr. II, 188.
Imponere constr. II, 162. 172. 173.
Impraesentiarum I, 313. II, 290. 334.
Imprimere constr. II, 174.
Impubis et impubes I, 66.
In varius usus voc. II, 324 sq. 335.
— tempus significans II, 289. 301.
In tempore II, 289.
In anno, in hora etc. dicendum, quoties accedit adverbium numerale II, 290.
In praesentia II, 290.
In praesens II, 290. 294.
In praesentiarum I, 313. 334.
In ante nomina oppidorum II, 270. 277.
— post adiectiva II, 96. al.
In vulgus c. adiectivis ponitur II, 90.
In c. verbis et participiis compositum I, 303.
In primis II, 305.
In paucis II, 305.
Inanis ab aliqua re II, 113.
Inante I, 317. II, 291.
Incerto ablat. absol. II, 296.
Incesso I, 251. II, 140.
Inchoativa I, 292.
Inchoativa praeterito et supino carent I, 280.
— praeterita et supina primitivorum assumunt I, 280 sqq.
Incidere constr. II, 174.
Incitus I, 120.
Includere constr. II, 174.
Increpare II, 169. 221. 329.
Incubare constr. II, 141.
Incumbere constr. II, 141. 329.
Incurrere constr. II, 141.
Incusare constr. II, 169.
Indeclinabilia I, 59. 112.
Indicare constr. II, 179.

Digitized by Google

Indicativus quid signif. I, 205.
— ponitur etiam in oratione relativa II, 347 sqq.
— post qui, quae, quod, quamvis praecedente oratione obliqua II, 348.
— post coniunctiones II, 349. 50. 51. 52 sqq.
— imperfecti, perfecti et plusquamperfecti praegresso si, nisi etc. c. coniunctivo II, 378 sqq.
— verborum posse, debere, oportere etc. ponitur, ubi nos coniunctivo utimur II, 379.
Indigere constr. II, 188.
Indignus II, 225.
Indolere constr. II, 119 sqq.
Indoles in plurali I, 147.
Indu I, 321.
Inducere constr. II, 174.
Induere constr. II, 190. 163. 173.
Indulgere constr. II, 141.
— coniug. I, 223.
Indu unde derivat. I, 225.
Inesse constr. II, 143.
Infamare c. genit. II, 165.
Inferiorem esse alicui et aliquo II, 104.
Infimus II, 44. I, 171.
Infinitivus an sit modus verbi I, 205.
— ubi et quando ponatur II, 224 sq.
— construitur ut verum nomen, unde subiecti et obiecti partes agit II, 228. 229. coll. II, 6. 156.
— ponitur post verbum II, 224. 230 sqq.
— subiicitur adiectivis II, 225. 243. 261.
— pendet etiam a substantivis II, 225. 245.
— interdum absolute ponitur praesertim in exclamando et interrogando II, 226 sq. 232.
— historicus II, 7 sq. 225 sq.
— omittitur per ellipsin II, 12.
— requirit accusativum subiecti II, 12. 228. 232.
— post verba sentiendi, dicendi, significandi etc. II, 281 sqq.
— post dubito, dubium est II, 231.
— post verba timendi etc. II, 238.
— mutatur in gerundia s. gerundiva in -dus praeeuntibus habeo, do, dono, curo etc. II, 229. not. 11.
— verbis motum ad locum et finem significantibus subiicitur II, 230 sq.
— interdum causam indicat (ob, propter) II, 230 sqq.
— pro ut et ne c. coniunctivo II, 330.
— praemissa praepositione II, 230.
— c. nominativo subiecti II, 233.
— futuri passivi II, 257.
— antiquus infer I, 283.
— antiquus interassere I, 283.
— per Graecismum positus II, 391.
Infit I, 289.
Informare constr. II, 179.
Ingemere constr. II, 141. 119 sq.
Ingratiis I, 120.
Ingratis I, 311.
Inhaereo constr. II, 142.
Inhiare constr. II, 142.
Inimicus substantive II, 92.
Innare constr. II, 142.
Innasci constr. II, 142.
Innatare constr. II, 142.
Inniti constr. II, 142. 194.
Inops ab aliqua re II, 113.
Inquam I, 269.
Inquiens non in usu I, 269.
Insectari constr. II, 194.
Insidēre constr. II, 142.
Insidēre Ibid.
Insilire constr. II, 142.
Insimulare constr. II, 165.
Insistere constr. II, 142.
Inspuere constr. II, 142
Inputare constr. II, 142.
Instar I, 123. II, 318.
Instare constr. II, 142.
Instructus II, 113.
Insuetus II, 71. 225. I, 300
Insuescēre I, 143.
Insuper c. accusat. II, 334.
Intendere constr. II, 174.
Intensus I, 285.
Inter constr. II, 305.
— partitionem indicat II, 81.
— et intra de tempore dicta quid differant II, 294.
Inter paucos II, 305.
Intercedere usus et constructio II, 143.
Intercludere constr. II, 178.
Interdicere constr. II, 143. 215.
Interdius I, 120.

Digitized by Google

nterdum I, 318.
nteresse constr. II, 144.
ntériectio quid sit I, 319.
– derivativae Ibid.
– simplices I, 320.
– compositae I, 320.
– constr. II, 338 sqq.
nterpungendi ratio II, 407. seq.
nterrogare constr. II, 165. 176.
nterrogativa II, 89.
– pronomina I, 191. II, 297.
nterrogatio, directa et indirecta II, 347. sqq.
ntervenire constr. II, 256.
ntervertere II, 174. 179.
ntimus I, 171.
ntra usus II, 335.
– tempus notat II, 291. 293.
ntransitiva quid? I, 287.
– sensu passivo posita I, 287.
ntueri constr. II, 156.
ntus c. genit., accus. et ablat. II, 333.
nutilis constr. II, 95.
nvadere constr. II, 144.
nvectus constr. II. 71.
nversio constructionis II, 174. 393 sqq.
nvictus i. q. invincibilis II, 374.
nvidere constr. II, 119. 121. 144. 219.
nvideor II, 219.
nvitare constr. II, 158.
ovem lapidem iurare II, 130.
ovis nominativo I, 63.
pse, usus pron. II, 54 sqq.
pse se, sui, sibi et Ipsum se etc. II, 56 sqq.
pse pro sui, sibi, se II, 54.
psius, -orum post possessiva II, 48.
psipsus I, 202.
psissimus, I, 169.
psus I, 200.
rasci II, 130.
ratus I, 265.
re c. sup. II, 258.
– viam II, 160.
stace I, 202.
stes pro Istos I, 200.
ter et itiner I, 63.
terativa I, 290.
ubar cuius generis I, 18.
ubere constr. II, 132. 179.
Iugerum in singul. I, 111.
Iugeris et ingeribus I, 111.
Iungere constr. II, 217.
Iupiter et Iupitris I, 63.
Iurare aliquid II, 160.
Iurare Iovem lapidem. II, 130.
Iuratus I, 299.
Iuvat II, 206. 208.
Iuvare coniug. I, 211.
— constr. II, 179.
Iuxta derivi et constr. II, 332.

L.

Labare perfecto et supino caret I, 214.
Labi I, 261.
Laborare II, 194. 198. 221.
Lacessere constr. II, 176.
Lacessere et lacessire I, 251.
Lacio verb. obsol. I, 224.
Lacrymari constr. II, 119 sqq.
Lacunaria — orum I, 97.
Laetari c. ablat. et genit. II, 119. 121. 194. 233.
Laetus II, 79.
Lambere coniug. I, 227.
Lapis genus voc. I, 26.
Lapidem post ad, apud etc. omissum II, 288.
Laqueare etiam in ablat. dictum I, 83.
Lar quomodo declinetur I, 62.
Largiri constr. II, 198.
Latere II, 144. 208.
Latex etiam femin. I, 41.
Latrare aliquem II, 221.
Latum ex tolatum formatum I, 249.
Latus constr. II, 100.
Laudare constr. 120. 169.
Lavare coniugat. I, 211.
Lecythus cuius generis I, 83.
Lens incerti generis I, 85.
Levare constr. II, 120 sqq. 190.
Levir I, 51.
Liber constr. II, 110. 113.
Liberalis c. genit. II, 110.
Liberare constr. II, 120. 121. 165. 174.
Libet constr. II, 199. coll. 15.
— coniunct. constr. II. 346.
Liceto I, 278.
Licuerit personaliter positum I, 272.
Limax variat genus I, 39.

Digitized by Google

Linere et linire I, 278. coll. 247.
Linter cuius generis I, 19.
Liqueo I, 264.
Liquor I, 264.
Litare constr. II, 174.
Litterarum nomina an declinentur I, 113.
— numerus et divis. App. I. sqq.
— in nominibus et numeris designandis usus — App. 4.
— scriptura App. 5.
— pronuntiatio App. 7.
— in syllabas digestio App. 8.
— quantitas App. 11 sqq.
Littera D fini vocc. addita I, 325.
Loci et loca I, 108.
Locuples declin. I, 64.
Longe c. superlat. II, 309.
Longus constr. II, 100.
Lucar genus voc. I, 18.
Lucri facere II, 188.
Luctari alicui II, 149.
Lucu ablat. II, 269.
Ludere constr. II, 158.
Luere coniug. I, 226.
Luta in plurali I, 148.
Lux etiam mascul. I, 40.
Luxurio et luxurior I, 276.
Lynx variat genus I, 89.

M.

Mactare constr. II, 174.
Macte illustr. I, 126. II, 12. 112.
Magis an pro plus ponatur II, 294 sqq.
— c. positivo II, 102.
— c. numeralibus II, 106.
Magno II, 184.
Maior unde deriv. I, 113.
Maior natus annos II, 295.
Maioris an ad pretium indicandum adhibeatur II, 182.
Male emere II, 184.
Maledicere constr. II, 145 coll. 12.
Malum exclamatio I, 320.
Mancipi I, 112.
Mandragora I, 14.
Mane I, 127.
Manere c. genit. accus. et ablat. constr. II, 117. 152. 158. 194.
Mastix vox nihili I, 37.
Matres familiae I, 47.
Maturare constr. II, 156. 221.
Maturrimus et maturissimus I, 172.
Maxime o. superl. II, 305 sqq.
Med pro me — I, 325.
Mederi constr. II, 145.
Medicari constr. II, 145.
Medius II, 44.
Medius fidius I, 312.
Meherc pro me I, 200.
Melampus declin. I, 71.
Melior unde deriv. I, 173.
Melos et melum I, 27. 125.
Memini unde derivat. I, 263.
Mensium nomina mascul. I, 7.
Mereri de aliquo II, 217.
Mereo et mereor I, 276.
Messis gen. mascul. I, 26.
Metaplasmus I, 324.
Metathesis I, 328.
Metere I, 254.
Metior coniug. I, 264.
Metuere constr. II, 152. 237.
Meus pro mi I, 201.
— passive II, 50.
— i. q. aptus, commodus II, 53.
Mi pro mea I, 201.
Micare coniug. I, 213.
Militiae II, 270—74.
Mille declin. I, 113. constr. II, 83. 387.
Minime gentium II, 316.
Minxi et mixi I, 241.
Mirari c. accusat. et genit. II, 119. 121. 169.
Mirificissimus I, 172.
Miscere constr. II, 149. 191. 217.
Miserari constr. II, 118 sqq.
Misereor constr. II, 117.
Miserere nostri II, 47.
Miserescere constr. II, 117.
Miseret II, 254.
Miseretur II, 204.
Miseritus sum I, 261.
Misertum est I, 272.
Misy an indeclin. I, 59.
Mittere constr. II, 174.
Mius pro meus I, 200.
Moderari constr. II, 145.
Modi quid sint et significent I, 204 sqq. II, 341.
Moestus sum I, 266.
Moneo constr. II, 170.
Monoptota I, 118.

Digitized by Google

Montium nomina cuius generis I, 7.
Morari aliquid II, 158.
Mordere coniug. I, 218.
Mordicus I, 311.
Mori et moriri I, 263.
Mortales substantive II, 92.
Motio nominum et verborum quid sit I, 3.
Mulcere coniug. I, 221.
Mulgere coniug. I, 221.
Multum et multo II, 308.
Multo tanto II, 808.
Munerare c. ablat. II, 194.
Mutare c. ablat. II, 168. 194.

N.

Nae II, 312.
Nanctus sum I, 262.
Nasci sq. ab vel ex vel simplici ablativo II, 107. 194.
Natrix cuius generis I, 38.
Natus c. dativo vel ad constr. II, 96.
Nauci I, 119.
— facere II, 185.
Navigare aequor II, 221.
Navim et navem I, 78.
Ne interrog. traiectum II, 393.
Ne varie constr. II, 346 sqq.
— post metuo, timeo etc. II, 237.
Ne non II, 237.
— prohibendi vi quomodo construatur II, 312.
— iurantis II, 314.
— ubi omittatur II, 350.
Nec postpositum I, 324.
Necare coniug. I, 214.
Necessarius substantive II, 92.
Necesse est II, 66.
Nectere coniug. I, 253.
Nefas I, 320.
Negationes duae II, 320 sqq.
Neglegi pro neglexi I, 239.
Neglígens II, 72.
Neoterismus II, 398.
Nequam I, 116. 173.
Nere coniug. I, 219.
Nescio an II, 236. 348.
Nescio quis παρενθέτως accip. II, 348.
Neuter quid significet II, 85.
— declinatur I, 53.
Neutrum genus adiectivorum pluribus diversi generis substantivis adiectum II, 81.
— adiectivorum adverbialiter usurpatum II, 159.
— nominum in or exolevit I, 19.
Neutra verba quid sint I, 287.
— interdum habent vim activam I, 275. II, 160.
— c. accusat. iuncta I, 286. II, 157. 220.
— passive usurpata II, 219. 223. coll. 160.
— cum ab constructa II, 211.
— c. ablativo iuncta II, 158.
— c. neutris adiectivorum II, 259.
Neutralia passive posita I, 287.
Neutralia passiva I, 287.
Neutro-activa verba I, 287.
Neutro-passiva I, 287.
Nex I, 131.
Nexo I, 255.
Nihil indeclinabile I, 117.
— c. comparativo neutrius generis pro nemo, nullus II, 103.
Nihili II, 185.
Nimirum I, 312.
Nimis c. genit. II, 318.
Nimius c. genit. II, 112.
Nisi usus vocis II, 364.
Niti I, 262. II, 194. 198.
Nobis praesente et similia II, 299.
Nocere constr. II, 145.
Noceor II, 219.
Noctu pro nocte I, 119.
Noli prohibendi vi positum II, 312.
Nolo seq. nominat. c. infinitivo II, 14.
Nomen quid sit I, 2 sqq.
Nomina genus et declinationem variantia I, 30 seqq.
— in or olim neutra I, 19.
— in — er etiam — in us terminata I, 54.
— quaedam in — io barbara I, 16.
— in — u terminata II, 260.
— verbalia in — io constr. c. casu verbi II, 262. 239.
— Graeca in — es et — e Latini saepe per — a extulerunt I, 189.
— Graeca in — os declin. I, 52.
— herbarum in — on I, 18.

Digitized by Google

Nomina Graeca in — eus I, 50.
— Graeca in — a tertiae declinationis ab antiquioribus ad primam flectuntur I, 100.
— subst. c. adverbiis constructa II, 240.
— urbium constr. II, 270. 279. 80 sqq.
— in appositione adiecta II, 35.
— propria pro appellativis II, 315.
— propria in plurali posita I, 139. Cfr. s. v. Substantiva et Adjectiva.
Nominativus quid significet I, 42.
— pro vocativo positus II, 11.
— cum vocativo coniunctus II, 11.
— primae et secundae personae quando ponatur II, 6.
— in formula est mihi nomen II, 125.
— duplex ap. verba vocandi, existimandi etc. II, 9 sqq.
— ante infinitivum historicum II, 7.
— cum infinitivo post cupio, volo, patior etc. II, 14 15. 16. 238. 390.
— absolutus II, 385.
— absolutus participiorum II, 298.
— pluralis in — ei I, 56.
— pluralis a nominibus secundae declinationis in — ae terminatus I, 56.
— pluralis tertiae declinationis I, 90.
Non post non modo omiss. II, 361.
Non in prohibendi significatione II, 318.
Noscere coniugat. I, 229.
Noster passive II, 50.
Nostras I, 199.
Nostrum et nostri II, 47.
Notare constr. II, 169.
Notus animi II, 29.
Novi, novisse I, 268.
Nubere constr. II, 145. 172.
— significatio verbi I, 227.
Nudius tertius I, 313.
Nullus declin. I, 58.
— nunquam de duobus dictum II, 86.
Numeralia I, 194 sqq.
— cardinalia declin. I, 113.
Numeri quomodo scribantur App. 4 et sqq.
Numeri verborum per synesin et syllepsin positi II, 364. II, 367 sqq. 383. 387.
Numeri verborum diversi copulantur II, 342. 388.
— permutantur II, 10.
Nunciare Romam et similia II, 275.
Nundinum I, 156.
Nuo non usitatum I, 226.
Nuperrimus non usitatum I, 172.
Nupturire I, 260.

O

O! interiect. II, 358.
O si II, 313.
Ob constr. II, 264.
Obambulare constr. II, 145.
Obequitare constr. II, 145.
Obita morte II, 221.
Obiurgare c. dupplici accus. II, 179.
Obligari furti II, 165.
Oblivisci constr. II, 161.
Obrepere constr. II, 145.
Obstrepere II, 145.
Obstrepor II, 219.
Obstringi c. genitivo II, 165.
Obtrectare constr. II, 145.
Obtunsus I, 254.
Obumbrare constr. II, 145.
Observari constr. II, 145.
Occino et occano I, 246.
Occisissimus I, 169.
Occumbere constr. II, 145.
Occupare constr. II, 174.
Ocyor I, 114.
Odisse coniug. I, 267.
Odyssea sc. ποίησις I, 151.
Oedipus declin. I, 71.
Offendere constr. II, 138.
Ohe! II, 339.
Olere et inde composita coniug. I, 220.
— aliquid II, 158.
Olli I, 328.
Olusatrum declin. I, 44.
Omnis interdum de duobus dictum II, 87.
Onyx variat genus I, 96.

Digitized by Google

)pes et ops I, 131.
)pinione ap. comparativ. II, 104.
)portet constr. II, 206 sq.
)pperiri conjug. I, 264.
– constr. II, 158.
)ppido adverb. II, 305.
)pponere se constr. II, 174.
)pportunus constr. II, 95.
)ptativus quid sit I, 204.
)ptimus unde derivatum I, 173.
)pus est varie construitur II, 66 sqq. 260.
)rare constr. II, 176. 234.
cum aliquo II, 178.
)ratio recta et indirecta II, 347.
)rbus ab aliqua re II, 113.
)rdinalia I, 195.
)rdiri coniug. I, 264.
)rgetorix I, 74.
)riri coniug. I, 264. 278.
– construct. II, 194.
)riundus c. ablat. II, 107.
)rthographia App. I sqq.
)stensus frequentius dicitur quam ostentus I, 235.

P

'aces in plur. dictum I, 147
'acisci constr. II, 146.
'aedèros declin. I, 27.
'alam c. ablat. II, 333.
'allescere aliquid II, 158.
'alpare et palpari constr. II, 145. 221.
'alumbes an palumbis I, 21.
'aneros declin. I, 27.
'angere constr. II, 146.
'ango et pago I, 239.
'anxi I, 240.
'apaver cuius generis I, 19.
'apyrum et papyrus I, 80.
'ar constr. II, 93.
'ar est ut II, 235.
'aradisus cuius generis I, 83.
'aragoge I, 325.
'aragraphus genus voc. I, 28.
'aratus ab aliqua re II, 113.
– seq. infinitivo II, 225.
'arcere coniug. I, 228.
– constr. II, 145.
'arcus in aliqua re II, 113.
'arelcon II, 371.
Parenthesis II, 396.
Parere et parire coniug. I, 225. 259. 278.
Parissimus I, 275.
Parsi I, 223.
Partes orationis I, 1.
Particeps c. genit. et ablat. II, 109.
Participare varie constr. II, 120. 121. 122. 217.
Participia quid sint I, 297.
— eorum formatio I, 300.
— a neutris derivatur particip. in -tus et -sus I, 297.
— a deponentibus neutralis significationis veniunt participia in -dus I, 298.
— deponentium significatione passiva praedita I, 299.
— participia passiva vim activam habentia I, 299.
— cum in composita quid significent I, 303.
— in -atus, -itus et -utus terminata saepe adiectivorum naturam induunt I, 306.
— in nomina degenerant I, 306.
— comparationem admittunt I, 183.
— perfecti passivi et futuri activi olim pro indeclinabilibus habita I, 285.
— passiva in -undus I, 305.
— cum esse coniuncta faciunt periphrasin verbi I, 305.
— in -tus cum dativo vel cum ab et ablat. constructa II, 98 sqq.
— perfecti passivi absolute in ablativo posita II, 297.
— perf. pass. post opus est II, 67.
— perf. pass. post do, curo, volo, facio etc. II, 241.
— praesentis absolute in ablativo posita II, 298.
— praes. in ablativo absolute posita etiam praecedente alio casu nominis ad quod referuntur II, 298.
— praes. in nominativo absoluto posita II, 298.
— in -dus post curo, habeo, tribuo, accipio etc. II, 242.
— in -dus cum dativo vel praepositione ab constr. II, 98. 99.

Digitized by Google

— in -dus in genitivo post esse posita II, 115.
— in -dus melius gerundiva vocantur v. s. v. Gerundiva, ubi etiam varia eorum constructio enarratur.
— impersonaliter accepta I, 273.
— a verbis impersonalibus formata I, 272 sqq.
— casum suorum verborum regunt II, 239.
— locum substantivorum tenent II, 374.
Partim I, 311.
Partitiva numeralia I, 195.
Partitiva nomina quando in genere cum genitivo plurali ab iis pendente consentiant II, 82.
— quando cum nomine partiendo casu conveniant II, 88.
— quando genitivum adsciscant II, 88.
Parturire I, 200.
Parum I, 124. II, 308.
Parumper I, 312.
Parvi et parvo II, 184.
Pascha cuius generis I, 14.
Pasci quid signif. I, 199.
Passivum quid signif. I, 286.
— a quibus verbis formetur I, 286.
Passiva omnes obiecti casus recipiunt praeter accusativum II, 214.
— c. accusativo remotioris obiecti constr. II, 214. not. 218. 220.
— c. accusativo rei II, 181. sqq.
— neutraliter usurpantur II, 219.
— impersonaliter posita II, 218.
— c. ab constructa II, 209.
— c. dativo pro ab et ablativo constructa II, 211.
— c. per coniuncta II, 211.
Passum et pansum I, 282.
Patere coniug. I, 216.
Patres familias I, 47.
Patronymicorum forma, usus et quantitas I, 188 sqq. App. 80.
Pauper an c. ablativo construatur II, 113. 114.
Pectere coning. I, 258.
Pecus casu nominat. an reperiatur I, 180.
Pedere I, 285.
Pedetentim I, 312.
Pedum an declinabile I, 117.
Pegi pro pepigi I, 240.
Peior unde deriv. I, 173. 174.
Pelage plural. I, 45. 149.
Pelagus cuius generis sit I, 28.
Pello et inde composita coniug. I, 208.
Pelvem I, 78.
Pendere animi et animis II, 119. 122.
Penetrare constr. II, 56.
Penetratus i. q. is qui penetravit I, 301. 317.
Penitus adiectiv. I, 174.
Pensi II, 186.
Pentaptota I, 132 sqq.
Penus cuius generis I, 31.
Per varius usus voc. II, 332 sqq.
— post verba passiva II, 211.
— cum ab permutatum II, 212.
— post verba activa positum II, 212.
— causam indicat II, 263.
— modum indicat II, 265.
— tempus signif. II, 291. 293.
— in composit. usurpatum I, 313. II, 305.
— inserviens obtestationibus quomodo collocetur II, 395.
Percontari constr. II, 178.
Perdix variat genus I, 39.
Perendie I, 312.
Perfectum; usus eius varius II, 341. 382. 378 sqq. [Notanda est duplex eius significatio, qua vel aoristi vel perfecti Graeci vim comprehendit.]
— contractum I, 326.
— in -si alterum i ante terminationem extrudit I, 326.
— antiquis varie formatum I, 270 sq.
Pergere unde derivatum I, 288.
— constructio verbi II, 156. 258.
Perhibent II, 7.
Perinde ac, quam, ut etc. II, 313.
Periphrasis II, 372.
Peritus constr. II, 71.
Permutare constr. II, 194.
Perosus c. accusat. II, 241.
Perquam II, 305.
Perseverare aliquid II, 222.
Persona verbi sequitur potius subiectum II, 30.
— per synesin posita II, 369.

Digitized by Google

ersonae, verborum I, 207.
– earum syllepsis et enallage II, 366. 384.
ersonalia pronomina an habeant vocativum I, 134.
– mei, tui, sui etc. ubi ponantur II, 45.
– me, te, se, nos, vos ante infinitivum omissa II, 12. 14.
– interdum possessivorum locum tenent II, 50.
– mihi, tibi, sibi etc. redundant II, 369 sq.
– verba quomodo construantur II, 114 sqq.
– interdum abeunt in impersonalia I, 274.
ersuadeor II, 219
ersuadere alicui et aliquem II, 140.
ertaesum I, 272.
ertaesus c. accusat. II, 241.
ertinet II, 209.
es cuius generis sit I, 22.
essimo publico II, 3.
essimus unde derivatum I, 174.
essum I, 121.
etere constr. II, 152. 176. 178. 276.
harus cuius gen. I, 29.
haselus cuius generis I, 31.
horcys et Phorcyn I, 72.
igendus I, 272.
iget II, 204.
ili facere II, 185.
insere I, 252.
lacitus I, 299.
langera funera II, 186.
laudere alicui, aliquem etc. II, 146. 122.
lebes et plebs I, 72.
lebes in plurali I, 146.
lectere coning. I, 252.
– constr. II, 168.
lenus c. genit. et ablat. II, 112.
leonasmus II, 369 sqq.
– nominum, pronominum etc. II, 370.
– dativorum mihi, tibi, sibi etc. II, 127. 370.
lere verbum obsoletum I, 219.
lerumque, I, 152.
licare coniug. I, 213.
lorare c. genit. accusat. etc. II, 119.
luit et pluunt II, 7.
– constr. II, 158.
Pluralia tantum I, 41 sqq. I, 150 sqq.
Pluralis deest nominibus quibusdam I, 139 sqq.
– quando formetur a nominibus propriis et nominibus abstractis I, 140.
– post plura nomina singularis numeri II, 28.
– post duo substantiva per praep. cum coniuncta II, 29. 34. 365.
– post substant. singular. per neque – neque vel sive – sive coniuncta II, 29.
– pro singulari positus II, 378.
– ponitur, ubi unum de pluribus alloquimur II, 8. 387 seq.
– post collectiva nomina II, 366. 369. 387.
– post alius, alter, quisque etc. II, 369. 387.
– communicativus II, 8. 383.
– pro singulari in comparationibus II, 383.

Plure II, 133. 184.
Plus unde derivatum sit I, 173.
– substantive ponitur II, 64.
– et magis comparativis per abundantiam quandam adduntur II, 105.
– de tempore dictum II, 294.
– differt a magis II, 294.

Plusimus I, 173.
Plusquamperfecti usus varius II, 330 sqq.
Poenitendus I, 272.
Poenitens I, 273.
Poenitet constr. II, 204.
Poeniturus I, 272.
Pollis forma exoleta I, 24.
Pollucere coniug. I, 222.
Polysyndeton II, 29. 371.
Ponderalia nomina I, 195.
Pondo quomodo dicatur I, 116.
Pone constr. II, 333.
Populo et populor I, 276.
Porgo I, 238.
Poscere coniug. I, 230.
– constr. II, 176.
Positio litterarum App. 13.
Positivus gradus quid signif. I, 169.
– deest quibusdam adiectivis I, 174.

Digitized by Google

— eius formae quaedam rariores I, 174.
— ponitur post adverbia intendendi II, 305 sqq.
Posivi pro posui I, 215.
Possessiva nomina I, 190.
— meus, tuus, suus, noster etc. ubi ponantur II, 45 sq.
— interdum genitivi locum occupant II, 7.
— genitivum adiunctum habent II, 48.
— sensu passivo posita II, 50.
— indicant etiam id quod alicui aptum vel commodum est II, 58.
Possum constr. II, 233.
Post c. accusat. II, 322.
— tempus signif. II, 291.
Postquam II, 311.
Postremus I, 171.
Postridie I, 312. II, 289. 318.
Postulare constr. II, 165. 176.
Postumus I, 172.
Potare coniug. I, 211.
Potens c. genit. et ablat. II, 110. 112.
— seq. ad vel in II, 113.
Potentialis modus quid? I, 204.
Poterat, potuit, potuerat (er hätte können) II, 379.
Potestur I, 274.
Potior coniug. I, 273. 260.
— passive dictum II, 196.
— constructum II, 192. 196.
Potis utroque numero et per omnia genera dictum I, 119.
Prae constr. II, 324. sq.
— in comparando positum II, 101.
— in compositione I, 318.
Praecedere constr. II, 146.
Praeceps in s. ad aliquid II, 97.
Praecipere constr. II, 234.
Praecipitare neutraliter dictum [Cfr. Drackenb. ad Liv. XXV, 11. 6.] I, 301.
Praecurrere constr. II, 146.
Praeditus c. ablativo II, 106.
Praeesse seq. dativo II, 126.
Praefiscine deriv. I, 313.
Praeiacere constr. II, 146.
Praeire constr. II, 146. 152.
Praeminere constr. II, 146.
Praeneste an declinetur I, 115.
Praenomina postposita II, 392.
Praepositio quid sit et unde dicta I, 315.
Praepositiones separabiles et inseparabiles I, 315.
— accusativum regentes I, 315. II, 321 sq.
— ablativum regentes I, 316. II, 322.
— utramque casum regentes I, 316. II, 323.
— unde deriventur I, 317.
— varie construuntur II, 321 sqq.
— an adverbiis praemittantur I, 313.
— nominibus urbium additae II, 279 sqq.
— interdum ante nomina terrarum, regionum etc. omissae II, 283 sq.
— post verba usus quidam II, 215 sqq.
— adverbiascunt I, 316. 334.
— redundanter verbis additae II, 369.
— in compositione eundem casum regunt, quem extra II, 327.
— iterantur saepe post verba composita II, 327. 328.
— aliis casibus quam quos regunt iunctae II, 334.
— per anastrophen postpositae II, 335.
— a casu suo divulsae II, 336. 395.
— saepe omittuntur II, 336 sq.
Praesens tempus. usus eius I, 206. 381.
— in optando et conditionibus positum II, 380.
Praesente vobis II, 299.
Praesidere constr. II, 145.
Praestare constr. II, 146. 152.
Praesto I, 118.
Praestolari constr. II, 146.
Praeter constr. II, 321 sqq.
Praeter quae pro praeter ea quae II, 19.
Praeterit II, 208.
Praeterita verborum I, 208. 326. II, 380 sqq.
— in indicativo positae praegresso si, nisi etc. atque coniunctivo II, 278 sqq.
Praeteritus I, 300.
Praeut I, 313.
Praevenire aliquem II, 222.

Digitized by Google

praeverto et praevertor I, 265.
– constr. II, 146.
precari constr. II, 176.
reprehendere mendacii II, 165.
pridie II, 318.
primitiva I, 186.
– ponuntur pro derivatis II, 375 sq.
primus II, 44.
prius quam constr. II, 311.
pro praepos. constr. II, 185.
pro App. 17.
pro interj. II, 338.
probari alicui. II, 99.
prōcella App. 17.
proclive in aliquid II, 97.
procul constr. II, 332.
procumbere constr. II, 147.
profecto unde formatum I, 313. App. 17.
profundus constr. II, 100.
proh! interject. II, 338.
prohibere c. ablativ. genitiv. etc. II, 120 sqq. 174.
prolepsis II, 368 sqq.
proles in plurali I, 147.
promineo unde deriv. I, 221.
promittere damni infecti II, 121.
pronominum natura et usus I, 196 seq.
Vide sub v. Personale, Possessivum, Relativum, Demonstrativum etc.
pronomina in casu accusativo absolute posita II, 139.
— recipiunt augmenta enclitica rum I, 203.
pronuper I, 313.
pronus in aliquid II, 97.
prōpago App. 17.
Prope constr. II, 96. 331 sq.
— tempus indicans II, 291.
Propediem II, 291.
Properare II, 156. 222.
Propinquare II, 154.
Propinquus substantive II, 92.
Propior constr. II, 96. 97.
Propius II, 320.
Ptoporro I, 318.
Proportionalia I, 195.
Proprius c. genit. et dat. II, 91.
Propria nomina pro appellativis II, 375.
Propter constr. II, 263. 332.
Propugnare constr. II, 156.
Prosequi c. accusat. ablat. et cum II, 193.
Prosilire I, 260.
Prosodia quid? App. 10 sqq.
Prospicere seq. dat. II, 172.
— aliae constructiones verbi II, 152.
Prosthesis I, 324.
Prout I, 313.
Proxime constr. II, 320.
Proximus c. dativ. et accusat. constr. II, 97.
— c. genit. II, 80.
— c. ab II, 97. 216.
— aliis modis positum II, 96.
Providere constr. II, 117.
Prudens constr. II, 71.
Pubes, pubis et puber I, 66.
Pudet constr. II, 261. 204.
Pudendus I, 272.
Puerus I, 54.
Pugnare constr. II, 149.
Pulsi I, 243.
Pulvis genus voc. I, 26.
Pulveres I, 144.
Pumex variat genus I, 39.
Pungo coniug. I, 208. 239.
Punio et punior I, 276.
— aliquem capite II, 168.
Pus, puris I, 127.
Python cuius generis I, 13.

Q

Quadrare constr. II, 147.
Quaerere constr. II, 178.
Quaeso I, 269. 320.
Quam in comparando II, 101 sq.
— post plus, amplius etc. omitti solitum II, 106. 294.
Quam pro (ἢ κατά) post comparativ. II, 106.
Quam pro antequam vel postquam II, 294. 312.
Quam admirationis, commiserationis etc. index II, 306.
— pro quantum II, 307.
— aliis intendendi adverbiis subnectitur II, 305.
— c. superlativo et comparativo iunctum II, 307.
— etiam positivo iunctum II, 307.

Digitized by Google

Quamvis et quamquam constr. II, 852.
Quandoquidem II, 353.
Quantus c. verbo possum et maximus II, 307.
Quantum et quanto II, 308 sq.
Quantum extravagans II, 108.
Quatenus II, 353.
Quasi et quasi vero constr. II, 313.
Que quid ab et differat II, 348.
Que traiectum I, 323. II, 393.
Queo coniug. I, 78. 255. 274.
Qui, quae, quod vid. s. v. Relativum.
Quia constr. II, 354.
Quicum generis omnis in utroque numero I, 202.
Quiens, queuntis I, 73.
Quiescere constr. II, 120 sqq. 222.
Quietes in plurali I, 147.
Quilibet etiam de duobus dictum II, 87.
Quin unde deriv. II, 312.
— i. q. cur non II, 314.
— i. q. imo II, 314.
— i. q. ut non, quod non II, 315.
— post non dubito, non prohibeo etc. II, 236.
— i. q. ut non, quod non II, 357.
Quintae declinationis nomina maximam partem carent plurali I, 129.
Quippe qui II, 349. 353. 354.
Quis, quid et quod I, 201.
— etiam de duobus dictum II, 86.
— etiam feminino dictum I, 200.
Quid substantive positum et cum genitivo constructum II, 64.
— per archaismum non cum genitivo constructum II, 65.
— extravagans II, 108.
— cum comparativo, pro nemo, nullus etc. dicitur II, 103.
Quisque interdum de duobus Quo I, 200.
— i. q. ut eo c. coniunctivo constr. II, 346.
— antiquitus etiam qui sonabat II, 346.
Quoad constr. cum eius et facere II, 310.
— nusquam reperitur cum accusativo constructum II, 311.
Quod et ut quid differant II, 235. 349. 352.
— quando c. coniunctivo construatur II, 354.
— i. q. ob quod II, 354.
— an ponatur post scio, puto, existimo II, 12. 233.
— ubi ponatur II, 233. 254.
— an cum ut permutari possit II, 235.
Quod relat. initio orationis positum redundare videtur II, 23. 354.
Quodsi, quodnisi etc. II, 355.
Quoniam constr. II, 353.
Quoque interdum praepositum I, 323.
Quotannis II, 295.
Quotidie II, 289.
Quotquot annis II, 295.
Quum s. v. Cum.

R.

Ramex cuius generis sit I, 38.
Raucire I, 258.
Re I, 318.
— quantitas voculae App. 17.
Reapse I, 202.
Recano et recino I, 246.
Reciproca pronomina II, 51. 53 sqq.
Recta I, 311.
Recordari constr. II, 161.
Reddere c. particip. praet. passivi constr. II, 241.
Redditiva interdum omittuntur II, 23.
Reduplicatio verborum quorundam in praeteritis I, 208 sqq. 218. 228.

Digitized by Google

Regimen quid sit II, 2. 40.
Regionum nomina cuius generis I, 8.
— pro incolis pos. II, 387.
Regnare c. genit. etc. constr. II, 120. 122.
Relativa quid? I, 190.
— ita ponuntur, ut ex praegressis intelligi debeat verbum II, 13 sq.
Relativum qui, quae, quod in genere et numero cum antecedente nomine concordat II, 17.
— interdum a nomine sequente pendet II, 17 sq.
— denuo additum habet nomen ad quod refertur II, 18.
— adsciscit subiectum antecedentis enuntiationis (Attractio) II, 18. 19. 385. 391.
— demonstrativo praemittitur II, 18 sq.
— refertur ad subiectum non diserte indicatum II, 19. 21.
— in genere sequitur vel subiectum vel praedicatum II, 5. 20. 21.
— quam vim habeat in formulis qui tuus est amor, quae tua est benevolentia etc. II, 21.
— ad aliud substantivum, quam quod praecedit, relatum II, 23.
— ita positum, ut praegressum nomen alio numero repetendum sit II, 24.
— in neutro genere positum, quia notionem infinitam spectat II, 25 sq.
— in neutro genere positum, quia refertur ad sententiam universam vel infinitivum II, 22.
— infertur post meus, tuus, suus, ut ex his nomen eruendum sit, ad quod pertinet II, 49. 388.
— usus eius in formula quae vocatur et simil. II, 25.
— in casu interdum sequitur nomen praecedens per attractionem II, 26.
— in alio casu, quam quo positum erat, intelligendum II, 27.
— post dignus, indignus, idoneus etc. positum II, 96. 351.
— post reperio, invenio, esse II, 349 sq.
— post tam, talis, tantus II, 351.
— causam indicat II, 349.
— pro ut positum II, 348.
— ubi requirat coniunctivum II, 348 sq.
— qui pro quis I, 198.
— quod cum vi quadam initio sententiae positum in formulis Quod dicis, Quod constitui etc. II, 23.
— quod i. q. propter quod II, 205. 354.
— quod i. q. quoad, quantum II, 354.
— quod initio orationis redundat II, 23. 355.
— quicum generis omnis in utroquo numero I, 202.
— quod in dictione Liviana Quod roboris erat II, 115.
Relativae coniunctiones in pronomen resolvendae II, 349.
Relinquere c. dat. II, 123.
Reliquus II, 44.
Reminisci II, 161.
Remittere c. dupl. accus. II, 179.
Renunciare constr. II, 152. 157. 175.
Repetitio eiusdem voc. II, 18. 399.
Requies quomodo declinetur I, 64.
Res c. genit. periphrasin facit II, 372.
Rescribere constr. II, 174.
Residēre active II, 222.
Respicere constr. II, 157.
Respondere constr. II, 147.
Respondendi variae rationes II, 39.
Responsiva II, 39.
Restituere constr. II, 174.
Rete etiam in ablat. dictum I, 83.
Retis pro rete I, 26.
Retro c. accusat. II, 383.
Retunsus I, 234.
Reus usus voc. II, 72 sqq.
Revertor et reverto I, 265. 276.
Ringor I, 265.
Rogare constr. II, 176.
Rores in plurali dictum I, 144.
Rudere I, 256.

Digitized by Google

Rudis constr. II, 79.
Ruere constr. II, 156.
— intransitive positum II, 222.
Rus genitivo plurali caret I, 128.
Rus accusativ. II, 276. 281.
Rure et ruri II, 276. 281.
Rursus cum compositis revertor etc. coniunctum II, 370.

S.

Saepior I, 174.
Saepissimus I, 174.
Salar cuius generis I, 18.
Sales I, 148.
Sallere et salire I, 248. 256.
Saltare aliquid II, 222.
Salvere I, 269.
Sancire I, 257.
Sanequam II, 305.
Sanguen et sanguis I, 17.
Sapere coniug. I, 224. 278.
— aliquid II, 158.
Sardonyx I, 38.
Sarrio I, 259.
Satago constr. II, 118.
Sategi dubia forma I, 239.
Satis etiam c. superlativo iunctum II, 306.
Satisdare damni infecti II, 121.
Satisfacere aliquid II, 222.
Satisfacto iureiurando II, 127.
Saturare c. genit. II, 189.
Saturrimus et saturissimus I, 172.
Satus c. ablat. II, 106.
Scabo I, 227.
Scatere constr. II, 189.
Scilicet I, 312.
— c. infinit. constr. II, 321.
Scindere coniug. I, 233.
Scisciscitari constr. II, 178.
Scobs variat genus I, 35.
Scrobs variat genus I, 34.
Se quantitas voc. App. 17.
Secare coniug. I, 214.
Secundum an sit praepositio II, 332.
Secundus seq. dativo vel ab c. ablat. II, 216.
Securem I, 77.
Securus constr. II, 72. 79.
Secus pro sexus triptoton I, 128.
Secus adverb. constr. II, 332.
Sed postpositum II, 324.
Segnis constr. II, 179.
— in aliquid II, 97.
Semis, semissis I, 67. 114.
Sententia subiecti partes agit II, 6.
Sentis genus voc. I, 24.
Seorsum c. ablativo II, 333.
Sepelire I, 256.
Sepes et seps I, 73.
Sepi et sepsi I, 238.
Serere I, 250.
Serpens variat genus I, 34.
Servire constr. II, 147.
Sesqui I, 118.
Sexus etiam neutrum I, 32.
Si optandi significc. II, 313 sqq.
— constr. c. indicativo et coniunct. II, 356.
— in protasi omissum II, 356. 360.
— pro quamvis c. coniunctivo II, 357.
Sic in obtestando II, 393.
Sido et composita ab eo I, 237.
Silere rem II, 222.
— neutrali significc. I, 218.
Silex variat genus I, 33.
Similis c. genit. et dativ. II, 91.
Similis atque II, 94.
Simplicia nomina I, 193.
— verba I, 295.
Simul pro simulac II, 312.
— c. ablativo II, 333. 334.
Simulac, simul ut, simul ubi II, 311 sqq.
Simulare Curios etc. II, 157.
Sin ubi ponatur II, 356.
Sinapi an indeclinabile I, 59.
Sinere I, 246.
Singularis quibus nominibus desit I, 151.
— pro plurali positus I, 160.
— pro plurali antiquitus in ablativ. absol. positus II, 299.
Singultire I, 256.
Sinistimus I, 170 sqq.
Siquidem postpositum I, 324.
— ubi ponatur II, 356.
Sis i. e. si vis I, 270. II, 371.
Sistere I, 254.
Sitire sanguinem II, 222.
— c. genit. II, 189.
Situs pro permissus I, 246.
Sive — sive II, 342.
Soceri i. q. socer et socrus II, 86.
Socius substantive II, 92.
Sodes I, 270.

Digitized by Google

Soleo, solui I, 266.
Solere constr. II, 238.
Solet constr. II, 224.
Solito ap. comparat. II, 104.
Solitum c. supino secundo II, 261.
Sollicitus II, 72.
Soloecismi II, 397.
Solvere constr. II, 152.
— legum II, 165.
Sonare c. accusat. II, 158.
— vitium II, 222.
— coniug. I, 212.
Sopores in plurali dictum I, 144.
Soracte an declinetur I, 115.
Sorbere coni. I, 216.
Sordis singular. I, 130.
Sotularis vox nihili I, 24.
Spadix genus voc. I, 87.
Spargere c. ablat. II, 194.
Spe ante comparat. II, 104.
Specio I, 224.
Spectare constr. II, 158.
Spectat constr. II, 209.
Specus cuius generis I, 81.
Spirare aliquid II, 158.
Spondeo coniug. I, 209.
Sponte I. 124.
Stare coniug. I, 209. 210. 254.
— c. ablativo II, 198.
Sterilis constr. II, 118.
Stillare constr. II, 158.
Stipulari damni infecti II, 121.
Stirps cuius generis sit I, 84.
Strido et strideo I, 236.
Strigilem I, 78.
Studere alicui, alicuius etc. II, 119. 122. 147. 238.
Studiosus II, 72.
Stupere aliquid II, 222.
Suadere alicui et aliquem II, 148.
Sub constr. II, 323 sqq.
— tempus significans II, 289. 291. 300. 301.
— in compos. I, 318.
Subesse constr. II, 147.
Subiacere constr. II, 147.
Subiecti mutatio quaedam II, 210. 345.
Subiectum ap. infinitivum quando omittatur II, 13.
Subire constr. II, 147.
Subit II, 147. 208.
Subiunctivus vid. s. v. Coniunctivus.
Substantiva interdum comparativum formant I, 168.
— locum adiectivorum tenentia II, 4.
— interdum genitivum partitionis adsciscunt II, 80.
— cum dativo coniuncta II, 88.
— praepositiones adsciscentia II, 43.
— cum infinitivo constructa II, 225.
— per appositionem explicanda II, 86.
— primae declinationis ab accusativis tertiae formata I, 46.
Subter constr. II, 324 sqq.
Succedere constr. II, 148.
Succensere c. dat. et accus. II, 219.
Sudare constr. II, 158.
Sufficere constr. II, 152.
Sugere I, 241.
Sui, sibi, se, pro is, ea, id II, 54.
Sui et suus quid differant II, 51 sqq.
Sultis i. q. si vultis I, 270.
Sum constr. II, 9.
Summus II, 44.
Super constr. II, 324 sqq. 326. 334.
Superlativus quid sit I, 169.
— quomodo formetur I, 170 sqq.
— deest multis adiectivis I, 176.
— ab aliis superlativis formatus I, 185.
— rarae quaedam eius formae I, 176 sqq. 178.
— cum adverbiis intendendi coniunctus II, 305 sqq.
— interdum pro comparativo positus II, 85.
— olim u pro i in penultima sonuit I, 172.
Supersedere interdum dativo iunctum, frequentius ablativo II, 129. 194.
— etiam accusativo II, 129.
— c. infinitivo II, 129.
Supervenire c. dat. et accusat. II, 129. 148.
Supinum quid? I, 308. II, 256.
— quid significet I, 308 sqq.
— quomodo formetur I, 208.
— regit casum sui verbi II, 289.
— in -um ubi ponatur II, 256 sqq.
— in -u ubi locum habeat II, 259 sqq.
— quomodo constructio supini mutari possit in aliam II, 258. 261.

Digitized by Google

Suppeditare pro suppetere II, 123.
Supplicare constr. II, 148. 172.
Supra constr. II, 101. 322.
Supremus I, 171. II, 44.
Surgo et surrigo I, 238.
Surgere lumbos II, 222.
Suspectus constr. II, 78.
Suspendere constr. II, 174.
Suus et eius differunt II, 54.
— passive II, 50.
— i. q. aptus, commodus II, 58.
Syllabarum quantitas App. 10 sq.
Syllabicae adiectiones I, 208 sq.
Syllepsis II, 28. 365 sqq.
Synchysis II, 394.
Syncope I, 325.
Synecdoche II, 359.
Synesis II, 365. 386 sqq.
Synonymum quid? I, 187.
Syntaxis quid sit II, 1.

T.

Tacitus active dictum I, 217.
Taedet II, 204.
Taeduit et taesum est I, 272.
Talio cuius generis I, 14.
Tam c. superlativo II, 306.
Tam-quam II, 306.
Tametsi constr. II, 350.
Tanquam constr. II, 318.
Tanto ante quanto omissum II, 104. 308.
Tantum II, 308.
Tardus ad aliquid II, 96.
Tautologia II, 399.
Tellures pluraliter dictum I, 147.
Temperare constr. II, 152. 192.
Temporalia numeralia I, 195.
Tempore bei Zeiten II, 289.
Tempori ablat. II, 269.
Temporum natura et significatio illustr. I, 205. 206. II, 340 sqq.
— derivatio I, 207.
— diversorum coniunctio II, 342.
— consecutio II, 351.
— usus varius II, 386 sqq.
Ceterum vid. s. v. Imperf. Perfectum, Plusquamperfect. Futurum.
Tempus est c. infin. II, 225. 229.
Tendere I, 234.
Tendo, -onis, -inis I, 60.
Teneri furti II, 165.
Tenuis constr. II, 118.
Tenus constr. c. ablat. et genitiv. II, 323. 333.
Tepidum serenum, II, 3.
Terere I, 248.
Tergere coniug. I, 221. 240.
Terrae pro in terra II, 274.
Tertius ab II, 216.
Testis pro testiculo I, 28.
Tetraptota I, 129.
Tetuli I, 209.
Timere constr. II, 152. 215. 237.
Timores I, 146.
Tingo et tinguo I, 238.
Tmesis II, 395 sqq.
Tollo coniug. I, 209.
Tolo, tolli I, 244.
Tonare coniug. I, 212.
Tonat et tonant II, 7.
Tondere coniug. I, 209.
Torcularia, -orum I, 97.
Torquis genus voc. I, 25.
Totus declin. I, 53.
Trachyn et Trachys I, 72.
Traditur seq. accus. c. infin. II. 18.
Traducere c. dupl. accus. II, 228.
Tradux etiam fem. I, 36.
Traiicere c. dupl. accus. II, 328.
Trans constr. II, 328.
Transportare c. dupl. accusat. II, 328.
Tremere aliquid II, 222.
Tremiscere aliquid II, 158.
Tribuo c. dativo II, 123.
Trichomanes I, 23.
Triptota I, 125.
Trudo coniug. I, 232.
Tuatim I, 312.
Tuber cuius generis sit I, 19.
Tudes I, 233. coll. 65.
Tueor et tuor I, 261.
Tuli unde derivat. I, 249.
Tundo, tunsus I, 233.
Turben an turbo I, 60.
Turpe exclam. I, 320.
Tutudi I, 233.
Tutus I, 261.
Tuus passive II, 50.
— i. q. tibi aptus, commodus II, 58.
Tuus, -a, -um est cum verbali constructum II, 117.

U.

U in -i mutatum ab Iulio Caesare in formis ultimus, pessimus etc. I, 172.

Digitized by Google

Uber c. ablat. et genit. II, 113.
Ullus declin. I, 53.
Ultimus unde deriv. I, 174.
— usus quidem voc. II, 44.
Ultrix, ultricia I, 90.
Uncia femin. gen. I, 8.
Unedo cuius gen. I, 17.
Ungo et unguo I, 238.
Unio I, 16.
Unus declin. I, 53.
— quando in plurali ponatur I, 146.
— ubi numerum indicat, cum de vel ex construitur II, 81.
— pro solus positum genitivum assumit II, 81 sqq.
— pro primus I, 195.
Urbium nomina cuius generis I, 8.
— pluralia tantum I, 152.
— constr. II, 261—288.
Usque usus vocalis II, 285. 331.
— collocatio voc. II, 336.
Usucapio II, 240.
Usus est pro opus est constr. II, 66 sqq.
Usuvenit II, 200.
Ut post idem II, 94.
— pro utpote II, 349.
— pro postquam II, 314.
— admirationis, commiserationis etc. index II, 307.
— seq. superlativo II, 377.
— coni. ubi poni debeat II, 234.
— collocatio vocis II, 393.
— quid significet II, 284. 350.
— varius eius usus expl. Ibid. 284. 346. 350. 351.
— an cum quod permutetur II, 235.
— post verba timendi II, 237.
— ex praeced. ne eruendum II, 361.
— ubi omittatur II, 235. 243. 350.
— iteratum II, 396.
Ut ne et ut non II, 346.
Ut qui c. coniunct. II, 349.
Uter quid significet II, 85.
Uterque II, 87.
— c. plurali iunctum II, 366.
Uti c. ablat. II, 192.
— c. accusativo II, 195.
Utilis constr. II, 95.
Utilis medendi etc. II, 96.
Utillimus I, 171.
Utinam constr. II, 318. 346.
— omittitur II, 314.
Utinam ne II, 314.
Utpote qui II, 349. 354.
Utrum etiam de pluribus dictum II, 86 sq.
Uxor elliptice deest II, 41.

V.

Vacare II, 153.
Vacat II, 199.
Vacuus seq. ab II, 113.
Vach interi. II, 339.
Valde II, 305.
Valdequam II, 305.
Valere II, 183.
Variantia nomina I, 165.
Varix genus variat I, 39.
Vas cuius generis I, 20.
— et vasum I, 14.
Ve praepos. insepar. I, 318.
Vectigalia, -orum I, 97.
Vehementer II, 305.
Vehens i q. qui vehitur I, 301.
Vel postpositum I, 324.
Velle c. particip. in -tus II, 241.
— aliquem aliquid II, 179.
Vellere coniug. I, 243.
Venalis c. ablat. II, 106.
Veneo coniug. I, 256.
Venire constr. II, 148.
Venit mihi in mentem II, 162.
Ventorum nomina I, 7.
Venum I, 121. 256.
Veprem I, 41. 24.
Verbalia nomina I, 192. Cfr. s. v. Adiectiv. et Substant. s. Nomina.
Verber nominativo caret I, 19.
Verbere I, 41.
Verbum quid sit, eiusque formae I, 204.
Verborum genera I, 280.
— species I, 289 sqq.
— figura I, 295.
— radices, quae non in usu remanserunt I, 295.

Digitized by Google

Verborum census, quae praeterito et supino carent I, 214. 223. 230. 241. 248. 254. 259. 260. 264.
— numerus varie coniugatorum I, 277—79.
— regimen II, 114 sqq.
Verba pro varia terminatione significationem variantia I, 279.
— in numero et persona sequuntur subiectum II, 6. 10.
— interdum in numero sequuntur praedicatum II, 10.
— tertiae personae saepe carent subiecto II, 7.
— cum propiore nomine in numero, genere et persona concordant, II, 6.
— in plurali ponuntur ubi duo singularia per cum iuncta sunt II, 34.
— intercedente cum personae nominativi respondent II, 34.
— quod genus quamque personam sequantur, ubi plura substantiva coniuncta sunt II, 30 sqq.
— nominativum utrinque habentia II, 9.
— gestum et statum significantia c. nominativo constructa II, 10.
— dicendi, existimandi etc. interdum nominativum c. inf. regunt II, 16.
— motus cum ad vel in constructa II, 153. 154.
— c. ad composita II, 154.
— cum super composita plerumque accusativum regunt II, 129.
— composita in universum quod constructionem attinet illustrata II, 127 sqq.
— coniugata, quae dicuntur, accusativum adsciscunt, v. c. pugnare pugnam II, 157.
— redundanter addita II, 369.
Verbum substantivum saepe omissum II, 7.
De ceteris vide s. v. Activum, Passivum, Personale, Impersonale etc. et s. v. Syllepsis atque Zeugma.
Vercingetorix I, 74.
Vereri c. genit. accus. etc. II, 119 sqq. 257.
Vergo I, 241.
Verisimile est ut II, 235.
Vero initio periodi colloc. I, 325.
Verro coning. I, 249.
Versus in et ad II, 285. 331. 335.
Vertere c. dat. etc. II, 128. 156.
— neutraliter positum I, 301.
Verum est ut II, 235.
Vesci I, 264. II, 192. 195.
Vespera, vesperus et vesperum I, 51.
Vesperi I, 123. 212.
Vester, ubi unum alloquimur II, 9.
— passive II, 50.
Vestire constr. II, 190.
Vestri et vestrum II, 47.
Vetare coning. I, 212.
Vibex an vibix I, 36.
Vice I, 130.
Vicem c. verbis animi affectionem significantibus iunctum II, 206.
Viciniae II, 274.
Victricia arma I, 90.
Videlicet c. infinitivo II, 321.
Video videre II, 211.
— passive II, 211.
Videres man konnte ſehen II, 284.
Videri pro nihilo etc. II, 187.
Videtur seq. accus. c. inf. II, 13.
Viere et vire I, 278.
Vili II, 184.
Vilis c. abl. II, 106.
Vindicare constr. II, 175.
Virus I, 127. 148.
Vis caret dativo I, 185.
Vivere vitam, aetatem etc. II, 160. 219.
— Bacchanalia II, 157.
— cibo, ex rapto etc. II, 193.
Vobis c. partic. singul. II, 299.

Digitized by Google

Vocativus quibus nominibus desit I, 133.
— nominum in — us sec. declinationis interdum in — us terminatus II, 54 sqq.
— in — e, i et ie I, 54.
— nominum graecorum in s I, 45.
— eius usus II, 358.
— pro nominativo II, 12.
— et nominativus conjunguntur II, 11.
Vocor c. duplex nom. II, 9.
Volnus I, 328.
Volo constr. II, 233.
— ex nolo supplendum II, 360.
Voltis I, 328.
Volupe est I, 123.
Voluerum et volucrium I, 94.
Volutans i. e. qui volutatur I, 80
Volvens i. q. qui volvitur I, 301.
Vomer et vomis I, 66.
Voster I, 323.
Vulgus cujus generis sit I, 32.

Z.

Zeugma II, 29. 32. 360. 362. sqq.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

T. I. p. 20. not. 11. lin. 6. pro *ut solet* lege *ut solet.*
— - p. 55. not. 60. lin. 8. pro *Auson. in Eclogar.* l. *Auson. in Ecloga* 1.
— - p. 68. text. lin. antepenult. pro *penrltima* l. *penultima.*
— - p. 89. not. 100. lin. 1. pro *Tibellus* l. *Tibullus.*
— - p. 185. no. 7. lin. 1. pro *fomati* l. *formati.*
— - p. 504. not. 20. lin. 5. pro *incomptus* l. *incomptus.*
T. II. 192. not. 87. lin. 4. pro *Scxthica* l. *Scythica.*
— - p. 208. note 25. lin. 8. pro *deeet* l. *decet.*
— - p. 225. not. 8. lin. 11. pro *Lucian* l. *Lucan.*
— - p. 238. not. 17. lin. 10. pro *animadvere* l. *animadvertere.*
— - p. 268. not. 18. lin. 23. pro *nastra* l. *castra.*
— - p. 327. text. lin. 18. adde: Vide Drackenb. ad Livii Praefat. §. 11.
— - p. 331. text. lin. 1. pro *Alia* l. *Aliae.*

Plura huiusmodi addere non est operae pretium.

Digitized by Google

Bei C. H. F. Hartmann in Leipzig sind folgende Bücher erschienen und für beigesetzte Preise zu haben;

Aeschyli Prometheus vinctus ed. C. J. Bloomfield. 1822. 8 maj. 1 Thlr.
charta script. 1 Thlr. 8 Gr.

— — Persae c. C. J. Bloomfield. 8 maj. 1823. 1 Thlr.
charta script. 1 Thlr. 8 Gr.

Bereicherungen für die Geburtshülfe und für Physiologie und Pathologie des Weibes und Kindes. Herausgegeben von Dr. L. Choulant, Dr. Fr. Haase, Dr. Mar. Küstner und Dr. Ludwig Meissner. 1r Bd. Mit Kupf. gr. 8. 821. 21 Gr.

Brückner, J. A., essai sur la nature et l'origine des droits, où déduction des principes de la science philosophique du droit. Séconde édit. 8 maj. 1818. 2 Thlr. 16 Gr.

Caesaris, C. J. opera, cura et studio Oudendorpii. Edit. nova, auctior et emend. 2 Tomi. 8 maj. 822. 6 Thlr. 20 Gr.
charta script. 9 Thlr.

Cornelii Nepotis quae exstant cum selectis superiorum interpretum suisque animadversionibus edidit Augustinus van Staveren. Editio nova auctior curante Guilelmo Henrico Bardili, AA. LL. M. Eccl. Uracensis Diacono. Accedunt Cornelii Nepotis Fragmenta Guelpherbytana cum Jac. Frid. Heusingeri Defensionibus omniumque vocabulorum ac rerum Index Bosianus multo quam antea plenior et emendatior. 2 Tomi. 8 maj. 820.
charta impress. 4 Thlr. 12 Gr.
— script. 6 Thlr. 20 Gr.

Euripidis Heraclidae, ex recens. P. Elsmley, qui annotationes suas et aliorum selectas adjecit. Edit. auctior indicibusque instructa. 8 maj. 821. — 16 Gr.
charta script. 21 Gr.

Digitized by Google

Euripidis Bacchae, ex recens. P. Elmsley. In usum studiosae juventutis. Edit. auctior, indicibusque instructa. 8 maj. 822. 21 Gr.
charta script. 1 Thlr. 4 Gr.

— — Medea in usum studiosae juventutis rec. et ill. P. Elmsley. Accedunt God. Hermanni annotationes. 8 maj. 822. 2 Thlr. 16 Gr.
charta script. 3 Thlr. 16 Gr.

— — Supplices et Iphigenia in Aulide et in Tauris, cum annotationibus Marklandi, Porsoni, Gaisfordi, Elmsleji, Blomfieldi et aliorum. Tomus primus, continens: Supplices mulieres, cum notis Marklandi integris et aliorum selectis. Accedunt de Graecorum quinta declin. imparisyllabica, et inde formata latinorum tertia, quaestio grammatica, explicationes veterum aliquot auctorum, epistolae quaedam ad d' Orvillium datae, c. indicibus necessariis. Tomus secundus, continens Iphigeniam in Aulide et in Tauris etc. Accedunt P. Elmsleji annotationes in Euripidis Hecubam, Herculem furentem et Sophoclis Ajacem. 8 maj. 4 Thlr.
charta script. 6 Thlr. 8 Gr.

Euripidis Hippolytus Coronifer ad fidem Manuscript. curav. J. H. Monk. 8 maj. 823. 21 Gr.
charta script. 1 Thlr. 4 Gr.

Griesinger, Dr. L. F., de Servitute luminum et ne luminibus, cum duplici appendice de Servitute prospectus et fenestrae, liber singularis, quo nova ratione Servitutes hae explicantur, variaque juris civilis loca exponuntur, illustrantur, vindicantur. 8 maj. 819. 1 Thlr. 12 Gr.

Livii, T., Patavini historiarum ab urbe condita Libri, qui supersunt, omnes, cum notis integris Laur. Vallae, M. Ant. Sabellici, Beati Rhenani, Sigism. Gelenii, Henr. Loriti Glareani, Car. Sigonii, Fulvii Ursini, Franc. Sanctii, J. Fr. Gronovii, Tan. Fabri, Henr. Valesii, Jac. Perizonii, Jac. Gronovii; excerptis Petr. Nannii, Justi Lipsii, Fr. Modii, Jani Gruteri; nec non ineditis Jani Gebhardi, Car. And. Dukeri, et aliorum: curante Arn. Drakenborch, qui et suas adnotationes adjecit. Accedunt Supplementa deperditorum T. Livii librorum a Jo. Freinshemio concinnata.

Tom. I. Pars I. 8 maj. 820. charta script. 1 Thlr. 21 Gr.
— impress. 1 — 8 —
— I. Pars II. 821. — script. 2 — 6 —
— impress. 1 — 16 —

Digitized by Google

— II. Pars I. 821.	—	script.	2 —	16 —
	—	impress.	2 —	— —
— II. Pars II. 821	—	script.	2 —	6 —
	—	impress.	1 —	16 —
— III. Pars I. 821.	—	script.	2 —	6 —
	—	impress.	1 —	16 —
— III. Pars II. 821.	—	script.	2 —	— —
	—	impress.	1 —	8 —
— IV. P. 1. et 2.	—	script.	4 —	— —
	—	impress.	2 —	12 —
— V. 1. 2. VI. 1. 2.	—	script.	7 —	4 —
	—	impress.	4 —	16 —

Meissner, Dr. Fr. L., über die Unfruchtbarkeit des männlichen und weiblichen Geschlechts, ihre Ursachen, Erkenntniss und Heilart. Nebst einem Anhange über Jörgs Perforatorium. gr. 8. 821. 1 Thlr. 12 Gr.

Reinhold, Dr. Er, Versuch einer Begründung und neuen Darstellung der logischen Formen. gr. 8. 819. 10 Gr.

— — Berichtigung einiger Missverständnisse, welche in des Herrn Hofrath Fries Vertheidigung seiner Lehre von der Sinnenanschauung gegen meine Angriffe sich eingeschlichen haben. gr. 8. 820. 4 gr.

Robbi; Dr. Heinr., neuestes Handbuch der Wundarzneikunst und der hierher gehörigen Grundwissenschaften zum Unterricht für Militär- und Civilärzte; insbesondere aber für diejenigen, welche keine Gelegenheit hatten, sich auf Universitäten weiter auszubilden, nach Legouas frei bearbeitet. Grundlinien zum Studium der Zoonomie, Anatomie und Physiologie. gr. 8. 821. 2 Thlr. 12 Gr.

Roch, Dr. Ed., über die Anwendung der Blausäure als Heilmittel in verschiedenen Krankheiten, besonders in der Lungenschwindsucht, krankhaften Engbrüstigkeit und in dem Keichhusten, mit einer Vorrede von Dr. Cerutti. 8. 820. 16 Gr.

Ruddimanni institutiones grammaticae Latinae. Nunc primum in Germania edid. G. Stallbaum. 8 maj. 2 Tomi. 823. 4 Thlr.
charta script. 5 Thlr. 12 Gr.

Sophoclis Oedipus tyrannus, ex rec. P. Elmsley. Ed. auct. indicibusque instructa. Cum praefatione F. Dinndorfii. 8 maj. 12 Gr.
charta script. 16 Gr.

Digitized by Google

L. 3421

Wenck, Dr. C. F. Chr., Magister Vacarius, primus juris Romani in Anglia professor, ex annalium monumentis atque opere ejus nunc primum reperto illustratus. 8. 820. 2 Thlr.
Charta Script. 2 Thlr. 16 Gr.

Wieland, E. K., Hofrath und Prof., der Wettstreit der Jahrhunderte. Nebst einer Einleitung als Vorwort und einer künftigen Geschichte des 18ten Jahrhunderts. gr. 8. 820. 1 Thlr. 8 Gr.

Wunder, Ed., adversaria in Sophoclis Philoctetem. 8 maj. 823. 16 Gr.

Wurm, Joh. Friedr., Prof., de ponderum, nummorum, mensurarum, ac de anni ordinandi Rationibus apud Romanos et Graecos. 8 maj. 821. 1 Thlr. 8 Gr.

Xenophontis Hiero. Rec. et interpretat. est C. H. Frotscher. 8 maj. 12 Gr.

97150

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google